6267

Ad V Sum.

QVÆSTIONES SELECTAE, SVPRA TERTIAM PARTEM DIVI THOMÆ.

COMMENTARIA CIRCA ILLAS IN QVIBVS DEFENDITVR Doctrina eius, ab omnibus sinistrè intelligentibus eam ex quolibet sint instituto.

PER REVERENDVM PATREM FRATREM GASPARVM KVYZ Vallis Oletanum Ordinis Prædicatorum in Sacra Theologia Magistrum, Sancti Officij Calificatorem, Cathedræ Primariæ Sancti Thomę in Vniuersitate Pinciana Regentem, Priorem-que grauissimi, & Religiosissimi Cœnobij Sancti Pauli dictæ ciuitatis insignis, & celebris totę orbe propter viriditatem studij Artium, & Sacræ Theologię in ipso splendentem, necnon propter eximiam obseruantiam regularem in qua in dies crescit.

AD,

ILLVSTRISSIMVM ET EMINENTISSIMVM DOMINVM Dominum Fr. Dominicum Pimentel, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Hispalensemque Archiepiscopum omnium Præsulum Sapientissimum, &c.

Anno 1652.

CVM PRIVILEGIO

VALLIS-OLETI apud Bartholomæum Portoles Almę Vniuersitatis Typographum.



ILLVSTRISSIMO, AC EMINENTISSIMO DOMINO Domino F. Dominico Pimentel Archiepiscopo Hispalensi à Domino nostro Rege Philippo IIII. Hispaniarum Imperatore apud Summum Pontificem, vt ab ipso ad Cardinalitiam dignitatem assumatur postulato, iamque speciali Dei prouidentia in tali dignitate constituto, tanquam omnium Præsulum Doctissimo, & Meritissimo ex Ordine nostro Prædicatorum ad similes dignitates euecto Fr. Gaspar Ruyz in Sacra Theologia Magister, eiusque professor in Regia Vniuersitate toto orbe celebrata Pinciana, Primatiq; Cathedræ D. Thomę Regens in ea, dicat, & salutem optimam à Domino precatur.

EN, nobilissime, Illustrissime, necnon eminentissime sapientia præstantissime, ac humanissime Archipræsul Hispalensis Ecclesiæ debitum tibi, & si minutum obsequium persoluo (debitum, inquam, quia à diebus iuuentutis meæ promissum) memor enim sum, quod dum apud Vniuersitatem Abulensem Cathedras Artiũ regebam, & tu mira eruditione scientiæ Cathedram vnã ex Theologicis; dum (inquam) ad inuicem de rebus litterarijs regulariter sermonẽ institueremus dixi: Si aliquando Deo dante aliquod commentarium in lucem publicam edidero, tibi offeram insignũ gratianimi erga tuam paternitatẽ pro beneficijs quotidie pro tua benigna humanitate mihi (licèt immerito) à te collatis. En, inquam, iam promissum impleo, iam promissionis ratione debitum persoluo, vt me gratum tuis laboribus exhibeam, ingratitudinisque notam effugiam. Mitto ergo propter hanc causam inditissimum tuæ omnigenæ scientiæ gazophilatium opus hoc (in quo commentaria in aliquas quæstiones Tertiæ Partis totius Ecclesiæ Magni luminaris Angelici scilicet Doctoris nostri D. Thom. Aquinatis) dicans illud tuæ eminentissimæ dominationi (non vt omni scientiarum genere ditior, & sapientior fias) benè namque agnosco te in summo omni disciplinarum cognitione præditum, teste mihi experientia, quod vt illam perfectam assequi valeres noctes in illo celebri Collegio Regali D. Thomæ Abulensis penè ducebas in somnes, codices & libros euoluẽdo (dicens) sic labori nõ parco, vt alij noteant, atque aduertãt Superiores Regentem huius studij me fecisse, nõ quia filium toto orbe celebratorum Comitum de Benauente ex stirpe nobilissima descendentium, religiosum inuenerunt, sed quia laborantẽ agricolã in campo litterario attente inspexerunt. (O exemplar aliorũ nobiliũ, & nobilissimorũ ex sanguine illustri procedentiũ, qui hoc dono na-

turali contentiotio, & negligentia se iam Monachos non solũ in Dominicana familia, sed etiã in alijs se applicãt, agricultura scientiarũ perterriti, ac sic Religionẽ, imò, & suam familiã decore maximo priuant. Proh dolor!) sed vt tua protectione custoditum, atque munitũ in aliorum manus perueniat, nec sine illorũ fructu: Ego quasi vitis
Eccl. 24. (ait diuina sapientia) fructificaui suauitatẽ odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. Quasi vitẽ etiam doctrinam sancti Doctoris, quam in hoc opere in genuino, & legitimo sensu totis viribus assequi curabi, spero ope, auxilio ac tuo patrocinio plurimos honoris, & honestatis in intellectibus legentiũ, & attente studentium daturam. Rogo Deũ, illis modernis, qui glorioſum Thomistarũ nomẽ sibi attribuendo, eius tamẽ doctrinam aliqua saltim ex parte impugnant det piam affectionẽ voluntatis, vt ea allectus intellectus sincerè sine aliqua veri sensus extorsione aspiciant, eius studio vacent, sic namq; veritatẽ sententiarũ D. Thomæ in omnibus assequẽtur, nõ tamẽ aliter: nec mirũ hoc debet esse, cũ ad percipiẽdas veritates fidei, licèt prima, & infallibilis veritas Deus ipse dicat, doceatq; media propositione Ecclesiæ, necessaria sit pietas affectus voluntatis, quãuis ipsa, luce diuini spiritus illustrata sit infallibilis veritatis magistra, atq; doctrix. Te ergo nõ solũ ob Præsulatus tanti, Hispalensis scilicet Ecclesiæ dignitatẽ, nec solũ propter nominationẽ, siue Regiã præsentationẽ Pontifici factã, vt in Cardinalitiã, ita benemeritam creet, & assumat, verũ principaliter propter ingentes animi dotes, ac virtutes egregias inuictissimum pectoris robur, atq; cõstantiam in veritatibus D. Thomæ tuẽdis, ac defẽdẽdis, quibus mirifice polles arbori magnæ, & forti, qualẽ Nabuchodonosor apud Danielẽ vidit comparandam existimo. Sub vmbra tuæ protectionis requiesceret huius libri Doctrina, & sublimitate, ac celsitudine tua crescet in omnẽq; partẽ orbis nõ absq; fructu magno legẽtiũ se extẽdet, nec nõ nomine tuo fulta, ac protecta à rodentiũ dẽtibus, ac vulpeculis, quæ paulatim vineas optimas demoliũtur libera euadet, virorẽq; suum perpetuo cõseruabit, & ne dũ incipientibus verũ etiam proficiẽtibus, imò, & profectis iam atq; peritis Theologis Doctoribus vinũ optimũ propinabit. Suscipe igitur munusculũ istud meũ in grati animi significationẽ, à tibi deditissimo seruo aliquando subdito beneficiato, dum huius nostræ Prouinciæ Hispaniæ officio Præsulis Prouincialis fungebaris, & non
Hom. 5. in Euang. quantum, sed ex quanto sit meditare: quia vt Gregorius Magnus fatur in huiusmodi rebus affectus debet pensari, non census neque tua larga benedictione fœlix foue, sic per mille annos valeas.

Fr. GASPAR RVYZ.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Fr. Gaspar Ruyz se nos hizo relacion auiades compuesto vn libro intitulado *Quæstiones Selectæ, supra Tertiam Partem D. Thomæ*, que era el que presentauades, en que auiades puesto mucho cuydado, y trabajo: y para poderlo imprimir nos suplicasteis os diessemos licencia, y facultad para ello, por ser muy prouechoso para el conocimiento de los mysterios de Christo Nuestro Señor, por el tiempo que fuessemos seruido, y la nuestra merced fuesse. Y visto por los del nuestro Consejo, y como por nuestro mandado se hizieron las diligencias, que por la pregmatica por nos vltimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula, para vos en la dicha razon, y nos lo tuuimos por bien. Por la qual os damos licencia, y facultad para que por la presente, y espacio de diez años primeros siguientes, y no mas podays imprimir, y vender vos, ò la persona que vuestro poder tuuiere, y no otra alguna el dicho libro intitulado *Quæstiones Selectæ* de q̃ va fecha mencio, por el original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado, y firmado al fin, de Miguel Fernandez de Noriega nuestro Escriuano de Camara, de los que residen en el, con que antes que se vendan se traygan ante ellos, juntamente con el original, para que se vea si la dicha impresion està conforme à el, ò traygais fee en publica forma, como por Corrector por nos nombrado, se vio, y corrigiò la dicha impresion por el dicho original, y se tasse el precio por que se ha de vender. Y mandamos al impressor que imprimiere el dicho libro no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas que vn solo libro con su original al Autor, y persona à cuya costa se imprimiere, y para efecto de la dicha correpcion, hasta que antes, y primero el dicho libro esté corregido, y tassado por los del nuestro Consejo, y estandolo, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, y segundo, donde se ponga esta nuestra cedula, y la Aprobacion que cerca dello se hizo por nuestro mandado, y la tassa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las leyes, y pregmaticas de estos nuestros Reynos, que sobre ello disponen, y mandamos que persona alguna sin vuestra licencia pueda imprimir el dicho libro, y si lo hiziere aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes, y aparejos que dello tuuiere, y que mas incurra en pena de cinquenta mil marauedis, la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte para el Iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para el denũciador. Y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidentes, y Oydores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, y Alguaziles de nuestra Casa y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistentes, Gouernadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros juezes, y justicias qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares destos nuestros Reynos, y Señorios, cada vno en su jurisdicion, que os guarden, y cumplan esta nuestra cedula, y contra ello no vayan, ni passen, ni consientan yr, ni passar en manera alguna, pena de la nuestra merced, y de veynte mil marauedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid à Primero dia del mes de Octubre, de mil y seyscientos, y quarenta y nueue años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro Señor.
Antonio Alossa Rodarte.

TASSA.

YO Miguel Fernandez de Noriega, Escriuano de Cámara del Rey nuestro Señor, vno de los que residen en el su Consejo, certifico, que auiendose visto por los señores del dicho Real Consejo, vn libro intitulado *Quæstiones Selectæ*, sobre la Tercera Parte de Theulugia de Santo Thomas, compuesto por el Maestro Fr. Gaspar Ruyz, Calificador del Santo Oficio, y Cathedratico de Prima de Santo Thomas, en la Vniuersidad de Valladolid, y Prior del Conuento de S. Pablo, de la Orden de Santo Domingo en la dicha Ciudad, que con licencia de los dichos señores fue impresso, Tassaron cada pliego à quatro marauedis, que el dicho libro tiene ciento y cinquenta y ocho pliegos, que al dicho respecto monta seyscientos y treynta y dos marauedis, y à este precio, y no à mas, mandaron se vendiesse el dicho libro: y que esta tassa se ponga al principio de cada libro de los que se imprimieren, y para que dello conste de mandamiento de los dichos señores del Consejo, y de pedimiento de la parte del dicho M. F. Gaspar Ruyz doy la presente. En Madrid à veynte y dos de Março, de mil y seyscientos y cinquenta y dos años.

Miguel Fernandez de Noriega.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina	Columna	Erratum	Corrige.
2	1 c. medium.	omnipotentia.	omnis potentia.
4	2	ab illa.	ab alia.
ibidem	Ibidem	attributiua.	attributa.
5	1 c. medium.	communicat.	communicatur.
6	1 in principio.	quomodo.	quando.
7	2 c. medium.	connexisse.	correxisse.
8	1 in fine.	conueniens.	est conueniens.
10	1 versus finem.	illis.	alijs.
ibidem	2 in fine.	beatitudinem.	in beatitudine.
12	1 in fine.	& concilio.	ex concilio.
ibidem	1 c. medium.	sed.	sicut.
ibidem	ibidem.	effectũ duplicate	effectum semel.
18	1 c. finem.	sed.	sicut.
21	1 c. finem.	moueretur.	moueret.
25	2 c. medium.	& est.	sed est.
28	2 c. principium.	prædictas.	perdictas.
35	1 c. medium.	causæ repetitio.	superfluit.
38	1 post medium.	siue.	sibi
42	1 post medium.	aliã rationẽ finis	alia ratio finis.
43	2 in fine.	hinc.	hunc.
50	2 post medium.	expressa.	expresse.
51	2 in medio.	confirmat.	confirmatur.
53	2 c. medium.	requirit.	acquirit.
58	2 c. finem.	participio.	participatio.
66	2 c. principium.	quo.	quod.
67	1 c. finem.	sic.	hic.
71	2 c. finem.	propria.	propriè.
72	2 c. finem.	inueniuntur.	inuenitur.
79	1 post medium.	Dei.	filiationis Dei.
89	1 c. finem.	diuinæ.	diuinī.
90	1 post medium.	non esse.	non est esse.
100	2 c. principium.	actiua.	actiuè.
103	2 c. medium.	quos.	quasi.
105	1 c. finem.	sancti.	sanctus.
110	1 in principio.	licet.	ly vt.
122	1 c. principium.	sentiebat.	sentiebant.
126	2 c. finem.	videbatur.	videbitur.
137	1 c. principium.	filij.	filio.
144	1 c. finem.	subsumendus.	subsumendum.
146	2 post principiũ	iusque.	iussusque.
150	1 c. medium.	adorandus.	adorandas.

157	2 c. principium.	ſempẽ.	pro ſempẽ
161	2 c. principium.	exercito.	exercitio.
172	2 c. finem.	ex	eſſe
179	1 c. finem.	rationalis.	irrationalis.
188	1 c. medium.	patet.	poteſt
204	1 c. medium.	prȩcedentis.	procedentis.
207	2 in medio.	ſignificationes.	ſignificationis.
210	2 c. principium.	iſta	iſtæ
215	1 c. finem.	complexas.	completas.
239	1 c. medium.	& enim	etenim
242	2 c. principium.	aliorum	aliarum
244	1 poſt medium.	Sacramentum	Sacramentorum
250	2 in fine.	nomina	nomine.
258	2 in principio.	effectum.	affectum.
267	2 c. finem.	nullus	vllus.
277	1 in principio.	eam.	ea
284	1 in principio.	cum componit.	non componit.
289	1 c. principium.	ſolum	ſonum.
297	1 c. medium.	alia	ille.
307	1 c. medium.	ipſa	ipſe
322	2 c. finem.	ſicut	ſuperfluit.
324	2 c. medium.	ergo primum.	ne legatur, ſed quod ita
360	1. poſt principiũ	intentus.	intenſus.
386	2 in medio.	deficit verbum.	abſtineamus.
436	2 linea prima.	deficit	concurrunt.
455	1 c. principium.	quos illæ.	quos illa.
456	1 c. principium.	variè.	vanè
509	2 c. principium.	vnus.	onus.
525	2 in medio.	finem.	fidem.
542	2 in fine	legem.	lex. (gare.
543	1 in principio.	obtenturã.	adde cepit tunc obli-
550	1 poſt medium.	formæ.	formam.
618	1 c. medium.	vt in noſtro.	at in noſtro caſu. *iam hinc corrects.*

Alia Errata circa mutationem vnius literæ pro alia, quæ procedunt ex ignorantia linguæ latinæ in compoſitoribus impreſionis inueniet Lector, & corriget facile ſi ſit mediocriter peritus in illa. Et aduertet ea non Authori, ſed vitio impreſionis eſſe attribuenda, & hoc non ſolum in corpore libri, ſed etiam in indicibus ſententiarum, & locorum Sacræ Paginę.

Hic liber inſcriptus *Quæſtiones Selectæ ſuper Tertiam Partem D. Thomæ*, per R. P. M. Fr. Gaſparum Ruyz, Calificatorẽ Sancti Officij, Cathedræ Primariæ Theologiæ Sancti Thomę in Academia Regali ciuitatis Vallis. Oleti Regentem, Prioremque inſignis Cœnobij ſancti Pauli dictę ciuitatis correſpondet, cum prædictis erratis ſuo exemplari fideliter excuſo. Matriti die decima menſis Martij. Anni 1652.

Dominus Licenc. D. Carolus Murcia de la Llana.

His mendis demptis prędictus liber R. P. M. F. Gaſparis Ruyz hereticæ prauitatis Cenſoris, & in noſtra Vallis-Oletana Academia, Primariæ Sancti Thomę Cathedræ Moderatoris, ſuo exemplari reſpondet. Datis in Conuentu B. Mariæ de Mercede, Redemptionis Captiuorum ciuitatis Vallis-Oletanæ. Anno 1652, die 20. menſis Aprilis.

M. Fr. Ludobicus Fernandez de Tapia, Corrector Vniuerſitatis.

APROBACIONES.

POR mandado de nuestro muy R. P. M. Fr. Andres Carrillo, Prouincial de la Prouincia de Espaã, Orden de Predicadores, he visto, y leydo vn libro del R. P. M. F. Gaspar Ruyz, que contiene las materias siguientes. De potẽtia Animę Christi. De adoptione Christi. De adoratione Imaginis Christi, & Sanctorum. De Sacramentis Ingenerè. De necessitate Sacramentorum. De effectu principali Sacramentorum qui est gratia. De effectu Sacramentorum qui est character. De causa Sacramentorum. De Sacramento Baptismi. Son muy doctas, muy bien trabaxadas, siguiendo en todo la doctrina del Angelico Doctor Santo Thomas, con mucho lucimiento, con mucho ingenio, y verdad. Iuzgo seran de mucha importancia para toda la escuela, ansi discipulos, como Maestros, salgan à luz donde todos gozen de ellas, ojala fueran muchas mas: y ansi puede V. P. muy R. darle licencia para que las imprima, y aun mandarselo. Dada en el Colegio de S. Gregorio de Valladolid, en 4. de Octubre de 1648. años.

Fr. Ioseph Perez,
Rector.

EX comisione, & mandato R. A. P. N. M. Fr. Andreæ Carrillo, Prouinciæ Hispanię Prouincialis dignissimi, vidi librum varias materias, ad Tertiam D. Thomę partem spectantes continentem, nimirum, *de Potentia Animæ Christi, de eius Adoptione, de Adoratione Imaginis ipsius, & Sanctorum, de Sacramentis Ingenere, & ipsorum necessitate de eorum effectibus nimirum gratia, & character, ac tandem Sacramentorum causa, & Sacramento Baptismi*, opera, & industria R. & eruditi A. P. M. F. Gasparis Ruyz, Sanctæ Inquisitionis eximij, & veterani Consultoris elaboratum, in quo nihil Catholicæ Fidei normæ repugnans, aut honestis moribus inimicum reperi, quim potius in omnibus fidelissimũ D. Thomæ discipulatum, vbique enim Thomam resonat, Thomę Doctrinam veritatis radios iaculantem spirat, & Thomę est quidquid in illo author pro Thoma dicere conatur: quid non faceret, qui longo annorum curriculo superiorum delectu. In hac florentissima Prouincia, & in celebratissimis Gimnasijs, publicis aclamationibus Theologię tenuit Magisterium? Et pro Thoma strenuus extitit Bellator? Prodeat ergo in lucem, tam excultum, & eximium opus clypeatum Thoma galeatum veritate, & communi lucis vsura potiatur. Prodirent vtinam, qui ex 3. parte supersunt tractatus, in Christianæ Reipublicæ commune commodum in lucrum amantium Thomisticam veritatẽ, hoc nostrum esto iudicium. Datum Vallis-Oleti in D. Greg. Collegio, die 8. Octobris. Anno Domini 1648.

Fr. Bernardus de Casso,
Regens.

LICEN-

LICENCIA.

EL Maestro Fr. Andres Carrillo Prouincial de la Prouincia de España, Orden de Predicadores, por la presente doy licencia al Padre Maestro Fr. Gaspar Ruyz, Calificador del santo Oficio, para que auiẽdo presentado ante los señores del Real Consejo de su Magestad, vn libro que ha compuesto, de varias materias, intitulado *Quæstiones Selectæ, supra Tertiam Partem D. Thomæ*, le pueda imprimir, por quanto por especial orden, y comision mia le han visto, y examinado personas graues, y doctas de nuestra Religion, y de su parecer se puede conceder dicha licencia. Dada en este nuestro Conuento de San Pablo de Valladolid à 9. de Octubre de mil y seyscientos y quarenta y ocho.

Fr. Andres Carrillo
Prior Prouincial.

Por mandado de su P. M. R.

F. Thomas de Arospide,
Secretario.

APROBATIO, ET CENSVRA.

R. P. M. F. EMANVEL DIAZ HVRTADO, ORDINIS Sanctiſsimę Trinitatis, Supræmi Inquiſitionis Senatus Conſultoris, Philippi IIII. Hiſpaniarum Regis Regalis Oratoris, & in Valliſoletanę Academia Primarij Theologię profeſſoris.

DE mandato Illiſtriſsimi, & Reuerendiſsimi D. D. Fr. Ioannis Merinero, Valliſoletani meritiſsimi Antiſtitis, & maiori lapilo, & calculo digniſsimi: vidi libri huius non ſolum folia, ſed flores, nec ſolum flores, ſed fructus, ex florido Angelici Præceptoris Viridario opere, conſilio, & manu magni illius parentis, magni filij, magnique diſcipuli, ſed in familia Doctorum (nempè in Dominicana familia) maximi Magiſtri Fr. Gaſparis Ruyz ex luce in lucem ſelectos: cui certè nihil in eſt, vel vno apice à ſolida doctrina declinans, quin potius ſolidam veram, tutam, Catholicam, Angelicam, nempè Thomiſticam Doctrinam, totus redolens, & totaliter ſpirans: nec ſolum vtique ſpirat, ſed tali grauitate, tali ſubtilitate, tali profunditate, & tali præſertim magiſterio, & claritate illam à parente, & parentibus ſpiret, vt minimè in merito mecum cogitauerim, vel Angelicæ Doctrinæ fluẽta ex Angelici Doctoris pectore, tanquam ex fonte bibiſe, imò, nec ſolum bibiſe, ſed etiã exauſiſſe, vel ſpiritum tanti Magiſtri non ſimplicem, ſed duplicem, vel vt alterum diſcipulum Eliſeum, petijſſe, & accepiſſe. Et tandem ferè omnes priſcos Angelici Doctoris diſcipulos, nempè Ferrariam, Capreolum, Caietanum, & alios hijs ſimilimos in hoc vno compendio ad vitam redidiſſe; vel eorum ſenectam venerandam in hoc recenti Magiſtro, & eius libro florentiſsima pubertate refloruiſſe. Eaque propter ſemel, & iterum iudico præfatam librum tipys aureis non ſolum dignum, ſed digniſsimum, bono namque communi auſpice Deo in auguror vtiliſsimum. In quorum fidem hęc propria manu, propriaque ſubſcriptione firmaui, atque ſubſcripſi. Valliſoleti in Conuentu Sanctiſsimæ Trinitatis Redemptorum, duodecimo poſt chalendas Martij. Anno 1649.

M. Fr. Emanuel Diaz Hurtado.

AViendo viſto la Aprobacion, que el Padre Maeſtro F. Manuel Diaz Hurtado, Cathedratico de Prima de Theulogia, de la Vniuerſidad deſta Ciudad de Valladolid, del libro intitulado *Quæſtiones ſelectæ, Supra Tertiam Partem D. Thomæ*, el qual ha viſto por remiſion nueſtra, à inſtancia del Padre Maeſtro Fr. Gaſpar Ruyz, Autor del dicho libro, damos nueſtra licencia para que ſe pueda imprimir. Valladolid 20. de Março de mil y ſeyſcientos y quarenta y nueue.

Fr. Iuan, Obiſpo de Valladolid.

CEN-

CENSVRA HVIVS LIBRI MANDATO SVPREMI Senatus, per Fratrem Didacum de Fortuna in Matritensi Franciscanoque Cœnobio per Lectorem ad probitatem apposita, &c.

SI quid fide iuberem ad huius operis complemẽtum, si non ad supplemẽtum: quęsiui, & non inueni eximium, in quo nec gratitudini datur locus opus iustitiæ: maximè cum vt ait Vlpianus, *Censor est simul fideiussor operis*: Quod vidi ex mandato celsitudinis vestræ, & exigens vtpote à R. P. F. Gasparo Ruicio scientificæ familiæ M. approbationem grauem non infutili laude, sed indignitate operis consistentem, immò, nec inchimera à fide, & bonis moribus deficientem. *Vlp. lib. 13. ad sabinum.*

Labor iste triplici rectitudine gaudet merito ad perfectionem requisita secũdum Vlpianum 1. est, quod re vera opus exequatur promissa in titulo (Quod hic, & nunc) nam ita illustrat Angelicum Præceptorẽ: immò de suis donis, ac datis Catena alia aurea iuxta doctrinam scholasticam condecorat (quod non vidi in alijs Thomistis) propter rectã consequentiam in diuersis placitis eius adeò concordat, & conectit vi illationis colligãdo, vt clamem cum Bernardo, quid consequentius iuxta sententiam, quid pulchrius propter intelligentiam iuxta publicam sapientiam rectificatur per vtilitatem communẽ cunctis Theologis: immò, & Scotistis ab ipso acriter propugnatis: Primis: Nã hisce mutuis controuersijs oportet nos implere omnem sapientiam: quãto enim magis Doctores multiplicantur (ait D. Thom.) tanto magis vtilitas communis crescit, quia vni manifestatur, quod alteri non notum est: Scotistis, in quam, quia prodest, vt in suo sensu abundent magis: etiamsi rapide apluribus videamur censura notari: hoc præstat Philosophia, ait Seneca: *Vt iudicia æstimes, non numeres*: Et Scotus tantę auctoritatis est: dixit quidã de alio: quod nec triumphus, nec censura ei minime conferant. *Loco citato, & lib. 10. Matth. 3 D. Tho. Opusc. 19 cap. 2. Senec. de vit. beata cap. 2. Plin. 2 de Catone in vita ipsius: citatus à Card. Sarnano.*

Ad sapientiæ publicę rectitudinem pertinet exquirere sapientiam antiquorum: quod hic, & nunc etiam priscorum Thomistarum, vt non solum voluntate, sed & intellectu adhæreat ipsis dilucidans: signum glorioſsum, & eminens inter tot Dominicanæ familiæ: vniformitas scilicet morum non solum, sed etiam rationum: ita vt intellectus videatur etiam voluntas in eis, quibus supra adæquatis integrum iudico, vt de publica sapientia ei facultas detur se manifestandi: quod subscripsi in prædicto Cœnobio, Die sexta Septembris, supra milleſsimum, sexcenteſsimum, & quadrageſsimum nonum annum. *Hermes Trimegist. tus citatus à Ded. Apologetica.*

Fr. Didacus de Fortuna.

Ad

Ad lectorem Prologus huius libri.

CVM primum deliberatè hæc Commentaria in aliquas Quæstiones Tertiæ Partis Summæ Sancti Præceptoris Thomæ ex præclarâ comitum de Aquino familia originem ducentis, ex clariori apud Deum, & Ecclesiam tam inuisibilem, quam visibilem Prædicatorum, scilicet, spiritualiter orti in lucem publicâ èdere decreui (candide, ac studiosse lector) memor documenti Apostoli Pauli ad discipulum Titum primo docentis, munus Magistri Christiani (qualem quemlibet Ecclesiæ Episcopum esse opportet) inter alia duo tanquam præcipua continere, quę se ad inuicem familiari nexu amplexantur, scilicet exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, iterum, atque iterum vidi, atque attentè per legi lecturas meas circa quæstiones in hoc opere contentas, vt iudicarem; vtrum in illis esset mens sententiarum à Doctore S. explicatarum sincere tradita, atque sano, & recto intellectu inspecta (sicut præcipit Ecclesia omnibus conspicere in oratione suæ festiuitatis) & certe ni fallor: vtinam non sim amore proprio deceptus, inueni prout vires imbecilles suppetunt esse rectè, & verè explicatas, atque ab impugnationibus Neothericorum Theologorum vendicatas varijsque argumentis, vallatas, tum ex auctoritatibus Sacræ Paginę secundum communem Patrum interpretationem adductis; tum rationibus efficacibus desumptis roboratas, & confirmatas. Ob hanc ergo causam ad vtilitatem omnium tam iuuenum incipientium, quam proiectorum consideraui conducere; nec non me loqui in eis, quę decent sanam doctrinam, vt ad Titum 2. præcipit ei Apostolus dum ait: *Tu verò loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Sana igitur D. Thomę doctrina multum proficua (quis dubitet) erit omnibus recto intellectu inspicientibus eam. Et quia cognitio veritatis non à nobis est, sed à Domino Deo est, tanquam donum ab ipso Patre luminū descendens, ex aliaque parte amore verę doctrinę cedentis in honorem Christi à me assequendæ lucubrationes elaborauí, non in me gloriam quæro, nec ab hominibus dandam appeto; *sed in ipso Deo homine Christo in cuius manu nos sumus, & sermones nostri* (vt canit sapiens Sapi. 7.) & de ipso videtur interpretari hoc documentum dum ait: omnia sibi à Patre data in manus, Ioann. 13. suscipe ergo optime, & Christiane Lector hos labores prælo mandatos animo simili, vt speculatiuè, & practicè proficias. Suscipe igitur eos submissos humiliter Sacrosanctæ Romanæ Ecclesię correctioni. Vale, & ora pro me apud ipsum.

QVÆST.

QVÆS. XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI:

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam simpliciter?

CONCLVSIO.

Impossibile est, quòd anima Christi omnipotentiam habeat

DVBIVM EST.

An ista Conclusio sit vera.

PROBATVR, quòd non primo, nã Ioann. 3. & 13. dicitur, quòd Pater dedit Christo omnia in manus, Ioã. 3. sic dicitur: *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*, 13. sic: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus*, quẽ locũ Theophilus Alexandrinus explicat de Christo, vt est homo, & Matth. vlt. dicit ipse Christus, quòd *data est sibi omnis potestas in cœlo, & in terra*, quod de Christo, vt est homo, & per cõsequens ratione humanitatis, & animæ, explicat Hieron. Sed habere omnem potestatem, & omnia tradita esse in manus Christi est habere omnipotentiam, ergo. *Ioan. 3.*

Confirmatur, nam Hieron. morti proximus ad Christum in Eucharistia presentem dixit, tua anima statim, ac inseparabiliter fuit vnita diuinitati omnia sciuit, & potuit, quę sciuit, & potest diuinitas. Refert ista verba Eusebius in ep. ad Damasum, quæ habetur tom. 4. oper. Hieronym. sed diuinitas habet omnipotentiam, ergo. *Euseb. 4*

Secundo arguitur, supponendo

opinionem probabilem sapientissimorum Thomistar. quam tradunt supra quæstion. 7. art. 1. quòd scilicet Deitas vnita substatialiter humanitati Christi facit ipsam formaliter sanctã, quia formaliter est sanctitas increata. Sed etiã Deitas est formaliter omnipotentia Dei: ergo ipsa coniuncta humanitati, reddit illam formaliter omnipotentem. Probatur consequentia, & declatur vis argumenti, licet omnis sanctitas creata sit forma inhærens, quia nullus potest dici Sanctus per creatam sanctitatẽ, nisi habeat illam formaliter inhærentem sibi, vt dicitur in materia de iustificatione: tamen quando anima Christi intelligitur sancta sanctitate increata, non oportet talem Sanctitatem esse formam inhærentem, sed satis est esse ipsi vnitam per modum termini: ergo similiter licet omnipotentia creata sit inhærens intrinsecè: tamen vt anima Christi dicatur, & sit omnipotens, per omnipotentiam increatam Dei sufficit, quòd sine inhærentia sit ei personaliter vnita per modum termini.

Tertiò, anima Christi ex vnione ad Verbum adquisiuit esse diuinum: ergo adquisiuit omnipotentiam, quæ est virtus operatiua ipsi esse diuino proportionata. Consequentia probatur, quia potentia operatiua consequitur actum, & esse ex eo, quod esse vt ait Aristot. est propter operari: ergo esse infinitum cõmunicatur naturæ humanę Christi, sequitur posse esse diuinum cõmunicari eidem humanitati: hoc autem est omnipotentia: ergo.

Confirmatur, & impugnatur ratio D. Thom. in argumento. *Sed contra*, in quo ex hoc, quod omnipotentia est proprium attributum Dei, probat non posse communicari animæ Christi Domini. Contra sic arguitur: Existentia Dei, & cognitio intuitiua suæ essentię sunt proprię Dei, & hoc non impedit, quo minus communicentur animæ Christi Domini, de facto namque anima Christi Domini existit per esse diuinum, & æternum, & intuitiuè videt Deum, siquidem est Beata, vt docet D. Thom. 3. part. quæst. 15. art. 10. Ergo licet omnipotentia sit propria Dei, &c.

Quartò, Christus Dominus vt homo habet scientiam practicã infusam omnium obiectorum, quæ Deus scit scientia visionis, vt docet D. Thom. supra quæst. 11. art. 1. Ergo habet scientiam operatiuam eorum, & consequẽter omnipotentiam. Prima pars consequentiæ probatur, quia scientia practica est factiua sui obiecti. Secunda verò pars consequentiæ probatur, quia virtus operatiua aliquorum ex obiectis talis scientiæ, vtpotè animæ rationalis, & Angelorum tantum est omnipotentia Dei, quia non possunt fieri, nisi per creationem, & creatio fieri non potest, nisi per Dei omnipotentiam.

In hoc dubio omissis aliorum placitis, vt certa ab incertis separemus. Supponendum est secundum fidem, quod omnipotentia est communicata animæ Christi Domini, sicut Deitas, & sicut alia attributa, quod optimè explicat Diuus Thom. in præsenti ad primum dicens: illud verificari ratione vnionis, ex eo quod in vna persona coniunguntur anima, & omnipotentia, sicut coniunguntur anima, & Deitas, &c. Exquo sequitur, quod sicut homo dicitur Deus: ita & dicatur omnipotens propter communicationẽ idiomatũ. Difficultas tamen est: Vtrùm ex tali coniũctione anima receperit aliquid in se, & intrà se ratione cuius dicatur, & sit omnipotens ad eum modum, quo supra quæst. 9. solet disputari, vtrùm ex tali vnione receperit anima Christi Domini scientiã increatam Dei in se ipsa, ita vt per ipsam cognouerit omnia.

Secundò supponendum ex D. Tho. 1. p. quęst. 25. art. 3. in corpor. quòd ex eo Deus dicitur omnipotens, quia potest facere omnia possibilia absolute, id est omnia, quæ non implicant contradictionem; quod explicat Caietan. ibi dicens. Nomine possibilium absolutè intelligi omnia entia, quę simpliciter

sunt

sunt possibilia causari effectiuè. Ex quo sequitur, quod obiectum formale omnipotentiæ est omne, quod claditur sub ratione entis causabilis, & producibilis.

Vltimo est notandum, quod hæc omnipotentia est communicata Christo Domino, non simpliciter, sed secundumquid, id est cum limitatione in ordine ad omnia illa, quæ erant necessaria, & congruentia ad finem redemptionis nostræ, & manifestationis gloriæ suæ. Et isto modo docet sapientissimus Magister Luna interpretanda esse loca, adducta in primo argumento, ex Matthæo, & Ioanne.

Prima conclusio. Anima Christi Domini, nec habuit secundum se, nec potuit habere omnipotentiam simpliciter, etiam ex participatione à Deo, vt à primo omnipotente. Hæc conclusio quantum ad primam partem probatur hac vnica ratione: Nam anima Christi est essentię finitæ, & limitatę: ergo non potuit exse habere omnipotentiam. Probatur consequentia, omnipotentia simpliciter habet se, vt proprietas consequens ad naturam diuinam, & infinitam: ergo non potest sequi ad naturam finitam. Probatur consequentia, & simul manifestatur antecedens, omnipotentia actiua sequitur naturam sibi proportionatam, quia subordinatur ipsi, tanquam principio radicali operationum suarum, sed omnipotentia est virtus operatiua infinitatem simpliciter continens, quia est productiua omnis entis creabilis: ergo solum potest sequi ad naturam infinitam, & non potest consequi ad naturam finitam, quia solum naturæ infinitæ proportionatur.

Confirmatur. Quælibet res habet potentiam actiuam respectu eorum, ad quæ se extendit perfectio suæ naturæ, in ratione principij radicalis, & primi. Sed natura creata non potest se extendere, vt principium primum, & radicale, ad omne ens creabile: ergo non potest esse principium omnipotentiæ. Maior probatur exemplis, Diui Thomæ in corpore: nam calor solum se extendit ad calefaciendum, vt principiũ proximum, quia natura ignis ad quam consequitur, ad illam operationem se extendit, tanquam principium remotum, & radicale. Minor verò est euidens, quia illud exposcit infinitatem, cuius non est capax natura creata.

Tùm etiam, quia nulla creatura potest se extendere ad faciendum se, cum nihil se ipsum efficere queat, est enim necessaria distinctio realis inter causam efficientem, & eius effectũ. Consequẽtia ex præmissis est nota: Hæc ratio cũ confirmatione colligitur, ex doctrina D. Thom. in corpore articul. Pro cuius intelligentia aduertite hic, cum Caietano, quod in illa maioris confirmatione, quæ est desumpta ex sanctissimo Doctore loquitur ipse de rebus, quæ sunt ingenere actiuarum. Et non de omnibus rebus absolutè. Sic explicat Caietanus, dictam propositionem, & per hanc doctrinam soluitur obiectio, quæ solet fieri de quantitate, & relatione, contra D. Thom. ad probandum, non omnem rem habere potentiam actiuam, & sic supponere in illa propositione vnum falsum. Soluitur inquam ista obiectio, quia tales res non sunt ingenere actiuarum.

Secunda pars conclusionis probatur, primo ratione argumenti, *sed contra*. Secundo omnipotentia de facto non fuit communicata Humanitati Christi Domini, in mysterio Incarnationis: ergo signum est, quod non potuit illam participare in se à Deo. Consequentia est euidens: nam ad excellentiam animæ Christi Domini pertinebat communicatio omnis perfectionis, sibi possibilis, vndè omnis talis communicata est ei ex vnione ad Verbum. Et sic si esset ei possibilis omnipotentia, communicata ipsi fuisset. Antecedens autem probatur, in mysterio Incarnationis, ita facta est vnio in persona, quod remansit distin-

ctio naturarũ, vtraque earum retinente, quod sibi proprium erat, vt in præsenti docet Diuus Thom. & probat tanquam de fide, supra quæstion. 2. artic. 1. in argumento. Sed contra ex Concilio Calcedonensi, vbi actione quinta, diffinita est hęc veritas: Ergo natura diuina mansit in persona Christi Domini cum suis proprietatibus eas inse retinendo: ergo retinuit sibi, & inse omnipotentiam; vndè eam non communicauit humanitati, sicut nec ipsa Humanitas communicata est diuinitati, communicando ei suas proprietates; quod enim quis retinet inse, non dat alteri; hoc enim sonat verbum retinere.

Confirmatur, nam teste Damas. libr. 2. de fide cap. 4. Proprietates Dei non prædicantur de anima, nec de Humanitate Christi; non enim dicimus illam esse infinitam intrinsecè, nec in creatam, aut in corpoream: ergo neque esse omnipotentem. Secundo omnis perfectio naturæ superioris, si communicetur naturę inferiori debet communicari imperfecto modo, iuxta capacitatem subiecti, vt proportio seruetur inter formam, & subiectum ipsam recipiens. Sed omnipotentia significat virtutem actiuam cum omni perfectione, & infinitate cum qua reperitur in Deo, & est propria perfectio naturæ diuinæ: ergo non potest communicari cum tota sua perfectione animæ Christi, patet consequentia, quia anima Christi est inferioris naturæ cum sit creatura: ergo cõsequẽtia illa est bona. Maior patet exemplo allato à Diuo Thom. solutione ad secundum. Calor enim, qui est perfectio ignis non participatur ab aqua, cum illa perfectione, & virtute, cum qua reperitur in igne, quia illa est naturæ inferioris ad ignem: ergo illa maior discursus est vera. Et notandum, quod fundamentum eius est, quia vnum quodque recipitur ad modum recipientis, & iuxta eius capacitatem. Sed anima Christi cum sit creatura, non est capax recipiendi omnipotentiam, cum sua essentiali perfectione: ergo.

Probatur minor dupliciter, primo essentialis perfectio omnipotentiæ, est constituere rem in qua est, causam independentem abalia. Sed nulla creatura est capax huius constitutionis in ratione causæ independentis, quia eo ipso, quod est creatura, sicut in esse est dependens, ita & in operari: ergo nec anima Christi ex capax similis constitutionis, & consequenter, nec omnipotentię.

Secundo probatur eadem minor. Nam omnipotentia essentialiter respicit omne ens creabile, vt principium productiuum illius; sed anima Christi, aut aliqua creatura, non est capax talis habitudinis, ergo. Maior patet ex primo notabili, minor probatur, nam nulla creatura potest producere omne ens creabile, & per virtutem participatam: nam non potest producere se ipsam, cum supponatur producta: ergo non est capax recipiendi, omnipotentiam, quæ dicit essentialem habitudinem, in ratione principij operatiui ad omne ens creabile.

Confirmatur, quia licet omnia attributa Dei possint ex parte communicari creaturæ; non tamen possunt illi communicari, secundum modum infinitum, quo sunt in Deo; quia creatura, propterea quod essentialiter est finita, & limitata, non est capax ad recipiendum infinitum simpliciter, sed omnipotentia dicit infinitatem simpliciter: ergo. Exemplis declaratur maior, licet enim possit animæ communicari amor, & visio intuiua Dei, non tamen potest ei communicari amor infinitus, nec visio infinita, & comprehensiua Dei, propter incapacitatem naturę creatæ. Propter eandem rationem licet essentia diuina vniatur intellectui Beati in ratione speciei intelligibilis, non tamen vnitur infinito modo, neque inordine ad omnia adquę se extendit eius repræsentatio in tali ratione: ergo.

Secunda conclusio, anima Christi Domini

Domini, nec habuit, nec potuit habere omnipotentiã communicatã à Deo, vt causa secunda principalis. Neq; vt causa instrumentalis. Probatur hæc conclusio, quoad vtramque partem, hac vnica ratione. Anima Christi Domini non habuit, nec potuit habere virtutem actiuam respectu totius entis creabilis, vt probatum est in secunda ratione conclusionis præcedentis aliquomodo: Ergo non potuit habere omnipotentiam, neque etiam instrumentaliter. Hęc conclusio patebit magis infra artic. 2. dum disputetur. An Humanitas Christi Domini sit instrumentum ad creandum, vel annihilandum, vbi cum Diuo Thoma pars negatiua definienda est.

Sed contra est argumentum cuiusdam Thomistæ sapientissimi. Potentia infinita Dei communicatur Sacramentis ad gratiam causandam. Sed talis potentia formaliter est omnipotentia Dei: ergo hæc communicatur instrumentaliter Sacramentis, & consequenter poterit communicari animæ Christi Domini. Probatur maior, nam Sacramenta quantum est ex parte eorum non habent limitationem in productione gratiæ, sed possunt maiorem, ac maiorem producere: ergo signum est, quod ipsis communicatur virtus infinita Dei, & consequenter eius omnipotentia.

Ad hoc argumentum respondetur primo negando maiorem. Ad probationem distinguo antecedens, non habent limitationem Cathegorematicam, & simpliciter nego antecedens, Syncathegorematicam, & secundum quid, concedo antecedens. Volo dicere, quod Sacramenta habent virtutem instrumẽtariã, ad causandã gratiã maiorẽ, & maioré in infinitũ Syncathegorematice, & in potentia, numquam tamen possunt causare gratiam infinitæ perfectionis in actu, neque in esse gratiæ, neque in esse qualitatis, quia habent causare iuxta dispositionem subiecti, quod nũquam potest habere dispositionem infinitam. Et ideò sufficit virtus quædam spiritualis finita simpliciter, communicata Sacramentis, per modum transeuntis, vt docet Diuus Thom. in hac 3. part. quæst. 62. art. 4. solutione ad primum.

Secundo respondetur, distinguendo maiorem propositionem argumenti, iuxta dicta in 3. notabili, Sacramentis communicatur potentia infinita Dei simpliciter, nego maiorem, secundumquid concedo maiorem. Et eodem modo dicendum est, quod communicatur omnipotentia. Ratio solutionis est, quia non communicatur virtus in ordine ad totum effectum, qui inspicitur vt obiectum formale ab omnipotentia, sed tantum in ordine ad quendam effectum determinatum scilicet ad gratiam, & propterea non communicatur ipsa potentia Dei in se ipsa, sed in quadam virtute creata, quæ est participatio ipsius imperfecta, participando actiuitatem incompletam, scilicet in ordine ad vnum effectum, non autem est participatio perfecta, scilicet in ordine ad omne ens, quia cum sit creata non potest talem perfectam actiuitatem participare, cum non possit se ipsam producere, quia supponit se creatam à Deo. Vnde absolute loquendo negandum est omnipotentiam communicari etiam instrumentaliter.

Ad argumenta in principio posita. Ad primum respondetur primo illa loca intelligi, iuxta dicta in 3. notabili, de quadam potestate suprema, quam habuit Humanitas Christi Domini respectu gubernationis Ecclesiæ Militantis, & triumphantis, imperãdo omnibus in Cœlo, & pascendo omnes in terra doctrina Euangelica. Et ista potestas vocatur omnipotentia secũdumquid, quod autem ista explicatio sit legitima, constat ex eo, quod subditur in loco Matthæi. *Euntes in mundũ vniuersum prædicate Euangelium, &c.* Hanc autem potestatem dicitur esse ipsi Christo datam post Resurrectionem, quia licet habuerit à principio Conceptionis: tamẽ *Matth.*

tunc manifestata est. Et in sacra Scriptura dicitur aliquid fieri quando manifestatur, de quo vide lib. 9. Hypotheseon resp. 44. vel quia potestas, quam habuit anima Christi ex dono Dei in instanti Conceptionis, habuit postea alio titulo, per passiones, scilicet titulo meriti. Ita explicant ipsum locum Vigilius lib. 5. Gyprianus lib. 2. contra Iudeos, & Athanasius oratione contra Arrianos in illud. *Ex Deo Deus vnus.* Secundò respondetur omnia illa loca recte interpretari, vel de Christo, vt est Deus, vel si de Christo vt homo est, & ratione humanitatis, non ita quod ille reddatur intrinsecè omnipotens; quia sicut diuinitas non constituit ipsam intrinsecè diuinam, quia ipsi non inhæret ita nec omnipotentia, quia ipsi non inhæret, sed intelliguntur, quia per gratiam vnionis Deus cum omnibus suis essentialibus attributis communicatus est humanitati Christi Domini, & eius animę. Altera explicatio est loci ex Ioanne, dicere quod ly omnia intelligitur de omnibus iustis, & electis: nam omnes sunt subiecti ipsi, & traditi eius potestati, ita Theodoretur ibi, & Chrysostom. 69. in Ioannem: Et quod ita cōmode possint intelligi prædicta verba patet ex illo Ioan. 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, omnia*, id est, *electos*: ita August. tract. 52. in Ioann. & Chrysostom. 66. in Ioann. eodem ergo modo, quomodo dicitur omnia tradita esse in manus Christi, intelligitur id est *omnes fideles, & iusti.*

Ioan. 12.

Ad secundum concessa maiori, & minori negatur consequentia. Ratio disparitatis est: nam vt per Deitatē sanctificetur anima Christi, sufficit quod ipsi vniatur per modum termini, vt authores illius opinionis dicunt sup. quæstion. 7. art. 1. Vt verò omnipotentia Dei faciat illam omnipotentem requiritur, quod vniatur ipsi vt forma, & actus dicens subordinationem ad ipsam naturam creatam humanitatis, & quia Deo non repugnat vniri, vt terminum, & repugnat vniri vt formam; ideò vnum repugnat, & aliud non. Ad probationem consequentię, eodem modo negatur consequētia, & eadem ratio disparitatis assignatur.

Si autem inquiras: Quare ad sanctificandam animam non requiritur vnio per modum formæ, requiritur tamen ad reddendam ipsam omnipotentem. Dico ideò esse, quia de ratione essentiali principij operatiui est, vel quod sit actus primus essentialis constituens rem in aliquo esse specifico, vel quod sit actus secundus, & accidentalis constituens rem in aliquo esse accidentali subordinato priori esse specifico, ad quod sequatur operatio cū eadē subordinatione ad esse substantiale, tanquā ad primum principium radicale. Patet hoc ita esse ex quadam doctrina Arist. 2. de anima, vbi ostendit omne id quo quis operatur esse formam eius, & ideò probat animam esse formam corporis, & actum eius, quia per illam operamur, vel est primum principium operandi, & illud est natura, vel non est primum, sed proximum, & subordinatum primo supponens illud, & hoc est potētia, vel habitus, aut aliquid simile. Ex quo sequitur, quod si omnipotētia Dei communicaretur animæ Christi, vel communicaretur, per modū primi principij, vel per modum principij proximi, non primū, quia vt supr. dicitur quæstion. 2. art. 1. non potest vniri natura diuina, nec aliquod eius attributum humanitati vt forma, quia hoc repugnat perfectioni Diuinæ: Ergo vniretur vt principium proximum subordinatum proinde naturæ animę, hoc autem repugnaret totaliter omnipotentiæ, quia est infinitum, & primum omnium rerum principiū. Similiter repugnat ei ratione identitatis essentialis, quā habet cum diuinitate, quę non potest esse actus alicuius, vt docet Diuus Thom. 1. part. quæst. 3. art. 2. circa solutionem ad 3. vndè relinquitur consequentiam argumenti esse nullam. *D. Thom.*

Ad tertium negatur consequentia

ad

ad probationem dubij, quod virtus operatiua sequitur esse naturæ quando potentia operatiua rei est ipsi connaturalis. Non verò sequitur actum personæ, & esse existētiæ, & subsistētiæ, quia subsistentia, & existentia nō habent rationem primi principij operantis, sed solum sunt conditiones necessariæ ad operandum. Esse verò infinitum per quod existit anima Christi, est actus personæ, & non est actus proprius essentiæ ipsius animæ, & ideò non oportet virtutem operatiuam talis animę proportionari, & adæquari existentię, quam habet.

Ad Confirmationem respondetur concedendo maiorem, & minorem loquendo de existentia: Nam cognitio intuitiua essentię diuinæ, quæ est propria ipsius Dei, non potest communicari animæ Christi, quia est actus proprius naturæ diuinæ, vt docet Diuus Thom. sup. quæst. 9 art. 1. specialiter, solutione ad primum, de quo videte Caietanum ibi optimè explicantem impossibilitatem, quæ est in hoc, quod scientia ipsa increata Dei communicetur animæ. Concessa ergo minori, quatenus procedit de existentia Dei, nego consequentiam. Ratio diuersitatis est, quia existentia est vltimus terminus naturę. Et ratio termini non dicit imperfectionem, & sic non repugnat Deo. Potentia verò dicit rationem attributi, quod habet modo nostro cognoscendi rationem formæ, & principij proximi, subordinati priori, & ita repugnat ei, quod respectu naturæ creatæ habeat vtramque rationem, nec aliquam illius, vt dixi solutione ad secundum. Vndè quia non est alius modus quo communicetur, nisi per coniunctionem cum natura creata in eodem supposito, vt explicatum est secundo notabili, vel per modum formæ receptæ, & actuantis ipsam animam in ordine ad omnes effectus possibiles, & isto secūdo modo vniri (de quo est difficultas) repugnat, vt iam dictum, & probatum est. Ideò ex peculiari ratione attributi repugnat, quod communicetur omnipotentia animæ Christi Domini, & de eo, quod tanquam attributū Dei est proprium ipsius, loquitur S. Thom. in argumento. *Sed contra*, quādo docet non posse communicari, quia omnis talis communicatio imperfectionem inuoluit actuationis, & informationis, & in natura creata non est capacitas, talia attributa inse ipsis recipiendi.

Ad quartum argumentum hic Diuus Tho. ad 3. ex professo asserit Christum Dominum non habere scientiam practicam creandi, licet habuerit scientiam speculatiuam talis obiecti. Vndè secundum hāc solutionem patet, quod non habuerit omnipotentiam. Sed dices, quod Diuus Thom. in 3. distinct. 14. quæst. vnica art. 4. ad 2. asserit, quod Christus Dominus habuit scientiā practicam omnium: Ergo sibi ipsi contrarius videtur.

Ad hoc, secundum Caiet. sententiā in hac parte circa solutionem ad 3. dicendum esset, quod in præsenti mutauit sententiam D. Thom. ait etenim Caiet. in ipso articulo (quem posuit loco citato tertij sent.) cor rexisse modum loquendi de scientia practica animæ Christi Domini respectu omnium. Sed melius videtur dicendum, quod Diuus Thom. aliter vtitur nomine scientię practicæ in præsenti, & aliter in loco sent. In præsenti namque per scientiam practicam intelligit scientiam, quæ est factiua in executione sui obiecti, & hāc negat habuisse animam Christi Domini respectu omnium: Et patet sic loqui de scientia practica in præsenti, quia sic colligitur ex tota solutione in argumēto ex vltimis verbis, in quibus dicit, animam Christi non habere scientiam practicam creationis, quia non habet scientiam creationis factiuam. At in loco sentent. quando admittit in Anima Christi scientiam practicam omnium, loquitur de scientia practica, quę sic vocatur, non quia sit factiua in executione sui obiecti, sed quia cognoscit quomodo à Deo fiat suum obiectum. Vndè

in fine solutionis vocat hanc scientiam practicam: non tamen practice habitam, quia non ordinatur ad opus, quod est dicere talem scientiam esse practicam, ex parte obiecti operabilis: non tamen ex parte modi, quia non respicit obiectum modo operabili ab ipsa. Ex quo patet Diuum Thomam non esse sibi contrarium.

Aliter sapientissimus Magister Herrera soluit argumentum quartum dicēdo, quod vt aliqua scientia sit eminenter practica respectu alicuius obiecti, non requiritur vt sit productiua illius. Nam fides, & Theologia sunt habitus simplices, & sunt eminenter practici, & speculatiui, respectu omnium suorum obiectorum; & tamen non sunt productiui illorum. Ad rationem ergo habitus eminenter practici, sufficit vt ex sua ratione formali, sub qua considerat sua obiecta, summatur aliqua ratio morū, & quia ex ratione formali sub qua considerat scientia Christi omnia sua obiecta, potest sumi ratio morum; ideò illa respectu omnium suorum obiectorum est eminenter practica, neque hoc negat D. Thom. in præsenti, sed solum esse factiuam sui obiecti. In primo vero solum sentit illam esse practicam modo explicato, quia scilicet sumitur ex illa ratio morum.

ARTICVLVS II.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum?

PRIMA conclusio. Anima Christi Domini secundum propriā virtutem naturalem, vel gratuitam habuit potentiā ad omnes effectus, qui sunt animę conuenientes, vt gubernare corpus, disponere actus humanos, & per plenitudinem gratiæ, & scientiæ illuminare omnes creaturas ab eius perfectione deficientēs, per modum quo hoc est conueniens creaturę rationali.

Secunda conclusio. Anima Christi secundumquod est instrumentum verbi sibi vniti, habuit virtutem instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad incarnationis finem.

Tertia conclusio. Anima Christi non habuit virtutem ad annihilādum, vel conseruandum creaturas in esse ex qua colligitur conclusio respōsiua articuli.

CIRCA PRIMAM CONCLVsionem Primum Dubium est.

Vtrùm Christus vt homo illuminet nos causando in nobis gratiam, tanquam causa Physica principalis, an tantum vt instrumentalis?

IN hoc dubio sunt multæ sententię. Prima est sapientissimi Medinę 3. part. quæst. 13. art. 2. dub. vltimo, concl. 8. Affirmantis Christum vt hominē reduplicatiue esse causam physicam efficientem principalem secundariam tamen, operantem iustificationē per propriū intellectū, & per propriam voluntatē. Probaturque hęc sententia ab ipso his argumētis. Primo authoritate Diui Thom. in isto art. vbi expresse asserit animam Christi Domini habuisse propriam virtutem ad illuminandum omnes creaturas rationales per gratiæ, & scientiæ plenitudinem, quod est idem; atque gratificare, & iustificare. Ergò ad hanc operationem cōcurrit Christus Dominus vt homo per virtutem propriam. Sed instrumentum non operatur per virtutem propriam. Ergo Christus vt homo est causa principalis gratiæ.

Confirmatur, quia solum ad opera miraculosa concurrit Humanitas Christi instrumētaliter, vt docet D. Thom. in secunda conclusione articuli, sed iustificatio non est opus miraculosum, cū non sit deijsque raro fiunt: nam iustificatio fit regulariter: ergo.

Confirmatur secundo: Nam Diuus Thomas

Thomas ponit distinctionē in prima, & secunda cōclusione inter effectus quos anima Christi producit propria virtute, & effectus quos producit, vt instrumentum diuini Verbi, & ait ad miracula concurrere, vt instrumentum diuini Verbi, & ad illuminationem per virtutem propriam: ergo. Cum illa illuminatio sit iustificatio ad illam concurrit, vt causa principalis.

Secundo arguitur sapiētissimus Magister authoritate nostri Sancti Prędceptoris in 4. distin. 5. quęst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. vbi ait, quod agens principale in Baptismo est ipse Deus per authoritatem, & Christus secūdum quod homo: ergo. Et in solutione primi ait, quod actio non attribuitur instrumento proprio secūdum Philosophum, sed agenti principali: vndè absolute loquēdo, malus minister non est qui mūdat, sed Christus, de quo dictum est, Ioann. 10. *Hic est, qui baptizat.* Deinde ratione ab ipso probatur, nam si Christus vt homo non est causa principalis gratię, sequitur quod ad ipsam in nobis causandam non sit necessarium, quod ipse sit gratus per gratiam, consequens videtur impium, & ideò non admittendum: ergo. Sequela probatur, nam ad causam instrumentalem non requiritur, quod effectus præexistat formaliter in ipsa, vndè Sacerdos, quia tantum est instrumentaria causa gratię, non requiritur quod ipse sit in gratia, vt alios gratos efficiat: ergo, &c. Quartò ab ipso sequitur ex oppositō, etiam quod gratia causata à Christo in homine iustificato sit melior indignitate, quàm virtus iustificatiua, quæ est in Christo, cōsequens videtur falsum: ergo. Sequela patet, nam ex eo, quod instrumentum non operetur virtute propria, sed ex motione principalis agentis, semper effectus procedit perfectior, quam sit virtus instrumentaria, licet non quęlibet virtus principalis agentis: ergo. Hanc eandem sententiam placet probare argumentis fortioribus, vndè in ordine sit.

Ioan. 10.

Quinto arguitur. Anima Christi est in actu ad producendam nostram gratiam per formam actiuam nobiliorem, quam sit gratia nostra: ergo per illam erit causa principalis nostrę gratiæ. Cō sequentia patet, quia hoc sufficit ad rationem causę principalis Physicæ, vt patet inferro ignito, & anima habente charitatem, quæ sunt causę principales Physicę caloris, & actus charitatis, quia sunt in actu per formas actiuas perfectiores suis effectibus. Antecedēs vero probatur: nā est in actu per gratiam habitualem infinitæ perfectionis, sed talis gratia in Christo est actiua: ergo. Probatur minor, nam illa gratia est gratia capitalis, sed capitis est proprium influere in membra actiue: ergo gratia capitalis cōstituens Christum in ratione capitis, est principium quo actiuum ad influendam gratiam in nos. Confirmatur, quia gratia Christi, vt est gratia capitis differt à se ipsa vt est personalis, solum per respectum ad illos, ad quos gratia illa deriuatur, sic ex D. Thom. quęstion. 8. art. 5. iste autem respectus est actiui principij, vt ex doctrina D. Thom. ibi colligitur: ergo, &c.

Sexto arguitur, Christus secundūquod homo, est vniuersale principium iustitiæ, & sanctitatis, vt patet ex illo Ioan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia.* Illud etiā docet D. Thom. supra quæstion. 7. art. 9. in corp. vbi ait gratiā fuisse collatam animæ Christi Domini, tāquam vniuersali principio in genere habentium gratiam: ergo est causa principalis illius. Probatur consequētia, quia principiū vniuersale est principale, vt patet in sole, qui est vniuersale principium generationis, est causa principalis se extendens ad omnia, quæ sub generatione cadunt. Sed etiam Christus est vniuersale principium se extendens ad omnes effectus gratiæ: ergo.

Ioann. 1.

Septimo arguitur. Illa est causa principalis, & non instrumentalis cui assimilatur effectus; sed omnes homines, qui

qui gratificantur assimilantur Christo Domino, vt patet ex illo ad Romanos
Rom. 8. 8. *Quos præscivit, & prædestinauit cõformes fieri imagini filij eius*, ergo. Consequentia patet ex maiori, quæ est certa, quia in hoc quod est assimilare sibi effectum, distinguitur causa principalis ab instrumentali, vt communiter asseritur à Philosophis. Confirmatur causa exemplaris non inter instrumentales, sed inter principales est numeranda, sed gratia Christi, & eius iustitia est causa exemplaris nostræ iustitiæ, & gratiæ, ergo debet annumerari inter causas principales. Alia argumenta minoris ponderis, vide apud Authores.

Secunda sententia est, quod Humanitas Christi per gratiam habitualem, quam habet est causa principalis Physica efficiens nostræ gratiæ non operans illam per virtutem sibi propriam, & cõ naturalem, sed per formam actiuam, quam sustentat inse, ab extrinseco sibi communicatam, ad eum sensum quo aqua sustentans calorem, dicitur causa principalis efficiens caloris non producens propria virtute, sed virtute ignis, sibi participata ab ipso igne, qua vtitur aqua ad calefaciẽdũ; vndè vocat huiusmodi causam efficiẽtẽ principalẽ agẽtẽ in virtute alterius, & causam vtẽtẽ virtute alterius. Aliud exemplum huius sententiæ est in voluntate, quę per habitum chãritatis non sibi proprium, sed à Deo communicatum habet esse causam efficientem principalem physicam actus charitatis, ita Cabrer. hic disputation. 2. concl. 2. Argumenta quibus probat istam sententiam sunt fere eadẽ cum propositis à nobis pro prima sententia, & alijs, quæ parui momenti sunt.

Probatur tamen aliquibus argumentis. Primo non est aliqua ratio propterquam implicet gratiam Christi habere virtutem effectiuam principaliter respectu nostræ, ergo. Paret consequẽtia, quia propter dignitatem Christi debemus tribuere ei omnem perfectionem possibilem. Antecedens autem probatur, quia id non repugnat ex imperfectione gratiæ Christi, nec ex perfectione nostrę, neque ex modo producendi illam, & non potest fingi alia ratio repugnantiæ, ergo. Probatur antecedens, quoad omnes partes, quoad primam, quia gratia Christi est perfectior nostra, vt dictũ est in primo argumento, & nostra non habet infinitam perfectionem in ratione entis, ratione cuius repugnat dari causam creatam, quę Physicę, & principaliter illam causet, ergo dabilis est talis causa. Si autem dabilis? nulla alia erit, nisi gratia Christi, quæ nobilior est omnibus creaturis propter suam infinitatem. Secunda pars antecedentis probatur, quia aliquam formam operari vt causam secundam subordinatam primæ, & educere aliquam formã ex subiecto prę existẽte non apparet; vndè arguat virtutem infinitam propriam Deo, & in cõmunicabilem creaturę, ergo gratiam Christi, vt causam secundam subordinatam primæ principaliter Physicę. Secundariò tamen producerẽ gratiam in nobis non arguit illam habere virtutem infinitam propriã Deo, & incommunicabilem creaturis.

Secundo, ratio præcipua propterquam negatur, animam Christi ratione suæ gratię esse causam Physicam principalem nostræ est, quia aliàs per nostram gratiam immediatè assimilamur illi, cũ quilibet effectus immediatè assimiletur causæ principali proximę, & Physicæ. Et est impossibile, quod per gratiam assimilaremur immediatè, nisi Deo, quia gratia est participatio naturæ diuinæ, & ideò per illam non possumus assimilari, nisi Deo cuius est illa natura. Hæc ratio videtur esse D. Thomæ 1. 2. quæst. 112. art. 1. Sed ista ratio videtur deficiens primo, quia per visionem Beatam assimilamur Deo incognitione intuitiua ipsius Dei, quę (vt asserũt Thomistę in materia de Trinitate) vel est eius essentia, vel quasi vltima differentia illius. Propterea enim dicitur Ioann. 3. *Quod in Beatitudine similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti* Ioann. 3.

sicuti est. Et tamen hoc nõ ostante homo per lumen gloriæ, est causa efficiẽs proxima Physica, & principalis visionis Beatæ. Ergo similiter licet per gratiam immediate assimilemur naturæ diuinæ, hoc nõ tollit quo minus possit dari aliqua causa creata principalis, & Physica gratiæ. Confirmatur, quia vt ex septimo argumento præsenti, & eius confirmatione patet, nullum est incõueniẽs, quod assimilemur Christo in gratia, siquidem per suam gratiam ipse est causa exemplaris nostræ gratiæ.

Tertia sententia asserit, primã sententiam habere speciem pietatis, veritatis tamen nullam, nec probabilitatis, sed loquendo de vera causa Physica efficiente, & secundaria esse omnino falsam, & temerariam, ita Suarez 3. part. quæst. 13. disputat. 31. sect. 4. post argumenta prædictæ sententiæ relata.

Quarta sententia est. Quod Humanitas Christi tantum est causa instrumẽtalis Physica nostræ gratiæ superadditque oppositam sententiam, nulla cẽsura esse dignam, vtramque partem tenẽt communiter Thomistæ, maximè Vincent. relect. de gratia Christi, quæst. 6. dub. 5. concluſ. 1. & 2. fol. 8. 28. & 830.

Vltima sentẽtia est, quod Christus Dominus, vt homo nullo modo est causa Physica, nec instrumentalis, nec principalis nostræ gratiæ, aut miraculorũ, sed tantum moralis, ita Cano in relect. de Sacramentis p. 4. in fine, & Gabriel Vazq. perpetuus est in ista sentent. 1. part. quæst. 45. hic, & infra quæst. 62. art. 1.

Pro resolutione veritatis sit. Prima cõclusio: Christus vt homo est causa moralis principalis nostræ gratiæ. Pro huius declaratione notandum est, quod illa particula, *vt homo*, vel *inquãtum homo*, in ista conclusione, & sequẽtibus, non sumitur reduplicatiue, alias propositio esset falsa, nã tunc esset sensus, quod esset causa principalis moralis, quia est homo, hoc autem falsum est: nam si talis causalis esset vera, idem conueniret omni homini, cum omnes sint eiusdem rationis, cum Christo in Humanitate, quod falsum esse cõstat. Vndè debet accipi specificatiuè, & significatur, quod est causa moralis principalis nostræ gratiæ, ratione operationis procedentis ab illius Humanitate.

Hoc supposito probatur cõclusio primo, omnibus testimonijs adductis 1. 2. 6. & 7. argumento, pro prima sententia quæ saltim probant hanc causalitatem moralem conuenire Christo Domino. Secundo probatur ratione hac. Christus Dominus per operationes procedentes principaliter ab Humanitate fuit causa meritoria totius nostræ gratiæ, & omnium donorum supernaturalium, ergo est causa moralis principalis nostræ gratiæ, patet consequentia, quia causa meritoria inter causas morales numeratur. Vndè causa principalis meritoria est principalis moralis, quia est principaliter mouens præmiantem, vt det præmium; sed eadem ratione exhortans, vel consilians, & præcipiens sunt causæ principales morales illius effectus, quem alius facit motus tali exhortatione, consilio, vel præcepto; antecedens habetur expresse in Concilio Tridentino Sessione. 6. cap. 7. vbi loquendo de causa principali gratiæ efficiente ponitur Christus sola causa meritoria. Præterea ratione probatur antecedens, quia nulla alia causa principaliter merens datur præter Christum, vt hominem: nam Deus, vt Deus non potest esse aliquo pacto causa meritoria, quia non habet superiorem apud quem mereatur, & causa merẽs dicit inferioritatẽ respectu causæ præmiantis à qua meretur: ergo nõ potest esse causa principaliter merens in operationibus Christi Domini relinquitur ergo, Christum vt hominem esse causam principalem meritoriam nostræ gratiæ, & reliquorum donorum supernaturalium, cum non habeat aliam causam superiorem, quæ in tali genere sit principalis. Et omne instrumentaliter operans habeat agens aliquod superius, quod respectu

pectu eiusdem effectus est agens principale.

Secunda conclusio. Sententia prima non est digna censura temeritatis, hoc est communis omnium Thomistarum, & contra Franciscum Suariū. Ad huius intelligentiam notandum est: primam sententiam iuxta tenorem secundæ esse intelligendam. In quo sensu certe non solum non est temeraria prædicta sententia: verum aliquā habet probabilitatem, videantur Vincent. & Cabre. locis supra citat. Probatur conclusio, primo nā illa sentētia est temeraria, quę est contra communem consensum Doctorum. Sed hęc sententia prima nō est contra communem consensum Doctorum, ergo. Maior est definitio propositionis, & opinionis temerarię. Probatur minor, nam prædictam sententiā vt veram in sensu explicato habent Doctores citati pro ea, & fere omnes oppositam tenentes, admittunt illam habere aliquam probabilitatem, & iudicant indignam tali censura, ergo talis sententia non est digna temeritatis nota, imò censura Suarij temeritate non caret, cum sit contra communē sententiam. Præterea hæc opinio habet multa testimonia Sacræ Scripturæ, & D. Thom. multas rationes probabiles, viros doctos pro se, ergo non est improbabilis, patet consequentia, quia vt aliqua opinio sit probabilis, sufficit habere rationes probabiles prose, & viros aliquos doctos, ergo. Vltimo, nam testimonia, quæ adducit Suarez facile explicantur de causa principali Physica, causante gratiā per virtutem propriā, & connaturalem, & ipse Suarez non probat, nec potest probare talem explicationem esse temerariam, aut improbabilem, ergo. Maior probatur adducē do testimonia, quæ desumuntur ex Psalmo 83. & ex Iob 14. & ex Marc. 2. vbi dicitur: *Proprium esse Deo dare gratiā, & gloriam; atque peccata dimittere*, scilicet vt causam principalem. Aliud testimonium affert ex Concilio Trident. Sessione. 6. cap. 7. vbi solus Deus ponitur causa gratię, loquēdo de causa principali: nam inferius, loquēdo de instrumentali, dicitur quod Sacramentum Baptismi, quod est Sacramētum Fidei, est causa instrumentalis, ergo causalitas principalis effectiua Physica, non est attribuenda Christo Domino. Istud argumentum est fundamentū, quod ponit in 2. concl. Suarius, ex quo posset inferri temeritas sententiæ Medinæ. Hoc autem debile valde est, quia optime possunt explicari, ista testimonia omnia, vt dictum est in nostra ratione, nec potest probari talem explicationem esse temerariam ergo, nec contra hoc aliquid facit, dicere cum Suario, quod aliter attribuitur Deo esse causam principalē gratiæ, & aliter esse causam principalem aliorum effectuū naturalium: vndè non solum est dicendum, quod Deus est causa prima gratię, sicut dicitur quod est causa prima omnium entium naturalium, sed videtur dicendū, quod absolute est causa principalis, taliter, quod alia non est dabilis. Non inquam hoc discrimen aliquid momenti affert contra nostram expositionem: Nā respondetur differentiam in prędicta attributione huiusmodi effectuū Deo in hoc sitam esse, quod productio gratiæ attribuitur Deo, non solum vt causæ primæ operanti. Sed vt causæ propriæ operanti per virtutem sibi propriam, & connaturalem, & connaturaliter incōmunicabilem creaturæ: productio autem aliorum effectuū naturalium tribuitur Deo tantum, vt causæ primę, quod tamen potest competere alijs causis operantibus per virtutem, sibi propriam, & cōnaturalem, sicut sol. (v.g.) per virtutē sibi propriā est causa principalis omniū corporū in terra nascentiū.

Psal. 83.

Ex quo sequitur, quod licet dicatur de Deo, quod sit propria causa principalis gratiæ, non est, vndè probetur sufficienter esse temerarium dicere, id intelligi de causa principali Physica efficiente gratiam per propriam, & connaturalem virtutem, & quod per illa verba non excluditur, posse dari aliam causam

causam secundam, principalem Physicam, efficientem eandem gratiam, non per virtutem sibi propriam, & connaturalem; sed per virtutem gratuitam, sibi à Deo communicatam, vt à causa superiori cui subordinatur. Sicut licet Sacra Scriptura 1. Corinthior. 2. doceat, proprium esse Dei cognoscere cogitationes cordis, & futura contingẽtia, quia id habet per virtutem sibi propriam, & connaturalem; hoc tamen non tollit quo minus Christus Dominus per virtutem, sibi à Deo communicatam possit ista cognoscere, vt causa principalis, quo pacto de Christo, supra quæstion. 11. communiter omnes Doctores asserunt ipsum ea omnia cognouisse, & idem posset Deus cuilibet creaturę cõmunicare: vndè ex hac parte in sufficienter probatur sententiam illam esse damnandam, vt temerariam.

Tertia conclusio. Humanitas Christi, aut Christus vt homo nullo modo, est causa principalis Phisica effectiua gratiæ. Hæc conclusio ponitur contra primam; & secundam sententiã, estque communis inter omnes Thomistas, eã habet expræsse D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 1. solutione ad primum. In hac parte quęstion. 8. artic. 1. ad primum, & quæst 48. art. 6. quęst. 62. art. 5. quęstion. 64. art. 3. 4. contra Gentes, cap. 41. column. 2. de veritate, quæst. 27. art. 3. ad 5. quæstion. 29. art. 4. in corpore, & ad primum. Sequuntur Diuum Thomam, Caietanus in pręsenti, & supra quæst. 7. artic. 9. & quæst. 8. art. 1. ad primum, & supra quæst. 64. artic. 1. Sot. in 4. distin. 1. quæstion. 3. artic. 1. & 5. & quæst. 5. art. 3. & Authores citati in quarta sententia.

Probatur primo, testimonijs Sacræ Scripturæ, vt conclusione præcedenti in fauorem Suar. in quibus, & in alijs multis, Prouerb. 12. Esai. 43. & Osseæ 13. Roman. 8. Iacobi 4. Specialiter attribuitur Deo, quod causet gratiam, quod dimittat peccata, & saluet nos: idem docent multi Sancti Dionysius cap. 2. de cœlesti Hierarchia part. 3. Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 25. vbi ait Consulto, dictum fuisse Numer. 11. Quod Deus accepit de spiritu Moysi, & dedit septuaginta senioribus, vt signaretur nullum præter Deũ posse principaliter dare spiritum sanctificationis. Nec valet dicere, quod hæc testimonia sunt explicanda de causa physica principali efficiente gratiam, per virtutem sibi connaturalem, quia licet sine errore, & temeritate possint prædicta testimonia sic explicari, tamen non videtur legitimus sensus eorum. Nam aliàs in illis non magis significaretur esse proprium Deo causare principaliter gratiam, quam causare actũ charitatis, vel visionis Beatę, quos nulla creatura etiã possibilis potest causare per virtutẽ sibi connaturalẽ; sed à solo Deo possunt per virtutem propriam connaturalem produci, consequẽs tamẽ est falsum: ergo. Maior est nota propter rationem inillà inclusam, minor verò probatur, nam elicere istos actus tribuitur puris creaturis, etenim Matthæi 18. Tribuitur Angelis videre Deũ, & cap. 20. Tribuitur nobis amare Deum ex charitate, & tamen certum est, quod istos actus, quia sunt vitales, & voluntarij elicimus, tã quã causa principalis, vt dictũ est: ergo quando in Sacra Scriptura dicitur Deũ esse causam gratiæ, aliquid amplius tribuimus illi, quam quando dicimus esse causam actus charitatis, vel visionis, sci licet, quod ille solus potest principaliter Physice efficere gratiam. Probatur deinde rationibus: prima sit. Anima Christi, non est causa Physica efficiens principalis nostræ gratiæ, neque per virtutem suę gratiæ, nec per virtutem idearum, & artis, quas habet: ergo nullo modo. Consequentia patet, quia solum istis modis potest fingi, illam habere talem virtutem gratiæ producticem, antecens patet pro vtraque parte.

Pro prima sic, gratia Christi nõ est operatiua alterius gratiæ: ergo. Probatur antecedens, id quod est æternum de se non potest producere sibi simile,

sed gratia Christi de se est æterna, cum producat visionem Beatam æternam à parte post (de quo latius disputãt Theologi in materia gratiæ) est etiam ordinis intellectiui, cum sit participatio formalis totius Deitatis, cuius essentia est intelligere, ergo non habet virtutem producendi sibi simile, maior patet ratione, & exemplo. Ratione sic, illa virtus datur ad conseruandam speciem corruptibilem: ergo non est ponenda in rebus perpetuis. Exemplo etiam patet, quia ideo Angeli non habent virtutem producendi sibi simile, quia sunt perpetui, licet non sint æterni, tamen æuiterni, ergo gratia animæ Christi, cum sit de se æterna, nõ habet, &c. Probatur secundo eadem pars antecedentis: gratia nostra est eiusdem rationis specificę cum gratia Christi; sed nostra non est productiua alterius gratiæ, ergo neque gratia Christi, minor patet: nam aliàs daretur alius præter Deum, qui esset noster Saluator, & qui principaliter deleret peccata, nam quilibet per suam gratiam alterius productiuã, illam in peccatore producendo saluaret ipsum, & mundaret à peccato: consequens autem contradicit Scripturæ, ergo. Maior autem communiter supra quæst. 7. artic. 1. docetur à Thomistis.

Nec valet dicere, quod gratia Christi prout est gratia capitis ratione subiecti, in quo est habet esse principium actiuum, respectu gratię membrorum. Non inquam valet, nam per hoc, quod gratia sit in anima Christi Domini non acquirit aliquam perfectionem specificam, licet ratione vnionis ad eius Verbum communicetur ei gratia secundum maiorem perfectionem specificam etiam intra suam speciem; sed extra (imò contra rationem specificã gratiæ) est, quod sit principium immediatè operatiuum alterius gratiæ, ergo ex hoc, quod communicetur Christo cum maiori perfectione, quam alijs hominibus non sequitur, quod sit principium immediatè operatiuum: maior est certa: nam subiectum non cõmunicat formæ aliquam specificam perfectionem; consequentia etiam est euidens, nam id quod est contra essentiam alicuius rei, non potest in aliquo subiecto ipsi conuenire quantumcunque perfecta in ipso reperiatur. Minor autem in qua est difficultas probatur, nam gratia in esse supernaturali, est veluti forma substantialis in esse naturali, ergo sicut forma substantialis nõ est immediatè operatiua, ita nec gratia in esse supernaturali est immediatè operatiua.

Ad huius intelligẽtiã notãdũ est, quod eo modo quo forma substantialis in ordine naturali, est quę primo rẽ cõstituit in esse naturali, tanquã principiũ essendi dans rei esse specificum substantiale, & ideò talis forma non est immediatè operatiua; sed immediatè constitutiua in essentia: nec potest dicere immediatũ ordinem ad operationé; sed ad materiam, quam constituit in actu substantiali, ita gratia quæ in ordine supernaturali creato se habet vt forma substãtialis, quia est prima forma in tali ordine, est quæ primo cõstituit animam in ordine supernaturali, tribuens rei esse supernaturale diuinũ, & ideò immediatè solũ dicit ordinem ad animam, tanquam ad subiectum, quod constituit in primo esse supernaturali creato. Ex quo sequitur, nõ posse dicere immediatè ordinem ad operationes; sed ad eas egere habitibus supernaturalibus, qui sunt actus accidentales, & secundario conuenientes animæ in tali ordine supernaturali, habentque se vt passiones gratiæ, sicut se habent in ordine naturali accidentia operatiua, respectu formæ, substantialis. Vnde quia gratia, in quolibet subiecto sit, siue in Christo, siue in nobis, semper habet eãdem essentiã; ideò sicut in nobis non est immedirtè operatiua alterius gratiæ in extrinseco subiecto, neque alterius operationis supernaturalis immanentis, ita neque in Christo: ergo Christus per suã gratiam non potest causare gratiam in nobis.

Dicet aliquis, quod per aliquam virtutem sequtã ad gratiam potest Chris-

tus

tus causare gratiam in nobis, cū passiones rei, vbicunque sit, semper eam cōcomitentur. Sed contra, nam talis virtus non potest sequi ad gratiam naturali dimanatione, nā alias esset passio ipsius, & consequenter in omnibus hominibus reperiretur; hoc autem cōstat apertè esse falsum: ergo neque in Christo datur talis virtus. Si autē dicatur, quod est virtus causata à Deo in anima Christi per nouam actionē distinctā ab infusione gratiæ, vt per talē virtutē Christus qui in quantum homo, est caput omniū nostrum, illam causet in nobis principaliter. Contra, implicat quod talis virtus superaddita ab extrinseco sit virtus principaliter productiua gratiæ: ergo. Probatur antecedēs talis virtus est necessario imperfectior multo ipsa gratia: ergo non est causa principalis gratiæ, antecedens probatur: nam nulla qualitas supernaturalis est dabilis, quæ æquet gratiam in perfectione, ex eo, quod gratia est perfectissima, & prima participatio Dei ex parte ipsius naturæ diuinæ, est enim participatio totius Deitatis, aliæ autem qualitates supernaturales, mediatæ participationes Dei, non ex parte naturę diuinę; sed ex parte alicuius, quod nostro modo concipiendi habet se, per modum potentiæ, & attributi in Deo, & ideò se habent charitas, fides, & spes, sicut accidentia in genere entis supernaturalis, & gratia vt substātia: quia ergo illa virtus super addita animæ Christi Domini, quā impugnamus, esset virtus operatiua immediatè, esset accidens supernaturale, & participaret immediatè non naturam diuinam; sed rationem virtutis productiuę Dei: ergo non esset ita perfecta participatio Dei sicut gratia, ergo imperfectior ipsa: præterea talis virtus esset, tāquam accidēs respectu gratiæ, gratia autem respectu illius haberet se tanquam substantia ergo esset imperfectior gratia, sicut accidens est ignobilius substātia. Cōsequētia verò probatur, nam quando virtus operatiua est superaddita ab extrinseco supposito operanti per ipsam, vt sit virtus principaliter operatiua debet esse saltim ita nobilis, & ita perfecta, sicut effectus producendus per ipsam; sed ista virtus est superaddita ab extrinseco, ergo cum sit imperfectior gratia producenda per ipsam, non potest esse virtus principalis respectu eius; sed tātum instrumentalis. Maior probatur ratione, & exemplo simul, quādo causa principalis Physica efficiens operatur per virtutem, sibi connaturalem, non est necessarium, quod talis virtus sit æqualis in perfectione cum effectu, quia recipit actiuitatē respectu eius, quod in effectu excedit ipsam à forma substantiali suppositi operantis, vt patet in potentia generatiua animalis, quæ est virtus in animali ad producendum principaliter aliud animal sibi simile, licet sit imperfectior ipso animali genito; sed hoc ideò est, quia est virtus cōnaturalis animalis generantis recipiens actiuitatem à forma in qua radicatur, & talis est æque perfecta cū forma effectus. At quādo virtus aduenit suppositio operāti per eā ab extrinseco debet esse æque perfecta cū effectu, vt sit virtus principaliter productiua ipsius. Et hoc ideò est, quia cū nō radicetur in forma suppositi operātis per ipsam, nō potest recipere actiuitatē ab ea, patet hoc inferro cādenti, quod per calorem superadditum ab extrinseco calefacit principaliter manum: tunc enim ille calor est virtus principalis, constituens subiectum in ratione causæ principalis efficientis, quia est æque nobilis cum calore producto in manu. Et idem dicendum est de aqua calefacta: ergo cum Chirstus non operetur gratiam per istam virtutem, vt per virtutem connaturalem suæ gratiæ, & ex alia parte sit imperfectior gratia, non poterit per eam constitui, vt causa principalis gratiæ. Sed ad multum instrumentalis.

Probatur secunda pars illius antecedentis, in qua dicitur, quod Christus Dominus vt homo, non est causa principalis Physica efficiens nostræ gratiæ per ideas, vel artes sui intellectus. Pro-

batur inquã hoc eadẽ ratione, quia illæ sunt imperfectiores ipsa gratia, vt patet ex ratione facta: ergo. Secũdo probatur Christus per illas ideas non causat principaliter efficienter Physicè miracula, & alios effectus naturales, & tamen hęc opera non dicũt tantã perfectionẽ, quã tam dicit gratia: ergo, antecedens infra in propria, de hoc, disputatione constabit.

Secũda ratio pro nostra conclusione sit. Christus vt homo, per suã gratiã, & alia dona supernaturalia est causa moralis nostræ gratiæ: ergo nullo modo potest esse causa efficiens principalis physica. Probatur cõsequentia, quia nullus meretur, quod principaliter potest efficiẽter producere. Deinde probatur cõsequẽtia, & cõfirmatur ratio pręcedẽs: nã si Christus vt homo, efficeret in nobis principaliter physicè gratiã, sequeretur, quod secundũ eandem rationem haberet respectu sui rationẽ causæ merẽtis, & præmiantis, quod oraret se, & impetraret nobis gratiã à se ipso considerato secundũ eandẽ rationẽ, consequens non potest admitti: ergo. Sequela patet, nã vt homo, meretur, & impetrat gratiã, à causa principali illius causante ipsam, tanquã præmiũ suæ orationis; sed ipse Christus vt homo, est causa principalis illius: ergo. Minor vero probatur: nã meritũ, & oratio sunt ad alterũ saltim secundũ naturã, & ideò Christus vt homo nõ satisfecit sibi, vt homini quia satisfactio est actus iustitiæ ad alterũ saltim secundũ naturã: ergo cũ oratio, & meritũ sint actiones ad alterũ secundũ naturã saltim (quia sunt actus iustitiæ, vel requirunt illã) non potest cõtingere, quod Christus vt homo mereatur, & quod ipse vt homo causet principaliter præmium, quod est gratia.

Ex hac ratione colligitur, quod etiã Christus vt homo, non potuit esse causa Physica efficiens principalis donorũ supernaturaliũ nobis collatorũ, ex meritis ipsius. Si quis plures rationes pro ista conclusione desiderat videre, legat D. Thom. locis citatis in ipsa; maximè, quæst. 27. de veritate artic. 3. vbi ponit tres elegantes rationes pro ea. & 1. 2. q. 112. art. 1. in corpore. Ex quo defumitur alia ratio cõsistens in hoc, quod nulla res potest principaliter physicè, efficere participationem alicuius naturæ, nisi habeat talem naturã per essentiam. Sed Christus vt homo, non habet naturã diuinã per essentiã, & gratia est participatio naturæ diuinę: ergo nõ potest ipsam causare, &c. Maior patet exemplo, nihil enim potest ignire principaliter, nisi ignis qui est talis per essentiam. Ex hac ratione sequitur, quod nulla creatura, etiam de potentia Dei absoluta potest à Deo creari, quę possit causare efficienter physicè principaliter gratiam in anima.

Vltima conclusio. Humanitas Christi Domini fuit instrumentum Physicum, & excellens nostræ gratiæ, & donorum supernaturalium. Prima pars huius conclusionis, quod scilicet sit instrumentum Physicum probatur: nam D. Thom. locis citatis in prima conclusione ait, humanitatem Christi Domini habere virtutem ad causandam gratiam, quam hic negat habere ad creandum. Sed ad creandum potuit habere potentiam moralem, nam posset meritis, & oratione impetrare à Deo, vt ipse Deus crearet aliquam rem, ergo non solum habet respectu gratię producendæ potentiam moralem, sed etiã Physicam, quam ostendimus non esse principalem, sed instrumentalem.

Secunda pars est etiam eiusdem D. Thom. in hac 3. part. quæst. 64. artic. 3. in corpore, vbi expræsse docet, quod Christus in quantum homo, habet potestatem ministerij principalis, siuè potestatem excellentiæ. Et ratio huius est: quia Humanitas Christi Domini fuit instrumentum coniunctum diuinitati in persona. Ex quo principio infert ibi D. Thom. quod Humanitas Christi habet quandam principalitatẽ, & causalitatẽ respectu instrumẽtorum extrinsecorum, quæ sunt ministri Ecclesię. Probatur deinde ista pars, ex il-

lo

lo Matth. 9. *Vt autem sciatis, quod filius hominis habet potestatem dimittẽdi peccata, tunc ait Paralitico. Surge tolle lectũ tuum, &c.* Qui locus potest intelligi de Christo vt est homo, & de potestate non principali, sed instrumentali, excellentiæ tamen.

Matth. 9.

Secundo probatur, quia nisi Christus haberet istam potestatem excellẽtiæ, non posset dare gratiam, sine Sacramẽtis, nec posset instituere Sacramẽta, sed omnia hæc facit Christus vt homo, ergo eius Humanitas est instrumẽtum Physicum gratiæ, habens potestatem excellentiæ. Maior probatur primo, authoritate D. Thom. loco proximè citato, vbi ait ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet, pertinere, quòd effectum Sacramentorum, sine ipsis exterioribus Sacramentis possit conferre; similiter quod instituat Sacramenta, etiam quod eius nomine Sacramenta sanctificentur, etiam quod Sacramenta operentur in virtute meriti, & Passionis Christi Domini; ergo. Deinde probatur ratione, quia ideò aliis instrumentis, & ministris id non cõpetit, quia non habent istam potestatẽ excellentiæ, ergo Christus vt homo, est instrumentum excellentiæ, ad gratiam physicè in nobis efficiendam.

Ad argumenta primæ sententiæ respondetur, ad primum desumptum ex authoritate D. Thom. Cabrera in præsenti duas adhibet expositiones desumptas ex Vincent. nostro, quæstion. 6. relect. de gratia Christi, loco supra citato solutione ad primum. Nobis tamen aliter venit explicandus intelligendus, enim est, ita quod sentiat Christum vt hominem, illuminare per virtutem naturalem, siue gratuitam, tanquã causam principalem, omnes creaturas rationales, circa veritates supernaturales, & misteria gratiæ, manifestando eis tales veritates, & misteria gratiæ, quod est, hæc omnia ex parte obiecti principaliter proponere. Hoc autem totum saluatur, sine productione gratiæ, aut alicuius habitus supernaturalis in animabus, quas illuminat. Hæc explicatio cõsonat literę D. Thom. nã post verba relata in argumento subdit. *Per modũ quo est hoc cõueniẽs creaturæ rationali*; creaturæ autẽ rationali tantũ potest cõuenire, illuminare aliàs prædicto modo ex eo, quod vt docet ipse D. Thom. quæst. 27. de veritate, iam citata; in anima solum datur potentia obedientialis in ordine ad habitus supernaturales, & in ordine ad gratiam. At circa hanc potentiam solum immediatè agit Deus, quia est agens infinitum, cui subijcitur immediatè omnis creatura secundum hanc potentiam. Hoc modo docet D. Thom. 1. part. quæst. 106. art. 1. quod Angelus superior illuminat inferiorem, in quantum ei manifestat veritatem, & manifestatam proponit, vt ab ipso cognoscatur. Nec valet dicere istam expositionem esse legitimam, loquendo de illuminatione per scientiam, non verò de illuminatione per gratiam, quia hęc vt ait Cabrera in præsenti concl. 2. fit mediante productione gratiæ, nõ inquam valet hoc; nam respõdetur, quod vtraque illuminatio, vt fit à creatura rationali, non fit mediãte productione qualitatis supernaturalis, quia hoc implicat cuicumque creaturæ, propter rationem iam factam. Vndè solum potest fieri modo iam dicto, proponendo media necessaria, vt per ea disponantur homines ad iustificationem, quę fit mediò habitu gratiæ, à Deo producto immediatè. Et in hoc differt hæc immutatio ab immutationibus miraculosis, quod istæ nullo modo procedant à Christi Humanitatè, vt à causa principali, at iustificatio, seu illuminatio per gratiam, procedit ab ipsa aliquo modo, vt à causa principali, & per virtutem propriam modo iam explicato. Per hæc patet ad primam, & secundam confirmationẽ. Secundo potest dici, quod D. Thom. nomine illuminationis per gratię, & sciẽtiæ plenitudinẽ, nõ intelligit duas illuminationes distinctas, altera quę sit iustificatio, altera quę sit productio scien-

D. Thom.

tiæ, sed tantũ intelligit vnã illuminatio nẽ, quæ est illuminatio hominum circa misteria gratiæ, cuius illuminationis est principium principale Humanitas Christi modo exposito præcedenti solutione, per gratiæ, & scientię plenitudinem, tanquam per vnicum proprium, & principale principium, coalescens, ex gratia quasi ex principio radicali, & ex perfectissima scientia animæ eius, tanquam ex principio proximo, & immediato. Et per hoc etiam respondetur ad secundam confirmationem. Ad primam dicendum est, quod iustificatio compræhenditur sub operationibus miraculosis, quia licet non sit miraculum stricte dictum, eo quod fit à Deo regulariter. Et miraculum propriè loquendo sonat opus factum præter communem modum operandi; tamen aliquo modo potest dici miraculosa actio, quatenus conuenit cum miraculis in hoc, quod in subiecto tantum supponit potentiam obedientialem, & sicut miraculum est præter ordinem naturę, iustificatio est supra totum ordinem naturæ. Et D. Thom. 1. 2. quæst. 113. art. 10. vocat iustificationem opus miraculosum, propter conuenientiam, quam habet cum opere miraculoso.

Ad secundum argumentum. Respondetur ad primam partem eius, quod D. Thom. loquitur ibi de causalitate principali morali, quę conuenit Christo vt est homo, consonat explicatio literæ, nã statim ait Doctor Sanctus, quod eius meritum operatur in Baptismo. Ad alteram partem potest dici, quod ibi loquitur de Christo, vt est Deus, non vt homo, vel si de illo vt homo, quod ille modus loquendi verificatur de ipso, ratione cõmunicationis idiomatum; sicut diximus art. præced. communem Thomistarum opinionẽ verificari de Christo, vt omnipotente, non quia omnipotentia conueniat ipsi Humanitati intrinsecè, sed quia propter communicationem idiomatum prędicãtur de Christo vt homine, ea quæ sunt propria ipsius Dei.

Ad tertium argumentum ex ratione desumptum. Respondetur negando sequelam: Ad probationem distinguo antecedẽs dupliciter, ad causam instrumentalem non requiritur, quod præexistat effectus formaliter in ipsa distinguo antecedens, quando est causa instrumentalis excellentiæ, nego antecedens, quando est alio modo instrumentum, concedo antecedens. At Humanitas Christi, vt dictum est conclusione vltima, est instrumentum coniũctum diuinitati habens potestatem excellentiæ, & ideò qua ratione est tale instrumentum, conuenit ei habere gratiam inse, & perfectiorem, quam sit gratia, quam instrumẽtaliter in nobis causat. Secundo distinguo antecedens, si aliàs sit causa principalis moralis eiusdẽ effectus, quem causat instrumentaliter physice, nego antecedens, si non sit causa moralis principalis, concedo antecedens, at Christus vt homo est causa moralis principalis nostræ iustificationis, & ideò licet, qua ratione instrumẽtum est, non requiratur habere gratiam, quã causat tamen, qua ratione est causa moralis, necessario exigit illam.

Ad quartum concedo sequelam, & nego minorem: nam licet gratia habitualis Christi Domini sit infinitè perfectior gratia causata in nobis; tamen illa gratia nõ est virtus iustificatiua secundũ efficientiam physicam, sed talis virtus est quædam motio supernaturalis, vel qualitas per modum motionis recepta in ipsa Humanitate, per quam eleuatur ad causandam gratiam in nobis, quod autem hæc virtus sit imperfectior gratia nostra, nullum est inconueniens.

Ad quintum, nego maiorem, si intelligatur de principio Physico efficiẽte, concedo tamen illam, si intelligatur de principio ingenere moris. Et sic intelligendus est D. Thom. in argumento citato. Eodem modo distinguẽdum est consequens, quod scilicet est causa principalis moralis; non tamẽ efficiens Physica, ad probationem consequentiæ dico, quod principium vniuersale

sale est principale, in illo genere in quo est principium vniuersale, quia ergo Christus vt homo non est principium vniuersale, in genere efficientię Physicæ, sed moralis; ideò in eodem genere est principium principale. Secundo potest dici: Quod est principium vniuersale, etiam in genere physicæ efficientiæ, & negare consequentiam, quia sufficit, quod sit vniuersale instrumẽtum, & ob id principale respectu aliorum, & ratione huius principalitatis potest dici causa principalis non absolutè, sed respectiuè, scilicet respectu aliorum instrumentorum separatorum. Ad confirmationem respondetur concessa maiori, distinguendo minorem, est respectus actiui principij in genere moris, concedo minorem, in genere Physico, nego minorem. Et ratio huius est, quia per talem gratiam non constituitur in ratione capitis physici, sed moralis, & mystici, vndè sufficit quod moraliter influat, & non est necessariũ, quod influat Physice.

Ad sextum, distinguo maiorem, cui assimilatur effectus ex vi actionis, vt ab ipsa causa procedit, concedo maiorem, cui assimilatur effectus non ex vi actionis, vt ab ipsa procedit, sed aliunde, nego maiorẽ. Sicut patet in manu de picta, quæ exit similis manui depingẽtis, & tamen manus depingentis non est causa principalis, quia talis similitudo, non sequitur ex vi actionis, vt procedẽtis à manu; sed ab homine operante per artem, sic est in præsenti, nam homines qui iustificantur non exeunt similes Christo Domino ex vi actionis iustificatiuæ, quatenus procedentis ab eius Humanitate, sed quatenus procedentis à Deo volente pro sua libertate iustificare homines ad similitudinem iustitiæ sui filij, hoc autem non sufficit ad rationem causæ principalis. Secundo potest dici, quod quando effectus perse assimilatur alicui causæ, talis causa est principalis, & quia effectus nostræ iustificationis, exit similis Christo vt homini, nõ perse, & ex natura rei, sed per accidens, & ex extrinseca ordinatione Dei, vt colligitur ex loco Pauli citato in argumento; ideò Christus vt homo, non est causa principalis; sed tãtum instrumentalis, & secundum istas solutiones glossanda est, illa distinctio inter causam principalem, & instrumentalẽ, adductam in argumento. Ad confirmationem respondetur, quod causa exemplaris, quę ex natura sua, & perse est talis est causa principalis. At Christus vt homo per suam gratiam, non est causa exemplaris perse nostræ gratiæ, sed per accidens, vt dictum est. Et ratio euidẽs pro hoc est, quia gratia nostra est participatio immediata naturę diuinę, secũdum suam essentiam, & perse, non autẽ est participatio gratiæ Christi immediata: non enim vna participatio est immediatè participatio alterius participationis, sed naturæ, vel formæ, quam participant, vt patet in duabus imaginibus Christi, vtraque immediatè participat figuram Christi, & non participat vna figuram alterius; & ideò licet per accidẽs, & secũdario, assimilentur interse, non tamen est vna causa exẽplaris alterius perse. Sic dicendũ est in præsenti, de gratia nostra, & gratia Christi, quod vtraque est participatio immediata naturæ diuinæ; vndè natura diuina est perse exemplar vtriusque, & non vna respectu alterius, quamuis per accidẽs, & secundario assimilentur interse.

Ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum, nego antecedens, ad probationem nego minorem, ad probationem, concedo maiorem, & distinguo minorẽ in eo genere, & ordine in quo est caput, concedo minorem, in omni genere, nego minorẽ. Et sic quia Christus vt homo per suam gratiam constituitur in ratione capitis moralis, cuius proprium est influere actiuè, principaliter, moraliter, & meritoriè in membra; ideò talis gratia nõ est principium actiuum in genere Physico; vndè non sequitur, quod per illam constituatur Christus Dominus vt homo, in ratione causæ principalis Physicæ effi-

cientis. Ad confirmationem respondetur eodem modo.

Ad secundum respondetur negando antecedens. Ad probationem nego maiorẽ, & dico, quod repugnat ex perfectione gratiæ nostræ essentiali, id est, ex natura & essentia gratiæ nostræ, quia propterea quod est participatio naturę diuinę, petit vt à Deo immediatè causetur, repugnat etiam ex natura gratiæ Christi, quia illa quãtumuis perfecta, non tamen est operatiua principaliter physicè, vt dictum est in prima ratione tertiæ conclusionis, repugnat etiam ex imperfectione gratiæ Christi non priuatiua, quia nihil de est illi ex tota perfectione, quę potest reperiri intra rationem gratiæ, sed ex imperfectione negatiua, quam habet scilicet, quia non habet illam perfectionem, quæ requiritur ad causandam nostram gratiã principaliter physicè: nã ad hoc requiritur perfectio infinita naturæ diuinæ, vt dictum est circa tertiam conclusionem, similiter repugnat ex modo operandi, quia causa principalis productiua gratię debet operari circa potentiã obedientialem: sic ergo operari, & educere formam ex subiecto præexistente tantum in potentia obedientiali ad formam exposcit virtutem agentis infiniti.

Ad tertiũ concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem admissis præmissis, nego consequentiam. Differentia est, quia per visionem Beatã assimilamur Deo in operatione vitali, de ratione autem operationis vitalis est, vt principaliter eliciatur ab eo cui in est. Quia ergo visio Beata in est Beatis, ideò principaliter debet elici ab eis. Per gratiam verò assimilamur Deo in propria natura eius, tãquã filij eius. De ratione autẽ naturę cõmunicatę filio, per generationem est, vt principaliter solũ causetur ab eo, qui habet illam per naturam, & essentialiter. Et quod recipiens illam immediatè, assimiletur per eam generanti. Et ideò cum Humanitas Christi non habeat naturam diuinã naturaliter, & essentialiter, nõ potest per generationem, qualis est communicatio gratiæ, tribuere nobis principaliter Physice, ipsam gratiam, & participationem Deitatis.

Sed contra. Ferrum candens non est calidum, per essentiam, & tamen calefacit manum principaliter, causatque calorem, ergo licet Christus vt homo non sit Deus per essentiam poterit causare gratiam principaliter. Ad hoc respondetur negando consequentiam, ratio differentię est, quia licet ferrum nõ sit calidum per essentiam; habet tamen formam essentialem caloris intrinsecè in se ipso, & quia talis forma ex natura sua est potentia operatiua principaliter sibi similis formæ; ideò ferrum per talem formam perfectè participatam potest constitui in ratione agentis principalis; at Humanitas Christi Domini, neque habet inse intrinsecè naturam diuinam essentialiter, quia vnio Incarnationis non est facta in natura, vt quæst. 2. supra dictum est; neque habet inse aliquam formam operatiuam principaliter gratię, vt probaui in 3. cõcl. Et ideò non potest, tanquam causa principalis Physica, gratiam in nobis causare. Hæc de hoc dubio, & sit.

DVBIVM II.

Vtrùm Humanitas Christi Domini sit instrumentum Physicum respectu gratiæ, & miraculorum, an tantum moralem?

IN hac difficultate multæ sunt sententię, quas referunt Interprætes D. Thom. omnes tamen reducũtur ad duas, quarum vna negat Humanitatem Christi Domini concurrere physicè, & instrumentaliter, ad miracula facienda, & idem dicit de Sanctis, & tantum concedit eis influxum moralem: ita affirmarũt multi ex antiquis Alensis 3. part. quæstion. 13. art. 3. membr. 3. Sanctus Bonauen. & Ricard. in 3. dist. 13. art. 20. quæst. 2. Gabriel ibidem

ibidem dubio 3. Durand. dist. 14. quæstion. 5. & in 4. dist. 1. quæst. 4. Scot. ibidem quæst. 1. 4. & 5. Ex modernis tenent illam Petrus de Sot. 2. part. de institutione Sacerdotis, Cano in relectione de Sacramẽtis part. 4. post 6. cõclus. Vega lib. 7. in Conciliũ Trident. cap. 18. Ferra. 3. contra Gentes, cap. 102. in fine, Gabriel Vazq. in præsenti disput. 57. cap. 5. & 1. part. disputat. 176. cap. 2. Influxus iste moralis Humanitatis respectu miraculorum explicatur ab istis Authoribus, dicendo, quod consistit non solũ in eo, quod Christus vt homo orabat, impetrabat, vel merebatur, vt illa fierent à Deo: sed quia erat pactum inter Deum, & eius Humanitatem, vt posita aliqua eius operatione, oratione, vel imperio, vel actu, vel aliqua actione alia, statim sequeretur effectus miraculosus productus à Deo.

Probaturque ista sententia, aliquibus testimonijs D. Thom. Primum desumitur ex quæst. 6. de potentia art. 4. vbi recensens modos, quibus Sancti patrant miracula, ait: quod etiam si potestatiuè, & cooperando faciant illa, faciunt tamen deferendo imperium Dei, & præsentando illud creaturis, in quibus miracula fiunt. Sed operari præsentando imperium est operari moraliter, ergo. Secundũ desumitur, ex 2. 2. quæstion. 178. art. 1. ad 1. vbi dicit tria, quæ nostro deseruiunt proposito. Primum est, quod virtus actiua miraculorũ extenditur ad omnia, ad quæ se extendit diuina omnipotentia: ex quo sequitur, quod extendatur etiam ad creationem substantiæ totalis, nam ad illam extenditur omnipotentia Dei. Sed nullũ instrumentum Physicum datur respectu creationis, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 45. ergo sentit virtutem factiuã miraculorum, non fuisse Physicam, sed moralem. Secundum quod dicit est, quod mens facientis miracula mouetur à Deo ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus facit suavirtute. Sed hoc saluatur si qui facit miracula solum sit causa moralis, & non Physica: ergo. Probatur minor: nam si esset instrumentum Physicum miraculi, sequeretur moueri ad operationem suam à principali agente, & non quod moueretur ad operationẽ ipsius principalis agentis, quia hoc est proprium instrumenti moralis, quod effectus sequatur ad operationem agẽtis principalis, vt moti ab ipso instrumẽto morali: ergo. Vltimum, quod dicit est, hanc efficientiam moralem in miraculis patrãdis significari Iosue 10. vbi dicitur: *Non fuit anteà, & postea tãta longa dies obediente Deo voci hominis*; vbi manifeste patet Deum fuisse auctorem talis miraculi, & Iosue concurrisse per imperium, cui obediuit Deus: sed concursus per imperium est moralis: ergo moraliter, & non Physicè concurrunt Sancti ad miracula facienda: & consequenter idem dicendum est de Humanitate Christi Domini.

Secundo arguitur principaliter. Christus vt homo fecit multa miracula, atque eius Humanitas non potuit concurrere instrumentaliter Physicè: ergo. Probatur antecedens, ad efficientiam instrumentalem physicam requiritur vt instrumentum propria virtute contingat rem, circa quam, & in qua fit miraculum per aliquam operationẽ præuiam ad ipsum effectum miraculosum (vt suppono ex doctrina D. Tho. 1. part. q. 45. explicandam infra): Sed Humanitas Christi, non sic potuit contingere multas res absentes in quibus fecit miracula, vt quando Matth. 8. sola voce sanauit seruum Centurionis absentem, & quando Ioann. 4. sanauit filium Reguli distantem, & quando (vt dicitur Ioannis 11) voce reuocauit animam Lazari existentem in Limbo, quo vox illius pertingere non poterat fingere autem vocem illam per noua miracula contingisse res absentes est diuinare: ergo. Confirmatur, nam fecit multa mitaculaper imperium, vt quando Lucæ 4. & 8. & Matth. 8. imperauit febri, Dæmonibus, & ventis; sed operari per imperium est operari moraliter: ergo.

Ter-

Tertio deinde probatur ratione, & arguitur tertio, effectus miraculosi producti ab Humanitate Christi (v.g.) visus restitutus cęco non habent aliquam dependentiam ab illa; ergo. Probatur antecedens, non recipiunt aliquid ab ea: ergo non instrumentaliter Physicè, &c. Consequentia patet, quia sicut implicat causam agere, & non influere aliquid in effectum, ita implicat effectum causari ab aliqua causa Physica, & non recipere aliquid ab ea, aliàs etiam frustra assumeretur vt instrumentum Physicum ad causandum effectum, vt patet ex doctrina D. Thom. loco supra citato, vbi docet omne instrumentum Physicum debere causare in subiecto in quo operatur aliquid pręuium ad effectum principalis agentis; Et ita saltim in illo principio pendebit effectus ab illo, antecedens autem probatur: quia oculus miraculosè restitutus cæco, nihil aliud habet, quam cæteri oculi naturaliter âgenerâte producti, non enim potest fingi, quid speciale habeat, quod nõ habeant cęteri oculi naturaliter geniti.

Quartò arguitur. Humanitas Christi non est causa instrumentalis Physica miraculorum per aliquam virtutem Physicam effectricem eorũ: ergo. Consequentia patet, quia nihil potest operari in actu secũdo aliquid, nisi habeat actum primum, & virtutem Physicam, qua mediante operetur. Antecedens probatur dupliciter primo, nã alias sequeretur, quod restitutio vitæ (v.g.) nõ esset miraculosa respectu Humanitatis Christi. Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela, non excederet vim connaturalem illius virtutis, quam haberet Humanitas Christi, licet illa sit supernaturalis: ergo effectus non esset miraculosus. Patet cõsequentia, nã quid quid nõ excedit virtutẽ causę operãtis, non miraculosè fit à tali causa, imo neque etiã instrumentaliter, sed principaliter esto talis virtus nõ sit naturalis causæ; sed supernaturalis, & à Deo infusa, vt patet in actu contritionis, & charitatis, qui quidẽ nõ sunt miraculosi respectu hominis, neque instrumẽtaliter prõcedunt abipso, quia nõ excedũt virtutẽ habitus supernaturalis, àquo procedũt.

Secundo probatur idẽ antecedens, illa virtus nõ potest esse spiritualis, neque corporalis ergo, quod non sit spiritualis probatur, quia recipitur in subiecto corporeo: nempè in tota Humanitate Christi: ergo nõ est spiritualis, probatur ista consequẽtia, quia omnis forma proportionari debet, cum subiecto in quo recipitur, iuxta illud commune Philosophorum Problema. *Vnũ quodque recipitur ad modum recipientis.*

Neque valet dicere formã spiritualẽ posse recipi in corpore per modũ transeuntis: non tamen per modũ permanẽtis. Cõtra, nã illa proportio inter subiectũ, & formã, vniuersaliter debet seruari, ita vt si non ad fit nõ possit recipi forma in subiecto in proportionato aliquo modo, ergo. Probatur antecedens, nã propter istã rationẽ albedo extensa, nec etiã per modũ transeuntis potest recipi in Angelo: ergo, &c. Quod verò nõ fit corporalis probatur, nãnõ posset habere effectũ spiritualẽ, quẽ tamẽ de facto habuit in cõuersione miraculosa Pauli, & habet modo in iustificatione regulari hominum.

Quinto arguitur. Implicat potentiam extrahi extra latitudinem sui obiecti adæquati; sed sic extraheretur Humanitas Christi Domini, si Physicè operaretur miracula: ergo. Maior certa: nam ideò oculus corporeus non potest videre spiritũ, neque sonũ. Probatur autem minor, obiectum circa quod potest operari res corporea, etiam instrumentaliter Physicè, solum est corpus; sed Humanitas Christi est res corporea: ergo non potest etiam instrumẽtaliter operari miracula circa res spirituales, vtpotè circa Dæmones, Angelos bonos, & animas hominum. Maior probatur, nam obiectum circa quod potest operari res corporea, instrumentaliter est tantum illud circa quod propria virtute potest operari aliquid prævium ad effectum

ctum principalis agentis; sed circa rem spiritualem nil præuium potest res corporea operari: ergo non potest esse instrumentū Physicum alicuius effectus Dei circa rem spiritualem ergo.

Sextò arg. Humanitas Christi cōcurrit ad patrādam miracula, eo modo, quo mors Christi in facto esse Resurrectio, & Ascēsio eius sunt causa nostræ salutis, & Resurrectionis; sed istę nō sunt causæ instrumentales Physicæ ergo: maiorē asserit D. Tho. in hac 3. part. quæst. 48. art. 6. & quæst. 56. art. 1. ad primū. Minor vero probatur, quia mors Christi in facto esse, est priuatio, & ens rationis; sed ens rationis nō potest aliquid Physicè operari: ergo. Idem argumentum fit de Resurrectione, & Ascensione Christi Domini.

Pro resolutione quæstionis est notandum, in illa posse loqui de Humanitate Christi pro illo tēpore pro quo extitit in mundo, & quęrere, vtrū pro illo fecerit miracula instrumentaliter Physicè, an moraliter tātum: vel possumus loqui de Humanitate in triduo, vel post eius Resurrectionem, & Ascensionem ad Cœlos, & omnibus istis modis loquēdū nobis est in præsenti. Et vt veritas eluceſcat contra omnes oppositum opinantes sit.

Prima conclusio. Humanitas Christi Domini non fuit causa moralis instrumentalis gratię, & miraculorum. Hæc est communis omnium Thomistarum, & probatur: instrumētū, vt instrumētum in illo genere in quo est instrumentum non habet sufficientem virtutem ad effectum producendum: Sed Humanitas Christi in genere causæ moralis habet sufficientem virtutem ad effectum producendum: ergo, maior est certa ex propria ratione instrumēti. Minor autem etiam patet, nam impetrans, orās, vel merens, vt sic, est causa principalis moralis effectus, quem producit ille, quem orat, vel à quo meretur. Vnde Christus Dominus, quando per orationem, & meritum edebat miracula erat causa principalis eorū, vnde habebat sufficiētem virtutem ad illa patranda in genere moris, ita docet D. Thom. in 4. dist. in. 5. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 2. ad 2. Et aduertendum, quod licet in alijs Sanctis, hæc doctrina non haberet vniuersaliter verum, tamen in Christo est necessaria, quia eius oratio, & meritum, propter reflexionem supra suppositum Diuinum habēt condignitatem infinitā, & rigorosam, ab obtinendum à Patre quodlibet donum, & miraculum. Ex quo colligitur euidenter esse causam principalem moralem, & consequenter non posse esse instrumentalem in tali genere propter rationem factam. Et quia idem sub eadem ratione formali, non potest esse instrumentum, & causa principalis, neque in genere Physico, neque in genere moris, cum ratio instrumēti sit diuersa à ratione causę principalis, & ei tota liter opponatur. Secundo potest probari tertia ratione, quam facit in præsenti. Herr. dicto tertio, in manuscriptis, in summa talis est, omne instrumentū supponit causam principalē, sibi proportionatam, in suo ordine, & genere: ergo si Christus vt homo, est causa instrumentalis moralis gratiæ, & miraculorum, supponit in tali ratione aliā causam principalem: consequentia est euidens; sed consequens est impossibile, nam non est alia causa presupposita ad Christum vt hominem, nisi Deus. Deus autem non potest esse causa moralis principalis, quia orare, vel mereri, repugnat Deo, eo quod orare dicit inferioritatē in orante respectu eius, quem orat: antecedens autē probatur, quia de ratione instrumēti, vt sic est operari, vt motum à causa principali in cuius virtute operatur: ergo est supponere causam principalem in illo genere in quo instrumentaliter causat effectum.

Nec valet dicere, cum Vazq. in præsenti disputat. 57. cap. 6. ad 3. instrumētum morale, non dici respectu causæ moralis; sed Physicę principalis, quia impetrat ab ea, vt ipsa physicè principaliter producat effectum. Non inquam valet.

valet hoc, quia omne instrumentū est medium, inter causam principalem, & effectum, & agit vt motum ab illa; sed Christus in quantum merens, & orans, (qua ratione est causa moralis) non est medium inter Deum causam Physicam miraculorum, & ipsa miracula, neque operatur vt motus ab ipso Deo physicè faciente miracula: ergo. Maior patet ex ratione præcedenti, minor verò probatur: nam Christus vt orans, & merēs, antecedit operationem Dei, qua facit miracula, & mouet ipsum vt faciat ea Physicè: ergo non operatur, vt motus ab ipso Deo; sed potius Deus operatur phisicè miracula: quia mouetur ad talem effectum ab ipso Christo vt homine, propter eius orationem, & meritum.

Sed contra doctrinam traditam in prima ratione, in qua diximus, quod orans, & merens, vt sic non est causa instrumentalis moralis: stare videtur D. Thom. nam 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad primum ait, quod Deus sæpè vtitur oratione alicuius Sancti ad facienda miracula: ergo videtur sentire, quod orans per suam orationem est instrumentum quod assumit ad facienda miracula.

Ad hoc respondet Caietanus ibidem, quod D. Thom. nomine instrumēti non intelligit instrumentum propriè & rigorosè. Sed sumit instrumentū pro quacunque causa secūda, siuè sit instrumentalis, siuè principalis. Secundo respondetur, ex doctrina eiusdem in præsenti, quod oratio in ratione orationis, vt est impetratoria effectus, & quatenus mouet Deum, non est instrumentum; sed principiū principale morale, si verò consideretur, vt deferens, & exequens imperium Dei ad creaturas, in quibus fit miraculum vt sic, operatur vt instrumentum motum à Deo, & est medium inter causam principalem physicam, & effectum.

Secunda conclusio. Humanitas Christi; caro eius, vel anima, vt comprehendamus omnes considerationes eius supra animaduersas; instrumētaliter physicè facit miracula, & causat gratiam in animabus iustis.

Probatur ratio instrumenti Physici gratiæ, & miraculorum est perfectio possibilis conuenire Humanitati Christi Domini: ergo non est illi deneganda, quia omnis perfectio non importās impossibilitatem conueniendi Christo est illi concedenda: hac enim ratione probat D. Thom. sup. quæst. 9. art. 1. in anima Christi ponendā esse scientiam creatā præter diuinā, antecedens autē probatur, quia nulla impossibilitas, aut implicatio apparet in hoc, quod virtus instrumētalis factiua miraculorū cōmunicetur à Deo Humanitati Christi per modū trāseuntis. Cōfirmatur hæc ratio talis virtus cōmunicatur Sacramentis ad gratiam causandam, vt ostēditur infra quæst. 62. à discipulis D. Thom. & alijs interprætibus: ergo dicendum est potiori iure communicatam fuisse Humanitati Christi patet, antecedens modo non probatur; sed supponitur ex doctrina communi in qua dicitur loco allegato, vbi dicitur, quod Sacramenta nouæ legis propter excellentiam, quā habent super Sacramenta veteris legis, habent causare Phisice gratiam, ex qua doctrina probatur consequentia, maior excellentia tribuenda est Humanitati Christi in ratione causæ Physicæ quam Sacramentis, eo quod instrumentum coniunctum diuinitatis. Sacramenta verò sunt instrumenta sæparata: ergo si Sacramentis hæc virtus instrumētalis Physica conceditur, respectu gratiæ, potiori iure concedenda est Humanitati Christi respectu gratiæ, & miraculorum.

Secundò probatur cōclusio. Christus vt homo, habuit gratias gratis datas, vt ostenditur sup. q. 7. art. 7. sed gratia sanitatis, & operatio virtutū sunt gratiæ gratis datæ, vt colligitur ex Paulo Corint. 1. c. 12. Ergo habuit istas gratias; sed istæ sunt virtutes instrumētales physicæ respectu sanitatis miraculosæ, & aliorum effectuum, & ideò manent in peccatoribus non habentibus gratiam, ergo

ergo Christus vt homo habet virtutē Physicam instrumentalem respectu miraculorum.

Ad argumenta ad primum respondetur, quod D. Thom. ibi non aduersatur nostræ sententiæ, sed potius eā clare docet ex Gregor. 2. dialogorum, ex cuius doctrina docet, quod Sancti non solum orando, sed etiam potestatiue: ac proinde cooperando operationi Dei faciunt miracula, vndè distinguit modum operandi potestatiue, à modo operandi meritoriè per orationem, hic autem modus operandi distinctus est ab operari per virtutem physicam instrumentalem, per quam cooperantur operationi Dei agentis principalis miraculorum. Nec contra hoc est, quod sancti faciant miracula deferendo imperium Dei, nam licet solum facerent miracula isto modo, & præsentādo imperium Dei, & sic solum videatur concursus moralis. Respondetur, præsentare imperium executiue deferendo virtutem Dei Physice operantis, & attingentis effectum est operari physicè, & isto modo Humanitas Christi Domini, & alij Sancti homines faciūt miracula, vndè instrumentaliter Physice causant miracula, quoniam præsentando modo imperiū Dei modo explicato, deferunt imbibi tam virtutem Dei Physicè operantis, in exercitio, & executiue ipsum effectum.

Ad secundum testimonium. Ad primum dictum Diui Thom. Respondetur, intelligendum esse non de obiecto adæquato omnipotentiæ Dei, quod est res existens, & non existens, sed de obiecto inadæquato, quod est effectus possibilis fieri à Deo circa rem iam existentem: vndè quando D. Thom. ait, quod virtus factiua miraculorum se extendit ad omnia, at quæ extenditur omnipotentia Dei, glossandus est non ad omnia absolutè, sed ad omnia quæ possunt fieri supernaturaliter circa res existentes. Ex quo non sequitur extendi talem virtutem ad creationem, & annihilationem, quia istę non sunt trāsmutationes circa res existentes, ita colligitur ex mente ipsius sanctissimi Doctoris in præsenti art. in corpore, & ad primum.

Ad secundum dictum. Ad minorem dico, illam doctrinam positam in maiori, non solum saluari in instrumento morali, sed etiam in instrumento Physico: nam illud etiam mouetur à principali agente in quadam virtute supernaturali ad tangendum infirmos, & ad istum tactum quatenus deferent executiuè virtutem Dei cooperantis sanctitatem miraculosam, sequitur ipsa sanitas causata à Deo principali agente: & ita vtrumque est verum, & quod instrumentum mouetur à principali agente ad suam actionem instrumentalem, quæ non est tangere infirmum vtcumque, nam id etiam potest Sanctus, vt causa principalis, vt hic ait Caietan, sed est tangere infirmum deferendo ad eum virtutem Dei executiuam producentem miraculum, saluatur etiam, quod moueatur à principali agente ad effectum ipsius, quia ex hoc, quod moueatur ad actionem suam instrumentalem sequitur moueri vltimatè, & terminatiuè ad effectum agentis principalis, quia actio propriè instrumentalis terminatur ad effectum agentis principalis.

Ad tertium dictum. Admissa maiori, & admisso, quod illud miraculum fecit Iosue, solum vt causa moralis, nō inde sequitur, non posse facere illud, vt causa instrumentalis Physica. Secundo dico, ibi concurrisse Iosue moraliter, & physicè instrumentaliter, & ad minorem patet ex dictis supra in solutione argumenti positi, circa primam conclusionem, & etiam ex solutione D. Thom.

Ad secundum argumentum negatur antecedens. Ad probationem respondetur, illam doctrinam Diui Thomæ, non debere intelligi taliter, quod omne instrumentum, vt à Deo

assumatur habeat actionem propriam secundum virtutem connaturalem, sed sufficit quod habeat actionem proprie sumptam, vel passionem, aut aliquid per modum actionis, erga rem circa quam agit effectum Dei. Hoc autem, optime conuenit Humanitati Christi: nam secundum propriam virtutem habet saltim deferre imperium, & virtutem Dei ad res circa quas fit miraculum: habet etiam determinare virtutem Dei, vt faciat miraculum, erga hoc subiectum potiùs, quam erga aliud, ad vnum effectum magis, quam ad alium: hoc autem munus optimè potest præstare, etiam circa res absentes, nam ad illud non est necessarium, quod contactu quantitatiuo, & formali contingat eas, sed sufficit quod contingat eas, contactu virtutis, seu spirituali, quatenus est instrumentum Dei: eo enim, quod assumitur à Deo ad miraculum faciendum eleuatur, vt deferendo virtutem Dei ad subiectum in quo est faciendum miraculum ipsum contigat contactu virtutis, & consequenter vt per virtutem instrumentalem, sibi communicatam attingat effectum miraculosum, quia enim Deus est vbique præsens, eius virtus diuina præsentialiter attingit omnia, & ob istam rationem instrumentum quodcunque diuinitatis contingit omnia, circa quæ Deus operatur contactu virtutis, seu spirituali. Et aduertendum cum Caietano in præsenti: quod quia hæc delatio imperij intelligitur prius terminari ad subiectum in quod tendit, quam operatio participata, per quam producit effectum; ideò vocatur à Diuo Thom. operatio dispositiua, & præuia, non eo quod propriè, & in rigore sit dispositiua, aut debeat esse; itaque delatio imperij diuini ad subiectum in quo Deus operatur, vt causa principalis miraculum, vocatur actio dispositiua, & aliquid præuium efficere ad effectum principalis agentis, quia eo modo, quo dispositio ad formam aliquam præcedit, siue tempore, siue prius natura illam; ita etiam illa ratio actionis delatiuæ necessario præcedit, vt attingens subiectum subordinando illud Deo actualiter operanti in ipso miraculum, aut alium effectum prius natura, quã intelligatur productio talis effectus.

Colligitur hæc expositio ex eodem Sancto Doctore, quantum ad omnia, quæ in illa dicuntur. Quo ad primum de expositione actionis, ex 2. 2. quæstion. 178. artic. 1. ad primum, vbi docet corpus emortuum si tangatur posse esse instrumentum Dei ad facienda miracula, constat autem ipsum non posse habere operationem propriè dictam, sed passionem quia tangitur, ergo in loco citato primæ partis nomine actionis, non intelligitur actio propriè dicta, sed iuxta modum explicatum. Quo ad secũdum de expositione contactus instrumenti ad res absentes, colligitur ex doctrina Diui Thomæ hac in parte quæstione 56. artic. 1. ad primum, vbi docet, quod Resurrectio Christi Domini, vt ibi explicat Caietan. Humanitas eius, vt determinata per Resurrectionem, vt per quandam conditionem, est causa instrumentalis nostræ resurrectionis, quia licet non contingat nos propria virtute; contingit tamen nos virtute diuina, vt instrumentum Dei, ergo idem dicendum, respectu miraculorum. Quo ad vltimum colligitur ex quæstion. 62. vbi ponens baptismum instrumentum respectu gratiæ in anima causandæ, ait sufficere ipsi, vt secundum propriam operationem corpus tangat ad hoc, vt operatione participata animam sanctificet. Hæc expositio Diui Thomæ desumitur, ex doctrina Caietani in præsenti, & loco citato, per hanc doctrinam patet ad exempla posita in argumento: nam dicimus, quod vox Christi attigit res absentes, non per noua miracula, sed contactu virtutis, quatenus erat instrumentum diuinitatis ad modum explicatũ.

Ad

Ad confirmationem patet, quid dicendum sit, ex solutione data ab obiectionem positam in fine primę conclusionis, & ad primum testimonium Diui Thomæ.

Ad tertium respondetur negando antecedens, ad probationem iterum negatur antecedēs, ad cuius probationem respondetur, quod visus restitutus cæco ab Humanitate Christi in essentis, & in facto esse, nihil habet, quod non habeant cęteri oculi; at in ratione effectus in fieri, aliquid habet, quod non habent cęteri oculi, vtpotè dependentiam, & emanationem ab Humanitate Christi operante, vt instrumentum Dei agentis principalis, & specialis modo supra ordinem naturæ in qua à priuatione ad habitum nō est regressus.

Ad quartū negatur antecedens ad probationem, negatur sequela, ad probationem negatur antecedens, nam talis vis instrumentalis ad restituendum visum cæco (v.g.) non est completa, & perfecta, ita vt de se possit talem effectum causare immutando ordinem naturæ, sed est imperfecta, & insufficiēs de se ad talem effectum per agendū; vt autem aliquis effectus miraculosè producatur, satis est si non possit dari virtus creata, ita perfecta, quæ ex se possit illum producere immutādo ordinem naturæ, & quod possit dari virtus incompleta potens illum, sic producere, non ex se, sed vt eleuatur à Deo per virtutem instrumentalem; virtus autem qua elicimus actus supernaturales, ex se est potens in subsātiam illorum: est enim virtus permanens, & ita perfecta ex parte obiecti sicut illi; & ideò non sunt miraculosi. Videatur D. Thomas in 4. dist. 45. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad 3.

Herrer.

Ad secundam probationem antecedentis prima solutio sit ibi assignata, quæ est in terminis D. Thom. infra quæst. 62. art. 4. ad primum argumentum, vbi expræsse docet virtutem repertam in Sacramentis corporeis esse spiritualem, & esse in illis incomplete, & per modum transeuntis, quia non est inconueniens in corpore, esse virtutem spiritualem instrumentaliter in quantum corpus, potest moueri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum, & ponit exemplū in voce sensibili, in qua est quædam visspiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit à conceptione mentis.

Ad replicam respondetur illam proportionē debere seruari inter subiectum, & formam quando sunt eiusdem ordinis: tunc enim verum est, omne quod recipitur, recipi ad modum recipientis, quando vero forma est ordinis superioris non debet seruari, & ratio est, quia tunc forma non trahitur ad esse subiecti (sicuti quando est eiusdem ordinis cum illo) sed potius eleuat ipsum ad esse superius, & perficit perfectione superiori; & ideò non est necesse, quod acomodetur imperfectioni subiecti.

Ita Cub. loco cit. & D. Th.

Ad exemplum de albedine respondetur, quod est accidens ordinis inferioris ad Angelum; & ideò est incapax recipiendi talem formam quocunque modo etiam transeunter, quia est incapax moueri ab agente ordinis inferioris. Etsi instes, quid prohibet per absolutam Dei potentiam recipi tale accidens corporeum in Angelo saltim imperfecte. Respondetur, Angelum esse incapacem recipiendi illud quocunque modo, ex eo, quod non est natum perfici à forma inferioris ordinis, etiamsi Deus se solo producat talem formam, quoniam id quod actuale est in ordine superiori, & perfectiori, non potest perfici à forma potentiali, & ordinis inferioris, corpus autem habet capacitatem, non solum obedientialem, vt perficiatur forma spirituali inquantum potest moueri à Deo ad aliquid agendum, sed etiam habet capacitatem naturalem, vt naturaliter perficiatur forma spirituali naturalis ordinis, vt in corpore humano patet,

quod actuatur ab anima rationali, licet sit forma spiritualis, & recipitur in materia permanenti; vndè multo melius virtus spiritualis, & instrumentalis potest recipi transeunter, & imperfecte in subiecto corporeo indiuisibiliter in corporeo. Secunda solutio est, quod scilicet illa virtus instrumentalis est formaliter corporalis, & sic potest recipi in subiecto corporeo, virtualiter autem est spiritualis, quatenus est participatio virtutis Dei, & ideò potest attingere effectum spiritualem, plura de hac solutione videte in Thomistis tam hic, quam infra quæstion. 62. artic. 1.

Ad quintum argumentum concedo maiorē, & negatur minor, ad probationem distinguitur maior, obiectū circa quod potest operari res corporea, adhuc instrumentaliter solum est corpus, si loquamur de obiecto connaturali, & proportionato, concedo maiorem, si loquamur de obiecto extensiuo, & veluti specifico, nego maiorem. Duplex namque est obiectum instrumenti, aliud connaturale, & proportionatum, & est illud ad quod ab agenti naturali potest eleuari, aliud est specificū, & est illud adquod potest eleuari à quolibet agenti; vnde quando eleuatur à Deo ad effectum supernaturalem, non extrahitur extra latitudinem sui obiecti adæquati, sed solum sui obiecti connaturalis, quod non est inconueniens.

Ad vltimum respondetur: Quod illa maior Diui Thomæ non habetur sic, in eodem Doctore Sancto, sed loco citato in corpore artic. ait, quod quia Humanitas est instrumentum diuinitatis, vt supra dictum est, ideò omnes actiones, & passiones eius instrumentaliter operantur in virtute diuinitatis, quæ doctrina explicatur à Caietano infra quæstion. 56. art. 1. ad tertium, quod quando dicitur mortem Christi, vel Resurrectionem eius, causare nostram salutem, & gratiam, vel aliquod miraculum, id quidem non propriè de istis rebus verificatur, sed de ipsa Humanitate, quę secundum se considerata, est instrumentum vniuersale, tamen determinatur per istam, vel per illam conditionem (verbi gratia) per mortem, ad causandam vitam spiritualem in nobis, & per Resurrectionem ad causandam nostram resurrectionem. Et ita nec mors Christi, quę est ens rationis, neque resurrectio, quæ prę teriit influit in hos effectus instrumentaliter; itaque ipsa realis Humanitas, quæ existit est vera causa realis horum effectuum, & per dictas conditiones quasi per quandam accommodationem accipit à Deo virtutem ad causandam nostram resurrectionem, &c.

TERTIA DVBITATIO EST.

Vtrùm virtus instrumentalis animæ Christi, sit forma habitualis, & de se permanens?

PROBATVR, quod sic primo. Character Sacerdotalis est virtus instrumentalis ad causandam gratiam per Sacramentum pœnitentiæ, & faciendam miraculosam conuersionem panis in Corpus Christi Domini, hæc tamen virtus est de se permanens in Sacerdotibus. Ergo multo magis debet poni huiusmodi qualitas in Christo: *Siquidem est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Psalm. 109. Confirmatur ideò Sacerdotes nouæ legis habent huiusmodi virtutem, quia id facere possunt quotiescunque voluerint, sed Christus vt homo, est potens causare gratiam, & facere alia miracula quoties voluerit, ergo, &c. Maior communiter asseritur à Doctoribus; in illo enim modo maxime commendatur excellentia Christi Domini super alios Sāctos, & insinuatur clarè, Marc. 1. *Si vis potes me mundare.* Maior probatur, quia propriū est habitualibus formis tātum, vti illis pro nostra volun-

Psl. 109.

Marc. 1.

voluntate; vndè communiter dicitur, quod habitibus vtimur cum volumus, ergo virtus permanens eo est necessaria in Sacerdotibus, vt possint, &c.

Secundo, non repugnat dari virtutem permanentem in instrumento, ergo licet Christus vt homo, tantum sit instrumentum poterit, &c. Consequentia patet, quia omnis perfectio possibilis attribuenda est animæ Christi Domini. Probatur antecedens tripliciter primo, semen habet virtutem permanentem ad generationem viuentis, ergo. Secundo, Cœli, & Stellæ habent istam virtutem permanentem à principio, vsque ad finem mundi ad generationem viuentium, & tamen talis virtus est instrumentalis tantum, quia cum Cœli non sint viuentes sunt imperfectiores viuentibus, & ita non possunt principaliter, sed instrumentaliter illa generare, ergo. Tertio, iustitia originalis est virtus de se permanens, & tamen est potens de se facere miracula saltim instrumentaliter, ergo. Maior patet, quia vt disputatur à Caietano 1. part. quæstion. 97. art. 1. & 4. Illa virtus est ipse habitus gratiæ, cum quadam virtute concomitante illam. Minor verò probatur, quia miraculum videtur esse conseruare perpetuo, sine corruptione corruptibile corpus viatoris, & appetitum sensitiuum de se repugnante rationi, subdere illi, ne aliquādo exorbitet, sed iustitia originalis hęc faciebat, ergo. Maior probatur, quia illa sunt supra communem cursum naturæ, secundum quam naturale, est aliquando corpus nostrum corrumpi, & appetitum sensitiuum aliquando rationi obstare, ergo impedire hæc, est miraculum. Quarto, anima Christi, habuit plenitudinem scientiæ ad illuminandum homines, vt docet D. Thomas in præsenti, ergo habuit virtutem ad miracula habitualem, probatur consequentia, quia maius quid est donum scientiæ, quam donum miraculorum, ergo, &c.

In hac difficultate explicanda variè procedunt Doctores quidam, namque asserunt in Christo Domino non fuisse talem virtutem instrumentalem permanentem, & habitualem, quia iudicant id esse impossibile, & contra rationem virtutis instrumentariæ, quam docet Diuus Thom. 3. part. quæstion. 63. articul. 2. in corpore, esse aliquid fluens, & incompletum, & in alis locis docet esse motionem, secundum quam mouetur agens inferius à superiori respectu effectus excedentis, quod clarè insinuat 2. 2. quæstion. 178. articul. 1. ad primum, vbi negat instrumentis qualitatem habitualem, quæ sit principium respectu miraculorum. Et posteà subdit, quod tunc contingit hominem instrumentaliter operari miraculum, quando mouetur à Deo ad aliquid faciendum, ad quod sequitur effectus miraculi. Alij putant in Christo non fuisse talem virtutem, non quia impossibile sit communicari à Deo talem virtutem, neque quia illam sic habere est contra rationem instrumenti, sed quia non decuit Christum Dominum habere similem qualitatem.

Pro resolutione dico primo. Impossibile est dari qualitatem permanentem, quæ sit completum principium respectu miraculorum, & quod aliàs sit virtus instrumentalis. Aduertendum pro conclusionis intelligentia, quod in illa non intendo statuere, & probare non posse dare virtutem creatam, quæ sit principium principale miraculi alicuius, aut omnium miraculorum, quia non pertinet ad præsentem disputationem id tractare, proprius enim locus talis dubij est citatus supra ex 2. 2. D. Thom. & 1. part. quæst. 110. artic. 2. in hac parte, quæstion. 43. artic. 2. de potentia, quæstion. 6. artic. 4. Sed intentum nostrum est probare talem virtutem permanentem dummodo sit cōpleta virtus respectu alicuius miraculi, non posse esse virtutem instrumentariam. Et probatur primo, au-

thoritate D. Thom. vbi supra quæstion. 63. 3. part. vbi ait. Virtutem instrumenti esse aliquid incompletum aliquid fluens, ergo contra rationem virtutis instrumentalis est, quod sit principium perfectum, & completum habēs esse permanenter in subiecto. Præterea Doctor Sanctus docet ibi characterem, quia est virtus instrumentalis, non esse perse in aliquo genere, sed reduci ad secundam speciem qualitatis. Et rationem huius assignat Doctor Sanctus, quia virtus instrumentalis, quæ est in Sacramentis non est perse in aliquo genere, sed per reductionem, eo quod est aliquid fluens, & incompletum, sed si talis virtus miraculorum esset principium completum, esset perse ingenere qualitatis, & non per reductionem, ergo non esset virtus instrumentalis, ac per consequens illa non est producibilis. Idem potest confirmari ex quæstio. 62. art. 4. huius partis. Vbi solutione ad primum statuit Doctor Sanctus, tanquã certum, virtutem instrumentalem causatricem gratiæ posse in Sacramentis corporeis subiectari, licet illa sit spiritualis, quia est in illis transeunter, & nõ permanenter. In qua doctrina videtur supponere D. Thom. de ratione virtutis instrumentalis esse, quod habeat esse diminutum, & incompletum, vtpotè esse fluens, & non permanens in re, quę constituitur per ipsam complete, & vltimate, in ratione instrumenti respectu effectus proportionati cum principali agente, & ex hoc principio præsuppositio, infert D. Thom. quod virtus instrumentalis, per quam Sacramenta constituuntur vltimate in ratione instrumentorum Dei respectu gratię esse in illis intentionaliter, & transeunter, nisi enim hæc doctrina ex prædicto principio colligeretur, non posset assignari ratio eius; & sic non optimè solueretur, illud argumentum primum, quod procedit ad probandum, non posse talem virtutem subiectari in Sacramento corporeo: si enim virtus instrumentaria cõpleta in tali ratione potest esse aliquid permanens in subiecto constituto per ipsam in ratione instrumenti, non est cur dicatur talem virtutem esse transeunter, & non permanenter in Sacramentis.

Vltimo confirmatur, hoc ex Doctore Sancto, qui in solutione ad secũdum art. modo citati, virtutem instrumentalem comparat motui, & docet, quod sicut motus, eo quod est actus imperfectus non est propriè in aliquo genere, sed reducitur ad genus actus perfecti: ita virtus instrumentalis, non est propriè in aliquo genere, sed reducitur ad genus, & speciem virtutis perfectæ, ergo de ratione virtutis instrumentalis est, quod non sit qualitas perfecta, & completa habens permanẽtiam in subiecto. Colligitur ergo, ex omnibus istis locis nostram conclusionem esse multo conformem doctrinæ D. Thomæ, quam modo licet probare aliquibus rationibus. Prima sit desumpta, ex modo dictis. Cõtra rationem virtutis instrumentalis est, quod sit perse in aliquo genere, ergo non est dabilis qualitas perfecta permanenter habens esse in subiecto, quæ sit virtus instrumentalis, antecedens est notum in doctrina tradita ex D. Thom. consequentia verò euidẽter sequitur, quia tali virtute posita sequeretur poni perfecte, & propriè in genere qualitatis, & in aliqua specie eius, quia qualitas perfecta est, & sequeretur contradictorium eius, quia virtus instrumentalis est. Secunda, si hæc qualitas completa, & in esse, & in operari, cum sit completum principium operatiuum miraculorum est possibilis, illa non erit virtus instrumentalis, ergo ponere talem virtutem, vt instrumentalem est impossibile, consequentia patet, antecedens probatur, quidquid est completum principium secundum se alicuius effectus continet ipsum, vt virtus principalis, & non instrumentalis, sicut calor continet calorem passi, vt virtus principalis, quia secundum se, est virtus completa respectu illius, vnde subiectum in quo est constituit in ra-

tio-

tione agentis principalis, ergo si qualitas productiua miraculorum, est secundum se completum principium illorum erit virtus principalis, & consequenter constituit Humanitatem Christi in ratione causæ principalis, siquidē ponitur permanenter in ipsa.

Secunda conclusio. Non est impossibile Deum communicare hominibus virtutem instrumentalem permanentem ad patranda miracula aliqua, dummodo illa sit virtus incompleta; & imperfecta. Hæc conclusio patet, in Charactere Sacerdotali, vt probatum est, primo argumento dubij: est enim forma permanens, & virtus instrumentalis ad miraculum, quod fit in conuersione panis in Corpus Christi, quod consistit in hoc, quod Corpus Christi contineatur sub speciebus panis, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 8. ad 6. Ergo sicut Deus dat Sacerdotibus huiusmodi formam permanentem ad tale miraculum, poterit dare aliam similē ad aliud, aut ad alia miracula. Confirmatur, ideò Character Sacerdotalis, & potestas cōsecrandi datur ministris Ecclesiæ permanenter, quia rectè gubernationi Ecclesiæ expedit, vt illi exerceant actum talis potestatis, quotiescunque iudicauerint expedire, sed Deus potest instituere talem ordinem Ecclesiæ, vt eius rectè gubernationi cōueniat ministros illius operari aliquam sanitatem, aut aliud miraculum, quotiescunque iudicauerint expedire, ergo, &c.

Si opponas doctrinam D. Thom. vbi supra 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad primum, negātem qualitatem habitualem instrumentis Dei ad miracula patranda. Respondetur debere intelligi de qualitate, quæ sit principium completum miraculorum; non tamen de qualitate, quę sit principium incompletum egens motione Dei, vt agentis principalis ad hoc, vt compleatur in ratione principij operatiui miraculi: non enim hoc videtur contra rationem instrumēti, siquidem operatur, vt mouetur actualiter à superiori agente, ratione cuius motionis virtus anteà existens completur, adhuc in ratione virtutis instrumētariæ. Aliqui vt sapientissimus Herter. ait ibi D. Tho. loqui de qualitate factiua omniū miraculorū etiā circa inceptionem sui ipsius, vel de nouo, vel per conuersionem sui in alteram rem, & circa subiecta, quę tempore præcesserunt, vel postea subsequenda sunt: hæc enim virtus est impossibilis, quia omnia hęc respicere vt effectus, exuperat omnem perfectionem virtutis finitæ, arguitque infinitatem in principio; nō tamen videtur repugnare dari qualitatem, quę deferat imperium Dei ad omne subiectum, miraculosè transmutabile, & simul coexistens, cum re instrumentaliter operante.

Tertia conclusio. Humanitas Christi non habuit vnam virtutem permanentem, per quam causaret omnia miracula. Probatur, nam aliqua miracula fecit per gratiam sanitatum, & alia per operationem virtutum, alia vt miraculosam conuersionem Pauli, & Mariæ Magdalenę, per gratiā capitalē, & per scientiā suā supernaturalē forte cōmunicauit instrumētaliter Apostolis scientiā, sed istę non sunt vna qualitas, ergo. Secūdo, Christus fecit miracula, per vocem, per tactum suæ carnis, & suorum vestimentorum, sed vna qualitas permanens non potest esse in istis diuersis subiectis ergo. Eadē ratione probatur, non esse eandem virtutem actualem in diuersis subiectis. Tertio probatur, qualitas permanens quæ sit principium completum miraculorum nō est possibilis, vt probatum est conclusione prima. Qualitas incompleta imperfecta est, egens actuali virtute Dei, vt producat miracula, ergo non est ponenda in Christi Humanitate. Probatur consequentia, tùm quia nihil imperfectum ponendum est in Christo; tùm etiam, quia talis virtus non est necessaria ad miracula patranda, etiam perfectiori modo, quam alij Sancti, ergo superfluè poneretur in Christo Domino. Cum ergo in illo non sit constituendum aliquid

quid superfluum, totaliter excludenda est talis virtus permanens ab illo.

Vltima conclusio. Virtus miraculorum factiua fuit in Christo vt homine per manenter, & per modū habitus. Volo dicere, quod licet hęc virtus fuerit actualis, & non habitualis, tamen habebat in anima Christi modum habitus, quia propter excellentiam, quam habebat ex vi vnionis ad Verbum in ratione instrumenti coniuncti diuinitatis vtebatur tali virtute quando volebat, & in hoc sita est eius excellentia, & perfectio maior super alios Sanctos, qui non sic poterant edere miracula, nā non semper, quod volebant habebant paratum concursum Dei necessarium ad miracula facienda, sicut habebat Christus vt homo, sic explicant communiter sapientissimi Thomistæ, hanc conclusionem, vt videre est in Medina in hoc articulo, Cabrer. & Suar. in pręsenti, & etiam sectione. 2. Probatur, hoc supposito conclusio, proprium habitus est, quod illo vtamur, cum volumus, ergo si Christus poterat, vti ista virtute semper quod volebat habuit illam per modum habitus.

Ad argumenta respondetur. Ad primum concessa maiori, & minori iuxta sensum explicatum in secunda conclusione nostra. Et negatur consequentia, ratio est, quia Christus vt homo perfectiori modo operatur, quam Sacerdotes noue legis effectus miraculosos cōuersionis, & gratiam per virtutē actualem communicatam ei per modum habitus modo explicato in vltima conclusione, quam per Characterem, & aliam virtutem superadditam, siquidem taliter operari, arguit in Christo vt homine potestatem excellentiæ, operari autem per Characterem, & aliam virtutē superadditam imperfectam, & incompletam, quia completa non est possibilis, vt probatum est circa primam conclusionem, arguit potestatem ministerialem, hæc autem imperfectior est illa, quia deriuata â potestate excellentiæ Humanitatis Christi. Nec obstat Sacerdotium Christi in ęternum manere, quia sic dicitur manere, eo quod potestas excellentię eius manet in ęternum, cum conueniat Christo Domino ratione vnionis suæ sanctissimæ Humanitatis ad Verbum, quæ vnio est æterna à parte post, & isti vnioni, & dignitati debetur iure decentiæ collatio virtutis actualis instrumentalis quandocunque voluerit. Ad confirmationem respondetur, admissa maiori, & minori negatur consequentia, quia vt Christus quando voluerit operetur conuersionem miraculosam, & alia huius generis non eget tali virtute permanēte, vt dictum est, sed hoc ipsi conuenit ratione excellentioris principij.

Ad secundum. Ex nostris conclusionibus patet, quid dicendum sit: respondetur enim, quod si talis virtus sit completum principium ad miracula facienda repugnat, quod sit instrumentalis: si autem sit incompleta, non repugnat cō municari, saltim ad faciendum vnum, aut alterum miraculum alicuius speciei determinatæ: cæterum non decet talem virtutem communicatam fuisse Christo Domino, quia maiorem perfectionem importat operari modo explicato, & etiam propter rationes factas in tertia conclusione. Ad probationem antecedentis: Ad primum respōdetur, ex doctrina D. Thom. 1. part. quæst. 118. art. 1. ad 3. & de Malo quæst. 4. art. 1. ad 16. Quod semen non habet virtutem permanentem ad generationem viuētis, sed transeuntem in quantum est in eo quædam motio, & intentio animæ generantis, sicut in securi, & in serra, nō est forma lecti, sed motio quędam ad talem formam, quod autem talis virtus multum duret in semine, nonconuincit illam de se permanentem esse, nam auxilium Dei efficax ad operandum semper de se est actuale, & transiens; & tamen aliquando durat in æternum, vt patet in illo, quod in patria confertur Beatis, ad visionem Beatificam. Ratio huius est, quia de se solum durat, quātum durat actio pro qua cōfertur; actio autē

cum

cum de se non sit habitus, sed dispositio de se non est permanens, sed transiens; & ideò auxilium, quod confertur, vt actio de facto producatur, non est de se permanens, sed transiens. Similiter in nostro proposito, vis actualis instrumentalis, vltimatè constituës instrumentum in ratione agentis, solum datur ad eliciendam actionem, quam & eius effectum continet, vt instrumentum; & ideò solum durat secundum se, quantum durat actio, vndè quamuis ex aliquo accidēti duret multo tempore, non sequitur ex hoc esse virtutem, ex sua natura permanentē, sed transeūtem ad modum motus. Eodem modo dicendum est, virtutē quā habent Cœli, & Stellæ ad generationem viuentium secundum se transeūtem esse, vtpotè motionem à superiori agente, per accidensque contingere durare multo tempore, ex suaui Dei dispositione, sic disponentis talem motionem semper communicari, seu cōseruari, quia sic expedit propter conseruationem rerum.

Ad tertiam probationem respondetur. Quod iustitiam originalē modo conferri alicui cū omni sua virtute in ordine ad animā, & corpus, quatenus posset corpus corruptibile perpetuo, sine corruptione conseruare, & alia in argumento posita facere esse miraculū, quia est prętер communē legē decretam à Deo pro isto statu, & prætер virtutem principalem donorum, quæ communiter conferuntur in illo, & ita si totum hoc consideretur, vt vnum videlicet, quod conferatur talis iustitia, & per illam conseruetur corpus appetitusque subdatur rationi id erit miraculum. Si tamen hæc considerentur, vt distincta, in ratione causæ, & effectus, miraculum erit infundere qualitatem iustitiæ originalis, non verò erit miraculum, quod illa infussa prædicti sequantur effectus, quia illi connaturaliter consequuntur illam, vt causam principalem: Si verò loquamur in statu innocentię, non erat miraculum infundere talem qualitatem, quia communicatio illius doni non erat prætер communem legem talis status.

Al vltimum argumentum concesso antecedenti negatur consequentia, ad probationem transeat antecedens, & nego consequentiam. Ratio est quia plenitudo scientiæ pertinebat ad perfectionem Christi secundū proprium statum, secundum quem erat caput, & Doctor omnium hominum. At vero qualitas habitualis faciendi miracula, non pertinebat ad proprium statum, quia sine illa modo explicato poterat facere signa, & miracula perfectissimo modo. Secundo, potest dici rationem disparitatis esse, quod scientia habitualis etiam perfectissima, est cōmunicabilis ex propria ratione, quia secundum se est habitus, & forte idem erit de lumine Prophetico: at virtus completa instrumentalis ad miracula ex propria ratione est actualis; vnde non potest communicari virtus, quæ sit habitus, seu qualitas permanens. Hęc de hoc dubio.

QVARTA DVBITATIO EST.

Vtrùm hæc virtus instrumentalis sit aliqua potentia obedientialis activa innata, & congenita à principio, cum ipsa Humanitate Christi Domini.

IN hac dubitatione Frāciscus Suarius 3. part. q. 13. disp. 31. sect. 5. §. *Dicendum ergo videtur*, qui dicit duo. Primum est contra sentias relatas Thomistarum ponentium aliquid intrinsecū in Humanitate Christi, quòd sit illi virtus instrumētalis ad miracula facienda. Contra hanc veritatem apud omnes receptā asserit, talem virtutem non esse rem, vel entitatem aliquam, aut intrinsecum modum Humanitati additum illique inhærentem, putatque sufficiēter id se probasse impugnando tales sententias, de quibus in altera disputatione redibit oportunus *Franc. Suar.*

tunus sermo. Secundum dictum eius est, hanc virtutem instrumentalem esse potentiam obedientialem actiuam, in omnibus rebus existentem, per quã efficere possunt supernaturalia opera, vt instrumenta Dei ipso concurrente per auxilium, vel concursum proportionatum effectui, & excedens cõcursum debitum naturali virtuti creaturæ.

Hunc modum dicendi probat, primo authoritate D. Thom. in 4. distin. 8. quæst. 2. art. 3. ad 4. vbi sic ait. *Sicut creaturæ inest obedientiæ potentia, vt in ea fiat quidquid creator disposuerit, ita etiam vt ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.* Citat pro hac sententia etiam Caietanum infra quæst. 78. art. 4. similiter Alensem, 4. part. quæst. 34. memb. 5. art. 2. vbi soluens, quoddã argumentum, ait creaturam posse facere id, quod est supra communem naturam si adiuuetur à virtute increata: citat etiam (sect. 6. quę habetur in impressione Salmantina) Augustinũ qui lib. 7. de Trinitate c. 17. docet res naturales habere virtutem innatam, vt faciant quidquid Deus voluerit, vt quòd lignum aridum repente floreat, & fructus producat, vel quod asina loquatur, sed hęc pertinent ad potentiã actiuam non naturalem, ergo obedientialem. Adducit etiam in suum fauorem, Bonauent. in 4. distin. 10. art. 2. quæst. 2. ad 2. vbi ait in creatura fuisse potentiam obedientialem ad conceptionem Christi, & transubstantiationem panis in corpus Christi. Secundo probatur, rationibus eiusdem, sect. 5. supr. citata. Prima omnium est, quia nullam inuoluit repugnantiam talem potentiã obedientialem ponere, & illa posita, facile soluuntur difficultates, quæ in hac parte ocurrunt, ergo, &c. Tertio, Humanitas Christi est creatura, & consequẽter participatio primi entis, ergo non mirum est, quod sit in potentia obediẽtiali actiua, ad agendum omne id, ad quod fuerit per diuinam potẽtiam applicata. Quarto, in omibus creaturis datur potentia obedientialis passiua, vt in eis, vel ex eis faciat Deus quidquid non repugnat, ergo dabitur etiam potentia obedientialis actiua ad agendũ, quidquid non repugnat fieri mediante concursu primi entis. Probatur consequentia, quia posita tali potentia obedientiali actiua perfectius creatura subijcitur Deo, & ipsi subordinatur, cũ subordinetur non tantum ad recipiendum, sed etiam ad operandum, & præterea probatur eadem consequentia, quia cuilibet potentiæ passiuæ correspondet aliqua potentia actiua, vt Arist. 5. Metaphysicæ ait, ergo potẽtiæ passiuæ obedientiali correspondet actiua obedientialis. Quinto, vnum corpus licet sua quantitate non possit, nisi vnũ locum replere per potentiam Dei potest replere duo loca, nulla sibi addita quantitate. Similiter duo corpora licet secundum se non possint esse in eodem loco, Deus tamen potest facere, quod sint in vno loco tantum simul, non mutatis eorũ quãtitatibus, vel alia eorum dispositione. Similiter licet anima non possit sua natura, nisi corpus tãtę quãtitatis informare, facere potest Deus, vt det vitã corpori maioris quãtitatis. Et similiter, quod vna albedo informet simul duo subiecta, sed omnia hæc possunt contingere propter obedientialẽ potentiam existentem in huiusmodi rebus, ergo est in illis potentia obediẽtialis, vt operentur vltra naturæ termi nos: non enim videtur ratio propter quam sit vna, & non alia potentia. Sexto, intellectus, & voluntas eliciunt actus supernaturales videndi, & amandi Deum per hanc potentiam obedientialem actiuam ergo, antecedens probatur, quia tales actus eliciunt non vt potentiæ naturales: nam sic sunt improportionatæ ad eorum productionem, & non sufficiunt habitus supernaturales, ergo. Probatur minor, quia omnis habitus supponit potentiam proportionatam ad talem operationem, cum ad ipsam vtrumque sit necessarium, & potentia, & habitus perficiens potẽtiam, sed

D. Tho.

sed habitus supernaturalis non supponit in huiusmodi potentijs potentiam supernaturalem, quia illa est impossibilis, ergo supponunt tantum potentiam obedientialem actiuam. Confirmatur, quia multoties tales potentię eliciunt actus supernaturales, sine habitibus cum solo auxilio diuino, quod ipse ait supponere, ex materia de gratia, ita esse. Et iuxta suam sententiam tale auxiliū non est intrinsecū in potē. tia, ergo pręcisse id fit ex virtute obetiali actiua. Septimo, in multis rebus naturalibus damus virtutem innatam, perquam sine additione nouę entitatis operantur effectus excedentes suam virtutem naturalem, pr ecisè quia subordinantur essentialiter causæ principali talium effectuum, ergo à fortiori admittenda est in rebus creatis virtus innata obedientialis, per quā effectus operentur supernaturales, sine additione nouæ entitatis, ex hoc, quod subordinanturprimæ ca usæ, antecedens probatur in exemplo caloris, quod ipse Suarius ponit, calor, & virtus, ignis, & instrumentum eius ad producendum formam ignis ex hoc solum, quod est eius facultas connaturalis, & tamen hoc non addit aliquam perfectionem, neque immutat propriam quam habet, aut auget, ergo ex sola subordinatione ad Deum, vt crea tura eius poterit Humanitas esse instrumentum Dei ad miracula facienda sine additione alicuius entitatis, quatenus illi per hanc potentiam innatam subordinata est, & per concursum proportionatū ad has actiones ele uatur. Idem argumentū potest fieri de calore, quatenus est productiuus carnis, vel lactis, quod non habet ex natura sua, sed quatenus subordinatur formę animalis, vel fœminę, idē patet in aqua maris, quæ ex sua natura specificanon h abet, nisi vnum motum na turalem ad suum centrum, & tamen vt subordinatur lunę, sine additione nouæ entitatis habet fluxum, & reflu xum, & vt subordinatur ordini vniuersi, habet ascendere ne detur vacuum. Consequentia verò argumenti sic pro batur, in forma, maiorem subordinationem habet creatura ad Deum, & maiorem inclinationem ad obediendum ei in omnibus, quam sit inqualibet re, respectu cuiuslibet causę creatæ, cui de se subordinatur, ergo omnem vim, quam ponimus in qualibet re ad cooperandum suę causæ principali ex subordinatione ad illam, omnem talem à fortiori debemus ponere in creatura respectu Dei.

Tertiodicit in solutione primi dubij, hanc potentiā obedientialem, non esse aliquid à rebus distinctum, sed in vna quaque re creata ipsammet entitatem perse ipsam esse hanc virtutem actiuam; vndè postea in section. 6. addita primę editioni, in solutione ad secundum ait se explicans, talem potentiam nullo modo distingui, nec realiter, nec formaliter ab eadem entitate rei, sed esse de conceptucuiuslibet entis creati, & conuenit illi ex vi suę primæ productionis, non minus, quam in conceptu creatoris, vt sic clauditur, quod habeat plenum, & supremū dominium suę creaturæ. Probat hoc primo, quia creatura, eo ipso, quod creatur à Deo per suam entitatem, secluſa omni alia entitate, formalitate, sed modo, est omnino subiecta Deo, & potest illi obedire, ad agendum, & cooperandum illi in omnibus effectibus miraculosis, ergo potentia hęc non est aliquid superadditum, imò tale superadditum superfluum videtur, siquidē res habet illam habitudinem perse ipsam, antecedens probatur, quia creatura, si præcisè consideretur secūdum illud esse, quod habet ex vi suæ creationis essentialiter includit illam subiectionem ad Deum, ergo. Secundo probatur, quia aliàs creatura non per se ipsam immediate subderetur Deo, sed mediante illa entitate superaddita, vel formalitate, consequens est falsum, quia talis subiectio est de essentia creaturæ, vt probatur ratione præcedenti,

denti ergo, videtur etiam id falsum, quia intellectus, & voluntas, per suas entitates, & realitates concurrunt ad eliciendos actus supernaturales, & obediunt Deo, ergo. Tertio, potentia obedientialis passiua nihil addit supra creaturam, ergo. Probatur antecedēs, nā anima rationalis perse ipsam est capax gratię, & recipit ipsam, sicut intellectus, & volūtas, sine aliquo superaddito ad recipiunt formas supernaturales Fidei, & charitatis ad quas tantum sunt in potentia obedientiali passiua. Vltimo, virtus qua mediante essentia rei producit suas passiones, est ipsa quiddi tas rei, sine aliquo superaddito, ergo idem erit in potentia ista actiua, ita quod sicut calor est perse ipsum virtus ad agendum, ita perse est virtus obedientialis ad operandum in spiritum.

Quarto dicit in fine sect. 5. solutione ad obiectionem, quod ista potentia est tantum remota, & non constituit rem, simpliciter potentem ad operandum, sed solum capacem, vt eleuari possit à Deo ad huiusmodi operandi modum. Vndè consequenter in sect. 6. addita, solutione ad secundum in probatione suæ doctrinę docet, istā potentiam non ordinari primo, & per se ad agendum, atque ita non accipere speciem suam à suo effectu, & actu. Primam partem huius dicti probat primo, quia concursus necessarius ei ad operandum, non est isti potentiæ debitus, nec connaturalis, ergo non denominat, simpliciter rem potentem, hęc consequentia, ab ipso non probatur. Potest tamen sic probari, vt potentia actiua denominet suum subiectum simpliciter potens operari, requiritur quod concursus ei necessarius ad operandum sit ipsi debitus, & connaturalis, sed potentiæ obedientiali, non est debitus concursus necessarius ad operandum ergo, maior explicatur, quia concursus Dei est necessarius causæ secundæ, vt operetur; ideò causa quæ nōhabet illum connaturaliter debitū, non dicitur absolute potens operari, ergo, &c. Patet antecedens, in Angelis, & Cœlis, qui post diem iudicij remanebunt, cum potentia naturali, quā modo habent ad operandum generationem corruptibilium, siquidem talis potentia est naturalis passio eorū, quæ proinde post talem diem, non auferetur ab eis; & tamen tunc non dicentur absolute potentes generare, quia secundum legem illius status non habent paratum concursum connaturalem Dei ad operandum, ergo. Minor verò probatur, quia si talis potentia obedientialis actiua haberet connaturaliter debitum concursum Dei necessarium ad suas operationes, non minus censeretur potentia connaturalis respectu sui effectus, quam cæteræ causæ principales, seū instrumentales vtriusque ordinis naturæ, & gratię, quæ dicuntur causæ connaturales suorum effectuum, quia operantur illos cum concursu, sibi connaturaliter debito. Secundo probatur ab ipso, quia potentia obedientialis passiua, nō denominat rem absolute, ergo. Probatur antecedens, nam materia cœli habet potentiam, vt separetur à sua forma, & sic cœlum habet potentiam, vt desinat esse in ordine ad Deum, similiter etiam Angeli. Idem dici potest de potentia, quam habent formę, vt informent plures materias in sua opinione, & tamen ab his potentijs obedientialibus, neque Angeli, neque cœli dicuntur simpliciter corruptibiles, nec formæ simpliciter dicuntur informatiuæ plurium materiarum, ergo eodem modo, quia potentia obedientialis actiua est in ordine ad Deum, non denominabit simpliciter, & absolutè rem potentem operari. Secundam partem probat loco citato, quia quandocunque potentia actiua, non est, quid distinctum ab entitate, & essentia rei, non ordinatur perse primo ad agendum, sed ad esse, & concomitanter talis entitas existit principium operandi. Sed sic est potentia obedientialis actiua ergo, maior probatur exemplis:

nam

nam forma substantialis nõ est potentia perse primo ordinata, ad productionem suarum passionum, quia talis potentia, quam habet est ipsamet quidditas rei, quæ licet perse primo ordinetur ad esse concomitanter ordinatur, ad productionem suarum passionum, sed idem contingit in ista potentia, vt explicatum est, ergo, &c.

Quinto dicit in sectione sexta, §. *Titulo impugnatur præcedens sententia*, & in solutione ad tertium, quod prædicta potentia constituitur in esse actualis agentis, per concursum extrinsecum Dei, nõ in ipsam potentiam, sed in subiectum, seù effectum, vndè nihil intrinsecum ponit in re, per quod compleatur eius actiuitas obedientialis. Probatur ab ipso id esse possibile, quia quando in re supponitur aliqua vis actiua, potest constitui in actu primo completo ad operandum, per aliquod principium extrinsecè illi assistens, sed in potentia obedientiali actiua supponitur vis actiua de se effectus, ergo potest compleri, &c. Maiorem declarat, & probat hoc exemplo, nam intellectus Beati potest actualiter constitui in ratione videntis actualiter Deum, per essentiam diuinam ei extrinsecus assistentem in ratione speciei intelligibilis, & hoc ideò est, quia per propriam entitatem habet vim actiuam respectu talis actus, ergo idem potest dici de qualibet potentia obedientiali actiua, siquidem est eadem ratio.

Secundo potest id probari, concursus Dei in effectum tantum de se est sufficiens ad quodlibet miraculum excedens naturalem ordinem, & creatura per potentiam obedientialem habet actiuitatem respectu illius, ergo sufficit rei assistentia extrinseca talis concursus, vt actualiter denominetur, & sit causa producens talem effectum.

Vltimo, in solutione ad quintum argumentum in fine dicit, quod in vna quaque re ista potentia obedientialis, tantum est vna secundum rem, quamuis secundum rationem, & secundum conceptus nostros in adæquatos, potest multiplex distingui in ordine ad varios effectus.

In vltima parte solutionis docet, quod in diuersis creaturis, siue instrumentis hæc potentia est diuersa realiter, tamen secundum rationem potest dici eadem. Prima pars huius dicti probatur sic: nam iuxta dicta potentia ista realiter identificatur, cum re, & non addit ei nouum modum, neque nouam speciem ergo, neque interse distingui possunt tales potentiæ. Consequentia potest illo principio probari, quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem interse.

Secundo probatur, quia calor vt instrumentum cum forma ignis ad generandum ignem, & cum forma aeris ad generandum aerem, & sic de alijs, non dicit aliquam distinctionem realem, sed tantum rationis, quia hęc omnia non adduntipsi, aliquem modum, seù speciem, sed conueniunt ipsi ex vi suæ entitatis, & essentiæ; vndè solum per nostrum intellectum partitur eius vis, & actiuitas, per ordinem ad diuersos effectus, ergo idem erit in præsenti.

Secunda pars huius dicti probatur, primo quoad primam partem, quia res ipsæ, cum quibus identificantur distinguuntur realiter, ergo & ipsæ potentiæ. Secundum verò probat sic, quia omnes potentiæ obedientiales actiuę conueniunt rebus sub eadem ratione in quantum, videlicet eo, quod entia creata sunt respiciunt omnipotentiam Dei, cui plenè, & totaliter subijciuntur, vt proprio authori in omnibus, quæ non repugnant fieri.

Secunda sententia negatiua, est communis inter discipulos D. Thom. & etiam multi ex alieno instituto eam tuentur. Sapientissimus Zu-

mel 1.2.quęstion.112.articul.1. disputatione tertia, satis diffusè, & eruditè eam docet oppositamque impugnat. Vincentius, libr. de gratia Christi, quæstion. 6. pagin. 794. vsque ad paginam 788. docet eandem sententiam acriter impugnans oppositam, & pagina vltim. cit. ait, quod si defenderet, talem potentiam obedientialem actiuam ad prædictos effectus supernaturales putaret se, Pelagiano errori plusquam par est fauere. Gabriel Vazquez eidem sententiæ fauet, 1. part. disputation. 176. capit. 4. Enriquez lib. 1. de Sacramētis cap. 18. §. 3. Magister Cabrera, quamuis videatur ponere talem potentiam actiuam, 3. part. quæstion. 1. artic. 1. disputat. 6. dub. 6. §. 3. & 4. & quæstion. 13. artic. 2. disputation. 4. §. 7. Tamen si attente legatur idem docet, quod Magister Zumel, loco citat. conclusione 7.

Vndè meo iudicio, non ponit potētiā obedientialem, quę propriè sit actiua respectu effectuum ordinis supernaturalis, & præternaturalis: nam ipse solum vocat potentiam obedientialem actiuam capacitatem, quam habet quælibet creatura in ordine ad Dei omnipotentiam ad agendum effectus superiores se, mediante virtute superiori, sibi communicata à Deo ad tales effectus, & expræsse asserit omnem actiuitatem prouenire rei à virtute superiori sibi intrinsecè inhærenti, & antecedenter ad talem virtutē excludit, quamlibet vim actiuam, etiam in completam à rebus creatis in ordine ad effectus miraculosos, & hoc idem docet Zumel vocans talem potentiam non propriè actiuam, sed passiuam: hanc autem potentiam passiuam obedientialem omnes admittunt (solo excepto Scoto) tanquam conformem doctrinæ Diui Thom. qui illam docet esse in omni creatura, sed præcipuè colligitur ex duobus locis in hac 3. part. primus est ex quæstion. 1. art. 3. ad tertium, vbi condistinguit duplicem capatitatem in humana natura, alterā secundum ordinem potentiæ naturalis, alteram secundum ordinem diuinæ potentiæ, cui omnis creatura obedit ad nutum, vndè hæc capacitas in creatura, nihil aliud est, quam potentia obedientialis passiua, secundumquam subditur quęlibet creatura suo authori, vt in ea faciat non solum, quod facit de facto, sed quod ipse voluerit.

Secundus locus est ex quæstion. 4. artic. 1. vbi constituit quamlibet naturam esse assumptibilem à Deo in vnitatem personę diuinę, non per naturalem potentiam, vndè relinquitur, quod sit assumptibilis per potentiam obedientialem: non enim datur potentia media inter naturalem, & supernaturalem superadditam rebus ipsis à Deo agente supernaturali communicatam, nisi obedientialis, quę licet ex parte subiecti, semper sit naturalis; vtpotè idem entitatiue cum re naturali, tamen formaliter, & ex parte obiecti est supernaturalis, quia inspicit Deum vt agentem, prętер & supra ordinem naturalem, restat ergo disidium inter Thomistas, & Franciscum Suarium circa id, quod nouiter dicit de potentia obedientiali actiua, quam ipsi sibi confinxit sit pro resolutione.

Prima conclusio, nulla datur in rebus potentia obedientialis actiua habens vim actiuam respectu effectuum excedentium ordinem naturæ. Probatur primo, quia principium faciendi miracula sunt gratiæ gratis datæ, quæ primæ Corinthior. capit. 12. vocantur operatio virtutum, vel gratia sanitatum, sed istæ gratiæ, non sunt potentiæ innatæ rebus omnibus, sed tribuuntur hominibus ex speciali dono Dei, & non omnibus, sed aliquibus, iuxta quod scriptum est. *Vnicuique datur, &c. Alij gratia sanitatum, in vno spiritu alij operatio virtutum, &c.* 1. Cor. 12 ergo. Secundo, vel ista potentia

obedien-

obedientialis actiua est naturalis, vel supernaturalis, quatenus formaliter est actiua, si est naturalis, ergo totaliter improportionata effectui, & sic impertinenter, & frustra ponitur, siquidem nihil confert ad operationem excedentem totum ordinem naturæ, qualis est operatio gratiæ, & cuiuscunque miraculi. Si verò est supernaturalis, ergo fatendum est necessario, quod in re naturali producitur vis, & potentia supernaturalis ab authore naturæ, & quod à principijs naturalibus rei prouenit talis actiuitas, consequens est falsum, ergo. Consequentia est euidens, maximè in opinione Suarij, ponentis ens creatum naturale esse, per suam essentiam potentiam obedientialem actiuam, quod autem consequens sit falsum patet, quia Deus vt author naturæ distinguitur à se ipso, vt author supernaturalis vndè primo modo solum producit entia, & perfectiones ordinis naturalis, posteriori verò modo solum entia supernaturalia, & ab istis effectibus prouenit ipsi talis denominatio, similiter à principijs naturæ, non potest talis actiuitas prouenire, aliàs natura daret virtutem supra se ipsam, & virtus ab illa procedens esset superior ipsa, quæ omnia absurda videntur.

Sed dices cum Suario, hanc potentiam in rebus naturalibus esse naturalem entitate, & secundum rem, quia nullo modo distinguitur ab ipsa; at verò quoad munus potentiæ, & modum operandi non esse, nec dici propriè naturalem, quia non agit cum concursu naturali, & sibi debito, sed concursu extraordinario, & supernaturali Dei.

Sed contra est argumentum. Vel ille concursus, seù auxilium Dei confert prædictæ potentiæ totam vim actiuam, quam habet ad effectus supernaturales, vel confert vim partialem præsupponentè in ea aliam partem virtutis, vel tandem nullam actiuitatem ei confert, sed solum applicat vim præsupositam ad operandum, vel concomitanter se habet, sed nihil horum potest defendi in ista sententia, ergo. Probatur minor, quo ad primam, & secundam partem. Primo, quia ille concursus, vt sentit ipse Suarius (vbi supr. solution. ad quintum, & tit. impugnatur præcedens sententia) non est intrinsecus potentiæ, sed in effectum transit, ergo nullam actiuitatem ei confert, nec totalem, nec partialem, patet consequentia, quia nihil potest conferre actiuitatem alicui subiecto, per quam constituatur in actu primo potens operari, nisi sit intrinsecè in ipso (vt ipse concedit) de forma, quæ totam actiuitatem confert subiecto, sed eadem ratione, id est verisimum de forma conferente vim in completam, per quam præexistens completur in ratione principij, nam si talis forma, non est aliquid intrinsecum in subiecto, ergo subiectum intrinsecè quantum ad suam propriam vim, eodem modo se habet, atquè anteà. Vndè, sicut anteà non erat completum principium operatiuum effectus, nec etiam postea posito auxilio extrinseco, ergo si potentia obedientialis, quam ponit iste Author, non erat sufficiens ad productionem miraculi, aut gratiæ, nec etiam posito auxilio extrinseco.

Prima pars minoris, non eget vlteriùs probatione, quia Suarez solum ponit ex potentia obedientialij, & cõcursu Dei fieri vnum completum principium operationis, & expræsse negat, tale auxilium conferre totam actiuitatem in quo consequẽter loquitur: nam si totam conferret non supponeretur aliqua actiuitas in rebus, & sic potentia obedientialis earum solum esset passiua, & non actiua. Secunda verò pars minoris probatur, & impugnatur hæc eius doctrina: nam si auxilium extrinsecum Dei complet potẽtiam istam actiuam, ergo aliquam acti-

titatem habet ipsa potentia antecedenter ad illud in ordine ad effectum miraculosum, & supernaturalem consequens est falsum: Tùm, quia talis actiuitas in re naturali, non potest esse supernaturalis, vt probatum est in secunda probatione: Tùm, quia si est naturalis non potest continere in se aliquo modo effectum superexcedentem totum ordinem agentis naturalis: causa enim non præhabet in se, nisi effectum æqualem in perfectione, vel inferiorem, sed actiuitas ordinis naturalis est inferior multo, ente, & effectu supernaturali, vel præternaturali, ergo hæc potentia est impossibilis.

Tertio, Suarez in sectione quinta, in principio multis contendit impossibilem fuisse in Humanitate Christi aliquam qualitatem permanentem, quæ esset causa instrumentalis producendi gratiam, vel faciendi miracula, & potissimè id probat hac ratione, nã vel talis qualitas ex natura sua faceret miracula, vel non, si non, ergo frustra poneretur, siquidem de illa est nobis quęrendum, quomodo eleuetur supra suam naturam ad agendum effectum supra, & præter naturalem. Si verò primum asseratur illud iudicat Suarez impossibile, quia videtur sibi excedere totam vim, & perfectionem accidentis creati: excedit enim illam habere vim connaturalem etiam instrumentalem ad omnes effectus possibiles fieri à Deo agente supra, & præternaturam, & ferè adæquari omnipotentiæ Dei: nam illa instrumentaliter potest facere ea omnia, quę Deus potest producere præter productionẽ sui, creationem, vel annihilationem. Tunc sic arguitur, ista ratio eandem vim, imò maiorem habet contra istam potentiam obedientialem innatam, & permanentem, siquidem ponitur virtus instrumentalis ad omnes effectus præternaturales, & supra naturales, imò creationis, & annihilationis: hoc autem clare videtur excedere omnem perfectionem entis creati, ergo talis potentia repugnat.

Dices cum Suarez in solutione octaui, actiuitatem illius potentiæ, non esse mensurandam iuxta perfectionem essentiæ illius, sed iuxta perfectionem omnipotentiæ Dei, cui deseruit; & ideò actiuitatem eius esse maiorem, quam sit perfectio essentiæ.

Sed contra hoc est, quia idem potest dici, de qualitate illa permanente, quod scilicet actiuitas eius non est mensuranda iuxta propriam perfectionem, sed iuxta omnipotentiam Dei, cui deseruit, & cui subordinatur: nam hoc non minus potest habere si sit qualitas superaddita, quam si sit innata, & congenita cum re, ergo si qualitas actiuua superaddita, nequit habere actiuitatem in ordine ad effectus præter, & supra naturales, repugnat etiam dari talem obedientialem potentiam actiuam.

Quarto probatur conclusio, si potentia ista obediẽtialis habet actitiuitatem, ad supernaturales effectus causandos, sequitur esse virtutem principalem actiuam, & non pure instrumentalem, consequens est falsum, ergo. Probatur sequela, actiuitas præexistens in potentia obedientiali, non est producta ab authore supernaturali, siquidem ante vertit omnem actionem agentis supernaturalis, & ex principijs naturæ oritur, ergo non potest deseruire Deo, vt agenti supernaturali. Quod consequens sit falsum, patet ex communi sententia Theologorum asserentium nullam creaturam posse esse causam principalem ad effectus supernaturales producendos.

Vltimo tandem probatur. Quia Augustinus lib. 2. de gratia Christi, & peccato originali, cap. 32. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis, capit. 5. Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 5. Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 4. Leo Papa epistol.

epistol. 4. cap. 6. & sermone 5. de Natiuitate, & alij plures Sancti docent, Baptismum, & alia Sacramenta habere supernaturalem vim sanctificandi animas, ex speciali donatione, & sanctificatione Spiritus Sancti, vel ex Baptismo Christi, quando sanctificauit illum, ergo virtus, quam habent ad causandam gratiam non est potentia obedientialis actiua, illis innata ab initio suæ productionis.

Dices cum Suario, quod ista gratia solum consistit in hoc, quod à Spiritu Sancto designentur Sacramenta ad causandos prædictos effectus, non communicando illis aliquam vim actiuam, sed vtendo ipsis secundum actiuitatem obedientialem, quam habent, id insinuat *titulo necessitas potentiæ obedientialis.*

Sed contra est, quia contrarium expresse asserunt Sancti, dum expresse docent collatam illis fuisse virtutem sanctificandi ex speciali dono Spiritus Sancti, &c. Singulariter autem Basilius loco citato ait, istam virtutem in Baptismo non prouenire ex natura aquæ, sed ex dono Spiritus Sancti immissam illi fuisse, & Cyrillus in eodem loco docet, prædictam virtutem fuisse supernaturalem, ergo non sola designatione extrinseca Sacramenta operantur gratiam, sed virtute intrinseca supernaturali ipsis communicata actualiter, & transeunter, vt docet Diuus Thom. in hac 3. part. quæstion. 62. articul. 4. in corpor. & ad primum. Concludimus ergo istam sententiam esse contra Sanctos Patres, & Theologos, & sic à veritate alienam, modicamque probabilitatem habere, nisi iuxta ipsam fingentem.

Secunda conclusio, si hæc potentia esset dabilis necessario esset distincta formaliter ab essentia cuiuscumque rei creatæ, hæc est contra tertium dictum Suarij. Probatur primo, ista potentia si daretur esset formaliter secundum suam essentiam supernaturalis, essentia omnium rerum substantialium in quibus ipsa reperitur est naturalis, ergo distinguitur formaliter ab eis. Consequentia patet, nam naturale, & supernaturale formaliter ad minus debent distingui. Maior probatur, ista potentia actiua obedientialis si daretur, non esset formaliter naturalis, ergo esset supernaturalis, consequentia patet, quia præter ordinem vnionis hypostaticæ, non datur alius ordo præter ordinem entis naturalis, & supernaturalis, sed potentia ista actiua obedientialis, non pertinet ad vnionem hypostaticam, ergo pertinet ad aliquem aliorum, probatur ergo antecedens, quod non sit naturalis: nam non respicit Deum, vt agentem naturaliter, sed supernaturaliter, & præter ordinem naturalem, similiter non respicit effectus naturales, sed super, & præternaturales, ergo non est naturalis formaliter talis potentia, antecedens est certum, quia respicit effectus supernaturales, & Deum vt agentem supernaturalem. Consequentia vero ex his euidenter infertur, nam potentia, vt potentia suam formalitatem sumit ab agente, quem respicit, & ab effectu, ergo potentia respiciens Deum, vt authorem supernaturalem, & effectus supernaturales, non naturalis, sed supernaturalis debet esse formaliter, vt potentia est.

Si dicas hanc. Potentiam esse formaliter ipsam essentiam rei, vndè non sumere speciē ab extrinsecis, quæ respicit, sed à forma rei. Contra est, quia vel hæc potentia habet rationem potentiæ actiuæ formaliter loquēdo, vel non, si secundum habemus intentum, si primum, ergo specificatur eo modo, quo est actiua ab effectu, & ab agente operante per talem potentiam, quatenus operante per ipsam, consequentia patet, quia specificatiuum potentiæ actiuæ in vniuersum est suus effectus, & agens cui deseruit secundum eam rationem secundum quam operatur per ipsam specialiter, si virtus instru-

mentaria sit; vt iste Author opinatur.

Hac ratione impugnata manet alia solutio, quæ ab ipso assignari potest, iuxta doctrinam suam in secunda probatione primæ conclusionis illatam, qui ait hanc potentiam formaliter, seu quoad munus potentiæ, quod idem est non esse propriè naturalem, sed obedientialem, manet inquam hoc iam impugnatū: nam probauimus, quod cum non sit, nisi triplex ordo rerum, iam assignatus ista ratio obedientiæ, debet sub aliquo illorum constitui, & non facere quartum à nullo admissum, & forte ipse Suarez non admittit. Præterea ratio facta probat necessario hāc, quam ipse potentiam obedientialem vocat debere esse formaliter supernaturalem, estque ratio desumpta, ex doctrina Diui Thom. 1. part. quæstion. 77. artic. 3. vbi docet omnem potentiam secundum illud, quod habet de potentia ordinari ad actum, vndè infert rationem, & speciē potentię desumi ex actu quem respicit. Et præterea probatur, non esse ponendum talem ordinem obedientialem, vt distinctum ab illis duobus: nam si esset alius ordo rerum præternaturalem, & supernaturalem esset constituenda in Deo alia ratio causæ, præter rationem causæ naturalis, & supernaturalis. Similiter alia ratio finis, præter rationem finis naturalis, & supernaturalis, aliam rationem prouidentię scilicet obedientialis, sed nullus ponit in Deo tales rationes causę, finis, & prouidentiæ obedientialis, ergo. Maior probatur euidenter, nam omne ens, & quæcumque formalitas entis, seu modus respicit Deum, vt causam eius, tāquam eius participatio, ergo, si datur aliqua formalitas entis, quę non est naturalis, nec supernaturalis, nō est participatio Dei, vt agentis naturalis, nec supernaturalis, ergo vt aliter agentis, patet hoc, quia effectus procedens à Deo, vt authore naturali participat, tātum perfectionem ordinis naturalis, & procedens à Deo, vt authore supernaturali, tantum perfectionem ordinis supernaturalis, quia procedit à Deo sublimitata, & determinata ratione causæ.

Nec valet dicere, idem argumentum posse fieri de vnione hypostatica, nam illa procedit à Deo agente supernaturaliter, & non secundum legē ordinariam, sed de absoluta potentia, vndè tantum in creatura correspōdet potentia passiua obedientialis, quæ proinde est supernaturalis formaliter.

Secundo probatur eadem conclusio ex dictis ipsius Suarij, in primis ipse concedit loco iam citato scilicet, disputation. 31. sect. 6. in solutione ad 2. §. *Neque rationes dubitādi, &* §. *Vltimo*, ait, talem potentiam non esse omnino naturalem secundum munus potentiæ, & in solutione ad 5. ait, illā esse spiritualem secundumquid, quando scilicet eleuatur ad efficiendas res supernaturales, & in prædicta solutione ad 2. §. 4 *Id probatur*, ait, talem potentiam, non conuenire rei per se primo, sed concomitanter, & §. 2. *Principaliter colligitur*, ait, talem potentiā esse congenitam cum re, & consequēter non est primo producta, ergo distinguitur formaliter à re cuius est potentia, patet consequentia, quia res materialis, & corporea in qua illa reperitur, vtpotè lapis, aut homo, &c. est per se primo producta omnino naturalis, & forma essentialis conuenit eis perse primo, sed res omnino naturalis saltim formaliter distinguitur à re, quę non est omnino naturalis, & simpliciter corporeum ab eo, quod non est simpliciter corporeū, quod perse primo conuenit ab eo, quod conuenit, tantum concomitanter, & quod per se primo est genitum ab eo, quod est congenitum, ergo cum istę rationes, tam diuersæ reperiantur in potētia ista, & ente cuius est potentia distinguuntur saltim formaliter. *Suar.*

Tertia conclusio, data ista potentia

tia obedientiali actiua illa cõstitueret rem potentem operari pręter, & supra rerum naturam, probatur primo destruendo exemplum eius de potentia passiua obedientiali talis potentia denominat rem simpliciter potentẽ recipere formas superioris ordinis, ergo. Probatur antecedens, ab ista potẽtia denominatur anima simpliciter potens recipere gratiam, & aliàs formas supernaturales, aliàs non essent tales qualitates propriè loquendo in subiecto, quando existunt in anima, nec diceretur anima vera causa materialis earum, quæ omnia sunt absurda, ergo talis potentia, &c. Quod sequantur illa, patet, quia nulla forma est, tãquam in subiecto proprio, quod habet rationem causæ materialis respectu illius, nisi prius talis res sit potens, simpliciter per potentiam receptiuam eiusdẽ ordinis cum forma recipere illam, ergo si anima per potentiam obediẽtialem non est simpliciter potens recipere gratiam, non potest esse subiectum, & vera causa materialis ipsius, ergo dabitur accidens, scilicet gratia existens, sine subiecto, & ex alia parte habebit existentiam connaturalẽ in subiecto, sibi debito, & proprio, quæ omnia implicãt, ergo sentẽtia Suarij multa implicantia inuoluit.

Nec contra hoc est, quod talis potentia constituit rem potentem in ordine ad Deum, vt docet Suarius, ex hoc enim non sequitur, quod simpliciter non sit potẽs recipere formas producibiles à Deo supernaturaliter operante. Secundo probatur, loquẽdo specialiter de potentia actiua, à tali potẽtia habet res naturalis actiuitatem aliquam in ordine ad effectus supernaturales, ergo constituitur actiua, & operatiua per ipsam, ergo potens, hæc omnia synonoma sunt, ergo. Rursus, vel hęc potentia est simpliciter actiua, vel non, si detur secundum impertinenter ponitur ab ipso, & parum consequenter loquitur. Si primum, ergo constituit simpliciter actiuum subiectum, & consequenter simpliciter potens, actiue operari.

Nec valet dicere, talem potentiam esse remotam respectu operationis, & ideò non constituere rem simpliciter potentem: nam si est simpliciter potẽtia, eo modo quo est potentia, debet denominare, & constituere subiectũ potens, ergo si est simpliciter potentia, &c. Et præterea, potentia quæ simpliciter est potentia immediate respicit effectum, quia immediatè ordinatur non ad esse, sed ad operationem. Vndè iste Author ponit potentiam, quæ secundum rem, non est potentia, sed nomine tenus. Prętereà inter istã potentiam, & effectum non mediat alia potentia proxima in re operãte per ipsam, sed solum auxilium extrinsecũ, ergo eo ipso, quod ponatur talis potẽtia debet esse proxima, nam auxilio extrinseco, imò etiam intrinseco egent omnes potentiæ naturales, quæ tamen proximè sunt operatiuæ.

Quarta conclusio, datà tali potentia falsum est asserere, illam constitui in esse actualis agentis per concursum extrinsecum, veritas huius conclusionis pensanda, & probãda est ex ijs, quę communiter dicuntur in schola D. Thom. in materia de auxilijs, vbi contra istum Authorem, & alios eiusdem classis, probatur omnem causam, & omnem potentiam operatiuam, necessario debere compleri per aliquod auxilium intrinsecum prædeterminans eam potius ad vnã operationem, quam ad aliam, quia cum potentia secundum se sit indifferens ad quemcũque actum, nisi per aliquid intrinsecũ determinetur, non poterit hic & nunc explicari, in hunc actum numero, magis quam in alium. Ex qua doctrina patet, quam falsum sit dictum quintum Suarij, contra quod statuitur hæc conclusio. Prætereà circa primam conclusionem probatum est, hunc cõcursum extrinsecum nihil conferre potentiæ, ratione cuius actualiter sit operans. Vndè sit.

Quinta conclusio. Parum consequenter loquitur Suarius in vltimo dicto à nobis supra relato, quamuis meo videri tali admissa potentia verum sit, quod in tali dicto docet. Probatur prima pars ipse docet, vt ex discursu dubij patet, quod talis potentia nõ est distincta, nec realiter, nec formaliter ab entitate essentiali rerum, in quibus reperitur, ergo non consequenter loquitur, quando docet, talem potentiam esse eiusdem rationis, & speciei in omnibus rebus. Patet consequentia, nam in præfata doctrina sua, potentia ista obedientialis actiua, non habet diuersam rationem specificã ab essentia rei cuius est potentia, ergo illa admissa tenetur dicere consequenter loquendo, quod est diuersæ rationis formalis in omnibus, iuxta distinctionem formalem, & specificam rerum. Cum ergo hoc dicere sit falsum propter rationẽ, quam ipse facit supra à nobis relatam, falsum est etiam dicere, talem potentiam esse omnibus rebus innatam cõuenireque eis per suas essentias, sine eo quod addat aliquam formalitatem, sicque in omnibus, quæ dicit apparet falsitas suę opinionis.

Ad argumenta respondetur. Ad primum, ad primam eius authoritatẽ, respondetur sensum D. Thom, esse tãtum, quod licet potentia obedientialis creaturæ tantum sit immediatè ad recipiendum formas, quas Deus illi cõmunicauerit, mediatè etiam deseruit ad agendum, & producẽdum effectus supernaturales, nam creatura mediante potentia obedientiali passiua recipit à Deo formas supernaturales, quæ sunt operatiuę, quibus actuatur, & constituitur in actu primo ad operandum illos supernatutales effectus, ad quos dicunt habitudinem tales formę supernaturales, & propter istam rationem verum est dicere, quod creatura habet potentiam obedientiæ ad agendum supernaturaliter, quia per illam potentiam recipit intrinsece in se formas supernaturales, per quas prius in se receptas constituitur in ratione agentis, sicut si diceremus aquã esse in potentia ad calefaciendum, & posse calefacere, quia per potentiam naturalem potest recipere calorem, quo actuata, & informata prius calefacit. Nec obstat illud verbũ D. Thom. D. Thom *Quod est ratio instrumenti*, nam Diuus Thom. non potest intelligi, ita vt sentiat potentiam obedientialem rerum esse rationem formalem, per quã constituũtur instrumenta Dei formaliter loquẽdo. Ratio huius est primo, quia perpetua doctrina D. Th. est quod virtus instrumentalis est fluens, & actualis, vt probaui varia loca D. Tho. adducendo disputatione præcedenti, potentia autem obedientialis est permanens, ergo quando dicit illa verba, nõ sentit talem potentiam obedientialẽ esse instrumentalem virtutem, aliàs contra se ipsum loqueretur. Secundo probatur, quando D. Thom. ait. *Et vt ea mediante fiat, &c.* Illud relatiuum *ea* est relatiuum identitatis, vndè refert suum antecedens, illud autem est potentia obedientialis passiua, quę est in creatura, vt in ea faciat Deus, quod ipse disposuerit: non ergo potest designare potentiam obedientialem actiuam. Ex quo colligitur sensum illorũ verborum esse, non quod talis potentia passiua sit ratio formalis constituẽs creaturam in ratione instrumenti Dei, sed quod est ratio instrumenti, id est constituens creaturam formaliter capacem, vt sit instrumentum Dei, mediante virtute instrumentali, sibi intrinsecè à Deo communicata, quia per dictam potentiam est formaliter capax recipiendi talem virtutem, & aliam quamcunque supernaturalẽ formam. Caietanus etiam debet intelligi, iuxta doctrinam, quam habet, in cõmentario huius articuli, vbi ponit virtutem instrumentalem superadditam rebus in quantum à Deo mouentur ad effectus excedentes vim naturalem; Alensis vero expræsse loquitur de virtute, quam habet creatura ad cooperandum,

randum Deo mediante virtute superaddita.

Ad Augustinum respondetur primo, illum locum falsò citari à Suario, nam habetur libr. 9. de Genesi ad lit. cap. 17. secundo dico, illum non loqui de potentia obedientiali actiua, sed de passiua, ita explicant eum, Magister & Scolastici, in 2. dist. 18. cap. omniũ, & id sonant expressè verba Augustin. qui post verba relata subdit. *Dedit qui dem naturis, quas creauit, vt ex eis, & hæc fieri possent, necnon ex eis, vel ille facerent, quod ex eis fieri non posse ipse præsciret.* Aug. Quibus in verbis non significat in illis esse potentiã obedientialem actiuam, vt faciant, quod Deus voluerit, sed passiuam, vt Deus ex illis faciat, quod voluerit, & ita lignum aridum non habet virtutem innatam actiuam, qua germinaret; sed passiuam qua reciperet à Deo virtutem, vt germinaret. Ad locum D. Bonauent. respondetur, illum solum ponere in pane potentiam obedientialem passiuam, vt conuertatur à Deo in Corpus Christi, & negat talem virtutem innatam actiuam in Sacerdotibus, seu verbis cõsecrationis, & in Beata Virgine solum ponit vim naturalem generatiuã, quæ adiuta per virtutem supernaturalem illi à Deo collatam potuit generare, præter, & supra conditiones naturæ. Ex quibus nihil habetur, per quod insinuetur talem potentiam obedientialem actiuam innatam, & congenitam in rebus ad effectus præter, & supernaturales.

Ad secun dum argumentum desumptum ex ratione: respondetur. Talem potentiam actiuam obedientialẽ maxime, sicut ponitur ab isto authore implicare, vt patet ex rationibus factis in prima conclusione, & ex toto discursu dubij. Ad tertium respondetur, admisso antecedenti negando cõsequentiã, quia talis potentia actiua, & rebus innata nõ est dabilis, vt probatũ est à nobis, & si illud argumentum aliquid valeret probaret omnes res naturales habere, ex natura sua virtutem permanentem ad creandum, & ad omnes effectus supernaturales causandos. Hoc autem, nullo modo est concedendum, quia creaturæ substantiales procedunt à Deo, vt authore naturali, & solum sunt participationes ipsius secundumquod continet perfectiones ad ordinem naturæ pertinentes. Vndè non participant omnipotentiam, & alia dona supernaturalia, nec virtutem actiuam supernaturalem: & sic argumentum nihil valet. Ad quartum concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem nego antecedens: nam sine tali potentia obedientiali actiua, per potentiam obediẽtialem passiuam, subijcitur creatura Deo omni subiectione possibili immediatè ad recipiendum, & mediatè ad agendum.

Ad alteram probationem, ibi, positam, admito antecedens, & nego cõsequentiã. Immò est impossibile, quod potentię obedientiali passiuæ correspondeat in rebus creatis aliqua actiua, quia cum per illam potentiam res creata immediatè respiciat Deum solum in Deo debet correspondere vis actiua ad perficiendum talem potentiam. performas supernaturales, quarum est receptiua per talem potentiam. Ad quintum respondetur, negando vnum corpus posse, etiam per potentiam Dei replere duo loca. Ratio huius impossibilitatis est, quam communiter assignant discipuli D. Thom. in 4. Physicor. Quia scilicet extensio in ordine ad locum est effectus secundarius quantitatis, qui non potest multiplicari, non multiplicato primario; vndè nisi noua, & distincta quantitas adueniat, non potest corpus esse in duobus locis, simul per nullam potentiam. Ad illud exemplum de duobus corporibus. Dico, illud esse possibile, quia non implicat, quod Deus separet ab vno corpore effectum secundariũ suæ quantitatis, scilicet impenetrabilitatẽ, & per ablationẽ huius effectus

contingere potest duo corpora simul esse in eodem loco, de quo videantur Philosoph. in 4. Physicor. Vndè negatur, quod illud contingat immutatis eorum quantitatibus, & dispositione, quia quoad istum secundarium effectum necessario debet immutari quantitas corporum quoad istam, videlicet impenetrabilitatem. Ad illud autem de anima rationali, Cabrer. hic, reputat illud esse impossibile, quia anima rationalis, & quælibet forma substantialis ex propria natura, ex vi agentis naturalis materiæ, & finis, est determinata ad informandam determinatam materiam, sicut personalitas Petri ex propria natura est determinata, ad terminandum humanitatem Petri. Vndè sicut propter istam rationem personalitas, & subsistentia Petri, non potest etiam supernaturaliter terminare humanitatem Pauli: ita propter eandem rationem, non poterit eadem forma substantialis informare, nisi determinatam materiam, etiam de potentia Dei absoluta. Multum probabilis, & vera apparet mihi hæc doctrina, sed admisso illo, vt possibili, nego Suar. contingere posse, propter potentiam obedientialem actiuam, sed propter passiuam ratione cuius, potest anima rationalis recipere à Deo perfectiorẽ virtutem in sui creatione, vel postea ratione cuius virtutis in se receptæ poterit in formare maiorem materiam. Nam si non augeatur eius vis informatiua, illud est impossibile, vt putat doctissim. Cabrer. Vndè negatur consequentia, quia talis potentia actiua obedientialis, non est dabilis, vt probatum manet in nostris conclusionibus. Ad sextum, nego antecedens ad probationem concessa maiori, distinguo minorem, non sufficiunt habitus supernaturales precisse sumpti, concedo minorem, sumpti quatenus eleuant potentias ad ordinem supernaturalem, nego minorem. Ad probationem minoris, nego maiorem vniuersaliter: solum enim est vera loquendo, de habitibus, qui tenduntad obiectum proportionatum potentijs, & clausum in eodẽ ordine in quo continetur potentia. Quãdo autem habitus tendit ad obiectum contentumsubordine altiori, vt est habitus supernaturalis sufficit, quod supponat potentiam capacem eleuari per formas supernaturales, & constitui media tali eleuatione in actu primo ad operandum.

Pro intelligentia huius solutionis recolendum est in memoriam, idquod Metaphysici docent de habitibus supernaturalibus, quod scilicet dantur ad simpliciter operandum; vndè non supponunt potentiam potentem actus supernaturales, vt supernaturales sunt, sed ipsi habitus constituunt potentiam potentem, simpliciter operari huiusmodi actus; vndè falsum est, quod intellectus, & voluntas eliciant actus supernaturales videndi, & amãdi Deum, per potentiam obedientialem actiuam; sed illos eliciunt quatenus per lumen gloriæ, & habitũ charitatis ascendunt ad ordinem supernaturalem, & accipiunt actiuitatem ab illis habitibus: Si verò inquirat aliquis, quid amplius habeat intellectus, quã lignum inordine ad visionem Dei: nã si intellectus nullam habet actiuitatẽ secundumse respectu talis actus supernaturalis: nihil aliud habet, quam lignum, & sic poterit etiam lignum, per lumen gloriæ elicere visionem. Respõdetur adhoc, quod intellectus, quia est potentia vitalis, & cognoscitiua; ideò est talis naturæ, quod factus in actu per lumen gloriæ, potest elicere visionem, quæ actio vitalis est. Vndè lignum, & quælibet alia res inanimata, nõ est capax eleuationis ad visionẽ, & amorẽ Dei. Ratio à priori huius est, quia actio vitalis, vt vitalis est ex propria ratione petit, quod procedat secundum suam substantiam à principio vitali, scilicet ab anima, quæ est principium radicale vitæ, cum ergo anima nõ sit immediatè, per se ipsam operatiua, debet operari per aliquã potentiam

tiam vitalem influentem proximè in tales actiones vitales, cum ergo vitalitas naturalis non sit proportionata actui vitali supernaturali necessario debet perfici, per qualitatem supernaturalem ipsi superadditam. Vndè lumen gloriæ, quod principaliter perficit intellectum, secundario & consequenter perficit secundum aliquam sui participationem ipsam essentiam animę, quia illa concurrit secundum suam essentiam ad talem operationem, vt primum principium, & radicale quo modo, non posset concurrere, nisi taliter à lumine perficeretur. Ad istum modum dicitur in materia de Fide, quod fides immediatè perficit intellectum ad credendum, consequenter vero secundum aliquam sui participationem perficit voluntatem, quia concursus supernaturalis illius requiritur ad actus fidei, & virtus, quæ perficit immediatè potentiam consumatiuam alicuius actus, secundario secundum aliquã sui participationem debet perficere potentias necessario concurrentes. Secundo potest dici, quod intellectus creatus aliquo modo respicit obiectũ supernaturale, & actum circa ipsum, cum cõtineatur subobiecto specificatiuo ipsius, & potentia ad totum suum specificatiuũ respiciat, medio eodẽ ordine à quo, tanquam ab specificatiuo intrinseco sumit suam speciem. Nihilominus, quia ens supernaturale, non clauditur subobiecto proportionato, non respicit ipsum proxime sub tali ratione particulari, sed remote, & radicaliter, vndè eget actiuitate intrinsecè ipsi superaddita, quæ sit eiusdem ordinis, cũ obiecto, & actu circa ipsum. Sic docent alij sapientissimi Thomistæ, & in qualibet solutione istarum, negandum est, intellectum per potentiam obedientialem actiuam elicere actum supernaturalem: Tùm, quia elicit medio lumine intrinseco, quod negat Suar. esse necessarium: Tùm, quia idem intellectus, vt est in obedientia ad Deum, est potentia passiua, quia est immediatè receptiuus, & formaliter, luminis, & habitus supernaturalis; vndè nunquam datur Suario potentia à se ficta.

S. Herr. ita docet.

Ad confirmat. respondetur, illud antecedens esse falsum: nam habitus, & auxilium actuale debent recipi intrinsecè in potentia adhoc, vt exeat in actum secundum. Ad septimum, nego antecedens, ad probationem respondetur, calorem considerari dupliciter. Primo, vt est accidens absolutè talis speciei, & in tali genere, & etiam vt est proprietas ignis, & sic non habet virtutem producèdi carnem, vel lac: habet tamen virtutem producendi ignem. Secundo, vt est proprietas animalis, & sic est virtus productiua carnis, & lactis, verbi gratia, & hoc conuenit ipsi secundum suam naturam, pro quo est aduertẽdum ex Caiet. 1. part. quęstion. 77. art. 1. circa finem, & ex Ferrar. 4. Contrag. cap. 66. Quod quando dicitur accidens agere in virtute substantiæ est locutio intransitiua, & non significat, quod accidẽti superaddatur aliqua virtus operatiua deriuata ipsi à substantia, quæ sit distincta ab essentia eius, sed significat, quod ipsum accidẽs est ipsa virtus substantiæ, sine aliquo superaddito, quo mediante operatur substantia, aliam substantiam, & hoc conuenit calori essentialiter, quatenus est accidens talem substantiam cõcomitans: ita docet Ferr. & citat pro hac doctrina D. Thom. quæst. vnica de spiritualibus creaturis, art. vltimo, solutione ad 10. vbi expræsse docet S. Thom. quod calor est ipsa virtus substantiæ, & sic non est procedendum in infinitum. Quo supposito, informa ad probationem antecedentis, concedo maiorem, & distinguo minorem, non addit perfectionem ad calorem consideratum, vt est proprietas ignis, aut alterius substantię, concedo minorem, ad calorem secundum se, vt est accidens absolutè sumptum, nego minorem: nam addit quandam perfectionẽ communicatam ipsi ab illa determina

ta ſubſtantia, quam cõſequitur, vt propria paſsio. Hæc autem perfectio ad minus formaliter debet diſtingui à ſua propria, & ſpecifica ratione: ſiquidem per illam in ratione virtutis, & paſsionis ſubſtantiæ diſtinguitur ſpecie â ſe ipſo quatenus ad diuerſam ſubſtantiã ſpecifice conſequitur: Tunc autem, nego conſequentiam, quia res naturales, non ſunt creatę à Deo, vt ſint virtutes ipſius Dei ad effectus præter, & ſupernaturales producendos, quia talis virtus eſſentialiter debet eſſe ſupernaturalis, quam nullum ens naturale poteſt habere, ſibi cõgenitam, vt probatum manet in concluſione prima, omnia tamen entia naturalia creata ſunt à Deo capacia talis virtutis, vt iam replicatum eſt.

Ad ſecundam probationem reſpondetur, quod illa potentia aquæ ad omnes illos motus eſt potentia paſsiua, vt moueatur illis motibus à diuerſis agentibus prouenientibus: non verò eſt actiua, vt exeat extra terminos ſuæ naturæ: & ideò non bene ex illa infertur potentia obedientialis actiua. Sed contra, id quod dictum eſt in iſta ſolutione, ſcilicet omnia entia naturalia habere capacitatem ad formas ſupernaturales, ſic arguitur. Talis capacitas eſt potentia obedientialis paſsiua, quãdiximus in noſtris concluſionibus eſſe ſupernaturalem. Et hoc non obſtante eſt innata, & congenita omnibus entibus, ergo quod potentia obedientialis actiua ſit ſupernaturalis non obeſt, quo minus poſsit dari congenita omnibus rebus. Probatur conſequẽtia: nam ſicut debemus dicere, quod potẽtia illa paſsiuà procedit à Deo authore ſupernaturali: ita poſſumus dicere, quod potentia actiua obedientialis procedit à Deo agente ſupernaturali: & conſequenter dicendum eſt, quod ratione iſtarum potentiarum ratio agentis ſupernaturalis concomitanter ſe habet ad rationem agentis naturalis, & ſic probatur poſsibilitas iſtius potentiæ licet non adſtruatur illo modo, quo à Suar. conſtituitur.

Sed reſpondetur, quod admiſſa tali potentia obedientiali actiua, idem dicendum eſt, de illius productione, atque de productione potentiæ obedientialis paſsiuæ, & non eſt inconueniens, quod in productione cuiuslibet rei naturalis miſceatur aliquid ſupernaturale procedens à Deo authore ſupernaturali, quia eo modo, quo Deus vt finis naturalis ſubordinatur, ſibi ipſi vt finis ſupernaturalis: propter quod doctiſsimi Magiſtri, in materia de peccatis, & de gratia, maximè noſter Herrera dicũr, quod peccatũ mortale, etiã hominis conditi in puris naturalibus, eſt contra Deum finem ſupernaturalem mediatè, & eodem modo contra gratiam, & charitatem; ita dicendum eſt, quod Deus vt author naturę ſubordinatur virtualiter, ſibi ipſi vt author ſupernaturalis: Et ideò, cuicunquerei, quam vt agẽs naturale producit: propter neceſſariam ſubordinationem, quã ad ſe ipſum, vt agens ſupernaturale habet neceſſario imprimit aliquid ſupernaturale ratione cuius ordinetur ad illum finem ſupernaturalem, quia finis, & efficiens, ſibi inuicem debent correſpondere, quia ergo homo eſt eleuatus, & ordinatus ad finem ſupernaturalem neceſſario debet habere aliquid ratione cuius ſufficiẽter ordinetur ad tãlem finem. Hoc autem ad minus debet eſſe potentia obedientialis paſsiua; vndè illa neceſſario producitur à Deo, vt agente ſupernaturali, cum cõcurſu ſupernaturali, in ordine ad iſtam formalitatem, & quia per dictam potentiam, ſicut dictum eſt ſupra ſufficiẽter ordinetur homo in Deum authorem ſupernaturalem, tam ad recipiendum, quam ad agendum; ideò non eſt neceſſaria potentia obedientialis actiua; vndè quamuis ratiò ſupernaturalitatis non obſit: quo minus poſsit produci à Deo, tamẽ obeſt eius ſuperfluitas ſuppoſito ordine rerũ à Deo perſcripto, & à poſteriori poteſt probari eius impoſsibilitas, quia videmus, quod

quod Deus infundit homini (v.g.) habitus supernaturales fidei spei, & charitatis ad operationes supernaturales, sine quibus homo, nõ potest elicere illas, & cum illis potest, ergo signũ est, quod in rebus, talis potẽtia supernaturalis cõgenita ad tales actus, nõ dãtur, nã si daretur esset sufficiens se sola tales producere actus, sicut potẽtia obediẽtialis passiua se sola est potens causare materialiter, & subiectiue formas supernaturales gratiã, videlicet, & alias hanc consequentes. Si autem nõ esset sufficiens, cum non sit necessaria ex alia parte, est impertinẽs, & frustranea; Deus autem vt agens supernaturale, nihil potest facere impertinens superfluum, aut non necessarium, sicut illud non facit, nec potest facere, vt agens naturale, ergo quocunque modo, & quacunque via probatur talem potentiam esse impossibilem.

Ad rationes quibus probat Suar. alia sua dicta à nobis relata non est necessarium in presenti respõdere, eo quod supponunt potentiam actiuam, quam nos sufficienter probauimus nullo modo dari, nec esse dabilem suppositio ordine de facto rebus à Deo perscripto. Et præterea, quia expõsunt peculiares difficultates currentes in opinione Thomistarum ponentium passiuam obedientialem, quas in præsenti non vacat disputare; vndè sufficiat nobis per singulas conclusiones suam doctrinam impugnasse, & assignasse sufficientem doctrinam ad suarum rationum solutiones.

SIT ERGO QVINTA DVB.

Vtrùm virtus instrumentalis, per quã constituitur Humanitas Christi, & constituuntur alia instrumenta sit aliquid superadditum, quod sit qualitas, vel sit aliquis motus, vel quidpiam aliud?

IN hac difficultate sunt tres cõmunes sententiæ. Prima est aliquorum Theologorum asserentium Humanitatem Christi, & omnem creaturam constitui in ratione instrumenti, per solam coniunctionem, & subordinationem actualem ad virtutem Dei principalis agentis, sine eo quod ei superaddatur de nouo aliqua entitas, quæ sit vis actiua constituens rem in ratione agentis instrumentalis in actu primo. Hanc opinionem reputat probabilem Mag. Ioan. Vincen. in relectione de gratia Christi, quæst. 6. fol. 802. & eius probabilitatem nititur ostendere aliquibus argumentis. Primo, nam natura comparatũ est, quod omnis causa inferior ex coniunctione, & subordinatione ad superiorem perficitur in se ipsa in ratione causæ, absque aliqua superaddita entitate, aut virtute, sed omnis creatura est subordinata Deo, ergo ex tali subordinatione poterit operari opus excedens suam naturalem vim, absque aliqua entitate superaddita. Maior probatur, aliquibus exemplis, in primis nam color per coniunctionem ad lucem verè perficitur in ratione causæ immutatiuæ visus, absque aliqua entitate, quæ ipsi colori inhæreat, cum ex coniunctione ad lucem possit in potentia proxima emittere species, quas antea emittere nequibat.

Item, phantasma ex sola coniunctione ad intellectum agentem, absque virtute superaddita constituitur in actu primo ad producendam speciem spiritualem, & immutandum instrumentaliter intellectum possibilem. Idem potest probari exemplo caloris, qui ex coniunctione ad animam, sine superaddita virtute ab ipsa recepta est instrumentum productiuum carnis, & calor ignis, per coniunctionem ad formã ignis est instrumentum productiuum ignis, licet reater nõ immutetur. Insuper motus cæli, qui ex mente Diu. Thom. 1. part. quæstiõn. 70. articul. 3. ad tertium, formaliter non est motus vitalis, cum nõ procedat à principio intrinseco vitali, sed est virtualiter vitalis, est instru-

mentum productiuum viuentium absque entitate, sibi superaddita, ergo idem potest dici de quolibet instrumento Dei.

Secundo, imperium Dei practicum licet formaliter sit actio immanēs virtualiter tamen, seu eminenter est trāsiens, estque infinitæ suauitatis, & efficatiæ, & priori ratione accomodat se suis creaturis in agēdo, posteriori autem ratione vtitur illis easque eleuat ad agendum prout vult, ergo virtus diuina applicata creaturę, per hoc imperium, potest illam constituere in actu primo in ratione instrumenti ad operandum absque aliqua entitate superaddita. Tertio, actio qua Deus medio instrumento producit gratiam est vna & simplex, ergo non postulat duas virtutes, sed vnam quæ principaliter, & perse est in principali agente: nempè in Deo, & secundario in creatura cui communicatur, vt instrumento. Confirmatur, quia instrumentum non operatur virtute propria, sed principalis agentis, ergo vt constituatur in actu primo satis est, quod habeat immediatam coniunctionem ad virtutem causæ principalis.

Secunda sententia est, quod Humanitas Christi, & cætera instrumenta Dei constituuntur in actu primo potētia ad agendum, per influxum, & motum artificiosum, quo mouētur ā Deo ad suos effectus instrumentales producendos, & istū motū artificiosum aiūt, quādoque vocari motū, quādoque virtutē instrumētalē motus vocatur, quia est motus rei, quę assumitur instrumētum. Virtus verò instrumentalis vocatur, quia constituit ipsum instrumentū in esse factiuo, & operatiuo, & aduertunt, quod talis motus, quatenus formaliter constituit instrumentum, nō est formaliter ipsa actualis productio gratiæ, quia hęc est actio spiritualis identificata, cū ipsa gratia, & susceptа in anima, & illa est operatio, quæ dicitur actio instrumentalis instrumento cōmunicata à principali agēte, estque ipse actus secundus instrumenti. est ergo motus per quē constituitur instrumētum prius ordine naturæ ad ipsam actualē productionē gratię, & quia instrumentū, non cōstituitur à semetipso in actu primo, sed ab agente principali: Ideò hic motus non consideratur, vt actio Humanitatis, aut ipsius rei, quę vt instrumētū assumitur, sed vt est motio susceptа in Humanitate, vel alia re, ipsam realiter immutās, ratione cuius immutationis eleuatur ad rationē instrumenti. Et quamuis interdum contingat, vt actio Humanitatis, sit realiter immutatiua subiecti extrinseci: nō tamen competit illi virtus instrumentalis ea ratione, qua est actio, sed in quantū est motio, qua Deus Humanitatē ipsam immutat, & mouet. Et insuper licet ille motus realiter identificetur cum ipsa actione instrumentali, & in ratione actionis subiectetur in passo, tamen in ratione motus suscipitur in ipso instrumento, cū motus sit in mobili, & ratione illius motus in se susceptі cōstituitur instrumētū in actu primo priùs natura, quā sit in actu secūdo.

Hanc sententiā tenet expressè Caiet. in commentario huius art. & infra q. 62. art. 4. & communiter Thomistę. Et probatur hæc sententia aliquibus locis D. Th. Primò, nā loco citato art. 1. ait, causam instrumētalem operari solum per motum quo mouetur à principali agēte, & hoc modo docet, quod sacramenta causant gratiam, ergo secundum D. Th. omne instrumentum Dei constituitur in actu primo per motum, quo mouetur à Deo ad effectum superiorem causandum. Confirmatur causalitas effectiua instrumentorum Dei saluatur, cum solo motu, sine alia superaddita entitate, saluantur etiam dicta authoris ergo, antecedēs quoad primam partem potest probari. Quia per talem motum passiuum, sufficienter constituitur creatura in actu primo in ratione instrumenti, vt per talem motum mouetur à Deo ad gratiam, vel ad alium effectum

cau-

causandum, ergo superfluit quælibet alia entitas, vt sit virtus cõstitutiua instrumenti. Secũda vero pars probatur à Caiet. sic, nã D. Th. infra q. 62. art. 4. solutione ad 1. ait, quod in voce ipsa sensibili est vis quædam spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantũ procedit à conceptione intellectus. Sed nihil est in voce sensibili in quantũ procedit à mente, præter significationẽ, nisi vsus quo mens vtitur voce illa ad excitandũ animũ auditoris, & propterea non mouetur Græcus à Latino, quia significatiua vox, qua loquens vtitur non peruenit ad intellectũ Græci, & hoc modo subdit D. Th. quod vis spiritualis est in Sacramẽtis, ergo in Sacramentis, & in quolibet instrumento Dei, non datur aliqua virtus distincta entitatiue à motu.

Secũdo arguitur in fauorẽ huius sententię, nã D. Th. 1. 2. q. 110. art. 2. in initio corporis, ait, gratiã actualẽ, & effectũ Dei quo mouetur homo ad aliquid agendũ, non esse qualitatem, sed motũ quendam animæ, sed virtus factiua miraculorũ est gratia actualis, qua mouetur homo ad miraculũ faciendum, vt videtur docere D. Tho. 1. 2. q. 111. art. 5. vbi loquens de gratijs gratis datis, ait, per illas ordinari hominem ad agendũ aliquid in altero, ergo secundũ D. Tho. virtus instrumentalis in rebus à Deo assumptis, nihil aliud est à motu. Tertiò, ista virtus nõ potest esse qualitas permanens, vt patet ex dictis disp. 3. nec potest esse qualitas trãsiens, ergo. Probatur secunda pars antecedentis dupliciter, primo, quia qualitas permanens est multo perfectior fluente, & transeũte, ergo si perfectio qualitatis permanentis, non attingit tantam virtutem, vt sit operatiua gratię, & miraculorum, neque perfectio fluentis qualitatis id attinget. Secundo probatur, quia non potest intelligi dari qualitatem, quę sit fluẽs, & trãsiens ad modũ rei successiuæ, quia illa habet omnes suas partes simul in aliquo instanti, & non vpã post aliam, & solũ dicitur fluẽs, quia parũ durat. Sed illa cũ ex natura sua non dependeat à causa successiua successiue illam producente, sicut conseruatur à Deo per breue tempus poterit conseruari per longũ, ergo si potest esse per modum trãseuntis, poterit etiam per modum permanentis. Quarto, vel illa qualitas superaddita, & fluens habet ex natura sua posse facere ista miracula, vel non, sed neutrũ istorũ potest defendi, ergo, minor pro prima parte prob. quia posse facere miracula excedit vim qualitatis creatę, ergo. Prob. anted. quia talia opera sunt supratotam naturam, & supra virtutem ipsius qualitatis creatę; cũ circa ipsammet possit Deus facere miracula, quæ superant eius naturam, ergo impossibile est illam qualitatem esse factiuam miraculorũ secundũ suã naturam. Pro secunda parte, patet minor: nam si non potest facere illa miracula ex se, impertinenter ponitur talis vis, cũ de ea opporteat postea inquirere per quid eleuetur ad agendũ, & de illo alio, idem argumentum fiet, & sic procedetur in infinitũ. Confirmat. vel illa qualitas esset vna ad omnia miracula, vel singula requirerent distinctas qualitates, neutrũ istorũ, ergo. Minor pro prima parte patet, quia miracula fiunt infinitis modis diuersis, sed excedit vim, & connaturalem perfectionẽ alicuius specialis qualitatis habere, tãtam, & tam diuersam virtutem, ergo. Pro secunda etiam prob. quia videtur inconueniens multiplicare in Christo tot qualitates ad tam diuersa miracula, quæ patrauit. Tertia sententia asserit, quod virtus instrumẽtalis, qua Humanitas Christi, & alia Dei instrumẽta constituuntur in actu primo ad operandũ formaliter, non est motus quo mouentur à Deo, sed est qualitas actiua supernaturali, & trãsiens. Ita tenẽt Capreol. in 4. dist. 1. q. 1. ad 3. principale Aureoli contra 3. & ad 3. Durand. contra 4. Palud. ibidem q. 1. num. 32. & 51. Ricard. art. 1. quæstion. 3. Scot. quæst. 1. & distin. 4. & 5. & D. Bonau.

quæst. 5. Alensis 4. part. quæst. 8. mēb. 3. art. 5. §. 6. & quęst. 34. memb. 2. art. 5. Ferrar. 3. Contrag. cap. 87. & 4. cap. 56. in fin. Zumel 1. 2. quæst. 112. art. 1. disputat. 3. concl. 2. Hanc opinionē tenet etiam sapientissimus Herrera in manuscriptis, per duas conclusiones. Probaturque primo, quoad primā partem: nam Humanitas, & cætera instrumenta Dei solum se habēt passiue respectu motus, quo mouentur à Deo, & per illum, vt sic patiuntur, & mouentur, ergo per illum, vt sic non agunt, neque producunt effectus. Secundo vis actiua instrumentalis, non est motus, quo Deus concurrit, cum instrumento ad operandum, neque motus quo mouet, & aplicat illud ad operandum, ergo nullus. Consequētia patet, quia prętер istos motus nō datur alius, qui possit esse talis virtus. Antecedēs pro prima parte probatur, quia motus quo Deus concurrit, cum instrumēto ad operandum formaliter, vt sic supponit instrumentum potens operari, ergo ante illum sic formaliter sumptum supponitur in instrumento vis operatiua, per quam possit cōcurrere ad effectum. Pro secunda etiam parte probatur, idem antecedens, quia ille motus Dei quo mouet, & applicat instrumentum est actio transiens, ergo producit aliquem terminū in ipso instrumento, ergo aliquam virtutem distinctam, quæ non sit motus ipsius instrumenti, quia terminus motus nō potest esse alius motus, cum ergo terminus istius motus non sit quantitas, vel locus, erit qualitas prædicta. Tertiò argumēto Paludani. Motus artificiosus, quo aqua mouetur à baptizante, vt cōferat gratiam, & quo mouetur affingēte se baptizare non differunt in ratione motus, sed in hoc, quod in primo propter rectam intētionem reperitur virtus instrumēralis causatiua gratiæ, & non in secundo, ergo virtus illa instrumentalis aliquid dicit prætер motum. Secunda pars huius sententiæ etiam aliquibus argumentis probatur. Primo, nam virtus operatiua, vt sic est qualitas, sed prædictum principiū, vt sic est virtus operatiua, ergo qualitas. Maior videtur certa, nam redit subiectum quale, scilicet potēs operari: hac enim ratione potētiæ naturales, & habitus sunt qualitates, quia scilicet subiectū suum efficiunt quale, scilicet potens operari. Minor vero patet, nam D. Th. infra q. 62. art. 4. ad 1. hoc principium vocat virtutem operatiuam, & idem docet multis alijs locis. Confirmatur, nā in dicta solutione ait, quod talis virtus in Sacramentis ad causandam gratiā est vis spiritualis, sed si virtus Sacramentorum esset motus eorū, & non prædicta qualitas non esset formaliter spiritualis, sed materialis, & corporalis, talis enim est motus aquæ ad baptismū, & motus chrismatis, vel olei pro confirmatione. Probatur secundo, nam character Sacerdotalis de se est virtus instrumentalis ad causandam gratiam, per absolutionem Sacramentalem, & ad faciendum miraculū trans substantiationis panis in Corpus Christi, sed character teste D. Thom. infra q. 63. art. 2. Ponitur in secunda specie qualitatis licet reductiue, & nō est motus, ergo. Tertiò arguitur, ex communi doctrina Theologorum assignantium discrimen inter species Sacramentales Eucharistiæ, & alia Sacramenta, quæ consistunt in vsu, quod cętera non habent virtutem instrumentalē causatiuā gratiæ, nisi in vsu actuali, & quando actu applicantur. Aqua enim baptismi transacta ablutione, nō conseruat actu virtutem iustificatiuā: species vero Eucharistiæ, quæ continent Christū, ante suum vsum, & cōmunicationē habent virtutem instrumentalem causatiuam gratiæ, siue illa virtus sit ipsum Corpus Christi contētum sub illis, vt aliqui volūt, siue sit aliqua virtus illis superadditа derivata ex virtute Christi, sed talis virtus non est aliquis motus specierum, quo sacramentaliter applicentur, ergo talis virtus in Sacramentis, & cæteris instrumentis,

mentis, non est motus eorum, sed qualitas superaddita.

Quarto, si talis virtus esset motus & non qualitas, nõ posset esse indiuisibilis, & in vltimo instanti prolationis verborum consecrationis (v. g.) sed necessario esset successiua, & diuisibilis, sicut ipse motus, & non daretur vltimũ instans intrinsecũ illius, consequens est falsum, ergo, quod consequens sit falsum, patet in eisdem verbis consecrationis quorum tota virtus est indiuisibiliter in vltimo instãti, & tota simul, vt docet Ferr. in 4. Cõtragent. cap. 56. infin.

Confirmatur hoc ex D. Thom. infra quæst. 75. art. 7. ad primum, vbi docet dari vltimum instans prolationis verborum, & quæst. 78. art. 4. ad 3. docet verba consecrationis in vltimo instanti suæ prolationis consequi suam virtutem in ordine ad præcedentia, de quo videndus est Capreol. in 4. vbi supra ad 3. Durandi. Confirmatur, hoc simili ratione, prolatio verborum mẽsuratur oratione, quæ est discreta, & habet vltimam partem, & in illa consumatur significatio; ergo in illa dabitur virtus illorum verborum completa, & existẽs in illa poterit causare ipsam trãssubstantiationẽ: ergo talis virtus est qualitas, probatur ista consequentia; quoniam si esset motus esset successiuus, & diuisibilis, & nunquã totus, quia motus est diuisibilis, & successiuus, & nunquam totus simul. Vltima pars huius sententiæ, quod scilicet huiusmodi qualitas sit supernaturalis, & actiua patet: nam constituit rẽ operatiuam, ergo est actiua. Deinde talis virtus respicit effectus supernaturales secundum substantiam, vt quãdo est productiua gratiæ, & quoadmodum tantum, vt quando est miraculorum productiua, vtpotè quando restituit visum cæco, ergo.

Pro explicatione veritatis sit prima conclusio. Humanitas Christi ex sola coniunctione, & subordinatione ad diuinam virtutem, non cõstituitur in ratione instrumenti potẽtis in actu secundo producere effectum supernaturalem. Hęc conclusio communis est fere inter omnes Doctores, maximè inter discipulos D. Thom. probatur, Humanitas Christi ante coniunctionem, & subordinationem ad Deum, non erat potens producere effectus supernaturales, sed ex tali subordinatione præcisse, nihil habet quo producere possit, ergo neque vt coniuncta, & subordinata poterit effectus præfatos producere. Maior admittitur ab aduersarijs: nam aliàs fruſtra ponerẽt talem subordinationem. Minor verò probatur, nam virtus agendi debet esse intrinseca (vt ab omnibus Philosophis conceditur in 2. Physic. quando agunt de principio effectiuo, quo, quod est forma) sed Humanitas Christi, & quælibet alia creatura ex subordenatione ad Deum, nihil intrinsecum acquirit, quod sit virtus operatiua, ergo nihil habet, quod constituat ipsam potentem operari. Confirmatur, & explicatur hæc ratio. Implicat, quod res quæ secundum se non potest aliquid efficere manens omnino intrinsecè eodem modo, possit per auxilium extrinsecũ illud producere, ergo similiter implicat, quod ex coniunctione ad principium operatiuum extrinsecum possit, quodantea non poterat, nisi ei aliquid intrinsecum superaddatur, quod sit virtus operatiua. Cõsequẽtia patet, ex paritate rationis, & antecedens demonstratur, à Thomistis in materia de auxilijs, & modo breuiter ex ibi traditis manifestatur sic. Illud auxilium extrinsecum, nihil intrinsecũ ponit de nouo in re, per quod fiat de nõ operatiua operatiua, ergo ex ordine ad illud, nõ potest operari, antecedens est certum in opinione, quã impugnamus: nã in illa nihil intrinsecum ponitur in re, cõsequentia vero est euidẽs: nã res omnino inuariata manens intrinsecè, eodem modo manet, ergo si antea non habebat virtutem operatiuam, nec modo, vndè non potest operari, nec

potest ipsi attribui operatio, sed tantum principio extrinseco, cui subordinatur, vt est Deus, vel auxilium extrinsecum.

Pro solutione argumentorum primę opinionis notādum est, quod causa actiua principalis ex vi sua tantum habet operari intra propriam speciem, & obiectum connaturale à quo si extrahatur, non operabitur ex propria virtute, sed ex virtute participata à superiori natura, vt patet in intellectu, & voluntate, istæ nāque potentiæ ex sua natura solum habēt operari actiones naturales intra obiectum connaturale, vt autem eleuentur supernaturaliter ad operandum, circa obiectū supernaturale indigent virtute supernaturali, quæ à Deo communicetur ipsis. Secundo est notandum, causam actiuam principalem ex subordinatione, & coniūctione ad superiorem naturam posse, ex vi propria, vt perfecta per talem subordinationem operari, non extra latitudinem sui obiecti connaturalis, & proportionati, sed intra suum obiectum connaturale lōge perfectius, quam posset, sine tali subordinatione. Probatur hoc hac ratione, omnis natura inferior, per coniunctionem ad superiorem perficitur, vt possit aliquid, quod sine subordinatione, non poterat, sed non potest operari, vltra connaturale obiectum, nisi per principium ipsi superadditum, ergo si aliquid potest ex tali subordinatione, quod antea non poterat, erit in ordine ad connaturale obiectum. Maior est doctrina communiter recepta, & minor probata manet circa conclusionem: & præterea probatur, quia operationes superioris naturæ communicari non possunt inferiori; nisi media aliqua virtute, qua eleuetur, sicut a quæ communicari non potest calefactio, nisi calor ei communicetur, & voluntari, non communicatur dilectio supernaturalis, nisi communicetur habitus supernaturalis charitatis.

Hoc supposito ad argumenta primæ opinionis respondetur: Ad primū dico, maiorem illam esse intelligendā in ordine ad connaturale obiectum, & non extra illud: vndè concessa minori negatur consequentia. Ad exempla suo ordine respondetur ad primū, quod color non perficitur, vt efficiat aliquid vltra suam propriam rationē: nam ille ex sua natura est visibilis; tamen ad actualem visibilitatem indiget luce, quia pendet ab illa, tanquam ab extrinseco actu, quantum ad actualem productionem speciei, sicut (verbi gratia) potentia intellectiua, licet sit productiua intellectionis; tamē dependet à specie intelligibili, vt reducatur in actum; vndè quemadmodum species, non extrahit intellectum à proprio obiecto; nec perficit vltra illud, ita etiam lux non perficit colorē, vltra suum obiectum, aut speciem.

Ad secundum exemplum de phantasmate dico, quod illud ex præcisse subordinatione ad intellectum, non habet producere speciem intelligibilem: sed quatenus est virtus intellectus propter connaturalitatem, quam habet cum ipsa specie: nā illa species est ordinis naturalis, estque connaturale parti sensitiuę deseruire ipsi intellectui, prout est in statu coniunctionis cum corpore. Ad illud de calore eodem modo dicendum est, quod scilicet ex præcissa subordinatione ad substantiam non producit substantiā: sed vt est virtus connaturalis ipsius substātiæ. Ad illud de motu cœli respondetur: Illum non habere efficere vitam in quantum est motus simplex, sed vt est motus virtuosus procedens ab intelligentia, & quod talis motus sit vitalis virtualiter, non habet ex præcissa subordinatione, & coniunctione, cum intelligentia, sed quatenus procedit ab intelligentia mouente orbem.

Ad secundum respondetur concedo antecedens, & nego consequentiā: nam diuinum imperium prudentissimum, cum sit non cadit in rem impossibilem, ac proinde confert creaturæ potentiam

potentiam præstandi, & exequendi, id quod imperatur: ita vt si imperium sit de recipiendo supponat in creatura passiuam capacitatem: si vero sit de agendo, cum nullam virtutem supponat in creatura respectu effectuum supernaturalium, confert illam denouo, & in hoc cõsistit eius efficacia, & suauitas. Ad tertium admisso antecedẽti admittimus consequentiũ disputationis gratia: nam modo nõ licet ex professo illam, difficultatem examinare, vtrũm videlicet, virtus instrumentalis, sit distincta à virtute principali, sed tantum quod talis virtus debet instrumento communicari à principali agente, & quod si intrinsecè, non adderetur instrumento, non posset instrumẽtum operari, actionem causę principalis, nec eius effectum attingere, quantumuis tali causæ subordinetur, & cũ ipsa coniungatur.

Ad confirmationẽ concesso antecedẽti, nego consequentiã, propter rationes iam supra positas. Sed cõtra solutionem datam ad secundum exemplum arguitur, phantasma est similitudo materialis indiuidui singularis, ergo non potest esse virtus intellectus ad producendam speciem intelligibilem in materialem. Probatur consequentia, quia inter virtutem effectiuã, & effectum, quem respicit debet esse proportio; hæc tamen non est inter phantasma, & speciem intelligibilem, ergo. Si ad hoc dicatur, quod non est proportio, vt sit causa instrumentalis completa, & veluti vltimate constituta ad operandum independenter ab actione intellectus agentis; est tamen sufficiens proportio, vt sit capax, & habilis, vt actu assumatur, tanquã instrumentum ab intellectu agente educẽte, & causante principaliter speciem immaterialem, & quod hanc capacitatem habet, non vt est phantasma absolute, sed vt est phantasma hominis procedens à potentia imaginatiua radicata in eadem essentia animæ, cum intellectu agente. Contra, nam talę phantasma, quantumcũque radicetur in eadem essentia animæ, est simpliciter corporale, & materiale, ergo remanet improportionatũ, etiam vt assumatur, vt instrumentum.

Confirmatur, nam licet procedat à potentia radicata in essentia animę intellectiuæ; non tamen vt intellectiua est, sed vt sensitiua est, ergo nihil habet perfectionis, quod non sit inquolibet alio phantasmate. Probatur consequentia, quia vtrumque procedit ab anima, vt sensitiua est formaliter, ergo eandem, & æqualem perfectionẽ participant, ac per consequens, sicut phãtasma secundum se, non potest assumi, vt instrumentum ad speciem intelligibilem, etiam vt hominis non poterit: Antecedens vero patet: nam anima intellectiua, vt sic immaterialis, cũ sit solum est radix intellectus, & volũtatis, nam solum est cum illis in eodẽ gradu, aliæ vero potentiæ sunt ordinis, & gradus inferioris, ergo solũ procedunt ab ipsa secundum quod formaliter dat esse sensitiuum, quod est in illo eodem ordine inferiori.

Confirmatur secundò, quia licet illud phantasma sit actus potentiæ radicatæ in eadem essentia animę, tamẽ ab illa, vt sic non participat aliquã virtutem, per quam instrumẽtaliter moueat intellectum efficienter producẽdo speciem intelligibilem, nec participat illam ab ipso intellectu agente, ergo si instrumentaliter cõcurrit, erit per solam assistentiam intellectus agẽtis. Antecedens probatur, nam licet Deus per suam virtutem, rei corporali imprimat virtutem productiuam effectus spiritualis, tamen causa naturalis, non videtur, quod id possit, ergo, &c. Quod ab anima non communicetur ipsi talis virtus, eo probatur, quia vt ab ipsa procedit est inordine inferiori, cũ effectu omnibus modis, ergo.

Pro solutione horum notandum breuiter, quod in doctrina D. Thom. 3. part. q. 9. art. 4. ad secundum, & 1. part. quæst. 85. art. 1. ad 4. verior opi-

nio est, quòd phantasma non tantum concurrit materialiter, sed etiam instrumentaliter effectiue respectu intellectus agentis ad productionem speciei intelligibilis immaterialis, primo namque loco dicit, quod anima humana habet respectum ad inferiora, scilicet ad phantasmata, quæ sunt nata mouere mentem humanam, per virtutẽ intellectus agentis, mouere autem est efficere, & id præstare per virtutẽ alterius ipsi communicatam est efficere instrumentaliter; vndè ex isto loco satis apparet nostri notabilis veritas. Secundo autem loco docet, quod quẽadmodum pars sensitiua ex coniunctione ad intellectum efficitur virtuosior: ita phantasmata virtute intellectus agentis redduntur habilia, vt ab eis intentiones intelligibiles abstrahantur. Ex qua doctrina colligitur, quod quomodo pars sensitiua efficitur virtuosior, vt in ratione principij effectiui eliciat aliquas operationes, quas secundum se non poterat, ita proportione seruata phantasmata virtute intellectus agentis efficiuntur virtuosiora ad producendum efficienter speciem intelligibilem, quam secundum se non poterant producere. Secundo est notandum, quod hanc doctrinam varie intelligunt discipuli D. Thom. aliqui enim sapientissimi Magistri dicunt, quod ex tali coniunctione quam phãtasia, seù imaginatiua habet ad animã rationalem, non habet perfectionem, qua possit communicare suo actui: nẽpe phantasmati virtutem productiuã de facto speciei intelligibilis, sed solum communicat perfectionẽ rationis cuius ordinatur ex propria ratione ad actum intellectus possibilis, tanquã ad finem, qui actus, cũ provt est actus intellectus immersi in materia, depẽdeat essentialiter ab actione intellectus agẽtis causantis principaliter speciem, per quam determinatur ad intelligendum determinatum obiectum; ideò est habilis vt assumatur ab intellectu agente, tanquam instrumẽtum, quod media actione illuminatiua, per quam ab intellectu agente illustratur, recipit aliquam virtutem intentionalem, per quam vt instrumentum producit efficiẽter speciem, & mouet intellectum.

Ita colligitur ex Soncin. lib. 7. Metaph. quæst. 14. in secundo modo explicandi, qualiter species intelligibilis substantiæ causetur à phantasmate accidentis, qui modus explicandi habetur immediatè ante solutionem argumentorum. Ita etiam colligitur ex Bañ. 1. part. quæst. 79. artic. 3. dubio penultimo, quod incipit. *Tertio explicandum est*, & dubio secundo vbi explicat, propriam operationem intellectus agentis: verum tamen est, quod isti Magistri non explicant, quid causetur in phantasmate: sed tamen Soncin. dicit ipsum perfici ex vi illius terminationis, vt ratione talis perfectionis possit causare speciem substantiæ. Bañ. vero negat virtutem, quæ sit qualitas in illo dubio secundo, & ponit actualem motionem, seù vsum, quoad talem effectum assumitur ab intellectu agente, & in dubio penultimo circa finem primę conclusionis, idem docet, & pariter loquitur de calore animalis in ordine ad actum productiuũ carnis. Ferrar. autem in secundo Cõtrag. cap. 77. aliter procedit, quamuis reputet probabile illustrationem phãtasmatis fieri, per aliquid causatum in ipso, per quod fiat potens mouere intellectum. Sed tamen, quia ego istum modum, vt magis verum, & cõsonum dictis in probatione nostræ conclusionis iudico; ideò supersedeo à relatione suæ sententiæ, & nostram placet brebiter probare duplici testimonio D. Thom. primum sit ex cap. 77. citato, vbi docet duo ad propositum. Primũ est, quod in anima est vis actiua in phãtasmata faciens ipsa intelligibilia in actu, & hæc potentia vocatur intellectus agens, ergo intellectus agens est causa actiua in ipsa phantasmata. Rursus, sed respectu illorum, non habet

aliam

aliam actionem prẽter illuminationẽ, ergo illa est vera actio producens aliquid in ipsis, per quod sunt intelligibilia in actu, & possint mouere intellectum de facto. Præterea in illo eodem cap. ait, quod actio intellectus agentis in phantasmate, præcedit receptionẽ intellectus possibilis, vt sic principalitas actionis, non attribuatur phantasmatibus, sed intellectui agenti. Ex quo sic arguitur, nulla actio intellectus agentis potest imaginari, quæ præcedat impressionem speciei intelligibilis in intellectu possibili præter illustrationem phantasmatum, ergo ex vi illuminationis participant aliquid, per quod sunt actiua de facto, aliàs si nihil participant eodem modo se haberent, atque antea, & consequenter impertinens, & otiosa esset talis actio, & præterea non esset vera actio, cum de ratione veræ actionis sit producere terminum aliquem. Prẽterea ibidem dicit D. Thom. quod phantasmata se habent ad intellectum possibilem, sicut ars ad materiam, sed in instrumẽtis artis reperitur virtus artis per modum transeuntis, ergo virtus agentis erit in phantasmatibus eodem modo. Hæc sufficiant pro nunc, quia non vacat ex professo hanc sentẽtiam probare, & iã satis digressionem fecimus; vndè in ista sententia ad argumenta: respond. solutionem ibi datam esse optimam.

Ad replicam, respond. dupliciter. Primo, transeat anteced. & neg. conseq. nam vt aliquid possit assumi, vt instrumentum sufficit, quod habeat proportionem, cum effectu quasi obediẽtialem per respectum ad agens principale, quam proportionem habet phãtasma cum intellectu agente, propter rationem assignatam. Immò ex tali ratione, sequitur talem proportionem esse aliquo modo naturalem, & si in sufficientem, vt agat independenter ab agente principali.

Secundo respond. disting. anteced. est simpliciter materialis taliter, quod excludat omnem immaterialitatem, & intelligibilitatem etiam initiatiuã, & veluti radicalem, seù virtualẽ, neg. antecedens, taliter quod excludat immaterialitatem completam, per quam res est intelligibilis complete in actu primo, conced. anteced. & nego conseq. nam vt possit assumi, vt instrumẽtum sufficit, quod aliquo modo sit in ordine immaterialis rei, & phantasma hominis, vt sic habet talem immaterialitatem, quia ex propria natura ordinatur ad intellectionem obiecti repræsentati in ipso.

Ad confirm. primam, resp. distinguendo primum anteced. si ly vt sumatur specificatiue, neg. anteced. si sumatur reduplicatiue, conced. anteced. & neg. conseq. nã vt habeat aliquid perfectionis, quod non reperitur in phantasmate bruti (v.g.) sufficit quod principium radicale potentiæ aqua procedit sit specificatiue, & adæquate sumptum anima intellectiua, quamuis ratio per quam est principium sit continentia eminentialis formalis gradus sensitiuæ: nam ob istam rationẽ dicit omne sensitiuum in homine ordinem medij ad finem ad esse intellectiuum.

Ad secundam confirmationem respond. iuxta dicta in secundo notabili post ista argumenta, quod ab anima recipit habilitatem, & capacitatem, vt possit assumi, vt instrumentum, ab ipso autem intellectu agente, recipit ipsam virtutem instrumẽtariam, modo ibi explicato ratione illustrationis, siue sit qualitas aliqua intentionaliter recepta, siue motus, aut vsus passiuus, parum enim refert ad intentum præsens quodcunque dicatur, & in sequẽtibus ideſt discutiendum de omni instrumento. Ad probationem in cõtrarium respond. quod si causa naturalis datur, quæ sit spiritualis, & nequeat operari se sola immediatè effectũ, potest optime communicare virtutẽ suo instrumento specialiter, si sit naturaliter ipsi vnitum ad effectum spiritualẽ producendum. Et ratio est manifesta, nam continet in sua virtute, vt causa

prin-

principalis illum effectum: sed non continet, ita vt immediate possit illum producere, ergo medio instrumento, ergo vt producat actu suum effectum, debet vti instrumento, & illud eleuare: sed in tali eleuatione communicatur virtus instrumentalis, & participatur virtus ipsius causæ, ergo id non solum, non inconuenit, sed est necessarium: sit exemplū aliquale in generatione hominis, in qua videmus, quod anima generantis, est principium talis actionis, & quia non est principium potens immediatè se ipsa attingere productionem hominis geniti, illam attingit mediante semine, cui suam virtutem communicauit, vt aliquo modo attingat productionem animæ geniti spiritualis, & immaterialis, & hoc nō est inconueniens, quia attingit illam, non absolute secundum suum esse: nā sic perse, & directe dimanat solum à Deo per creationem, sed attingit illā quantum ad conditionem, quā habet in quantum est actus corporis, & vt se tenet ex parte materię constituens ipsam in esse, & sic attingere illam non inconuenit, sed potius est necessariū, quia semen & si sit, quid totaliter corporale agit in virtute agentis spiritualis, vt coniuncti corpori, scilicet in virtute animæ generantis, vt actus corporis est. De quo videatur Caiet. 1. part. quæst. 118. art. 2. & Bañ. ibi. immo D. Thom. in illo art. in corp. & in solutione ad 4. id docet, licet non ita clare, & extense, sicut isti Authores explicant, Videte ipsum D. Thom. quæstio. 3. de poten. art. 9. ad 5. & 6. argum. Ita similiter dicendum est in proposito, quod quia intellectus agens est causa principalis potens producere speciem immaterialem, & per illam actuare, & mouere intellectum possibilem, & se solo id non potest præstare, quia talis species præhabetur radicaliter in obiecto repræsentato per phantasma materiale: ideò potest communicare phantasmati virtutem, vt tanquam instrumētum eius moueat intellectum possibilē, causando instrumētaliter species intelligibiles, & immateriales, quatenus sunt actus potētię intellectiuæ ortę ab anima coniuncta corpori, qua ratione nō potest intelligere, nisi dependēter à conuersione ad phantasmata, vt docet D. Th. 1. par. q. 84. & quia intellectus agens vtitur phantasmatæ, quod est actus potentiæ radicatæ in anima intellectiua, quæ est actus corporis, & præhabet rationem sensitiuæ in ordine ad intellectionem, quam potest habere in corpore, non inconuenit vti tali instrumento; immò necessarium est.

Si autem aliquis inquirat, an virtus quam recipit phantasma ab intellectu agente sit spiritualis, vel corporalis. Ad hoc dici potest conformiter ad ea, quę dici solent in materia de Sacramentis, dum de virtute instrumentali illorum, idem inquiritur: potest enim dici esse spiritualem, & quod non est inconueniens recipi in phantasmate corporeo per modum transeuntis. Maximè, quia aliquo modo est in ordine spirituali, & intelligibili, quatenus est intelligibile in potentia ex natura sua ordinatum ad intellectionem intellectus animę coniunctæ corpori, & ita videtur dicendum à tenente probabiliter, quod talis virtus sit qualitas, vt nos dicemus conclusione sequenti. Secundo etiam potest dici, esse corporalem secundum esse, & formaliter, virtualiter tamen esse spiritualem, quatenus est participatio virtutis agentis spiritualis, scilicet intellectus agentis. Et hoc sufficit, vt patet in virtute instrumentali, qua cœlum causat vitam in his inferioribus, tamē non est virtualiter vitalis, & hoc tenetur dicere, qui putauerit talem virtutem non esse qualitatem: sed motum aut vsum passiuum instrumenti, & vtrumque est probabile. Et hęc sufficiant pro nostra digressione, quam feci desiderio discipulorum acquiescēs. Secunda conclusio, secunda, & tertia opinio sunt valde probabiles in Scho-

la

la D. Thom. Hęc patet ex rationibus, quæ fiunt dum tales opiniones referuntur.

Sed tamen aduertendum duxi, quod si aliquis defendat virtutem, quę communicatur Sacramẽtis, & etiã Humanitati Christi ad causandam gratiã esse formaliter spiritualem in sua entitate, necessario tenetur dicere, quod talis virtus est aliqua qualitas supernaturalis, communicata tamen transeũter, & non permanenter. Ratio huius est, quia motus ex propria ratione si sit motus rei corporeæ qualis est omnis motus propriè dictus, est corporeus & diuisibilis in partes in sua intrinseca entitate, cũ sit successiuus, & actus entis corporei. Vndè mobilitatẽ propriè dictam Arist. probat in 6. Physic. de corpore per diuisibilatem, vt per rationem, & causam eius: atque ita si virtus instrumentalis Sacramentorũ, & Humanitatis Christi, ponatur formaliter spiritualis non potest dici cõsequenter loquendo, quod prædicta virtus sit motus, quo tales res mouentur à Deo, cum illæ sint corporeæ, & moueantur physico, & vero motu, qui proinde corporeus, & diuisibilis est. Qui verò dixerit talem virtutem esse formaliter corpoream, quia subiectatur in corpore, & vnum quodque recipitur ad modum recipientis: virtualiter tamen esse spiritualem, quia est participatio virtutis diuinæ ad causandum effectum spiritualem, scilicet gratiam, optimè, & consequenter dicet, talem virtutem esse motum, quo à Deo mouentur Sacramenta in ordine ad gratiam causandam; neque necessarium est addere aliquam qualitatem distinctam entitatiue ab ipso motu: sed ipse motus vt virtus operatiua, habet rationem qualitatis, quia constituit rem in ratione instrumenti operatiui effectus supernaturalis. Ex quo sequitur, quod cum quilibet modus dicendi ex istis sit satis germanus in schola D. Tho. inter eius discipulos. Quęlibet ex sententijs relatis est satis probabilis: dum tamen aduertatur doctrina nuper tradita, & præoculis habeatur.

Ex his elicitur hæc vltima conclusio. Problematice potest vtraque sententia sustineri. Hæc constabit ex solutione argumentorum in oppositum. Ad primum argumentum pro opinione Caiet. quatenus militat contra tertiam sententiam, quam probabilem iudicauimus. Respond. notando ex Ferrar. 4. Contrag. cap. 56. infine, quod omne instrumentum, dum mouetur à principali agente, accipit virtutẽ productiuam effectus à causa principali intenti: & quia accipit illam dum actu mouetur non durat illa virtus, nisi tẽpore, quo durat motus; & ideò dicitur à Ferrar. quod illa virtus communicatur, per modum intentionis instrumẽto, hoc est per modum motus, & transitus, & non permanẽter. Quæ doctrina intelligenda est de illa virtute, quæ vltimate constituit instrumentum in ratione principij completi respectu effectus principalis agentis ad quem mouetur. Hoc ergo supposito, respõd. D. Thom. in illo loco solũ docere, quod instrumentum non operatur, per virtutem suæ formæ, quatenus instrumẽtum est, nam in hoc distinguitur à causa principali, vt ibi docet ipse Sanctus. Vndè quando ait, quod solum operatur per motum, &c. vult dicere, quod operatur per virtutem receptã à causa principali communicatã ipsi instrumento mediante motu, quo actualiter mouetur à tali causa ad effectum superiorem producendum, & nihil aliud intendit Doct. Sanctus præter hoc, vt patet ex contextu.

Ad confirm. respond. negando anteced. quoad primam partem. Ad probationẽ negatur anteced. nam motus non habet alium effectũ præstare subiecto mobili præter moueri, & esse motum. Vndè vt recipiens motum constituatur in ratione operatiui, & actiui eget qualitate causata in ipso per talẽ motum, nam esse actionũ est effectus

forma-

formalis principij operatiui, & tale principium est qualitas pertinens ad secundam speciem qualitatis, vel ad primam, tanquam potentia, vel tanquã dispositio, vel habitus. Et propterea dicimus nos esse necessariam qualitatem in instrumento, per quam fiat in actu. Etsi quæras ad quam speciem pertineat. Respond. quod ad speciem dispositionis, quæ est forma actiua, quia ex propria ratione, & essentia est qualitas habens esse per modum intentionis, & fluxus, & non permanenter, siue dicatur pertinere directe, siue reductiue ad prædicamentum: hoc enim nihil conducit ad nostrum intentum.

Ad alteram partem argumenti, negatur illa secunda pars antecedentis, ad cuius probationem concessa, mai. negat. min. sed dicendum est, conformiter ad doctrinam citatam D. Thom. in illa solutione. Quod in voce sensibili præter vsum ipsius, & pręter eius significationem est vis quædam spiritualis, quatenus procedit à conceptione mentis in ordine ad excitandum, & mouendum efficienter intellectũ cognoscentis, vt cognoscat suum significatum. Et eodem modo loquendum est de Sacramentis, quod scilicet in illis sit aliqua virtus distincta à motu, quo mouentur à Deo ad causandam gratiam. Immò videtur necessario dicendum hoc, si teneamus cum D. Thom. talem virtutem gratiæ causatiuam esse formaliter spiritualem: quia motus rei corporeæ, & sensibilis qualis est Sacramentum, non potest esse spiritualis formaliter, cum debeat esse diuisibilis in partes priores, & posteriores, & spirituale sit indiuisibile, & carés partibus, vndè cum Doct. Sanctus doceat in illa solutione, quod virtus Sacramẽtorum ad gratiam causandam est spiritualis, & quod non implicat recipi in corpore, quia recipitur incomplete, & non permanenter, videtur magis consonum esse suæ menti ponere qualitatem distinctam entitatiue à motu, tanquam virtutem, quam ipsum motũ artificiosum.

Ad secundum resp. D. Thom. non velle in illo loco docere, quod illa virtus factiua miraculi, non sit qualitas secundum rem, sed quod non sit qualitas actiua secundum modum qualitatis permanentis inhærentiam permanentem habens in subiecto recipiente illam, & congruit hęc expositio litterę, nam Doct. Sanctus ibi ponit differentiam inter gratiam actualem, qua homo adiuuatur à Deo ad aliquid agendum, vel cognoscendum, & inter gratiam habitualem, cum ergo contraponat primam gratiam ad secundam, & hæc sit qualitas permanens, & completum esse habens in subiecto, quãdo ait illam non esse qualitatem, sed motũ, debet intelligi non esse qualitatẽ perfectam, & permanentem, sicut altera gratia, non vero, non esse absolute, & secundum rem qualitatem.

Ad tertiũ resp. negand. primũ anteced. pro secũda parte, ad cuius probationẽ concess. antec. negat. cõseq. Ratio est, quia dari qualitatem permanẽtem, quæ sit secundum rationem suam operatiua gratiæ, & miraculorum repugnat, eo quod, quia qualitas permanens dicit tantam perfectionem, sequeretur esse causam principalem effectuum supernaturalium, vt dictum est dubitatione vltima in argumento. At vero qualitas fluens, non repugnat, quod detur, quia non exposcit tantam perfectionem, & sic potest esse virtus instrumentalis; pendet enim ab actuali motione agentis infiniti. Vndè potius, quia est imperfectior qualitate permanente potest dari: non autẽ potest dari qualitas permanens.

Secundo potest dici, iuxta mentem sapientissimi Herrer. distinguendo illud consequens, non poterit fluẽs qualitas attingere ad perfectionem principij operatiui gratiæ, & miraculorum, secundum propriam virtutem, sibi cõnaturalem, transeat consequens, secũdum virtutem, sibi à Deo actualiter cõmunicatam, quia subordinatur ipsi actualiter producenti eam in ordine ad

effe-

effectum supernaturalem producendum, nego conseq. hęc enim est differentia inter qualitatem permanẽtem, & transeuntẽ: quod permanens operatur per virtutẽ, sibi propriã, & connaturalẽ effectum, cũ quo habet proportionẽ, & ad quẽ ex propria natura ordinatur, sine subordinatione ad aliam superiorẽ virtutẽ eleuãtem actualiter eam ad effectũ; & ideò est causa principalis necessario; at verò qualitas trãsiens est illa, quæ operatur effectum in virtute alterius, cui subordinatur, tanquã actuali operanti, & transfundenti in eam suam vim, & efficaciam.

Sed contra istam solutionem sic arguitur. Hæc qualitas transiens, nõ habet aliã essentiam, nisi essentiã virtutis operatiuæ, ergo ex propria virtute operatur effectus excedentes totũ ordinẽ naturæ: ergo hæc solutio nulla est: nã videtur supponere istam qualitatẽ habere aliam essentiam, cui communicetur vis, & efficacia ad agendũ. Hoc argumentum certe cõuincit istam solutionem in falso principio fundari; si vt iacet intelligatur. Et distinctio cõsequentis hoc clare indicat si cum rigore significationem terminorum capiamus. Vndè melius videtur nõ distinguere, sed negare consequent. cum prima solutione nostra, & explicare illam per differentiam constitutam. Vel aliter distinguere possumus consequens, per modum principij non subordinati actioni, & motioni agentis principalis, conced. consequent. per modum principij subordinati actuali motioni, & influxui agentis principalis, nego consequent. nam sic est virtus operatiua talis qualitas, quia est actualis participatio virtutis agentis principalis, quod dicendum est, necessario in omnium opinione, nam qui dicunt motum artificiosum, vt artificiosum, esse virtutem instrumentalem, hoc argumentum tenentur soluere; nam licet sub alijs verbis, idem tamen potest confici sic. Non datur virtus instrumentalis permanens in subiecto, & habens esse completum in illo, quia in subiecto corporeo, vis spiritualis non potest esse permanenter: ergo nec datur transiens. Vndè sicut omnes hanc conseq. tenentur negare, & assignare disparitatem, tum modo in argumento positam, tum assignatam in nostra solutione, quia data virtute permanente esset potentia actiua, seu habitus actiuus habens rationem principij completi, & hoc implicat, vt iam dixi sæpe, quod non sequitur ex hoc quod ponatur virtus transiens; ita eodem modo nihil valet conseq. sicut ista non valet, non datur virtus principalis creata respectu gratiæ, ergo nec instrumentalis.

Ad nostrã replicam; conformiter ad istam doctrinam, concedendũ est totũ, quia nihil probat contra nos, vt patet ex dictis. Ad secundã partem argumenti, primo resp. neg. antec. nã actus intellectus, & voluntatis, & alij actus aliarũ potẽtiarũ, sunt qualitates de se transeũtes, cũ sint dispositiones, & nõ habitus, qui solum ex propria ratione dicunt permanentiam in subiecto. Ex hoc autem non sequitur, quod habeãt partẽ post partem huiusmodi qualitates, quia sunt indiuisibiles, & totum suum esse habent simul. Vndè communiter, & vere dicitur istos actus mẽsurari instanti discreto, quod est totũ simul: Vndè causalis posita in arg. impertinens est. Similiter dico, quod illud quod in min. subsumitur est falsum, quia licet de potẽtia Dei absoluta possit Deus istas qualitates cõseruare multo tẽpore, hoc tamẽ esset prærer earũ naturã, secundũ quam petunt cito trãsire, & parũ durare, sicut petũt esse facile mobiles à subiecto, quod est idẽ: & sic illa conseruatio esset miraculosa: ita eodẽ modo possumus dicere de qualitate, de qua modo loquimur, quod scilicet esset trãsiẽs ex sua natura & nõ haberet successionẽ partiũ vnius post aliã. Esto; hæc doctrina cõformis doctrinę, quã tradit Ferr. in 4. Cõtrag. loco cit. ad primum Scot. vbi docet

virtutem causatiuam gratiæ esse in Sacramento indiuisibiliter, totam scilicet in toto Sacramẽto, & totã in singulis partibus, nec reputat inconueniẽs, quod aliquæ formæ incompletæ habẽtes esse diminutum sint indiuisibiles ad instar animæ rationalis. Et in solutione ad secundum ait, quod ista virtus est in vltima syllaba in ordine ad præcedentes, ideſt, vt significationem totius orationis complet, vt sic saluet talem virtutem, non migrare de subiecto in subiectum.

Secundo potest dici, quod talis qualitas, quæ est virtus instrumentalis, est constans ex pluribus partialibus, quarum quęlibet est in singulis verbis Sacramentalibus, & in singulis partibus Sacramenti, semper tamen dicendum est esse transeuntem modo explicato, quia scilicet est virtus fluens à virtute causæ principalis transfusſæ in illam, quæ in sua operatione depẽdet ex subordinatione ad influxum causæ principalis, & exactuali motione illius. Ex quo non sequitur esse successiuam, vt intenditur in argumento, nec sequitur consequens illatum, quod scilicet, sicut potest esse transiens, & fluẽs possit etiam esse permanens.

Ad quartum resp. istam qualitatem habere ex sua natura posse facere aliqua miracula, nõ tamen principaliter, sed instrumentaliter, & neg. min. Ad cuius probationẽ distinguo antec. posse instrumentaliter, neg. antec. principaliter conc. antec. Ad probationẽ anteced. quatenus contra istã solutionem potest obiici, distinguo anteced. si comparemus omnia miracula, quæ Deus potest facere, etiã circa ipsam qualitatẽ transeat anteced. quod hæc opera excedãt vim cuiuslibet qualitatis creatæ imò & creabilis, si verò cõparemus aliqua miracula, nego quod excedant vim talis qualitatis. Et nos in presenti, vt ex dictis tertia dubitatione patet, non ponimus qualitatẽ, quæ sit virtus instrumẽtalis respectu omniũ miraculorũ, sed respectu aliquorũ in particulari, quia hoc est possibile, cum nõ arguat infinitatẽ, primũ vero impossibile, forte quia arguit infinitatẽ, & omnipotentiã in virtute, & omnipotentiã etiam instrumentaliter implicat cõmunicari creaturæ, vt dictum est art. 1.

Ad secundam partem arg. resp. quod non militat contra nos. Ad confirmat. resp. quod hæc qualitas non esset vna secundum numerum, neque secũdum speciem ad omnia miracula, propter rationem assignatam in argumento, cum tot, tamque diuersa fiant miracula in diuersis generibus, & ordinibus, & tam varijs modis videtur hoc excedere naturam cuiuslibet entis creati, & finiti; non tamen singula miracula exposcerent distinctas virtutes instrumentales, etiamsi essent distinctę speciei, vt patet exemplis: nam character Sacerdotalis est instrumentum respectu cõsecrationis, cõuersionis (inquã) panis in Corpus, & respectu gratię causatæ media absolutione. Vndè optimè potest dari vna qualitas, quæ sit sufficiens ad aliqua miracula efficienda, etiam distinctæ speciei, maxime si habeant aliquem ordinem inter se, in hoc enim nulla apparet ratio implicationis, cũ non requiratur infinita virtus.

Ad alteram partẽ arg. resp. negãdo esse incõueniens multiplicare in Christo varias qualitates, sicut nõ est inconueniẽs multiplicare in eo varia auxilia actualia ad varias operationes. Aduertendum tamen est, quod non est dicendum multiplicari virtutẽ in Christo, ex eo, quod causat, vel conseruat gratiã in diuersis hominibus, quia vnica virtus, & vnica actio ex parte agentis, potest terminari ad terminos eiusdem speciei, qui plurificantur numero ex parte passi, vt ignis vnica actione, & virtute ex parte ipsius producit plures calores in pluribus lignis. Sed dicet aliquis. Bene potest dari vnica qualitas respectu omniũ miraculorum exclusis illis, quæ possunt fieri respectu ipsius qualitatis ad minus, ergo non est, cur tot multiplicentur qualitates in Chri-

sto.

sto. Prob. antec. nam ex parte obiecti, scilicet miraculi datur vna ratio formalis, ergo ab illa poterit sumere speciem qualitas actiua. Prob. antec. datur hoc, quod est fieri præter, & supra naturam, quod est ratio in qua omnes effectus miraculosi conueniunt, ergo.

Resp. hoc argumento licet impugnetur veritas nostræ solutionis, tamen conclusionis confirmatur. Præterea in defensionem veritatis solutionis, nego anteced. ad probationem distinguo anteced. vna ratio formalis athoma, & specialis, neg. antec. generalis tanquam ratio communis, & transcendens, transeat anteced. & neg. conseq. quia illa ratio multiplicatur specie. Immò, & genere, per varios & diuersos modos, quibus in particulari fiunt miracula particularia, est exemplū in effectibus ordinis naturalis, qui licet cōueniant in hoc, quod est fieri ordine naturali, & à causa naturali, tamē quia hęc ratio est veluti transcendens, & nimis communis non potest specificare vnam virtutem specificam, quæ sit sufficiens principium respectu productionis illorum, quia talis ratio partitur multis modis per diuersos modos productionis naturalis, non modo specie, sed etiam genere diuersos, sic in presenti est dicendum: ex his patet probabilitas magna tertiæ sententiæ.

Ad argumenta illius, quatenus contra secundam sententiam Caietan. pugnant: respondere placet, vt etiam eius probabilitas appareat. Ad primum respondet, disting. maior. solum se habent passiue respectu motus, si considerentur in ratione mobilium in potentia, transeat, si considerentur, vt capacia cooperari causæ principali, neg. anteced. sic enim passiue recipiunt motum, sed non sistit ordo mouentis instrūmtū in hoc, quia ordinat illud ad effectum, quem intendit producendum. Et ita per illum motum, & mouetur, & constituitur in ratione actiui: quemadmodum solet dici de auxilio actuali necessario ad operandum, quod voluntas recipit passiue illud, cęterum illud receptum, quia est virtus operatiua per modum complementi constituit ipsam in ratione principij completi operationis, & idem tenentur dicere de qualitate, quam ipsi ponunt, nam etiam illam recipit instrumentum passiue.

Ad secundum argumentum, resp. neg. anteced. pro vtraque parte, dicendum nāque est, quod quilibet ille motus, potest poni, vt virtus instrumentalis: nam habet duplicem rationem inadæquatam, alteram constituendi instrumentum, quatenus est participatio virtutis diuinæ, vel alterius principalis: alteram applicandi, vel concurrendi ad effectus actualem productionem. Prima formalitas præsupponitur ad alterā, & sic verificatur, quod instrumentum prius natura sit potens operari, & postea applicetur, & de facto operetur, nec est amplius necessarium in instrumentis huiusmodi, in quibus tota ratio agendi, est ipsa virtus principalis agentis.

Ad probationem pro secunda parte admisso, antec. neg. conseq. si intelligatur de propria productione termini, si vero intelligatur de aliqua emanatione, seū naturali consecutione, conceditur. Ratio est, quia illa motio actiua infert actiuē passionem, seū motionem passiuam in instrumento moto, & nullam aliam entitatem, sed entitas, quam producit est terminus productus in extrinseco subiecto, circa quod causa principalis eleuans instrumentum, simul cum ipso instrumento operatur, vt gratiam, vel miraculum, vel aliud quipiam, neque est necessarium, quod in instrumento causet aliquid, quia tota illa motio est in ordine ad effectum causandum per instrumentum eleuatum.

Ad argumenta probantia secundā partem sententię, resp. ad primum explicando mai. scilicet quod virtus operatiua, vt sic, est qualitas, & dico, quod

in sensu formali est vera, loquendo de qualitate in abstractione à qualitate completa, quę directe est in prædicamento, & à qualitate in completa, & imperfecta, quæ reductiue est in genere qualitatis, & tunc, conced. min. & distinguo consequens, est qualitas entitatiue, & in sua entitate, neg. conseq. est qualitas reductiue subformalitate virtutis fateor conseq. & hoc solũ probant rationes in argumento multiplicatę. Solutio colligitur ex doctrina D. Caiet. infra q. 62. art. 4. §. *Tria, ergo cũ hic*, per totum. Vbi istam virtutem instrumentalem, ait, idẽtice esse entitatem motus virtuosi, & non aliquid superadditum, tamen in ratione virtutis, & sub ista formalitate, ait, esse de genere qualitatis reductiue tantum. Videatur in toto §. & toto commentario illius art.

Caiet.

Ad confirm. desumptam ex doctrina D. Th. resp. quod Sanct. Doct. vocat istam virtutem spiritaalem, non entitatiue, sed formaliter, scilicet in ratione virtutis, ita glossat illum Caiet. in citato commentario paulo ante §. allegatum: tunc ergo distinguo min. si esset virtus Sacramentorum motus, sub ratione formali, conced. min. si esset sub formalitate virtutis, & participatione virtutis Dei, quod habet in ratione motus virtuosi, neg. minor. sic enim est formaliter spiritualis, sicut & est qualitas modo explicato: habet ergo iste motus tria, & rationem motus absolute, & rationem motus virtuosi, & rationem virtutis, primo modo solum habet reddere aquam baptismi (v.g.) motam: secundo motam virtuosẽ, hoc est ordinatam ad gratiam in anima causandam: ratione tertię formalitatis constituit aquam potentem gratiam causare, & hæc formalitas, quasi consequitur ad secundam, & vocatur vis spiritualis, quia continet effectum spiritualem, consequiturque ad secundam, quia vt Doct. Sanct. ait, in illa solutione ad primum: ideò virtus spiritualis est in Sacramentis in quantum ordinantur à Deo ad effectum spiritualem.

Ad secundam confirm. conced. totum, & neg. conseq. quia character est potentia, & virtus in completa, adhuc in ratione virtutis instrumentalis, cui superuenit motus, de quo loquimur, & quia illo constituto, omnis alia entitas superueniens est superflua; ideò illam excludimus, cum Caiet. & non alia de causa. Ad tertium argum. concedo illud discrimen, sed aduertendũ est, quod illud nõ assignatur, quia species consecratæ habeant permanenter aliquam virtutem instrumentalẽ distinctam à Corpore Christi, sed quia continent ipsum Christi Corpus, quod est instrumentum coniunctum diuinitatis, quod tamen non cõtinẽt intrinsicè alia Sacramenta. Cæterum cum Sacramentũ Eucharistiæ actualiter causat ipsam gratiam, etiam eleuatur, per motum virtuosum, sicut & alia Sacramenta. Vel dicẽdum est, quod nulla alia virtus superadditur præterip-sum Christum, qui est sufficiẽs ad causandam gratiam, etiam provt continetur in Sacramento.

Ad quartum resp. illud argumentũ procedere de ista virtute materialiter & identice; non verò formaliter: sic enim sicut verificatur de illa, quod est spiritualis, potest & debet verificari, quod sit indiuisibilis, & in vltimo instanti. Ad confirm. resp. ex Caiet. in commentar. illius art. qui consequenter ad suam opinionem docens talem, virtutem in Verbis Sacramentalibus existentem, non esse qualitatem secundũ rem distinctã à motu virtuoso, quo verba, vt prolata à Sacerdote, seu alio ministro alterius Sacramenti mouẽtur à Deo, ait, quod quãdiu Deus vtitur per ministerium Sacerdotis verbis Sacramentalibus, tandiu est virtus Sacramentalis in illis inchoatiue, tamen & in fieri, vsque ad terminationem, in ipsa autẽ terminatione inuenitur virtus perfecta, sicut ipsa oratio dũ partes proferuntur, est in fieri, & incomplete,

plete, dum autem vltima dictio profertur: tūc est perfecte oratio, quia habet perfectam significationem: cum autem virtus consequatur significationem solum, est complete, & perfecte in vltima syllaba in ordine ad precedētes, vt expresse docet ipse S. Tho. in illa solutione, & ideò ista virtus, nō prius, nec post operatur: Sed tantum cum perfecte, est denominans perfectum signū, & Sacramentum, ex qua doctrina colligitur solutio in forma, concedendo totum, quod ex D. Thom. allegatur negat. conseq. loquendo de qualitate secundum rem distincta, conceditur tamen de qualitate formaliter sumpta, per ordinem ad effectum, & hoc sufficit vt in vltimo instanti dicatur oratio habere virtutem, ideſt formalitatem virtutis complete, quia tunc habet significationem completam, quæ presupponitur necessario causalitati, & virtuti. Ad confirm. resp. eodem modo, cōced. primam conseq. & disting. consequens secundum, est qualitas secundū rem distincta à motu orationis, neg. cōseq. ratione formali, conced. conseq. & sic dicendum est, talem virtutem ratione identitatis in entitate, cum motu habere successionem, sicut ipse motus, ratione verò suæ rationis formalis nullam successionem habere: sed tantū esse complete, dum oratio completam rationem signi habet.

Sed dices, hæc virtus, vt ait Caiet. est incōplete, dum singule partes orationis proferūtur, ergo in ratione virtutis habet successionem, & sic non dicetur indiuisibilis, & simplex etiā formaliter. Probat. conseq. nam illud est ens successiuum, quod signata aliqua parte motus in illa est incomplete, & in fine motus habet primum mutatū esse in quo est complete, vt patet in calefactione, & calore; sed hoc verificatur de ista virtute in ratione virtutis, ergo. Hoc argumentū nullā habet vim, sustinendo illā, virtutē nullo modo esse in ratione virtutis, vsque ad terminationē orationis, & motus scilicet in vltima dictione, per ordinē ad præcedentes, sicut significatio Sacramentalis tantū est, tūc & nō in singulis syllabis, & dictionibus. Sed in opinione Caiet. resp. ad argumētum dupliciter. Primo dicēdo, quod non ponimus nos partes formalitatis virtutis correspondentes partibus motus, ita vt quælibet pars motus, seù orationis quælibet syllaba haberet aliqualē formalitatē partialitatē virtutis: nam hoc certe esset assignare diuisionē in tali formalitate, vt probat argumentū, & patet exemplo constituto de calore; sed dum ait Caiet. esse in singulis syllabis virtutē Sacramentalem inferi, nihil aliud est, quam dicere, quod illæ syllabæ sunt intendentia ad habendam virtutem ratione vltimæ, cum qua faciunt vnā orationem, & vnū signum, ita vt saluetur, quod totum signum est Sacramentum, & est instrumentum.

Secundo resp. neg. cōseq. in forma, ad cuius probationem disting. mai. taliter, quod esse completum coalescat ex perfectionibus præexistentibus in præcedentibus partibus motus, cōced. mai. taliter, quod pereant priores perfectiones, & non intrent constitutionē rei acquisitæ per motum, neg. mai. & ad minor. nego in ista virtute reperiri, quod necessarium est ad rationem diuisibilitatis: nam formalitas virtutis, quę est complete in vltima syllaba prolata, nō coalescit ex alijs gradibus, seù perfectionibus præcedentibus, & vltima perfectione acquisita in vltima parte motus, sed secundūm totam formaliter, sine aliqua cōpositione formalitatis ponitur tunc, quasi consequēs significationē totius signi. Tertiò potest dici, quod hæc virtus habet successionē ratione motus, & suarum partium, quia hęc formalitas communicatur instrumento per motum, & est identice ipse motus, nō vero ratione suæ quidditatis, quæ est participatio virtutis diuinæ ordinata ad gratiam causandam; sic enim tota simul est, & petit esse, vnde est in vltima syllaba.

Ad argumenta quibus probatur vltima pars istitius sententiæ, nō est respondendum, quia probant euidenter intentum, & nos concedimus libēter, quod data illa qualitate debet esse supernaturalis, sicut de facto in omni sententia concedendum est, virtutem instrumentalem Sacramentorum, & aliorum instrumentorum Dei ad effectus supra, & præternaturam esse formaliter in ratione virtutis supernaturalem, propter argumēta in illo ordine constituta, & hæc de præsenti difficultate.

VLTIMA DVBITATIO SOLET hic moueri à Doctoribus, circa vltimam partem conclusionis secundæ D. Thom.

Vtrùm anima Christi, quatenus est instrumentum Verbi, habuerit potentiam ad anihilandum?

CONCLVSIO D. Thom. in hac difficultate est negatiua, quam probat duplici ratione. Prima est, quia anihilatio rei correspondet creationi, sed nulla creatura potest creare, etiam instrumentaliter: ergo neque anihilare, mai. est certa, & min. supponitur ex 1. part. quæst. 45. Vbi ex professo Doct. Sanctus disputat, an aliqua creatura possit assumi, vt instrumētum ad creādum, & partem negatiuam resoluit, etiam loquendo respectu potētiæ Dei absolutę, ita vt solus Deus sit causa creans res ex nihilo. Secūda ratio est, solus Deus conseruat res in esse, ne in nihilum decidant: ergo solus Deus potest anihilare. Probatur conseq. quia anihilatio est substractio concursus conseruatiui, seū cessatio à conseruatione: ergo solū potest anihilare causa, quæ potest cessare à conseruatione, qualis tantum est causa perse conseruans. Circa istam secundam rationem est aduertendum, quod D. Thom. debet intelligi de conseruatione rerum in esse, non quomodocunque, sed de conseruatione in esse considerādo esse absolute, vt est actualitas educens rem extra nihil: qua ratione solū correspondet causę vltimæ qualis est prima, tāquam vniuersalissimus effectus, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 109. art. 5. non vero debet intelligi de conseruatione rerum in esse specifico: nā isto modo sicut Deus causat simul, cū causis secundis, ita conseruat. Videatur sapientis. Bañ. 1. part. quæst. cit. & quæst. 104. art. 2. in quo Doct. Sanctus docet, quod causæ secundę conseruant secundario res in esse, quam doctrinā modo à nobis explicato intelligit Bañ. & diffusse satisque recte illā explicat.

Sed contra est argumētum. Ad anihilandum non requiritur virtus infinita, sicut ad creandum, ergo non bene infert D. Thom. creaturam non posse anihilare, quia non potest creare. Probat. anteced. ideò ad creandum requiritur virtus infinita, quia operatio fit circa nihil educendo ex eo ens inquātum ens, vndè quia creatura nō potest participare virtutem infinitam, nō potest agere erga nihil, sed in anihilatione præsupponitur subiectū, circa quod fiat operatio, ergo. Propter hoc argumentum aliqui etiam ex discipulis D. Thom. tenent partem affirmatiuam, sed tamen isti non calent doctrinam sui Magistri, & Caiet. in presenti, qui explicans D. Thom. 1. part. quæst. 45. art. 1. dicentem omne instrumentum debere habere operationem præuiam ad effectū principalis agētis, ait, quod hæc actio est delatio imperij diuini ad creaturam, circa quam debet fieri operatio agentis principalis, vndè quia in creatione, non datur aliquid ad quod defferatur imperium diuinum, ideò non potest assumi creatura ad creandum, quia circa nihil tantum virtus infinita operari potest. Ex quo deducit resolutionem nostrę difficultatis, quæ consistit in hoc, quod quia ex parte termini ad quem anihilationis nullum ens datur, sed purum nihil, & ad

nihil

nihil non posset creatura deferre imperium, & actionem Dei: ideò non potest anihilare, quia perducere rem ad nihil, etiam exposcit virtutem infinitam.

Ad argumentum ergo in forma, resp. neg. anteced. ad probationem cõcef. mai. & min. nego conseq. nam licet ex parte termini à quo anihilationis præsupponatur ens ad quod terminetur operatio creaturę: tamen ex parte termini ad quem est purum nihil ad quod non potest creatura deferre imperium diuinum propter eius determinationem, & finitatem, & ideò non potest anihilare, nisi agens infinitum, cuius est proprium habere actionem, circa nihil quocunque modo consideratum, siue ex parte termini à quo, siue ex parte termini ad quem; vndè claritatis gratia disting. min. præsupponitur subiectum, circa quod possit creatura operari præsuppositiue, & dispositiue respectu actionis, quę est via subiecti ad purum nihil, neg. min. respectu alterius actionis transeat, min. & neg. conseq. quia ad rationem anihilationis requiritur, quod creatura attingat subiectũ per ducendo ipsum ad nihil purũ, ad quod debet dispositiue operari per delationem diuini imperij practici ad illud, quod est impossibile, vt dictum est. Cætera, quæ hic desiderari possunt videantur in interpretibus, locis citatis, vbi ex professo agitur de creatione, & conseruatione rerũ, & hic etiã aliqui Thomistæ, istam difficultatem difusse tractant, sed nobis pro explicatione rationum D. Thom. prout hic necessarium est, dicta sufficiant.

ARTICVLVS III.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis?

PRIMA conclusio D. Thom. est anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem, non habuit omnipotentiam respectu immutationis proprij corporis. Hanc probat optimè D. Thom. ex eo, quod anima Christi, non poterat immutare exteriora corpora à cursu, & ordine naturæ: ergo multo minus poterat immutare propriũ corpus à sua naturali dispositione. Conseq. probat, quia anima Christi, sicut quælibet alia habebat proportionem determinatam secundum suam naturam ad proprium corpus, ergo non poterat, &c. videtur cõseq. certa, ex eo quod proportio determinata vnius formæ, cum aliquo subiecto, non est principium ad destructionem, aut immutationem à propria & naturali perfectione, sibi debita, sed potius est principium ad perficiẽdum extremum proportionis intra propriã naturam, & naturalem dispositionem. Ex ratione ista sequitur notandum, quod habere omnipotentiam respectu alicuius, aliquam rem est habere virtutem ad immutandum rem à sua naturali dispositione, ita vt extrahatur à dispositione naturaliter conuenienti tali rei, & conformiter ad eius naturã, vt (v. g.) si anima haberet omnipotentiam respectu corporis posset facere, quod corpus immutaretur, & secundũ propriã formã, & figurã quãtitatiuam, & secundum operationes, ita vt potentiæ naturales cessarent à suis proprijs operationibus, vt quod vis nutritiua nõ aleret, aut augeret subiectum: hanc ergo omnipotentiam negat D. Thom. animæ Christi respectu sui corporis loquendo de anima, secũdum naturam suam.

Secunda conclusio est, considerãdo animam, vt instaumentum verbi habet omnipotentiam respectu proprij corporis, quia plene subiicitur ei omnis dispositio sui corporis illa subiectione, qua subiicitur verbo per ipsam operãti. Hanc ipse D. Thom. optimè explicat, & etiam Caiet. vndè hæc sufficiant pro istius art. expositione

(?)

ARTICVLVS. IV.

Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis?

RESP. Doct. Sanctus quæsito, præmissa quadam distinctione, quæ est fundamentũ ex quo elicit duplicem conclusionem. Distinctio talis est, dupliciter potest intelligi animam Christi aliquid voluisse, vno modo quasi perse implendum, idest per propriam virtutem naturalem, vel gratuitam; secundo modo, voluit aliquid, vt implendũ virtute diuina, sic voluit resurrectionẽ sui corporis, & alia opera miraculosa, quæ poterat implere, non per propriã virtutem, sed per virtutem instrumentalem, quatenus erat instrumentum coniunctum Verbi Diuini.

Hac supposita distinctione est prima conclusio. Quidquid voluit, quod erat exequendum per se ipsam potuit implere, & impletum est. Hæc conclusio probat. primo in argumento, sed contra ex quadam authoritate D. August. in lib. quæstionum noui, & veteris Testam. vbi dicit hæc verba: *Impossibile est, quod Saluatoris voluntas, non impleatur, nec potest velle, quod scit fieri non debere*: ergo respectu eorum, quæ per propriam virtutem poterat facere, dicendum est, quod quidquid voluit impletum est. Secũdo probat. in corpore hac ratione: non est cõueniens suæ sapientiæ, vt aliquid velit perse facere, quod suæ virtuti nõ subiaceret, ergo quidquid voluit exequẽdum perse ipsam impletum est, aliàs vellet vt stultus, & minus sapiens.

D. August.

Secunda conclusio. Quidquid voluit, vt implendum diuina virtute potuit facere vt instrumẽtum Verbi per virtutem instrumẽtariam. Hæc perse ipsam est manifesta; vndè non probatur à Doct. Sancto. In solutione ad primũ docet D. Sanctus, posse intelligi dupliciter verba illa, quę refert Matth. cap. 9. dixisse Christum D. cæcis illuminatis ab ipso modo comminatorio, commendando eis, & præcipiendo, vt celarent, & tacerent miraculum illuminationis, dicẽs: *Videte nequis sciat, illi autem exeuntes diffamauerunt illũ per totam terram illam.* Prima intelligentia est assignata in prima solutione, quæ sumarie in hoc consistit, quod scilicet voluntas Christi impleta est, & factum est illud, quod voluit: nam in illis verbis manifestauit se voluisse, vt à suis non prædicaretur; tamen simul voluit à non suis, scilicet Gentilibus requiri, & quod Gentiles vltrò venientes ad fidem susciperentur in præmium suæ diligentiæ, quam voluit haberi ab aliquibus Gentilibus, etiam in tempore in quo secundum præscientiam Dei, & sui decreti, non expediebat prædicare sua miracula. Hęc expositio quantum ad substantiam est eadẽ cum illa, quam assignat in commentario speciali super Matth. vbi docet, quod pręcepit illis cæcis illuminatis, ne dicerent miracũlum, volens quod in illo opere tacerent bonum, quod ad illos pertinebat, scilicet accessum voluntarium ad Christum, & actũ fidei, quo crediderunt ipsum habere virtutẽ ad illuminandum illos: non tamen voluit absoluta voluntate, quod miraculum illud tacerent, qua parte pertinebat ad gloriam Domini ipsius: hanc enim perse semper intendit Christus D. Sic concordat verba Matth. cit. cũ verbis, Lucæ cap. 9. vbi dicitur: *Vade ad tuos, & annuncia Regnum Dei.* Expositionem istam fundat ibi in illa, quam assignat Chrysost. dicens, quod in bonis nostris duo possumus considerare, quod Dei est, & quod nostri est, quod nostri est debemus latere, quod Dei est debemus manifestare, vt Paul. ad Philippens. 2. docet per hęc verba: *Quærentes non quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi.* Vndè illis verbis: *Videte nequis sciat*, dicit Sanct. Doct. docuit illos vitare vanam gloriam.

Matth. 9.

Luc. 9.

Philipp. 2.

Sed

Sed tunc est argumentum. Christus voluit ad docendam vitationem vanę gloriæ, vt illi non diffamarent: sed tacerent, & tamen non tacuerunt, sed diffamauerunt, ergo non est impleta voluntas eius, & sic remanet argumẽtum in sua vi. Confirm. quia ad minus sequitur, quod illi homines frangentes præceptum domini peccauerunt, quod nõ est concedẽdũ, quia manifestare miraculum in ordinẽ ad gloriam Dei, & Christi optimum opus est, & maxime laudabile: ergo explicatio non est bona. Respond. disting. mai. voluit illos tacere miraculum pro illa parte, qua erat bonum Christi pertinens ad manifestationem suæ diuinitatis incarnatę, neg. mai. voluit illos tacere pro illa parte, qua redũdabat diffamatio miraculi in bonum proprium, conced. mai. & tunc disting. min. diffamauerunt intendendo bonum proprium, neg. min. bonum ipsius Christi, vt dictum est in glossa conced. min.

Ad confirm. respon. negand. sequelam, quia propter rationem factam in solutione argumenti, & in explicatione D. Thom. illud fecerunt bona fide, & sana intentione, non quærẽtes propriam gloriam ab illis quibus dixerũt miraculum, sed gloriam Christi, & sui patris, & ita quamuis ipsi, non intellexissent animum, & finem Christi explicatum impleuerunt præceptum quantum ad vim formalem ipsius: siquidem vitauerunt vanam gloriam intendentes gloriam Christi, nec refertur illos manifestasse accessum eorum ad Christum, & fidem propriam in ipsum. Ex hac doctrina infertur, quod quamuis ipsi dicerent sua opera bona, ad quæ attendens Christus vsus est sua misericordia illuminando eos, adhuc non frangerent præceptum, quia illa verba: *Videte ne quis sciat*, intelligenda sunt in hoc sensu, ne quis sciat à vobis intendentibus gloriam vestram apud homines, iuxta præceptum Domini, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videãtur opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrũ qui in Cœlis est.* Et repetit idem præceptum, Matth. cap. 6. sub istis verbis: *Attendite ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin non habebitis mercedẽ apud Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Matth. 5. Matth. 6.

Secunda explicatio adhibetur à D. Thom. in secunda solutione, ad primum argumentum dicendo, quod illa voluntas Christi, non fuit de eo, quod per ipsum implendum, & fiendum erat; sed de eo, quod erat fiendum per alios, quod non subiacebat humanę voluntati ipsius, & confirmat authoritate Agathonis Papæ, cuius verba refert.

Circa istã secũdam solutionem mouet dubium sapientissim. M. Medin: *Vtrùm voluntas Humana Christi voluntate absoluta, & efficaci aliquid voluerit faciendum, per alios, quod re vera executioni, non sit mandatum.* Tenet opinionem negatiuam, vt magis probabilem, quamuis affirmatiuam, quam sustinet Caiet. hic in commentario art. dicat etiam probabilem, & vtramque problematice posse defendi. Certe mihi probabilior, & magis consona veritati, & commendans subordinationem voluntatis Humanæ Christi, cum voluntate absoluta suæ diuinitatis cognita ab ipso saltim, per scientiã beatã apparet negatiua ipsius. Sed ex professo, & diffusse hanc dubitationẽ resoluere pertinet ad q. 18. huius partis, vbi disputatur de voluntate humana Christi, & conformitate eius, cum voluntate diuina, & ideò supersedere ab illa iudicaui prorsus conueniens. Et hæc de tota quæstion. 13. Medin.

(?)

QVAEST.

QVÆSTIO XXIII.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vrùm Deo conueniat filios adoptare?

CONCLVSIO affirmatiua sic formatur: Deo conuenit homines in filios adoptare, inquantũ eos ex sua bonitate admittit ad beatitudinis hæreditatẽ. Ratio desumpta in argumẽto, *sed cõtra*, est ex illo Paul. ad Eph. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, sed prædestinatio Dei non est irrita, ergo Deus aliquos, sibi adoptat in filios. *Eph. 1.*

Secunda ratio ex corpore art. sic formatur, supponendo, quod ratio diuinæ adoptionis desumenda est, secundum similitudinem ad rationem adoptionis humanę. Hoc principium implicite præmittit D. Thom. quia res diuinas per analogiam, ad humas debemus agnoscere. Hoc præmisso formanda est ratio ita: In tantum aliquis homo adoptat alium in filium eius, inquantum ex sua bonitate admittit eum, ad participationem suæ hæreditatis, sed Deus ex sua bonitate admittit hominẽ ad suę hæreditatis participationem, ergo in tantum dicitur eos adoptare in quantum illos, sic admittit ad suæ hæreditatis participationem, discursus optimus est, & præmissæ notæ in quibus (vt optime aduertit Caiet. hic) tria continẽtur in diuina adoptione necessario reperta. Primũ est causa ex qua Deus mouetur ad adoptandum creaturas rationales ad suam bonitatem participandam, & hæc est ipsa eius infinita bonitas. Secundum est, subiectum capax terminidiuinę adoptionis, quod est creatura rationalis, seu intellectualis, quæ quia ad imaginem Dei formata est habet capitatem ad recipiendam diuinam beatitudinem, quę est terminus vltimus adoptionis diuinæ, & vocatur nomine hæreditatis ad designandam rationem formalem sub qua terminat, scilicet sub ratione hęreditatis, appellatur itaque diuina beatitudo hęreditas, quia illa est Deus beatus in se ipso, ac pro tanto dicitur, & est Deus, quia ergo diuitem facit vocatur hęreditas ad quam creaturę intellectuales, & rationales per diuinam gratiã adoptantur.

Circa conclusionem explicatam aduertit D. Thom. in fine corp. artic. differentiam, quę versatur inter adoptionem diuinam, & humanam, quod homo adoptans aliquem in filium non eo ipso facit eum dignum, & idoneum ad hæreditatem suam, sed potius præsupponit eum idoneum, & ideò eum eligit in filium adoptando: Deus vero hominem, quem adoptat idoneum facit mediante gratia habituali ad hęreditatem cœlestem percipiendam.

DVBIVM

DVBIVM VNICVM EST IN hoc art. circa conclusionem D. Thom.

An Deo conueniat filios adoptare propriè loquendo: an vero tantum metaphorice?

IN hoc dubio Duran. in 3. distin. 10. quæst. 2. num. 6. videtur asserere adoptionis nomẽ metaphorice, & per translationem, tantũ conuenire adoptioni diuinę, pro qua sententia referuntur à Suar. hic incõmentario art. alij. Fundamẽtum istius sententiæ apud Durand. non inuenio aliud, quam doctrinam totam, quam *ibi* tradit, ex qua sic potest formari. Ratio adoptionis humanæ includit aliquas conditiones, quæ non inueniuntur in diuina, ergo non est proprie, sed tantum metaphorice, & similitudinarie adoptio. Antec. prob. quia in adoptione humana inueniuntur istæ tres conditiones. Prima, quod adoptans non est principium essendi adoptato: Secũda est, quod adoptatus ante adoptionem, non erat sub potestate adoptantis: Tertia est, quod adoptatus non succedat in hęreditatem adoptantis, ni si decedente adoptante; cõstat autem has tres conditiones, non reperiri in adoptione diuina: Prima enim deficit, quia Deus est principium essendi cuiuscunque rei. Ex hoc autem, sequitur deficere secundam, quia omnis creatura est sub potestate Dei titulo supremi dominij cõueniẽtis Deo, quia vniuersalis, & prima causa est, deficit etiã tertia, propter infinitam durationem, & permanentiam Dei: ergo non reperitur in adoptione diuina quidquid necessarium est ad propriam rationem adoptionis, conseq. prima ex dictis manet probata. Confirm. nomen adoptionis ab humanis est translatum ad diuina: sed semper quod nomen significans aliquam formam propriè transfertur ad signandam aliam, trãsfertur tantum secundum aliquam similitudinem, teste Phylos. in Topic. dicente: *Nec secundum omnem*, ergo cum hoc nomen adoptio transfertur ad diuinã, secundum quandam similitudinem tãtum transfertur, & consequenter, sicut leo cum transfertur ad significandum Christum est translatio secundum metaphoram, ita etiam in præsenti, dicẽdum est, rationem significatam, per nomen adoptio metaphorice, tantum reperiri in diuina.

Secundum fundamentum addatur à nobis, de ratione adoptionis est, quod consentiat ille, qui adoptatur, vt patet ex l. 2. ff. de adoption. sed cum adoptantur à Deo paruuli mediante gratia baptismali, non adest consensus proprius eorum, ergo cum adoptio diuina fit in omnibus formaliter per eãdem formam specie, scilicet gratiam iustificantem, nõ est propriè adoptio, vel dicendum, quod adoptio adultorũ est diuersę rationis, quia in illis datur verus consensus. Confirm. adoptatus semper est eiusdem naturæ cum adoptante, vt patet ex eadem l. 2. adoptio, ff. de adoption. vbi dicitur, quod adoptio in his personis locum habet in quibus natura potest haberi: tũc sic homo non potest habere naturam Dei, ergo non potest esse propriè filius Dei, per adoptionem. Confirm. secundo, quia D. Thom. in 3. dist. 10. quæst. 2. art. 1. quęstiunc. 1. Respõdet, quod adoptio transfertur à diuina ex similitudine humanorũ, ergo videtur sentire impropriè conuenire rationem adoptionis Deo.

Secunda sententia communis inter omnes Doctores Scholasticos asserit rationem adoptionis impropriè reperiri in adoptione Dei, qua creaturas intellectuales, per gratiam adoptat in filios. Sic intelligendus est D. Thom. in presenti art. Hanc sententiam deducunt ex varijs locis, sac. pag. in primis ex loco adducto à D. Thom. in argumento, *sed contra*, ex Apost. ad Eph. 1. Deinde ex eodem Apost. ad Rom. 8.

&

& ad Calat. 4. in quibus sæpe repetit nomen filiorum Dei, & Deum Patrẽ nostrum, ait, appellamus, per spiritum adoptionis filiorum acceptum in nobis, ideſt gratiam: hoc enim, ait, in vtro que loco licet diuersis verbis: Etenim
Rom. 8. ad Rom. 8. ait. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, & statim, *Accepistis spiritum adoptionis filiorũ Dei in quo clamamus, Abba Pater.*
Galat. 4. Ad Galat. 4. sic ait. *Quoniam autẽ estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Deinde insignis locus refertur à D. Thom. in 3. sentent. loco cit. in secundo argumento. *Sed contra*, ex Ioan.
Ioan. 1. 1. cap. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ex quibus locis, talis formatur ratio. Quoties verba Sacræ Scripturę in proprietate sermonis possunt accipi, non est ad metaphoram, & figuram recurrendum iuxta regulam, S. Augustini, sed sic est, quod testimonia citata possunt secũdum proprietatem accipi, dicendo in illis significari, quod homines sumus per gratiam iustificantem propriè filij Dei adoptiui, & Deus pater adoptans: ergo cum ex hac intelligẽtia, nihil absurdum inferatur sic intelligẽda sunt relata testimonia. Deinde ratio D. Thom. pro sua conclusione eandem veritatem manifestat.

Vndè sit nostra conclusio, quod hęc secunda sententia est vera, ad cuius probationem, pręmittendum est, quod ad rationem essentialem adoptionis, solum requiruntur illę conditiones, quę ex diffinitione adoptionis per necessariam consequentiam inferuntur, vndè ante omnia eam oportet constituere. Adoptio igitur, quantum ex doctrina D. Thom. in presenti art. & in 3. dist.
D. Tho. 10. quæst. 2. art. 1. in prima parte argumenti primi colligitur. *Est personæ extraneæ ad hæreditatem voluntaria, & gratiosa assumptio.* Ex hac diffinitione infertur duas cõditiones intrinsecè esse necessarias ad adoptionem, prima est, vt persona, quæ adoptatur extranea sit ab illo iure, seu modo iuris ad hæreditatẽ, adquam adoptatur, vndè supponitur ex parte talis personæ, quod non sit filius naturalis, vel si adoptatur in nepotem, quod non sit nepos, sed quod careat illo gradu, in qua conditione includitur, quod talis persona prius natura, siue tempore habuerit esse inse non receptum per generationem ab illo à quo adoptatur in filium secundum affectum: propter hanc conditionem filiatio adoptiua præsupponit ex parte subiecti negationem filiationis naturalis, vel illius cõiunctionis ad quam adoptatur per naturam habitę. Secunda conditio est, quod adoptio fiat gratiosè, & hoc indicatur in illa particula diffinitionis *voluntaria, & gratiosa*: nã si ius adoptionis, siue assumptio ad hæreditatem sit aliàs debita: & ideò detur titulo honeroso, non erit adoptio; sed solutio debiti, aut aliquis aliuscõtractus emptionis, aut venditionis. Has duas conditiones ponit Concilium Frãco-Fordiense, col. 4. dum ait. *Adoptibus non dicitur, nisi qui est alienus, & adoptio non datur ex debito, sed ex indulgẽtia.* *Concil. Franco-Fordien.*
Iste due conditiones sunt, quæ ex ipsa diffinitione ipsa adoptionis inferũtur quibus positis probatur nostra conclusio. Diffinitio adoptionis secundum essentiales cõditiones propriè, & absque metaphora, inueniũtur in communicatione gratiæ iustificantis, ergo & ratio adoptionis propriè loquendo saluatur in adoptione diuina. Antecedens probat. nam mediante gratia iustificante assumuntur homines ad hęreditatem diuinam, quatenus per illã Deus communicat eis ius ad illam, tãquam extraneis personis, sine aliquo debito præsuppositio ex parte eorum, quia gratis omnino Deus infundit in eis gratiã, ergo ratio essentialis adoptionis, secundum conditiones essentiales eius, reperitur cum omni proprietate in adoptione diuina. Probat. anteced. quia quælibet creatura intellectualis, siue Angelus, siue homo secũdum suum esse naturale, est persona

extra-

extranea à Deo quantum ad bona gratię, & gloriæ, quia ex vi suæ originis, & productionis nullum ius habet ad illa: ergo ius, quod per gratiam acquirũt non est eis debitum, sed gratiosse à Deo communicatur. Conf. nam adoptio est quędam generatio filij secundũ affectum, secũdumquem adoptans, sic se vult habere: erga adoptatum, ac si genuisset eum naturaliter, sed infusio gratię sanctificantis, est quædam generatio spiritualis, secundum affectum diuinæ voluntatis facta: ergo ad illam cõ sequitur, ratio filiationis in eo, qui iustificatur, non naturalis, ergo adoptiuæ discursus, totus optimus est. Mai. est certa, quia adoptans prosequitur adoptatum eo affectu, quem haberet erga eũ, cui per generationem communicasset naturam, & ità quoad omnia, quæ ex sua voluntate pendent sęgerit, cum eo ac si propriam naturam ipsi communicasset, & ita vult vt quoad ea habeatur pro proprio filio suo, & in hoc fundatur ius ad suam hęreditatem. Vndè aduertendum, quod propter hunc affectum in Concilio Franco-Fordiensi, in libro Sacro-Sylabo, ponitur in adoptione particula significans desiderium ex parte adoptantis, & adoptati, scilicet *vtinam*, quia adoptans habet hunc affectum vtinam esses filius meus, & adoptatus hunc, vtinam essem filius tuus, quia verbum *Merear*, quo ibi vtitur Concilium, cum exprimit affectũ adoptati per hæc verba: *Vtinam merear esse filius tuus*, hanc vim habent. *Vtinam ea sors mihi obtigisset, vt essem filius tuus.* Mai. ergo discursus certissima est, & doctrina relata Concilijs confirmata. Min. verò probatur aliquibus testimonijs sacræ Paginæ, Iacob enim cap. 1. iustificatio vocatur volun-
Iacob. 1. taria generatio: sic enim dicitur: *Volũtarie enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initiũ aliquod creaturæ eius.* De hac voluntaria generatione intelligitur, illud Petri 1. Epist. c. 1. *Qui secũdũ misericordiã suã magnam regenerauit nos in spẽ viuã, &c. in hæreditatẽ incorruptibilẽ.* De eadẽ iustificatione, tanquã de regeneratione spirituali intelligitur, illud Paul. ad Tit. c. 3. *Secũdũ suam misericordiã saluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis Spir. Sancti &c.* vsq; ad illa verba inclusiue. *Vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secũdũ spẽ vitæ æternæ.* Omitto alia testimonia, quibus illa, Min. cõprob. quia prędicta sufficiunt. Cõseq. verò est nota, quia ad generationem formę sequitur ingenito relatio filiationis, iuxta naturam talis generationis, cum ergo generatio spiritualis per gratiæ infussionẽ, sit generatio per adoptionẽ voluntariam Dei, & gratiosam, relatio filiationis consequta erit filiatio adoptiua, de qua intelligitur illud, Ioan. 1. c. *Sed ex Deo nati sunt*, & illud eiusdem Apost. 1. Canonica, cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.* Ex his sequitur omnẽ aliã cõditionẽ adoptionis repertã in adoptione humana, esse accidentalẽ ad rationẽ adoptionis, etiã humanæ, quia illæ ex iuribus, & consuetudinibus humanis introductæ sunt, & illis sublatis, quidquid requiritur, & sufficit ad rationem generationis secũdum affectum, & communicationem iuris ad hæreditatem adoptantis, reperitur, tam in adoptione diuina, quam etiam in humana, secundũ se vt patebit ex solutione argumentorũ. Immò addo, quod etiamsi aliæ conditiones essent essentiales adoptioni humanę, vt talis est, quia per ius humanũ ea cõsignantur, quæ ad adoptionẽ humanã requiri volũt indepossunt illa multiplicari, aut diminui pro volũtate libera cõdentiũ iura ipsa, non tamen inde sequitur eadẽ esse de ratione essentiali adoptionis, vt sic. Exemplo optimo, vtitur Petrus à Cabrer. hic in commentario articul. etenim corruptibile, est proprietas corporum inferiorum, quatenus talia corpora sunt, quorum materia nõ est satiata per formam: ex hoc autẽ non sequitur talẽ proprietatẽ conuenire corpori, vt corpus est; &

Paul. ad Tit. 3.

Ioann. 1.

ita licet cęlo non cõueniat; nõ ideò licet inferre, quod ipsum non sit propriè corpus; sic quãuis admittamus esse de ratione adoptionis humanę aliquid, quod in diuina nõ inuenitur, non ideò licet inferre diuinam non esse propriè adoptionẽ, quia illud non cõuenit per se adoptioni vt sic, sed tali adoptioni humanæ, vt humana est: imò infertur optimè adoptionẽ diuinam esse perfectiorẽ multo humana, non solum quia est in ordine diuino, sed etiam quia in tali ordine includit multas perfectiones, quæ in adoptione humana nõ reperiuntur etiam in suo ordine naturali, ratione quarum excludit aliquas cõditiones, quæ in humana reperiuntur, rationæ suæ imperfectionis, vt ex litera D. Th. constat, & amplius manifestabitur in solutione ad argumenta.

Ad primũ fundamentũ resp. concedendo illas conditiones, non reperiri in diuina adoptione, nego tamẽ cõseq. quia potius infertur contrarium, vt modo dicebam, quia omnes ille tres conditiones in humana adoptione reperte, conueniunt ei ratione suæ imperfectionis ex parte patris adoptãtis, & ex parte termini adquem adoptatur: etenim ex in potentia hominis procedit, quod filius adoptius illius non habeat ab illo esse ante adoptionẽ: nam virtus productiua illius, solũ est ad producendũ alterum hominẽ secundum vnitatẽ specificam formę substantialis, aquã procedit, & non secundũ esse aliud; si autẽ vnus homo producat alterum, cũ talis productio sit generatio naturalis ex vi illius habet homo productus ius naturale ad hæreditatẽ producẽtis, vnde consequitur illũ esse incapacẽ adoptionis, per quã præcisse ex gratia adoptatus participat, ius ad hęreditatẽ. Deus verò, qui est pater adoptans in diuina adoptione ratione suę infinitæ virtutis potest primo producere hominẽ in esse naturali, ratione cuius productionis, nõ procedit vt filius eius, & cõsequẽter non participat ius ad bona diuina, in quibus sua hæreditas consistit, & ideò est capax homo adoptionis diuinę, per quã Deus quasi secundo producens hominẽ in esse supernaturali per suam infinitam virtutem cõmunicando ei gratiam iustificantẽ facit ipsum filiũ: quia regenerat eum (vt probabimus) & rationẽ talis nouæ generationis spiritualis fit homo noua creatura, & acquirit ius ad hæreditatẽ diuinam. Ex eadem imperfectione virtutis humanæ procedit secunda conditio adoptionis humanæ, quia cũ homo nõ possit productus esse ab adoptante secũdũ, aliquod esse diuersum, nõ sequitur quod sub aliqua ratione necessario debeat esse ante adoptionem subpotestate eius, ille qui adoptatur, cũ non sit aliquid sui. Cæterum Deus propter eandẽ infinitam virtutẽ, qua nos creauit continet nos sub eius potestate ratione sui supremi dominij, eo quod ab ipso in esse naturali sumus creati, Tertia vero cõditio procedit ex imperfectione termini adoptionis humanæ, quia bona temporalia, in quibus consistit hæreditas humana, adquam aliquis adoptatur, sunt ita imperfecta, vt nullo modo possint ex integro simul à pluribus possideri. Ex quo sequitur necessariũ esse, vt adoptãs moriatur, ad hoc, vt adoptatus possit hęreditatẽ acquirere. Cęterũ bona diuina, in quibus hæreditas Dei consistit propter suam infinitam perfectionem & indiuisibilitatẽ possunt obiectiue ab omnibus creaturis intellectualibus possideri, & à Deo ipso (vt docet S. Th. ad 3. huius ar.) docens prædictã differẽtiam inter bona spiritualia, & corporalia. Vndè, talis cõditio in bonis corruptibilibus tantum reperitur propter suã imperfectionẽ. Ex quo infertur, quod defectus harũ cõditionũ potius arguit perfectionẽ maximam in adoptione diuina, quã imperfectionẽ. Vbi aduertẽdum est, perfectionẽ istam adoptionis diuinę, maximè manifestari in modo ipso, quẽ Deus ob suã efficaciã seruat in ipsa iustificatione, nam Deus iustificando hominem, non dat ei ius, quasi extrinsecum ad suam hæreditatem,

sed

sed ius intrinsecum ortum ex esse reali intrinseco communicato animæ, ratione cuius dicitur homo habere inse diuinam naturam participatam in qua fundatur filiatio adoptiua, & propterea est relatio realis. Adoptio verò humana deficit in hoc multum à diuina, quia adoptans propter suam imperfectionem, non communicat filio adoptato ius internum ad hæreditatem: quia nullum esse reale causat in ipso, sed solum ponitur in adoptante actus voluntatis, per quem extrinsecè admittit, & acceptat, eum quem eligit in filium ad suam hæreditatem. Vndè relatio filij in ipso adoptato solũ est rationis. Secundo potest dici ad argumentum, quod illę conditiones (excepta prima) nõ sunt essentiales adoptioni humanę secundum conceptum proprium, & formalem; sed accidẽtaliter ei cõueniunt ratione exteriæ; si enim bona temporalia possent plures simul ditare in integrum; benè posset aliquis adoptatus succedere in illis etiã viuente adoptante: Similiter pupilus subcura tutoris existens, benè potest adoptari in filium, siquidem est extraneus secundum se ab hæreditate tutoris. Vndè negat. conseq. quia conditiones essentiales, saluantur in adoptione diuina, & perfectiori modo, quam in humana (vt explicatum est.)

Ad confir. resp. concessa mai. & minor. neg. conseq. quoad secundam partem consequentis, quia non est regula generalis, & vniuersalis, quod semper quod aliquod nomen transfertur ad significandam aliquam rem, significet illam secundum metaphoram, quia potest transferri ad illam significandã, propter conuenientiam, & similitudinem vniuocam repertam inter illas in aliqua ratione, & tunc vtramque rem significabit nomen propriè, quamuis impositũ sit prius ad significandam aliquam, tanquã notiorem, & posterius imponatur ad significandam alteram, nõ ita notam, sic dicunt multi impositũ fuisse nomen adoptio, prius ad significandam adoptionem humanam, tanquam aliquid notius, & posterius trãslatum est ad significandam diuinã, quia non ita nota: sed tãtum propter similitudinem, & conuenientiam vniuocã inter vtramque in ratione adoptionis, vt sic. Vndè non sequitur adoptionem diuinam esse imperfectè, & per metaphoram adoptionẽ. Sic dicunt Suar. & Cabr. hic. Exemplũ autẽ de lyleo, nõ est ad propositum, quia translatio talis nominis ad significandum Christũ fundatur tantum in conuenientia metaphorica, & impropria, & ideò solũ significat Christum impropriè, quia fortitudo leonis impropriè reperitur in ipso Christo. Ita quod hęc cõuenientia illius prædicati impropriè, sit ratio quare nomen extenditur ad significandũ Christũ, & propterea significat impropriæ. In presenti autem ècontrario se habet res, quia conuenientia propria, quam habent adoptio diuina, & humana in ratione adoptionis, est causa quare nomen significans prius humanam, vt notiorem extendatur ad diuinam. Vndè propriè ipsam significat, licet nõ prius ordine naturæ.

Secundò dico, quod quamuis conuenientia adoptionis diuinę, & humanæ non sit vniuoca, sed analoga, est tamẽ propria, & principalius analogatũ est adoptio diuina, quia ratio significata per nomẽ adoptio, perfectius reperitur in illa, quã in humana. Neq; obstat huic quod nomẽ translatũ sit ex adoptione humana ad diuinã, quia hoc solũ perse infert tale nomen prius impositũ fuisse ad adoptionẽ humanam significandã, quia notior est (vt diximus) & secũdario ad diuinã, quia non ita nota, non tamen infertur dici impropriè de illa, quia multoties nomina transferuntur ex vna re ad aliã, & tamẽ principalius dicuntur de re illa ad quã significandam nomen est posterius impositum, sit exemplum in summulistica disciplina, ex qua nouimus, quod nomẽ signũ, impositum est primo ad significandum sensibile, & instrumẽtale, quia est magis

gis notū,& magis accomodatum modo cognitionis humanæ: tamen licet secundario sit trasslatum, & extensum ad signum mentale,in quantum etiam repræsentat aliud à se principalius, & propriè dicitur de illo,quā de sensibili. Aliud exēplum sit de sumptū ex D. Th. 1.p.q.67.ar.1.in corp.vbi docet quod lux propriè dicitur in spiritualibus, licet prius sit impositū tale nomē ad significandum lucem materialem faciētem manifestationem in sensu visus,& postea sit extensum ad significandā lucem spiritualem facientem manifestationem secundum cognitionē immaterialem. Per hanc doctrinam intelligendus est D. Th. in 3.dist.10.nō enim intendit aliud,quam quod explicatum est de impositione primaria nominis adoptio respectu humanæ, & per hæc patet ad secundam conf.secūdi fundamenti. Et fortè Durand. idem tantum voluit explicare,& nō aliud (vt aduertunt omnes Doctores rectè sentientes in presenti.)

Ad secundum ergo fundamentum, resp. quod inspecta natura adoptionis, vt sic certe illa conditio non est essentialis,siquidem ex diffinitione adoptionis nō infertur per se,vt ex dictis in explicatione nostræ conclusionis patet. Vndè solum est de ratione adoptionis humanæ,vt humana est , quia illa fit per modū cuiusdā contractus humani ex dispositione iuris inter adoptantē, & adoptatum,vndè requiritur consensus vtriusque ad istum sensum, quod si adoptatus sit adultus , & sui iuris,ipse debet præbere propriū consensum , si autē non sit sui iuris,sed sit sub cura,& subtutela alterius requiritur cōsentiat ille sub cuius tutela est,& similiter ipse: si autē sit infans requiritur cōsensus eius subcuius cura est,quia sic est dispositū in legibus citat,& l.infantes, ff.de adoption. Ex hoc autē nō infertur esse de ratione adoptionis,vt sic & consequenter,non infertur diuinā,nō esse propriè adoptionē,quia in illa inueniūtur ea,quę essentialia sunt adoptioni, vt sic,in cuius difinitione, non includitur particula indicans assumptionem extraneæ personæ ad hæreditatem,debere fieri per modum contractus: & quamuis Doctores in presenti communiter admittant prędictam cōditionem,vt essentialem, & explicent optimè conuenire etiam adoptioni diuinæ: quia si adultus est, qui iustificatur regulariter loquendo,semper prębet suum consensum , quatenus mouet se libere ad iustitiam recipiēdam. Si autem sit infans loco,& nomine illius consentit Ecclesia, quatenus intentio,& fides ipsius applicatur ei,aut pater proprius ipsius , vel vt Suar.ait, Deus ipse tanquam author eius,& supręmus Dominus supplet consensum proprium,aut Christus, quatenus inquantum homo,est caput omnium hominum,licet enim hęc doctrina quantum ad applicationem conditionis vera sit,tamen non possum conuenire cū eis in primo. Quia si talis cōditio essentialis esset in diffinitione adoptionis, vt sic contineretur aliqua particula illam explicans,vel explicans aliquam rationem,ex qua inferretur per optimam conseq. quæ particula,non datur vt ponderaui iam.

Deinde,quia si talis conditio essentialis esset,non posset Deus de potētia absoluta facere filium adoptiuum eius infundendo gratiam homini dormienti,qui nūquam habuit actum liberum circa iustitiam recipiendam , neque peccatorem actu peccantem: hoc autem omnes falsum existimant,1.2.q.113.art.3.& 3.part.in materia de pænitentia,ergo dicendum est,ad rationem adotionis,vt sic nō requiri essentialiter consensum adoptati propriū, nec formalē,nec virtualem: aliàs iustificatio illa facta à Deo miraculosa de sua potentia absoluta non esset generatio spiritualis,neque adoptio , quia Deus nō potest contra naturas rerum aliquid efficere,neque facere illas, sine proprijs rationibus essentialibus.

Ad prim.conf.resp.illā conditionē esse

esse accidentariam ad rationem adoptionis, ad quam ex parte subiecti solũ perse requiritur, quod sit creatura intellectualis. Vnde optimè aduertit sapien. Medin. hic ad 6. si Angelus haberet hæreditatem, adquam ex gratia hominem admitteret, prepriè ille adoptaret hominem in filium adoptiuum: Ad secundam conf. iam sup. circa finẽ solutionis secundæ ad conf. primi argumenti diximus, qualis sit mens D. Th. in illo loco. Hęc de dubio, & art.

ARTICVLVS II.

Vtrùm adoptare conueniat toti Trinitati?

CONCLVSIO est affirmatiua. Adoptare homines in filios conuenit toti Trinitati. Ratiõ in argumẽto, *sed contra*, sic formatur. Eius est adoptare, quem possumus Patrem appellare, sed cum Deo dicimus. *Pater noster*, hoc pertinet ad totam Trinitatem, sicut & alia nomina, quæ dicũtur de Deo relatiue ad creaturas, vt in 1. p. dictum est; ergo adoptare conuenit toti Trinitati. Maior potest probari sic: nam ex vi spiritus adoptionis accepti à Deo clamamus ad Deum nominando ipsum Patrem, iuxtà illud ad Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater*; ergo eius est adoptare quem Patrem nominare possumus, min. verò exemplo adducto in illa prob. Quæ etiam ratione corporis art. efficaciter probatur, quia illud nomen conuenit Deo ratione effectus gratuitæ filiationis, quẽ causat in creaturis intellectualibus, sed Deus omnẽ effectum ad extra causat secundũ virtutem communem omnibus personis, ergo nomen Pater ad talem causalitatem secutum commune, est omnibus personis.

Rom. 8.

Secunda ergo ratio ex corp. artic. desumpta sic formatur. Filius adoptiuus est factus, sed quencunque effectũ facere in creatura est commune toti Trinitati, ergo filios adoptiuos facere cõmune est toti Trinitati. Mai. prob. ex differentia, quæ est inter filium naturalem Dei, & adoptiuum, quod filius naturalis est genitus non factus, filius autem adoptiuus est factus, secundum illud Ioan. 1. *Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri*. Min. probat. in diuinis est vna natura, ergo vna virtus operatiua, & consequenter vna operatio, patet conseq, quia vbicunque, est vnitas naturæ, est vnitas virtutis operatiuæ, & vnitas operationis. Hanc vnitatem explicuit Dominus Ioann. 5. *Quæcũque Pater facit, hæc & filius similiter facit*: ergo adoptare, quod est operatio Dei ad extra commune est toti Trinitati. Circa differentiam inter filium Dei naturalem, & adoptiuum est aduertendum, quod licet adoptiuus etiã dicatur, & sit genitus propter spiritualem generationem, iuxta illud Iacob 1. *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*: Tamẽ quia talis generatio est gratuita, & non naturalis, est quędam species faciendi (vt hic aduertit Caiet.) ideò per contrapositionem ad filium Dei naturalem, qui naturaliter generatur, dicitur & est propriè factus, quod non conuenit propriè filio Dei naturali, cui naturaliter conuenit propriè esse genitũ naturali generatione, quæ est emanatio, & origo, vnius personæ ab alia, & nullo modo est factio. Deinde notanda est doctrina D. Th. in solutionibus argumentorum, & videantur Caiet. & Med. & Cabr. hic, nos ergo ad 3. art. in quo aliquid difficultatis est transeamus.

Ioan. 1.

Ioan. 5.

Iacob 1.

ARTICVLVS III.

Vtrùm adoptari sit proprium rationalis creaturæ?

CONCLVSIO affirmatiua sic deducitur. Adoptari conuenit soli creaturę rationali, non tamen omni, sed soli habenti charitatem. Huius conclusionis est duplex ratio. Prima desumpta

ex argumento, *sed cõtra*, & formatur sic. Filij adoptiui sunt hęredes Dei, sed hæreditas Dei, conuenit soli rationali creaturę, ergo proprium est rationalis creaturæ adoptari. Mai. patet ex illo ad Rom. 8. *Si filij, & hæredes, hæredes quidem Dei*, ergo, min. non prob. à D. Thom. sed relinquitur vt nota, potest tamen probari ex dictis art. prę ced. nam hæreditas Dei est eius beatitudo, quæ in visione, & amore sui ipsius consistit, sed diuina beatitudo solum potest conuenire creaturæ rationali, quę intellectualis est, ergo hæreditas Dei soli creaturę rationali conuenit. Rom. 8.

Secunda ratio formatur sic, filiatio adoptiua est quędam similitudo filiationis naturalis, sed filius Dei naturaliter procedit à Patre, vt verbum intellectuale vnum cum ipso Patre existẽs, ergo adoptari conuenit soli creaturæ rationali, non tamen omni, sed soli habenti charitatem. Pręmissæ sunt notę, & conseq. prob. solum creatura rationalis habens charitatem assimilatur verbo secundum esse intellectuale, & secundum vnitatem cum Patre AEterno, ergo soli illi conuenit adoptari, cõseq. est nota, & antec. prob. nam creatura rationalis, secundum suam naturam, quatenus intelectualis est, assimilatur verbo diuino: non solum secundum rationem formæ in mente artificis existentis, qua ratione commune est omni creaturę assimilari verbo, sed etiam secundum intellectualitatem ipsius, quia ipsa etiam est intellectualis, sicut scientia in mente discipuli assimilatur verbo, quod est in mẽte Magistri: non tantum secundum, quod habet rationem formæ exemplaris, & idęalis; sed etiam secundum intellectualitatem eius, quia etiam est intrinsecè intellectualis: tunc sic, per gratiã, & charitatem eadem creatura intellectualis assimilatur verbo diuino secũdum vnitatem, quam habet cum Patre, ergo soli habenti talem assimilationem conuenit filiatio adoptiua. Minor. prob. ex illo Ioan. 17. vbi refertur Christum orasse pro tali vnitate hominibus communicanda per gratiam, & charitatem: hunc enim sensum habẽt illa Domini verba, *Sint vnũ in nobis, sicut & nos vnum sumus*. Conseq. vero prob. quia talis assimilatio perficit rationem adoptionis, quia sic assimilatis debetur hæreditas æterna, & ideò ad Roman. 8. Spiritus Sanctus dicitur. *Spiritus adoptionis filiorum*. Ioan.

Circa conclusionem, & titulum art. aduertendum est duo includi, tam in titulo, quam in conclusione, alterũ pertinens ad capacitatem recipiendi filiationem adoptiuam Dei, alterum de actuali adoptione recepta, & vtrũque resoluit, & probat. Etenim dum in conclusione dicit adoptari conuenire soli rationali creaturæ, sensus est, quod illa sola habet capacitatem, vt adoptetur à Deo; dum autem ait non conuenire omni creaturæ rationali, sed solum habenti gratiam, & charitatem, sensus est quod adoptio actualis conuenit creaturæ rationali habenti charitatem; non tamen non habenti. Primam partem probat ratio argumẽti, *sed contra*, secundam vero probat ratio ex corp. art. desumpta. Aduertendum secũdo est, nomine creaturę rationalis intelligere D. Thom. idem, quod creatura omnis intellectualis, nam etiam Angeli sunt filij adoptiui Dei (vt docet D. Thom. hic ad 2.) quia ipsi primo adoptionem filiorum receperunt.

SIT PRIMVM DVBIVM CIRca conclusionem D. Thom.

An antiqui Patres Veteris Testamenti in gratia existentes fuerint vere, & propriè filij Dei adoptiui?

IN hoc dubio Leo de Castro, cap. 1. in Isaiam ad illa verba. *Filios enutrui, & exaltaui*, refert testimonia quorundam SS. PP. scilicet Chrysost. homil. 14. super Epistol.

pistol. Paul. ad Rom. & homil. 13. in Ioan. Cyril. lib. 1. in Ioan. c. 14. Athanas. sermone de Passione, & Cruce Domini. August. tract. 2. in Ioan. super illa verba. *Qui nō ex sanguinibus, &c.* Ex quorum testimonijs infert veteres PP. quantumuis iustos, non fuisse veros filios adoptiuos, sed typice, & figuratiue. Hāc sententiam tenuere Alens. 3. p. q. 10. n. 6. art. 5. & Sot. in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. *Subinde*, & probatur hæc sententia primo authoritate Sanctorum relatorum (quos dicunt hic Interpretes D. Thom. & Mag. Medin. etiam 1. 2. quæst. 107. art. 1. §. *Ex hac doctrina*, vbi hoc dubium exagitat, tenere clare, & constanter prædictam sententiam,) ergo illa tenenda est. Secundo prob. filiatio adoptiua dicitur specialiter data per Christi aduē-
Ioan. 1. tum, vt patet ex illo Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, & præcesserat, *quotquot autem receperunt eum,*
Galat. 4 & ad Galat. 4. sic dicitur. *Misit Deus filium suum in mundum, vt adoptionē filiorum reciperemus.* Certè in vtroque loco dicitur, quod per Christum accepimus adoptionem filiorum, ergo ante Christi aduentum, non erat propriè filiatio adoptiua in iustis. Cōseq. probat. quia aliàs impertinenter, & ociosè diceretur specialiter concessam nobis per Christum.

Confirm. ex illo Paul. ad Rom. 8. vbi postquam diffinitionem Dei explicuit, explicando simul qui sint filij
Rom. 8. Dei, dicens: *Quicunque spiritu Dei aguntur hi sunt filij Dei*, loquens cum iustis Noui Testamenti, sic ait: *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater.* Tunc sit fit argumētū. Paulus contraponit iustos legis Euangelicę iustis legis antiquę in hoc, quod illi in lege Euangelica accipiunt spiritum adoptionis filiorum: isti vero acceperunt spiritum seruitutis in timore, ergo ex tali contrapositione recte infertur iustos legis Euangelicæ esse propriè filios adoptiuos: iustos verò legis antiquæ non, quia acceperunt tātum spiritum seruitutis in timore. Cōfirm. secundo, Patres Veteris Testamenti quantumuis amici Dei, & iusti erant serui, vt colligitur ex loco modo citato Pauli: sed seruus distinguitur à filio, ergo nō erant filij Dei. Probat. min. nam seruus, non est hæres bonorum Domini: filius autem est hæres bonorum Patris, vt patet ex illis verbis Paul. ad Galat. cap. 4. in illis ver- Galat. 4
bis: *Itaque iam non est seruus, sed filius quod si filius, & hæres per Deum.* Et paulò inferius, postquā retulit Abrahā duos habuisse filios vnū de ancilla, alterū de libera addidit: *Hæc sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Syna in seruitutem generans, quæ est Agar*, & infra: *Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus.* Et immediatè de eo, qui ex ancilla natus fuerat, dicit: *Natum secundum carnem, de eo verò, qui ex libera, ait, natū secundum spiritum*, & concludit: *Eiice ancillam, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ: itaque fratres nō sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.* Certè in his verbis videtur significari Patres Veteris Testamenti significatos per filium ancillæ, non esse hæredes, & consequenter, nec filios Dei adoptiuos, Patres verò legis Euangelicę significatos per Isaac filiū liberæ esse hæredes, & filios adoptiuos, ergo ita dicendum est.

Tertiò, lex vetus non poterat iustificare, iuxta illud Paul. ad Galat. 2. in fin. *Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*, ergo non poterat facere filios adoptiuos Dei. Confirm. vbi non est regeneratio, nō est filiatio Dei, sed in lege Veteri, non fuit regeneratio spiritualis, ergo neque filiatio adoptiua. Probat. minor. nam Sacramentum regenerationū spiritualiter est Baptismus, qui in lege gratiæ per Christum institutus est, ergo ante illud non erat regeneratio spi-

ritualis. Secunda sententia communis, & vera afferit omnes iustos, qui fuerunt ante Christi aduentum, verè, & propriè fuisse filios Dei adoptiuos, licet non ita perfectè, atque sunt Sancti modo in lege Euangelica. Ita colligitur ex D. Thom. hic in sua conclusione, in qua absolutè, & sine aliqua limitatione docet creaturam rationalem habentem charitatem esse filium Dei adoptiuum, & solam illam. Illum sequatur omnes Doctores Scholastici. Hanc sententiam probat eruditissime Medin. hic, & 1.2. quæst. 107. art. 1. varijs testimonijs sacræ paginæ, quibus etiam probat illam Cabr. hic dub. 3. videantur in illis. Probatur ergo hęc sententia hac ratione Theologica. Multi ex Patribus antiquę legis fuerũt prędestinati, vt constat de fide, quorũ aliqui proprio nomine referuntur Eccles. iast. 44. postquam dictum est de omnibus iustis illius status in communi esse viros glorioſſos in principio capituli, *Eccl.* 44 & postea esse viros misericordiæ, & infra: *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem, & generationem*, postquam, inquam, hæc dicta sunt de illis in communi, referuntur proprijs nominibus, *Henoch, Noe, Abraham, & Isaac*, & cap. 45. de Moyse dicitur: *Quod fuit dilectus Deo, & hominibus, & quod magnificauit eum, & similem fecit in gloria Sanctorum*, quæ omnia explicant proprium effectum prędestinationis, tam primum, qui est gratia iustificans, quam vltimum, qui est vita immortalis gloriæ, & consequenter manifestatur in prædictis locis illos Sanctos Patres, de quibus fit sermo esse prædestinatos: tũc sic, sed omnes prædestinati sunt prædestinati in adoptionem filiorum Dei propriè loquendo, ergo Patres iusti antiquæ legis fuerũt propriè loquendo filij Dei adoptiui. Min. probat. ex Paul. ad Rom. 8. vbi de omnibus prædestinatis vniuersaliter loquendo dicit esse prędestinatos, vt sint conformes Imaginį filij Dei, sic enim dicitur: *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri Imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*, ideſt prædestinauit, vt sint filij adoptiui Dei similes filio eius naturali Christo in iure ad hæreditatem, & consequenter fratres eius habentes simul cum ipso ius ad similia bona hæreditaria, ergo minor. illa est vera, quæ deinde probatur ex illo Paul. ad Eph. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionẽ filiorum, &c.* *Rom.* 8. *Eph.* 1.

Nec valet dicere, quod ibi loquitur de prædestinatis pertinentibus ad legem gratiæ; non verò de omnibus; non inquam valet. Tùm, quia verba in sensu formali intellecta, vt ex toto cap. constat explicant terminum formalem prædestinationis, & causam eius, quæ est diuina volũtas. Tùm etiã, quia prędestinatio nostra, & antiquæ legis eiusdem rationis est, ergo causa fuit in illis eorumdem effectuum quos causat in nobis, & consequenter, sicut nos facit filios Dei adoptiuos, ita fecit & eos.

Confirm. gratia habitualis iustificans ipsos eiusdem rationis specificæ est, cum gratia iustificante nos, ergo relatio filiationis adoptiue sequta ad infusionẽ gratię sanctificantis est eiusdem rationis in omnibus, & consequẽter, sicut nos dicimur, & sumus per gratiam, & charitatem filij Dei adoptiui propriè, ita & fuerunt Patres antiqui.

Sit conclusio. Patres antiqui iusti, etiam per comparationem ad Sanctos legis Euangelicæ, fuerunt propriè filij Dei adoptiui, & nõ tantum per metaphorã: non tamen habuerunt perfectionẽ, quã habent Sancti legis gratiæ in ratione propria filiationis adoptiuę, sic verisimã cẽseo secundam sententiam, & secundum hanc conclusionem intelligo doctrinam D. Thom. in presenti art. Prob. prima pars. Primò specialibus testimonijs Sacræ Scripturæ: nam ad Rom. 9. Paul. sic ait, *Optabam enim, ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum* *Rom.* 9.

secundum carnem, qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, quem locum D. Thom. versans intelligit in vltimis verbis fieri sermonem beneficij spiritualis, quod viri iusti, qui fuerunt Iudei secundum carnem acceperunt à Deo in vita presenti, quod fuit filiatio adoptiua Dei. Et confirm. ex illo Exo di 4. *Qui fuit primogenitus meus Israel.* Item colligitur eadem veritas, ex illo Oseæ 9. *Ex Ægypto vocaui filiũ meũ*, & Christus Dominus, Matth. 15. Cananeæ dixit: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Vbi iustos qui fuerunt ante eius aduẽtum appellat expresse filios Dei. Innumera alia testimonia sunt, quę referunt DD. in presenti, ex quibus eadem veritas posset confirmari, nisi adducta sufficerent.

Exod. 4. *Oseæ 9.* *Matth. 15.*

Secundo, ex Patribus conclusio nostra prob. Primo, ex D. August. libr. 3. contra duas Epist. Pelagianorum, cap. 4. vbi expresse loquens de hominibus iustis legis antiquæ, qui per fidẽ Christi iustificati sunt, dicit eos esse pertinentes ad Testamentum nouum, & esse regeneratos à Deo Patre: sic enim ait: *Hi pertinent ad Testamentum nouum filij promissionis, & regenerati à Deo Patre, & libera matre.* Huius generis fuerunt antiqui omnes iusti. Vbi multa alia dicit ad idẽ cõprobandũ cõducẽtia, & de illis explicat illa verba, Apost. 2. Corint. 4. *Habentes autem eũdem spiritum fidei secũdum quod scriptum est: credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur.* In quibus verbis probat iustos antiquę legis esse filios adoptiuos regeneratos à Deo mediante eadem fide viua per gratiam, per quam iusti legis Euangelicæ constituuntur regenerati spiritualiter à Deo, & filij adoptiui ipsius, ergo secundum mentem D. August. conclusio nostra est vera. Deinde S. Chrysostom. homil. 13. in Ioann. & hom. 14. super Epist. Paul. ad Rom. vocat iustos illos filios Dei, & Regni, quia passim in Sacra Script. sic appellantur. Ita etiam Cypri. in expositione orationis Dominicæ, & Athanas. oration. 2. contra Arrian. & in serm. de Passione, & Cruc. Domini, circa finem, & Cyril. libr. 1. in Ioann. cap. 14. Tertio prob. eadem pars ratione iustificatio ipsa formaliter est adoptio diuina, sicut est quædam regeneratio spiritualis animæ, sed Patres antiqui iusti, & sancti, fuerunt iustificati per gratię infusionem, ergo fuerunt verè, & propriè filij Dei adoptiui: discursus est optimus, mai. ex dictis artic. primo constat, min. vero etiam constat ex locis Sacræ Scripturæ supra adductis pro secunda sententia, & in prima probatione nostræ conclusionis: conseq. vero ex pręmissis, euidẽter infertur.

D. August. *2. Cor. 4.*

Confirm. ius ad hæreditatem diuinam est effectus formalis gratiæ sanctificantis, sed filiatio adoptiua est relatio consurgens ex forma communicãte tale ius ad hæreditatem Dei adoptantis, ergo in quocunque ponetur talis forma consurget filiatio adoptiua, sed in Patribus antiquis fuit gratia sanctificans simpliciter, & propriè, ergo communicauit illis tale ius, & consequenter ad talem communicationem secuta fuit relatio adoptiuæ filiationis Dei propriè loquendo.

Confirm. illa ratione facta in confirmatione facta ad probationem supra constitutam pro secunda sentẽtia, quia ex illa infertur filiationem adoptiuam Patrũ veteris Testamenti fuisse eiusdem rationis, cum filiatione nostra, cum forma aqua prouenit, scilicet gratia fuerit eiusdem rationis essentialis. Ex quo infertur illos etiam per cõparationem ad Sanctos legis gratię esse propriè filios, & non per tropum, & figuram, quia figura, & figuratum non sunt eiusdem speciei in esse naturæ, sed tantum in esse repræsentatiuo.

Secunda pars prob. nam Patres illi non habuerunt gratiam, & iustitiam ex vi legis veteris, quia illa non iustificabat propria vi, & virtute: modo ve-

rè

ro iusti ex vi legis gratiæ, gratiam, & sanctitatem consequuntur: cum lex Sacramentorum sit potens ad iustificandum, nam Sacramenta nostra propria virtute, & intrinseca sanctificant animas, & consequenter faciunt homines filios Dei adoptiuos. Patres vero antiqui, iustificabantur per fidem viuam in Christum venturum, & gratia viuificans dabatur præcisse à Deo immediatè, ergo quãtum ad modum istum, perfectior est filiatio adoptiua sanctorum legis gratiæ, quam antiquorum, & quãtum ad istam maiorem perfectionem potest dici, quod illa legalis adoptio, scilicet quę per legem erat, fuit figura veræ adoptionis, & iustitiæ, per Christum dandæ. Cæterum etiam est dicendum illos Patres consequutos veram iustitiam per fidem viuam eiusdem Christi venturi, & vt sic magis ad legẽ nouã, quã ad veterem pertinebant.

Secundo prob. eadem pars, quia licet illi Sancti Patres essent vere filij Dei per gratiam iustificãtẽ, tamen nõ habebant statum filiorum, sed seruorũ quatenus ad obseruationem legis diuinę, spiritu timoris pœnarum temporalium, & spiritu spei bonorum temporalium ducebantur. Vndè erant, tanquã paruuli in nullo differentes à seruis, de illis enim optimè secundum veritatẽ intelligitur illud Paul. ad Galat. cap. 4.

Galat. 4 *Quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo, cũ sit Dominus omniũ: sed sub tutoribus, & actoribus est vsq; ad præfinitũ tẽpus à Patre, &c.*

Quibus verbis Paul. Patres legis antiquæ vocat paruulos, quãuis hęredes, & omniũ dominos, & veluti seruos, quia quãuis essẽt filij Dei adoptiui, propriè. & verè, nõ habebant statũ filiorũ ratione iã dicta: filij enim spiritu à moris ducũtur ad obediendum Patri suo. Isto mouentur spiritu iusti legis nouę, ex amore enim consequendi cœlestia bona regni cœlorum ipsis promissa ducuntur ad obseruantiam legis Euangelicæ. Deinde illa filiatio adoptiua non dabat possessionem hæreditatis, neq; poterat, donec Christus vẽniret: filiatio autem adoptiua huius temporis, nisi peccato impediatur, & tollatur, dat non solum ius ad gloriam, sed etiam possessionem illius, & in multis alijs excedit filiationem legis antiquæ (vt optimè explicat Medin. hic dub. 2. cõclus. 2.) ergo filiatio illa antiqua erat imperfecta, nostra vero multo excellentior.

Ad argumenta ergo à principio pro prima sententia facta: respond. ad primum, illos Sãctos Patres nihil aliud velle indicare, quam id, quod nos diximus in secunda parte nostræ conclusionis, & in probationibus eius: non autem intenderunt negare absolute Patres Sanctos legis Veteris, & legis naturæ, fuisse veros filios adoptiuos, simplicirer, & propriè loquendo, sed tantum ex vi legis habuisse talem filiationem adoptiuam, & simul explicare nõ habuisse statum, & perfectionem filiorum legis Euangelicæ. Ad secundum concesso anteced. neg. consẽo. ad cuius probationem resp. negand. anteced. propter duas rationes. Prima est, quia illa verba possunt intelligi de filiatione Dei adoptiua, non solũ quoad substantialem rationem, & essentialem eius, secundum quam fuit ante Christum in omnibus iustis, sed secundum statum, & perfectionem, quam modo habet in iustis, & secundum illã dedit Deus hominibus potestatem filios Dei fieri, per Christum, & eius merita, quę applicantur Sacramentis Euangelicæ legis, & propter virtutem illis communicatam ipsa causant filiationem adoptiuam perfectam, quam nõ causabat lex naturæ, neque lex Vetus scripta. Secunda ratio est, quia etiã filiatio Dei adoptiua Patrũ antiquorũ fuit illis cõmunicata per ipsum Christũ, in quantũ iustificati sunt per fidem viuam in ipsum, & in eius merita, per quam credebant in ipsum, venturum tanquam Redemptorem, propterquã rationem magis ad nouam legem, quã ad veterem pertinebant (vt aduertũt

omnes

omnes Interpretes D. Thom. in presenti difficultate.) Vbi aduertendum est, quod hæc secunda ratio, non habet vniuersalitatem, si intelligatur de fide explicita Christi Redemptoris, nam respectu Adami in statu innocentiæ non est verum, quod assequtus fuerit gratiam originalem per fidem viuam Christi Redemptoris explicite crediti, quia vt ait D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7. in corp. primus Parēs antequam peccaret non habuit fidem explicitam Christi, vt redemptoris: sed tantum secundum rationem cōsummatoris gloriæ, eo quod non fuit præscius peccati sui futuri: bene tamen potest sustineri secunda ratio vniuersaliter intelligendo illam de fide implicita Christi, vt redemptoris, si ex alia parte respectu gratiæ communicatæ Adamo in primo instanti suæ creationis, non esset ratio efficax probans illam, non esse ex meritis Christi præuisis, quia præcessit prædestinationem Christi, cum ille ex vi presentis decreti fuerit prædestinatus in remedium peccati, erit ergo illa secunda ratio vniuersalis respectu omnium iustorum post statum peccati, & respectu ipsius Adami, quatenus reparauit iustitiam, per peccatum amissam. Iuxtā eandem doctrinam intelligendus est ille locus Paul. ad Galat. in eodem secundo argumento cōstitutus. Ad confirm. ex Paul. ad Rom. 1. Resp. iuxta dicta modo, & in probationibus secundæ partis nostrę conclusionis, & est solutio conformis doctrinæ D. Thom. 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. vbi docet, quod differentiæ, quę assignantur inter legem nouam, & veterem, sunt secundum perfectum, & imperfectum, vbi imperfectionem legis antiquę, & perfectionem legis nouæ, explicat quantum ad aliqua eo modo quod nos iam explicuimus filiationē adoptiuam Dei, quæ post Christum datur iustis esse perfectiorem filiatione adoptiua Patrum antiquorum.

Secundo resp. ex doctrina eiusdē Sanct. Docto. quod illa contrapositio Apostol. intelligitur respectu hominum pertinentium ad vetus Testamētum tantum, quales fuerunt homines carnales obseruatores illius legis, vt carnales metu amissionis bonorum tēporalium inducti: non vero respectu omnium hominum illius temporis, & ætatis, quia etiā tunc fuerunt aliqui viri sancti, & spirituales, qui spiritu amoris ducti obseruabant legem Dei, expectantes principaliter æternas promissiones, de quibus ait D. Thom. ibidem, quod secundum hoc, ad legem nouam pertinebant. Vndè non debet fieri cōtrapositio ad illos quantum ad rationē essentialem filiationis diuinæ, & libertatis, sed si aliquo modo debet intelligi etiam in ordine ad illos erit, quantum ad statum ex vi imperfectionis legis Veteris, & iuxta vtramque solutionem intelligendum est illos Patres accepisse spiritum timoris: iuxta primā rationē imperfectionis legis, non habentis vim ad iustificandum, & communicandum spiritum filiorum: secundum secundam, cōditio illa spiritus timoris, & seruitutis accepta, intelligitur respectu hominum carnalium illius legis. Qui vtramque solutionem magis diffusè penetrare voluerit legat locum D. Thom. citatum, & Mag. Medin. hic dub. 1. ad 2. & loco citato, 1. 2. in solutione ad authoritates Sacrę Scripturæ.

Ad secundam confirm. resp. eodem modo intelligendum esse Paul. in verbis illis, in quibus vocat Patres antiquæ leges seruos, & non hæredes, & in illis verbis adductis, ex cap. 4. ad Galat. Ad tertium argumentum patet ex dictis: non enim nos dicimus ipsam legem Veterem fecisse filios adoptiuos, sed quod Patres iusti illius temporis fuerunt filij Dei adoptiui per gratiam, & charitatem datam ipsis à Deo propter merita Christi prequissa, cuius fidem habuerunt.

Ad confirm. resp. fuisse veram regenerationem, non communicatam, neq; causatam per aliquod Sacramentum

tum regenerans, sed immediatè à Deo mediante infusione gratiæ, & hoc sufficit ad veram adoptionem filiorum Dei, licet non ad perfectam, qualé assequuntur modo, qui per lauacrum Baptismi interius renouantur, & regenerantur. Hęc de dubio.

DVBIVM II.

Vtrùm omnes homines iusti sint filij Dei adoptiui, an verò solum prædestinati?

IN hoc dubio, Gabr. in 3. distinct. 10. quæst. vnica, asserit vniuersaliter pręscitos, nõ esse filios Dei adoptiuos. Fundamentum eius est, quia præsciti non sunt ex voluntate efficaci Dei ordinati ad hæreditatẽ diuinam accipiendam, ergo quantumuis sint in gratia, non sunt filij Dei adoptiui. Probat. consequent. quia filiatio adoptiua, resultat ex admissione alicuius ad hęreditatem Patris adoptantis. Confir. ex illo 1. Ioann. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si essent ex nobis permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint, quod non sunt omnes ex nobis.* Ex his verbis infertur pręscitos, qui in gratia accepta, nõ perseuerant, etiam pro tempore pro quo sunt in gratia, non esse dicendos filios Dei adoptiuos, neque numerandos inter illos.

Ioann. 2.

Secundo arg. ex illo ad Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit cõformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*: ergo soli prædestinati sunt filij adoptiui Dei, quia soli illi ex diuina prædestinatione sunt ordinati, vt sint conformes Christo in similitudine, cum sua filiatione naturali, & consequenter, vt sint fratres eius.

Rom. 8.

Augus.

Tertio ex August. lib. de correp. & grat. cap. 9. vbi dicit: *Quosdam esse apud Deum filios Dei, sed non apud nos, vt peccatores, qui aliquando cõuertentur, & saluabuntur, alios verò esse apud nos, sed non apud Deum, vt iusti, qui peruertentur, & damnabuntur*, & quia qui apud Deum sunt tales, vere sunt tales; ideò in eodem cap. colligit August. quod nulli sunt veri filij Dei, qui prædestinati non sunt. Et lib. 3. de doctrina Christ. cap. 32. asserit: *Reuera non esse corpus Domini, quod cum illo, non erit in æternum*, sed qui non est prædestinatus, non erit cum Domino in æternum, ergo sicut non est corpus eius, ita neque filius adoptiuus Dei.

Quarto, præscitus in gratia existens per actum diuinæ reprobationis est excluſsus efficaciter ab hæreditate diuina, ergo quantumuis sit in gratia, non est filius adoptiuus Dei. Anteced. patet, quia effectus vltimus, quem diuina reprobatio respicit, est exclusio à regno Dei in pœnam vltimi, & finalis peccati. Conseq. verò probat. quia qui est filius adoptiuus est assumptus adhę reditatem Dei, sed qui est excluſsus ab hæreditate, implicat quod sit admissus & ordinatus ad illam, ergo præscitus etiam in gratia existens, non est filius Dei adoptiuus.

Dices, quod secundum diuersam rationem, & pro diuerso statu: benè potest aliquis esse admissus ad hæreditatem Dei, & etiam excluſsus: præscitus ergo, dum est in gratia, ex vi illius est intrinsecè admissus ad hæreditatẽ Dei, & idem secundum præscientiam diuinam finalis in pœnitentiæ est excluſsus ab hæreditate Dei, quia est amissurus gratiam, & perseueraturus in peccato, vsque ad finem vitæ, vel peccaturus in fine vitæ.

Contra sic arguitur fundamento ipso Gabrielis supra posito, quia quamuis Deus conferat gratiam pręscito, nõ tamen confert illam ex voluntate efficaci, cum admittendi ad hęreditatem, ergo nõ est filius adoptiuus, etiam pro illo tempore. Antec. probat. quia vt ex argumento constat habet voluntatem efficacem, non admittendi: sed cum tali voluntate efficaci, non potest stare altera voluntas efficax, cum includant oppoſi-

oppositionem ex parte obiectorum volitorum, ergo quamuis Deus conferat gratiam præscito, illam non cõfert ex voluntate admittendi eum ad suã hæreditatem, & sic non facit ipsum filium adoptiuum.

Secunda sententia est contraria, quã tenent omnes DD. Scholastici, & dicunt sententiam Gabr. non sententiã, sed temerarium, & erroneum placitũ esse, & Suar. prope finem, commentarij huius art. ait, in virtute esse damnatam in Concilio Constantiensi, Sessione 8. & 15. vbi contra Ioannem Hus diffinit præscitos posse aliquando esse iustos, & viua membra Ecclesiæ. Sapientis. verò Medin. dicit esse contrà Paul. & contra Ecclesiæ diffinitionẽ. Prob. hæc sententia, primò ex Paul. ad Rom. 8. in illis verbis: *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, sed omnes iusti quandiu iusti sunt, spiritu Dei aguntur: ergo quamuis sint præsciti sunt filij Dei pro tempore in quo habent gratiam. Deinde Ioann. 1. cap. de omnibus recipientibus Christum fide viua, dicitur, quod dedit eis potestatem filios Dei fieri: sic enim dicit: *Quotquot autem receperunt dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius*, id est, qui credunt fide viua ipsum esse Deum, & hominem simul: tunc sic, sed iustus quandiu iustus, est etiamsi aliàs sit reprobus fide viua credit Christũ esse Deũ, & hominẽ simul, ergo est filius Dei. Deinde prob. eadem veritas, ex illo Ioann. 1. cap. 3. vbi per totum caput illam demonstrat, præcipuè in principio, vbi sic ait: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.* Ecce in his verbis soli charitati tribuit filiationem diuinam, ergo eo ipso quod aliquis habeat charitatem est filius Dei, & Deus est pater eius, & consequenter quicunque iustus habens gratiam, & charitatem dum illam habet est filius Dei. Item infra in eodem cap. generaliter dicit: *Qui facit peccatũ ex diabolo est*, &c. & postea. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia ex Deo natus est*, & statim addit. *In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij diaboli omnis, qui nõ est iustus non est ex Deo*, &c. Illam ergo intelligit Ioan. natum ex Deo, qui habet gratiam, per quam iustus est, sed qui natus ex aliquo est, filius eius est, ergo Ioan. omnem iustum dicit esse filium Dei, dum eum natum ex Deo esse testatur.

Rom. 8.

Ioann. 1.

Ioann. 1.

Secundo prob. ex diffinitione illa Concilij Constantien. quam suprà retuli, vbi contrà Ioannem Hus diffinit, quod reprobus, quando in gratia Dei est, est pars Ecclesiæ Dei Sanctæ, è contrario prædestinatus, quando in peccato est, membrum diaboli, & filius eius est, ergo sentit Concilium, quod sicut prædestinatus in peccato mortali existens, non est filius Dei, sed diaboli, ita è contrario præscitus in gratia existens, secundum præsentem iustitiam est filius Dei.

Tertio prob. ex Aug. tract. 5. in Ioã. vbi explicans verba suprà relata, ex c. 3. 1. Canonice, ait solam charitatẽ discernere inter filios Dei, & diaboli, & infra postea inquirit, qui sint nati ex Deo. Et respond. qui habent charitatem, in qua doctrina Sanct. Doct. solam charitatẽ fatetur facere filios adoptiuos Dei, ergo secundum sententiam Aug. ita est dicendum. Vltimo prob. ratione quicunque habens gratiam iustificantem ex vi gratiæ habet ius ad diuinam hæreditatem, ergo est filius Dei adoptiuus, cõseq. patet, quia filius adoptiuus est ille, qui ex gratia habet ius ad hæreditatẽ adoptãtis Patris. Antec. prob. nam gratia est acceptatio intrinseca hominis ad vitam æternã, iuxta illud Paul. ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, quæ verba in predicto sensu debent intelligi, ex eo enim, quod gratia est semen vitæ æternæ, tamquã reddens hominẽ acceptũ ad gloriã cõfert dignitatem operibus ex illa factis, vt ipsa sint condigna vitæ æternæ, vt explicat D. Thom. supra verba relata

Rom. 6.

Pauli: ergo quicunque habet gratiam ex vi illius est factus hæres gloriæ, tãquam habens ius gratis à Deo concessum respectu hęreditatis diuinæ.

Sit ergo conclusio præscitus existẽs in gratia secundum presentem statum gratiæ, & iustitiæ est filius Dei adoptiuus, simpliciter: non tamen habet illam perfectionem, quam habent in tali ratione prædestinati in gratia existentes. Prima pars huius conclusionis probatur primo fundamentis secundæ sententiæ. Secundo prob. hac ratione posito fundamento, & termino resultat statim relatio in suppposito capaci illius, sed homo quamus sit præscitus est subiectũ capax filiationis diuinæ, quatenus est creatura intellectualis (vt patet ex dictis supra in expositione litteræ articuli) ergo quandocunque receperit gratiam iustificantem in illo resultabit relatio filiationis adoptiuæ. Mai. est nota ex principijs Logicæ, min. ex dictis est certa. & conseq. probat. quia quando homo recipit in se gratiam iustificantem, recipit in se participium diuinæ naturę gratiosse ei à Deo communicatũ, sed hoc est fundamentum relationis adoptiuæ Dei filiationis, ergo recipit in se tale fundamentũ, sed tunc etiam ponitur terminus prædictæ relationis, qui est Deus subbratione adoptãtis hominẽ illum ad suam hæreditatem gratiosse admittẽtis media ipsa cõmunicatione gratię: ergo cum adsit fundamentum relationis filiationis, & etiam adsit terminus illius necessario resultat relatio ipsa.

Conf. nã de ratione filiationis adoptiuę, non est vt sit immutabilis omnino, ergo quamuis præscitus habẽs gratiam adoptionis filij, non habeat illam immutabiliter, sed sit illam amissurus pro illo tunc, in quo habet gratiã erit filius Dei adoptiuus. Antec. constat ex differentia, quæ est inter filiationẽ naturalẽ, & adoptiuam, quod illa cum sit à principio intrinseco naturali, scilicet ab ipsa natura immutabilis est, & necessario semper inest, sicut ipsa natura rei semper eodem modo inuariata manet quoad essentialia principia; at vero filiatio adoptiua, cum sit ab extrinseco principio aduenies homini iam constituto in suo esse naturali mutabilis est, & amissibilis apud Patrẽ adoptantẽ propter de merita filij adoptati, vt in humanis patet: erenim quãdo aliquis adoptat aliquem in filium propter merita, quæ in ipso inuenit, licet pro illo tunc, sit admissus ad hereditatem adoptantis, & pro tanto filius eius adoptiuus, tamen illa adoptio non est immutabilis, & inamissibilis, quia potest Pater adoptans reuocare voluntatem primam propter de merita filij, & ipsum hæreditate priuare: imò sine de meritis ex parte ipsius adoptati potest mutare suam voluntatẽ, qua ipsum antea adoptauerat, cuius ratio est, quia talis filiatio prouenit ab extrinseco principio, in quo potest optimè interuenire mutatio, ergo pariformiter dicẽdum est de filiatione adoptiua Dei, quod erit mutabilis ex parte subiecti saltim. Vbi aduertendũ est cõsulto me dicere ex parte subiecti, quia Deus cũ immutabilis sit, exparte eius nõ potest desumi mutabilitas filiationis adoptiuę, verum tamẽ est, quod datur à Deo homini dependenter à sua voluntate in sui conseruatione, vnde si peccauerit mortaliter statim ammittit eam, & quantum adhoc ęqualis ratio currit in prædestinatis, qui etiam dum peccant amittunt filiationem adoptiuam Dei, quod autem sint illam recuperaturi, & perseuerantiam finalẽ consecuturi per accidens se habet ad rationẽ substantialem, & essentialem filiationis adoptiuæ (vt ex dictis supra patet) solum enim hoc pertinet ad perfectionẽ quãdam eius. Et per hãc doctrinam probatur secunda pars conclusionis formando sic rationem. Præscitus in gratia Dei existens habet filiationem Dei imperfecto modo, ergo non est perfecte filius adoptiuus sicut est prędestinatus existens in gratia. Probat. antec. quia sic habet ius ad hæreditatem Dei adoptan-

adoptantis, quod nunquam reducendum est ad actum; eo quod illud est amissurus totaliter, non recuperaturus, cum perseuerantia finali: prædestinatus autem habet tale ius ex gratia, quam licet pro aliquo tempore sit amissurus, tamen illam recuperabit, cũ perseuerantia finali, & de facto reducetur ad actum possessionis hereditatis Dei, sed hoc ad perfectionem filiationis diuinæ pertinere quis dubitet? Ergo præscitus in gratia existẽs, nõ est filius adoptiuus, cum illa perfectione, quã habet prædestinatus in ratione filij.

Ad argumenta pro prima sententia, resp. distin. antec. ordinatione perseuerantia finaliter, concedo antec. pro aliquo tempore, neg. anteced. & negatur conseq. ad cuius probationem, conc. antec. & ita, quia reprobus existens in gratia pro illo tempore, & secundum presentem iustitiam, est admissus ex vi gratiæ adhæreditatẽ Dei accipiendã; ideò est filius, vt probaui. Secunda solutio cõmunior est, quod licet reprobus, nõ sit ordinatus adhæreditatẽ diuinam accipiendã voluntate efficaci, quę est electio ad gloriã, & pertinet ad prædestinationem diuinam, est tamen ordinatus ad hereditatẽ Dei accipiendã voluntate efficaci dandi gratiã iustificãtẽ, quæ volũtas est cõiũcta, cũ voluntate antecedente secundum quam Deus ordinauit omnes ad gloriam accipiendam, & hoc sufficit, vt dum reprobus habet gratiam sit filius adoptiuus, quia ita habet ius ad diuinã hereditatem pro illo tempore accipiendam, quod si in gratia illa perseueraret, & decederet in tali statu de facto consequeretur diuinam hæreditatem. Hoc colligitur ex Sacræ Scripturę aliquibus locis, quos hic citant Interpretes D. Thom. maximè ex illo, Apocal. 3. *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam*, & ex illo 1. Corinth. cap. 10. vbi Apostolus admonet iustum dicens: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat, tẽtatio vos nõ apprehẽdat, &c.*

Apoc. 3

1. Corinth. 10.

Ad cõf. resp. ex illo testimonio Ioan. tantum colligi secundam partem nostræ conclusionis: nã non infertur ex illis verbi prescitos existentes in gratia non esse pro illo statu filios adoptiuos Dei, sed solũ non esse cũ illa perfectione, qua sunt filij Dei prædestinati; & ideò, ait Ioannes, illos non esse numerandos inter illos, qui sunt perfecte filij, tãquã prędestinati, quia illi solum sunt permansuri filij finaliter, & cũ effectu cõsecuturi diuinã hæreditatẽ, & quãtũ adhoc ponit differẽtiã inter prescitos iustos, & prædestinatos Ioannes, vt ex verbis eius nõ obscure infertur.

Ad secũdũ. Resp. admisso testimonio Pau. sine aliqua explicatione, negãdo cõseq. Ratio est: nã Paul. licet affirmet expresse prędestinatos esse prędestinatos, tãquã filios Dei, vt sint Christi fratres: nõ tamẽ negat præscitos in gratia existẽtes esse filios Dei pro illo tẽpore, vndè optimè cõpatitur vna veritas cũ alia. Ad tertiũ. Resp. Aug. intelligendũ esse in illo lóco, quod præsciti existentes in gratia nõ sunt perfecte filij apud Deũ, quia nõ est decretũ efficax in illo de eorũ perseuerantia, & salute æterna, & in isto sensu vocat prædestinatos in gratia existẽtes veros, & absolutè filios Dei, intelligens per veros filios perfectos, & perseuerãtes: nõ autẽ intendit negare illis pro illo tẽpore in quo sunt in gratia rationẽ essentialẽ filiationis adoptiuę: imò illam cõcedit, cum docet esse apud nos filios, quia dum sunt in illo statu agnoscimus in illis principiũ à quo necessario procedit filiatio adoptiua Dei secundũ Sacr. Scripturã, & verã Theologiam, scilicet gratiam iustificantẽ; & vt aduertit Med. hic dub. 3. solut. ad 4. ipse Sãctus Aug. se sufficienter explicat, sic intelligendum in verbis citat. ex cap. 9. lib. de correp. & grat. dum in eodem cap. concedit multos Dei filios, qui tamen nõ perseuerant. Eodẽ modo intelligendus in alio loco, dum ait, nõ esse re vera corpus Domini, quod cũ illo nõ erit in æternum, scilicet non esse perfecte, & omnibus modis de corpo-

re eius, quia non habet perfectam, & perseuerantem vnionem, cum illo, vt cum capite. Ad quartum resp. optimã esse solutionem ibi assignatam, quam facile in forma poterit vnusquisque applicare discursui argumenti. Ad replicam. Resp. disting. anteced. non cõfert illam ex voluntate efficaci, eũ admittendi ad hæreditatem secundum vltimam consecutionem illius, transeat, secundum ius ex gratia ipsa procedẽs, neg. antec. & negat. conseq. loquendo de filiatione Dei secundum rationem essentialem, concedẽdo tamen illã de filiatione perfecta, iuxta dicta supra. Ad probationem antecedentis, quatenus potest obiici contra prædictam solutionẽ, resp. disting. mai. iuxta dicta: habet voluntatẽ efficacẽ, non admittendi secundũ vltimam assecutionem hæreditatis, conced. mai. secundũ ius ex gratia, & pro aliquo tempore, pro quo vult ipsum hominem perseuerare in illa, neg. mai. & tunc nego min. quia tales voluntates, non inuoluunt oppositionem ex parte obiectorum, quia non respiciunt, idem obiectum formaliter, & sub eadem ratione formali cõsideratum: nam voluntas excludendi hominem reprobum ab hæreditate, & eum non admittendi ad illam est respectu, nõ admissionis oppositæ admissioni consummatæ, per actualem collationem hæreditatis, & sic respicit illam, vt pœnam correspondentem demeritis reprobi: ac proinde pertinet talis voluntas efficax ad actũ diuinæ reprobationis: altera verò voluntas efficax admittendi reprobum ad hæreditatẽ respicit, tanquam obiectũ formale admissionẽ inceptam ex parte iuris gratiæ, & pro aliquo statu viæ (vt constat ex dictis) in hoc autem nullam inuenio repugnantiam; sicut è contrario in homine prædestinato existente in peccato mortali reperitur, quod pro illo statu datur voluntas efficax odij in Deo, qua vult ipsum si in tali statu decedat excludere à Regno: & ex alia parte adest voluntas efficax, qua vult ei gloriã, & hæreditatẽ diuinam cõmunicandam suo tẽpore quando in gratia finali decedat, sicut ergo in hoc nõ apparet contrarietas voluntatũ ex parte obiectorũ, quia respicitur hereditas diuina subdiuersa ratione, imò & homo ipse. Ita etiam eadem ratione in casu argumenti, non adest contrarietas voluntatũ, propterquam dicamus, quod reprobus, dũ in gratia existit pro illo tẽpore non est filius Dei adoptiuus, est etenim essentialiter, licet non secundum perfectam rationem, qua est prædestinatus in gratia existens, iuxta dicta. Hæc de dubio.

TERTIVM DVBIVM EST.

An soli habentes gratiam, & charitatem sint filij Dei adoptiui?

RATIO dubitandi pro parte negatiua desumitur principaliter, ex illis verbis Augusti. loco citato, in arg. 3. dubij præcedẽtis in quibus docet peccatores aliquos, nempe illos, qui conuertẽtur aliquando, & saluabũtur esse filios Dei apud Deũ: ergo cũ qui apud Deum est talis sit, simpliciter talis: secundũ sententiam Aug. dicendum est prædestinatos peccatores esse filios Dei adoptiuos, simpliciter loquendo.

Confir. ratione. Prædestinati etiam existẽtes in peccato mortali, sunt à Deo electi, & præordinati ad hereditatẽ diuinã accipiendã, cũ effectu, quia sunt efficaciter electi ad gloriã: ergo, sunt filij adoptiui Dei: Conseq. prob. quia filiatio consurgit ex tali ordinatione, & admissione ad hæreditatẽ Dei. Conf. secundo ex illo, Ioan. 11. *Iesus moriturus erat, non solum progẽte, sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnũ.* Ecce in his verbis illi prædestinati, qui extra Ecclesiam erant dispersi extra fidem, & charitatem, vocantur filij Dei: ergo prædestinati peccatores filij Dei sunt simpliciter. Ioan. 11

Nihilominus sit conclusio, soli haben-

habentes gratiam, & charitatem sunt filij Dei adoptiui, simpliciter, & absolutè, & nullus, sine gratia, & charitate quãuis sit prædestinatus est filius adoptiuus Dei simpliciter. Hæc conclusio est communis omnium Doctorum, quoad vtramque partem, & probatur prima pars, soli habentes gratiam, & charitatem, sunt regenerati à Deo per communicationem esse diuinæ naturę, sed relatio filiationis adoptiuæ prę-supponit, tanquam fundamentum naturam diuinam communicatã per infusionem diuinam, quę est regeneratio, ergo soli habentes gratiam sunt filij Dei adoptiui simpliciter. Totus discursus est euidens, vndè tantum eget maiori explicatione, pro qua est aduertendum, quod fundamentum relationis adoptiuæ filiationis in ordine ad Deũ est aliquid intrinsecum, & inhærens in quo distinguitur ab adoptiua filiatione humana, quæ solum ex parte adoptati præsupponit, tanquam fundamentum denominationem extrinsecã ab extrinseca volũtate adoptantis prouenientem: hoc autem fundamentum intrinsecum filiationis adoptiuæ diuinę, dicimus, esse gratiam iustificantẽ, quia per illam, iuxta dicta supra, homo regeneratur, & fit noua creatura Dei, tanquam habens naturæ diuinæ participium, ex quo optimè infertur solos habentes gratiam, & charitatem esse filios Dei adoptiuos.

Cõf. prædestinatio est actus diuini intellectus, qui vt docet D. Tho. 1. p. q. 23. art. 2. actiui tãtũ est in Deo, & nihil intrinsecũ ponit in prędestinatis, licet executio eius passiue sumpta, ponat in illis vocationem intrinsecã, gratiam, & gloriam suo tempore: ergo quousque intelligatur talis executio prædestinationis secundùm formam gratiæ intrinsecam, ex vi solius actus diuini intellectus, qui est prædestinatio, nihil intrinsecum ponitur in prædestinato, quod sit fundamentum relationis realis filiationis adoptiuæ, sed solum cointelligimus ex parte prædestinati denominationem extrinsecã electi, & ordinati ad gloriam, & consequenter solum ex vi illius, non erit filius Dei adoptiuus: solum ergo habentes gratiam sunt filij Dei adoptiui; & quicumque non habens gratiam, non est filius Dei, & sic probatur etiam secunda pars conclusionis.

Secundo prob. eadẽ conclusio, quoad vtrãque partem: Soli habẽtes gratiam sanctificantem habent ius ad hæreditatem diuinam, & quicunque alius, sine illa non habet tale ius intrinsecum, ergo soli habentes gratiam, sunt filij Dei adoptiui, & nullus alius, sine gratia est filius Dei adoptiuus. Antecedens probat. clare, quia tale ius est effectus formalis gratiæ, ergo soli habentes illam, habent prædictum ius. Consequen. verò est euidens, per locum ab intrinseco à negatione diffinitionis ad negationem diffiniti. Vltimo probat. assimili, quia in humanis, licet homo, habeat propositum voluntatis firmum adoptandi alterum in filium: Tamen vsque quo re ipsa ipsum adoptet ad suam hæreditatem admittendo, ille non est Pater adoptans actu, & alter qui est adoptandus, nondũ est filius adoptiuus actu, ergo à simili licet Deus apud se abæterno statuerit hominem saluare, & iustificare suo tempore statũto, etiam à se communicando ei gratiam, & consequenter ius intrinsecum ad hæreditatem diuinam, non erit de facto per hoc filius adoptatus, sed tantum adoptabilis infallibiliter. Dices, erit filius per extrinsecam denominationem ab actu diuinę voluntatis, quo ipsum Deus elegit ante mundi constitutionem ad hæreditatem diuinam. Contra est primo, quia hic non loquimur de filiatione, quæ consistit in denominatione extrinseca, sed de filiatione intrinseca, scilicet de reali relatione filij adoptiui Dei, quę præsupponit fundamentum intrinsecum, in eo qui constituitur filius, ergo solutio non est ad propositum. Secundo, quia adhuc extrinsecè

non potest prędestinatus dici filius ab actu æterno diuinę prædestinationis, ergo neque vt sic potest dici prædestinatus existens in mortali, filius Dei adoptiuus. Prob. antec. quia ille actus solum denominat obiectum suum extrinsecè, iuxta naturam eius, quatenus per illud passiue terminatur, sed natura talis actus est ordinatio efficax hominis ad vitam eternam, ergo ex parte obiecti, scilicet ipsius hominis correspondet esse ordinatum efficaciter ad illam: hoc autem non sufficit, vt dicatur prędestinatus filius Dei adoptiuus actu etiam extrinsece, quia illa ordinatio actiua ex parte Dei provt sic inspecta, nõ est adoptatio actiua actualis, sed determinatio ordinis efficax ad adoptandum suo tempore: solum ergo ex vi prędicti actus fit homo adoptabilis infallibiliter, & sic filius adoptiuus in potentia infallibiliter reducenda ad actum secundum. Si dicat, quis esse filium Dei adoptiuum aliquem ex vi præcisi actus diuinæ prædestinationis secundum pręscientiam diuinam, quia secundum illam, iam habet ius ad gloriam.

Ad hoc dico in isto sensu optime posse concedi, sed hoc non esse filium Dei adoptiuum simpliciter, & absolutè, sed solum secundum quid, & in potentia (vt diximus) infallibiliter reducenda ad actum.

Ad rationem dubitandi in principio positam, resp. sensum August. esse peccatores prædestinatos esse filios Dei apud Deum, non à forma, quę sit in illis filiatio, neque à forma, quæ in Deo respectu illorum pro illo statu fit adoptio actualis, sed tantum secundũ præscientiam Dei secundum quam scit illos infallibiter à peccato conuertendos ad statum gratiæ, vel dicito sensum Augustin. esse peccatores prædestinatos esse filios Dei apud ipsum Deũ non pro tempore presenti, sed pro tẽpore futuro, pro quo habituri sunt gratiam, & quia illud tempus, iam est prę-sens in mensura æternitatis, quę est mensura esse diuini, & diuinæ cognitionis; ideò vocantur de facto filij Dei apud Deum. Ex hoc autem non infertur, quod absolutè, & simpliciter sint filij Dei secũdum presentem statum in se ipso consideratum, & in ordine ad nostrum tempus, secundum quam cõsiderationem procedit dubium præsens.

Ad confirmat. prima. Respon. iuxta dicta in secunda ratione facta cõtra solutionem assignatam vltimę rationi factæ pro nostra conclusione, primo disting. anteced. ordinatione intrinseca ipsis, nego anteced. extrinseca transeat anteced. Secundo disting. aliter, ordinatione quæ fit adoptatio actualis in ordine ad ipsos prædestinatos peccatores pro illo tempore, nego anteced. ordinatione, quę sit adoptatio in potẽtia, scilicet in ordine ad aliud tempus, conced. anteced. Et secundum primã distinctionem disting. conseq. extrinseca denominatione transeat consequens, simpliciter secundum intrinsecam denominationem, neg. conseq.

Secundũ secundã distinctionem antecedentis, disting. consequens, actu nego, in potentia infallibiliter reducenda ad actum, concedo consequentia, vel tertio disting. consequens, secundum Dei præscientiam, concedo conseq. absolutè, & in se ipsis, nego conseq.

Ad secundam confirmat. respond. illud testimonium Ioann. intelligendum esse de filijs Dei secundum prę-scientiam Dei, & in potentia, iuxta dicta ad verba Augustin. Hæc de dubio.

(?)

VLTI-

VLTIMVM DVBIVM PRAEcedentibus annexum est.

Vtrùm Deus plus diligat iustum præscitum, quam peccatorem prædestinatum?

RATIO dubitandi pro parte negatiua est, quia amor Dei est causa bonitatis in rebus, taliter quod ex maiori. Bono quod vult Deus creaturæ alicui infertur à posteriori esse magis amatam à Deo, quia maius bonum in illa causat talis amor, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 20. art. 4. Sed Deus sic amat prędestinatum peccatorem, quod vult ei maius bonũ, & ex vi talis amoris est illi cõmunicandum, vult enim ei vitam æternam, quam non vult effi caciter præscito iusto, ergo optimè infertur magis diligi à Deo prædestinatum peccatorem, quam iustum præscitum. Confir. dilectio in Deo est nostro modo intelligẽdi causa electionis, sed Deus elegit prædestinatum peccatorẽ ad gloriam: non autem præscitum iustum, ergo magis diligit illum, quam istum. Pro altera parte affirmatiua est etiam ratio efficax desumpta, ex D. Thom. vbi supr. in corp. art. vbi ait: *Quod necesse est Deum diligere magis ea quæ sunt meliora*, sed prędscitus iustus est melior prædestinato peccatore, ergo necesse est Deum illum magis diligere, quam istum. Confirm. ipsa ratione D. Thom. qua probat mai. huius discursus, quam ibi statuit, vt conclusionem, formaturque sic. Deum velle magis aliquem, nihil aliud est, quam velle ei maius bonum, vt ipse Sanct. Doct. docuit in prædicta quęst. art. 3. sed Deus præscito iusto, vult maius bonum, scilicet gratiam iustificantem, quam non vult prædestinato peccatori, ergo magis diligit illum, quam istũ. Mai. est expressa doctrina D. Thom. art. citato, & min. probat. ex altera doctrina eiusdem Sancti in eodem art. & etiam art. 4. eiusdem quæst. Voluntas Dei per actum amoris, quo vult bonum alicui creaturę causat illud bonũ, quod vult in ipsa creatura: ergo amor Dei ex bono causato est pensandus: tunc sic, sed in iusto præscito causat bonum diuinæ naturæ participatæ, quod est gratia, ergo ex tali bono, quod non causat in prædestinato peccatore optimè infertur magis diligere iustũ præscitum, quam prædestinatum peccatorem. Adsunt etiam loca Sacrę pag. ad eandem partem probandam quibus secundo confirm. ratio principalis pro illa facta. Primus sit ex lib. Prou. cap. 8. vbi habentur hæc verba: *Ego diligẽtes me diligo*, tunc sic, sed iustus præscitus diligit Deum, peccator autẽ licet sit prædestinatus, non diligit Deum, ergo Deus plus diligit iustum præscitum quam peccatorem prædestinatum. Secundus locus sit, ex illo Psal. 145. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos.* tunc sic. Peccator prædestinatus, non est iustus, ergo non diligit illum Deus, & diligit præscitum iustum, ergo dicendum absolute est, quod Deus magis diligit iustum præscitum, quam peccatorem prædestinatum.

D. Thom.

Prou. 8.

Psalm. 145.

Pro huius dubij decisione præmittendum est primo, quod illud attigit D. Thom. duobus in locis. Primus est 1. part. quęst. 20. art. 4. in 5. argum. Secundus est in 3. dist. 32. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1. ex cuius doctrina in prædictis locis, duo tantum habentur: etenim loco citato, 1. part. dicit, quod secũdum tempus quo prædestinato peccatori dandum est ex diuina misericordia maius bonum melior est, licet secundum aliquod aliud tempus sit peior; non tamen dicit expresse aliquẽ illorum plus diligere, infertur tamen sub distinctione esse loquendum, iuxta doctrinam assignatam in principio illius solutionis: in secundo autem loco 3. sentent. in resolutione quæst. citatæ in fine corporis, ait, simpliciter concedendum esse, quod Deus magis diligat prędestinatum, quam præscitũ,

quia dilectio Dei non variatur per tempora, & Deus abæterno isti prædestinato voluit maius bonum, in principio autem dixerat, quod Deus simpliciter loquendo maius bonum vult peccatori prædestinato, quam iusto præscito; sed vt nunc vult iusto prescito scilicet, maius bonum. Hæc autem determinatio, vt nunc ait D. Thom. non cadit, ex parte dilectionis, sed magis ex parte obiecti. Secundo præmittendum est ad huius D. Thom. doctrinę intelligentiam, quod quamuis dilectio Dei, qua nos diligit sit æterna, & immutabilis ex parte ipsius Dei: tamen ex parte obiecti, scilicet boni, quod per illam communicat nobis est mutabilis, ideſt bonum, quod per illam in tempore cõmunicatur nobis est mutabile secundum esse, & non esse magis, & minus bonum. Ex quo infert Bañ. 1. part. loco citat. dub. circa solutionem ad 5. (quem sequuntur alij per docti Thomistæ) quod cum maior, aut minor dilectio Dei respiciat maius, aut minus bonum, quod creaturę communicatur necessarium est, quod respiciat tẽpus, pro quo illud communicandum est, siquidem non est abęterno talis communicatio actualis, neque semper immutabiliter communicatur.

His præmissis prima conclusio sit, hæc propositio: Deus magis diligit iustum præscitum, quam peccatorẽ prædestinatum: concedenda est, si attendamus ad sensum, quem videtur facere, & oppositа non potest absolute concedi. Probat. hęc conclusio, primo ratione facta pro parte affirmatiua, cũ suis confirmationibus. Secundo prob. declarando sesum, quem facit, qui est cũ appellatione ex parte obiecti, & temporis, scilicet quod iustus quantumuis præscitus aliàs pro illo tempore, pro quo est iustus magis diligitur à Deo, sed in isto sensu propositio est verissima, & hoc probat ratio facta pro parte affirmatiua, quia pro illo tempore iustus præscitus est filius Dei, & membrum Christi viuum, prædestinatus autem peccator, est membrum diaboli; ergo cum ex diuino amore causetur pro illo tempore in præscito bonũ diuinæ gratię, & diuinę filiationis adoptiuę, quod nõ causatur in prędestinato peccatore, pro tẽpore illo, pro quo est peccator absolutè, dicẽdũ est, quod iustus præscitus magis diligitur pro illo tempore, quam prędestinatus peccator. Confirm. prædestinatus peccator pro illo tempore, pro quo est peccator odio habetur à Deo, iuxta illud. *Odio est Deo impius, & impietas eius*: ergo non diligitur à Deo, & consequenter secundum doctrinam fidei, tenenda est nostra conclusio, secundum quam intelligo D. Thom. vbi sup. quando dixit, quod vt nunc vult Deus iusto prescito maius bonum.

Secunda conclusio, si prædicta propositio accipiatur referendo actum amoris diuini ad vltimum terminum vitæ ipsius prędestinati, falsa est, & oppositа vera, scilicet quod magis diligit Deus prædestinatum peccatorem quam iustum præscitum, cum illo addito, scilicet pro termino vitæ. Ratio huius est, quia pro tali tempore diuinus amor maius bonum causat in prędestinato, quam causat pro nũc in iusto prescito, ergo magis diligit prædestinatum peccatorem, cum illo addito, quam iustum præscitum. Prob. antec. quia pro illo tempore causat perseuerantem gratiam, quæ maius bonum est, quam gratia amittenda, ergo.

Hanc conclusionem, probat ratio facta pro parte negatiua in principio cum sua confirmatione, & per illã declaratur mens D. Thom. in 3. vbi sup. in primo notabili. Per has conclusiones sufficienter potest satisfieri rationibus factis pro vtraque parte in principio dubij, cuius resolutioni addendum iudico, cum doctissimis Bañ. & Ioann. Gonçal. vbi supr. 1. part. ad artic. 4. D. Thom. quod si fiat comparatio absolutè loquendo, sine aliquo addito inter prædestinatum, & non prædestinatum concedendum est, quemlibet prædestinatum

tinatum magis diligi à Deo, quam non prædestinatum. Ratio est, nam in hac propositione fit sensus, quod diuinus amor respicit bonum, quod in aliquo tempore communicare decreuit Deus suo amore prędestinato: illud autem est maius, & perfectius quocunque bono communicando, non prædestinatis, quia est perseuerantia in gratia, vsque in finem, ergo talis propositio est vera. Et hæc de dubio presenti, & articulo.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus secundumquod homo sit filius Dei adoptiuus?

CONCLVSIO negatiua, sic formatur Christus, qui est filius Dei naturalis, nullo modo potest esse filius Dei adoptiuus. Hanc conclusionem probat D. Thom. primo in argum. *Sed contra*, authoritate Ambr. lib. de Incarnatione,
Amb. vbi de Christo sic dicit: *Adoptiuum filium non dicimus filium esse natura, sed cum dicimus natura esse filium, qui verus est filius.* Sed Christus est verus,
Ioann. 1. & naturalis Dei filium secundum illud, 1. Ioan. vltimo. *Vt simus in vero filio eius Iesu Christo*, ergo Christus secundumquod homo, nõ est filius adoptiuus. Aduertendum est, circa istam rationem in illa Amb. supponere eandē personam, non posse respectu eiusdem esse verum, & naturalem filium, & esse filium ad imitationem, & similitudinem veri, & naturalis filij, qualis est ille, qui est filius adoptiuus, cū proprietate alicuius. Ex quo principio Ambr. optimè D. Thom. deducit conclusionem, quia Christus etiam in quantum homo est filius Dei naturalis, & verus. Deinde probat in corp. art. hac ratione. Filiatio proprie cõuenit hypostasi, vel personæ: non autem naturæ, sed in Christo non est, nisi vnica persona increata, cui perse conuenit esse filium Dei per naturam, ergo Christus secundumquod homo, nullo modo potest esse filius adoptiuus. Mai. nõ prob. à D. Thom. sed præsupponitur vt certa, & confirmat, ex eo, quod tali principio præsuppositò dictum est ab illo, 1. part. quæst. 34. art. 2. & quæst. 40. artic. 2. quod filiatio est proprietas personalis constituens secundam personam, quę nomine filij, & verbi optimè significatur, vt ait primo loco citato. Min. vero est articulus fidei: nam fides tantum agnoscit contra Nestoriũ in Christo vnam personam increatã verbi: Conseq. vero prob. sic, filiatio adoptionis est participata similitudo filiationis naturalis, sed non stat, quod aliquid dicatur participatiuè tale, quod perse dicitur, ergo cum Christus sit filius Dei naturalis nullo modo potest dici filius adoptiuus: Ex qua ratione concludit D. Thom. quod solum secũdum illos, qui recedentes à fide ponũt in Christo duas hypostasses, seù duo suppositа rationabiliter posset dici Christum hominem Dei filium adoptiuum. Circa hęc verba aduertendum est, satis clare indicare D. Thom. in illis conclusionem contrariam esse conformem errori ponentium in Christo duas personas, siquidem ex tali diuisione personārum fatetur rationabiliter deduci. Vnde videtur implicite talem sententiam, vt errori proximam condemnare, tanquam conclusionē in errore prædicto inclusam. Circa solutionem ad 2. mandare opportet memoriæ conuenientiam, & differentiam simul, quam D. Thom. constituit, & explicat inter Christum, & alios homines Christianos explicans sententiam
Aug. Augustini lib. de prædest. Sanctor. vbi dixit: *Quod eadem gratiæ, qua ille homo est Christus, qua gratia ab initio fidei quicunque homo est Christianus*: conuenientia ergo consistit in hoc, quod ex parte principij, ex quo vtrumque originem duxit, nõ presupponitur aliquid meriti ex parte huius hominis, qui est Christus, vt sit Christus, neque ex parte hominum Christianorum,

vt sint Christiani, sed totum principiũ fuit liberalitas Dei, & gratuita eius voluntas: differentia vero consistit in termino talis gratię increatæ Dei: nam in Christo habet pro termino immediato ipsam gratiam vnionis, scilicet vnionem gratiosam humanæ naturæ ad ipsum verbum, seu suppositum diuinum, per quam totus Christus resultans, est filius Dei naturalis: in alijs autem hominibus terminus immediatus est gratia habitualis, per quam sunt filij adoptiui, ad primam nãque gratiam in Christo sequitur relatio filiationis naturalis, quatenus per eam communicatum est illi composito resultanti esse filij naturalis Dei: ad secundam autem gratiam sequitur in alijs hominibus relatio filiationis adoptiuę, quatenus per illam communicatur eis ius ad hæreditatem Dei, ex vi participationis primæ naturæ diuinæ, quasi substantialis ratione. Ex qua doctrina optimè infertur à D. Thom. quod gratia habitualis in Christo non facit de non filio filiũ adoptiuũ, quia est quidam effectus in anima Christi filiationis naturalis, iuxta illud Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* In hac doctrina insinuatur alia ratio conclusionis D. Thom. quam postea in dubio mouendo formabo. Aliæ duæ solutiones ad 1. & 3. etiam sunt prænotandæ, quatenus in prima docet, quod cum dicitur carnis humanitas adoptata, est impropria locutio, quia sicut filiatio, non propriè conuenit naturæ, ita nec adoptio. Vndè vbicunque inueniatur illa propositio sumenda est adoptatio impropriè, prout est idem, quod destinatio humanæ naturę ad vnionem, cum persona filij, vel prout est idẽ, quod ipsa vnio. In solutione autem ad vltimum prænotanda est differentia inter relationem seruitutis creaturæ, aut subiectionis ad Deum, & relationem filiationis, quod illa prima, non solum respicit personam, sed etiam naturam: imò naturæ conuenit immediatè, & ratione illius conuenit personæ mediatè. Cæterum de relatione secunda, scilicet filiationis oppositum dicendum est.

Ioan. 1.

HIS PRÆMISSIS DVBIVM grauissimum est de veritate, conclusionis D. Thom. & rationis eius.

IN hoc dubio inter Catholicos fuit opinio Durand. in 3. distin. 4. q. 1. per totam, specialiter, num. 6. docentis Christum, cum duplici determinatione, scilicet ex parte subiecti, & ex parte prædicati, posse dici filium adoptiuum Dei spiritus Sancti dicendo sic, Christus in quantũ homo est filius Spiritus Sancti, per adoptionem, & in re totius Trinitatis, quia omnia opera Dei ad extra indiuisibiliter conueniunt toti Trinitati.

Fundamentum Durand. est continens duas difficultates. Vndè claritatis gratia in duo diuiditur à nobis. Primo adoptio facit de eo, qui non est filius per naturam, vel naturalem generationem, filium per gratiam, sed Christus secundum quod homo non est filius Dei per generationem: ergo vt talis potest dici filius adoptione per gratiam. Secundum. Christus secundum quod homo habuit gratiam iustificantem: sed gratia facit filios adoptiuos Dei: ergo Christus in quantum homo est filius adoptiuus Dei.

Hanc sententiam probabilem censet Scot. in 3. distin. 10. quæst. 1. imò absolute, ait, in rigore sermonis posse concedi hanc propositionem: Christus est adoptiuus, & resoluit cauendã esse solum, propter periculum suspitionis erroris. Eandem cẽset probabilem Ricard. eadem dist. art. 2. quæst. 1. probatur ergo alijs argumentis. Primum. Christo possunt conuenire, vt homini omnia illa prædicata quorum est capax natura humana, sed natura humana est capax adoptionis per gratiam, & gloriam, ergo Christus ratione humanitatis erit capax, vt sit filius Dei adoptiuus.

tiuus, discursus bonus. Min. prob. nam gratia, & gloria, & ius ad ipsam gloriã sunt extranea à natura humana, secundum se: ergo potest adoptari. Secundũ. Christus in quantum homo est creatura Dei, & subditus Patri: ergo prout sic potest adoptari in filium. Conseq. probat. ex paritate rationis: nam etiã supposito diuino Christi, vt diuino repugnat esse creaturam, sicut repugnat esse extraneum à Patre: ergo sicut ratione humanitatis, quam sustentat in quantum homo est creatura eadem ratione, & cum eadem determinatione erit filius adoptiuus.

Conf. Christus ratione suppositi diuini est Dominus, & Legislator, & tamen ratione humanitatis est seruus (vt docet D. Thom. sup. quæst. 20. art. 1. & 2.) & colligitur, ex illo Isai. 40. *Parum mihi est, vt sis seruus meus ad suscitandas fæces Iacob, &c.* ergo quamuis Christus ratione suppositi diuini sit filius Dei naturalis, ratione tamen humanitatis eleuatæ per gratiã poterit esse filius adoptiuus. Ex hoc tertio arguitur, impugnando rationem D. Thom. consistentem in hoc, quod non stat aliquod subiectum dici simul per se tale, & participatiue. Contra sic arg. ex hac ratione tantum infertur, quod secundum eandem rationem, non possit Christus esse filius Dei naturalis, & participatiue, scilicet adoptiuus, non tamen probatur, quod secundũ diuersas rationes posita determinatione vtriusque nõ possit dici, & filius perse, atque naturalis ratione suppositi diuini, & absolutè etiam, quia nomẽ Christus absolutè sumptus significat ipsum suppositum, adoptiuus autem ratione humanitatis, ita vt Christus in quantũ homo sit adoptiuus, ergo ita dicendũ est. Antec. prob. tum exemplis positis in argumento præcedenti, tùm etiam altero: nam Christus ratione suppositi diuini est Deus per essentiam, & substantialiter, & tamen ratione humanitatis eleuatæ per gratiam est Deus participatiue, per gratiam habitualẽ eius animam Deificantem accidentaliter participatione Deitatis, quæ est ipsa gratia habitualis, ergõ id dicendũ est in presẽti. Nec valet dicere adhęc omnia, quod filiatio est relatio respiciens suppositum immediatè, & non naturã. Vndè si Christus esset filius Dei adoptiuus esset ratione eiusdem suppositi diuini; at verò aliæ formæ, & denominationes respiciunt naturam immediatè. Vndè possunt conuenire eidem suppositi Christi ratione diuersæ naturæ, scilicet humanæ. Contra est. Primo, quia hæc solutio, quæ desumitur ex prima parte rationis D. Thom. supponit, idquod vertitur in dubium, & probatur esse falsum illud principiũ, quia filiatio naturalis, vel est terminus generationis, vel saltim consequitur ad terminum primarium illius, sed terminus immediatus generationis naturalis est natura ipsa producta, quæ est terminus quo ratione cuius terminat ipsum suppositum, siue compositũ ex natura, & subsistentia, ergo cum filiatio adoptiua sit ad imitationem filiationis naturalis, idem dicendum erit de illa: atque ita cõmunicatio gratiæ in Christo erit generatio supernaturalis, per quam producitur immediatè ipsa natura diuina participata, adquam sequitur propriè loquendo filiatio adoptiua, & ratione talis termini conuenit suppositi Christi. Secundo. Contra eandem solutionem, sic arguitur: nam ex illa non sequitur, quod Christo vt suppositi humano, nõ conueniat filiatio adoptiua: ergo licet ipsi absolute non possit conuenire: tamen vt sic nihil prohibet quod conueniat. Prob. antec. nã Christus habet rationem duplici subsistentis, & eius vnica subsistentia habet rationem duplicis subsistentiæ diuinæ, scilicet, & humanę, ergo qua ratione habet esse suppositum humanum potest participatiue dici filius adoptiuus. Prob. conseq. quia vt sic consideratur, vt suppositum humanum terminans naturam humanam Deificatam per gratiam, sed omne suppositum humanum

Isai. 40.

num proprium sic terminans naturam humanam susciperet esse filium adoptiuum: ergo etiam Christus, vt gerens vicem suppositi talis potest suscipere talem relationem, & sic iam secũdum diuersa esset idem suppositum perse filius, & participatiue filius.

Quarto, Christus inquãtum homo habet ius ad hæreditatem ex gratia, & non naturaliter, ergo est filius Dei adoptiuus. Conseq. prob. quia filiatio adoptiua consequitur ad hoc, quod aliquis ex gratia, & liberalitate admittatur ad hęreditatem patris. Antec. vero prob. nam gratia, quæ est causa formalis iuris ad hæreditatem gloriæ, & bonorum Dei conuenit Christo ex vi vnionis hypostaticæ, sed illa facta est per gratiam, & liberalitatem Dei, ergo omnes, quæ ex illa consequuntur pertinent ad gratiam, & liberalitatem eandem, sit exemplum in gloria, quæ datur puero baptizato decedente ante vsum rationis ex vi gratię acceptæ in Baptismo, quæ gratis ipsi datur, sicut & ipsa gratia Baptismi.

Quinto, & arguitur contra rationem D. Thom. nam idem, quod dicit Sanct. Doct. de filiatione, dicit de natiuitate, infra quæst. 35. art. 1. sed nasci, & natiuitas immediatè referuntur ad naturam, siue ad suppositum ratione naturæ, siue natura se habeat, vt subiectum quo natiuitatis, siue tantum, vt terminus formalis, sed hoc sufficit, vt vni, & eidem suppositio tribuãtur duæ natiuitates secundum duas naturas, vt est videre in Christo, cui conuenit duplex natiuitas, diuina, scilicet & humana, ergo etiam eidem Christo ratione duplicis, quasi naturę, diuinę, scilicet substantialis, quæ est ipsa natura Dei conueniens Verbo Diuino ratione generationis æternę, & naturæ diuinæ accidentalis, & participatæ, quæ est ipsa gratia habitualis conuenit duplex relatio filiationis scilicet naturalis, & adoptiuæ.

Sexto. Christus vt homo, est filius Dei, nõ naturalis, ergo adoptiuus. Maior probatur. Christus vt homo nõ est, non filius Dei, cum alij homines, per gratiam iustificantem sint filij Dei secundum quod homines sunt, ergo Christus vt homo, non potest vere dici, non filius Dei, ergo consequenter, vt sic est filius Dei. Minor discursus primi probatur ex D. Tho. supra quæstion. 16. art. 11. vbi ait, hanc propositionem esse falsam in rigore, Christus vt homo est Deus, ergo cum filius Dei sit Deus, benè infertur, si Christus nõ est Deus vt homo, ergo vt sic non est filius Dei: Tùm etiam probatur ratione, quia Christus in quantum homo, non procedit à Patre per ęternam generationem.

Confirmatur. Filius naturalis Dei est ęqualis Patri in perfectione, sed Christus vt homo, non est æqualis Patri, sed inferior, ergo nõ est filius Dei naturalis vt sic, & consequenter inquãtum homo, optimè potest per gratiam dici filius Dei adoptiuus. Videantur alia argumenta in alijs.

Secunda sententia est contradictoria affirmans, Christum vt hominem, nullo modo esse per gratiam habitualem filius adoptiuus. Ita tenet D. Thom. in presenti, art. 4. & in omnibus locis correspondentibus. Sequuntur ipsum vnanimiter omnes Doctores, tam ex nostra familia, quã ex aliena (vt videre est in commentario huius articuli) & aliqui, ita tenent istam sententiam, vt oppositam iudicent eroneam condemnatam in quoddã Cõcilio Franco-Fordiensi, & in Epistola Adriani Papæ ad Episcopos Galiæ, & Hispaniarum contra Elipandum Archiepiscopum Tolletanum, & alios sequaces. Ita Vazquez disput. 1. contra Elipandum, cap. 7. & certe multi Thomistę, idem sentiunt in manuscriptis, & Didacus Aluar. tom. vnico in 3. p. alij verò non ita rigide procedunt: iudicant tamen illam improbabilem, & falsam, atque ad multum temerariam, & periculosam.

Pro resolutione dubij, ante omnia

tia præmittenda est diffinitio filiationis adoptiuæ, quæ talis est. *Filiatio adoptiua est admissio extraneæ personæ ad hæreditatem, aliàs non debitam aliquo debito naturali, aut a liquo titulo oneroso emptionis, aut venditionis, aut alterius cõtractus ciuilis.* Ex hac diffinitione communiter recepta infertur duas conditiones esse necessarias simpliciter, ad rationẽ filiationis adoptiuæ. Prima est vt persona, quæ adoptatur in filium alicuius, prius siue natura, siue tempore fuerit non filius; ob id enim dicitur persona extranea, quia caret eo gradu coniunctionis ad quem adoptatur: nam filiatio adoptiua opponitur naturali, vt constat ex l. 1. ff. de adoptionibus. Ex hac conditione sequitur secũda, scilicet vt adoptio fiat gratis, ita vt admittatur, qui adoptatur ad hæreditatem Patris adoptantis ex gratia, & mera liberalitate, nã si ei esset debita hæreditas ridicula esset adoptio: cum iam illud ius, quod per adoptionem communicandum esset ad ipsum adoptatum alio titulo pertineret, siue naturali, siue ciuili, vnde tunc admissio ad hæreditatem esset solutio debiti, aut restitutio, & cõsequẽter non esset constitutio prima illius personæ in iure ad talẽ hæreditatẽ, atque ita non esset filiatio adoptiua inde resultans: nam ad hoc requiritur, quod persona, quæ dicitur adoptari ab ipso adoptante, primo accipiat ius ad hæreditatem simile iuri, quod ex prima cõmunicatione naturæ eius accipit filius naturalis: ex prima cõditione infertur, quod filiatio adoptiua intrinsece includit negationem filiationis naturalis præsuppositam ex parte personę adoptatæ. Ex secũda infertur, quod excludat omnem modũ debiti respectu hæreditatis, aliàs non esset prima, & gratiosa admissio personæ ad hæreditatem adoptantis, & cõsequenter, non esset adoptio. Secũdo est præmittendum, quod ex cadẽ diffinitione adoptionis infertur, quod filiatio adoptiua immediate respicit personã, & suppositum tanquam subiectũ talis relationis, quia cũ generatio adoptiua, scilicet adoptio præsupponat personam extraneam, quam adoptans quasi similitudinarie generat per admissionẽ ad hæreditatẽ eius, sicut ipsa actio immediatè respicit, vt subiectũ præsuppositum ipsam personam: ità & relatio filiationis ad illam secuta immediatè respicit personã ipsam præsuppositam sub illa natura, sub qua præsupponitur. Ex quo sequitur, quod si Christus vt homo esset filius adoptiuus Dei per gratiam, illa relatio filiationis immediate esset, vt in subiecto in persona eius præsuppositа, vt terminante naturam humanam: illa autem persona est persona ipsa diuina ratione suæ infinitatis extensa ad terminãdam, & complendam naturam humanam. Tertio est præmittendum, ex eadem diffinitione inferri clarum discrimen inter prædestinationem, & adoptionẽ, quod ista fertur in suppositum, iam existens secundum suum esse naturale, saltem prius natura, vt dictum est: prædestinatio autem nõ fertur in rem actũ subsistentem secundũ suum esse reale. Ratio est, quia prædestinatio est actus intellectus: & ità potest ferri, & de facto fertur in rem antequam sit, & ita B. Virgo antequã existeret erat prædestinata, non tamẽ erat adoptata in Dei filiam: sed tantũ verificabatur, quod erat prædestinata, vt esset in tẽpore Dei filia adoptiua. Ex quo principio optimè deducitur illud, quod in præcedẽti notabili intulimus, videlicet quod si Christus, vt homo, esset filius adoptiuus, eius filiatio adoptiua immediatè esset referẽda ad personã præsuppositã, quia nullo modo posset intelligi, nisi præsuppositа ità realiter ipso Christo, & suppositо eius, vt suppositante naturã humanã.

Quarto est præmittendũ, quod actio productiua, potest respicere aliquã naturã dupliciter: vno modo per modũ subiecti, quod fit p talẽ actionẽ, vel præsupponitur ad illã productum

per aliam: secundo modo per modum termini formalis ipsius actionis (v.g.) generatio hominis perse primo, & formaliter respicit ipsam humanitatem, vt terminū formalem, quia illam perse primo intēdit: homo vero provt designat suppositum humanitatis, est inspectus per modum subiecti producti, per eandem actionem. Ex hoc infertur, quod si cōsideretur subiectum generationis, sic talis actio non respicit immediatè, & perse primo humanitatē per modum subiecti, aut termini qui, sed ipsum suppositum, quia illud habet rationem totalis subiecti, & termini qui generationis, quatenus natura humana ei per generationem cōmunicatur: si verò cōsideretur formalis terminus generationis, sic perse primo inspicitur ipsa natura humana, & ratione illius ipsum suppositum. Ex hoc principio optimè deducitur, non esse contra rationem generationis, quod suppositum ipsi præsupponatur: est tamen contra eius rationē, quod natura præsupponatur in suppositō ante ipsam generationem. Ratio primi est quoniā suppositum habet rationē subiecti generationis: subiectum autē cum sit prius saltem ingenere causæ materialis potius cōformiter ad eius rationem exigit præsupponi, quā per actionem produci, & ita primū generationis subiectū, quod est materia prima, semper præsupponitur generationi, & nunquam per illā potest produci, subiectum autem secundum generationis, quod est suppositū, quamuis non implicet per generationē produci: tamen ex natura sua non petit, sed potius magis præsuppositionem sui: & ita patet, quod generatio humana Christi est propriè, & simpliciter generatio, & tamen in illa præsupponitur suppositū habens esse ex vi originis intelligibilis à Patre. Ratio secundi est, quia natura est terminus formalis, & primarius ad quem perse primo intentus, atque adeò si illa natura, quę perse primo intenditur præsupponere tur producta ante generationē, tolleretur generatio ipsa, quia ablato termino formali specificante, necessario aufertur actio ab illo specificata.

Quinto posset præmitti doctrina Cabr. hic disp. 1. n. 29. de gratia, quæ cōsideratur, vt habens rationē accidētis, & vt sic refertur immediate ad humanitatē saltem ad partē eius principalē, scilicet animam, tanquam subiectū immediatū quo, & ratione illius refertur ad suppositū. Secundo consideratur inquantū secundū specificam rationē habet modū formę substantialis, quatenus est participatio diuinę naturæ, vt sic immediatè refertur ad suppositū, cui cōmunicat existere, & subsistere in noua natura, scilicet diuina participata, & vt ita contēplatur, nullo modo respicit humanitatē formaliter, quia non communicat ei existere in noua natura: in istaconsideratione, eodem modo loquendū est de gratia, ac si tribueret nouā naturam substantialem, & constitueret filiū naturalē. Pro qua doctrina intelligenda, videndus est D. Th. sup. q. 2. de modo vnionis, art. 1. vbi probat impossibile esse, quod vnio Verbi Incarnati facta sit in natura immediate, ita vt esset immediata vnio duarum naturarum, quia cum quælibet sit perfecta entitas, nō possent vniri, ita vt tertiū compositū esset vnius essentiæ simpliciter, & vnū perse. Vndè vnio fuit in persona: cum ergo gratia sub ratione posteriori immediate, tantum respiciat suppositū, vt cōmunicans ei participatam diuinam naturā, relatio filiationis adoptiuæ, inde resultans immediate, etiam respiceret ipsum suppositum, & nullo modo naturam.

Contra istam diuersam cōsiderationē gratię, arguit Suar. disp. 49. sect. 2. pag. 2. col. 2. cuius argumenta constituit Cabrer. & sufficienter soluit. Sed nos contra doctrinam ex illa illatam argumentamur hoc argumento. Gratia vt est participatio diuinæ naturæ immediatè communicat

cat animæ Christi ipsum esse substantiale Dei participatum, & ratione illius confert idem esse Deum per participationem ipsi suppositi, sed vt sic habet modum naturæ substantialis: ergo etiam vt sic respicit immediate naturam humanam, & ratione illius personam, & suppositum.

Ad hoc respond. distinguendo maiorem: quatenus ex parte naturæ diuinæ consideratur, vt natura substantialis participata formaliter inspecta, nego maiorem, quatenus consideratur materialiter, ex parte participationis accidentalis in qua participatur modo accidentali natura diuina, concedo maiorem, & tunc distinguo minorem, vt sic id est sub ista immediata habitudine gratiæ ex parte accidentis creati participantis esse substantiale Dei formaliter, nego: Quia potius sub ista ratione habet modum proprium formæ accidentalis: sub alia priori ratione est vera, sed sub illa ad personam immediate refertur, sub alia vero ad partem naturæ, scilicet ad animam, & ratione illius ad personam.

Vltimo est præmittendum; quod cum filiatio adoptiua sit ad similitudinem filiationis naturalis, eius natura per ordinem ad filiationem naturalē est indaganda, filiatio autem naturalis immediate respicit personam resultātem ex vnione naturę ad subsistentiā per quā suppositatur, vt colligitur ex dictis in 4. notabili. Ratio est, quia filiatio naturalis est relatio fundata super actione generatiua, & passiua generatione, quæ immediate ad suppositum refertur, tanquam ad subiectum, & non ad naturam, etiam tanquam ad subiectum quo, quia natura est terminus ad quem formalis, de cuius ratione, non est esse subiectum, etiam quo eiusdem actionis, & passionis, sed potius recipi in ipso subiecto actionis, & constituere compositum in esse essentiali indiuiduali, quod est immediatum subiectum relationis filiationis, & ita natura, quæ per actionem generatiuam producitur, habet se tantum, antecedenter tanquā cōstituens compositum in suo ordine, scilicet per modum naturæ completę, & terminatæ, per subsistentiam, & consequenter se habet ex parte fundamenti proximi ipsius relationis filiationis, tanquam fundamentum ipsum, vel ratio, aut conditio fundandi, & sic relatio sequta in ipso cōposito subsistente recipitur, quod dicitur filius, quia accipit naturam à Patre: sicut persona patris dicitur pater, quia communicat naturam suam filio. Vndè in diuinis, D. Tho. 1. part. quæst. 33. art. 2. docet expresse, quod paternitas immediatè respicit personā Patris, quam constituit, & quod nomē Pater est proprium primę personæ, & idem dicit quæst. 34. de nomine Verbi, quia significat filiationem, per quam secunda persona constituitur, & distinguitur à prima, & tertia: itaque natura, nec in diuinis dicitur, aut est aliquo modo pater, neque filius, neque similiter in humanis, ad istum ergo modum filiatio adoptiua, quę est imitatio quędam filiationis naturalis respicit immediatè personam, & nullo modo naturam, & in hoc distinguitur talis proprietas ab alijs proprietatibus, & prædicatis etiam substantialibus, quæ dicuntur de homine: nam alia prædicata, taliter dicuntur de homine, & supposito, quod etiā aliquo modo formaliter respiciunt ipsam naturā: huiusmodi sunt seruitus, & ratio creaturæ, quæ supposito humano conueniūt, quia cōueniunt ipsi naturę essentialiter, & inseparabiliter suo modo, & vt quo scilicet. Sic docet D. Th. hic ad 3. & infra quæst. 55. art. 5. vbi videdus est Caiet. & alij. Vbi considerādo filiationes, scilicet æternam Christi respectu Patris diuini, & temporalē respectu Virginis Sāctiss. ex parte subiecti docet D. Th. quod in Christo, non est, nisi vnica relatio realis filiationis ad Patrem æternum: relatio verò filiationis ad matrem, est tantum rationis, quia relatio filiationis immediatè respicit, tanquā

subiectum in quo recipitur personam, & nullo modo naturam, aut partem naturæ, & quia suppositum, & persona in Christo, est tantum suppositum æternum, quod non est capax relationis realis ex tempore aduenientis ei propter suam infinitam immutabilitatem; ideò infert, quod filiatio, qua Christus refertur ad matrem, nõ potest esse realis, sed secundum rationem tantum. Vnde dicitur, relatiue filius ad matrẽ relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum, sicut etiã Deus dicitur relatiue Dominus relatione, quæ cointelligitur relationi maternitatis ad Christum, sicut etiã Deus dicitur relatiue Dominus relatione, quę cointelligitur reali relationi, qua creatura subijcitur Deo. Hæc infine corporis art. & eandẽ doctrinam repetit in solutione ad primum, vbi addit, quod suppositũ Christi non potest dici, quod sit subiectũ relationis tẽporalis filiationis ratione humanæ naturę, sicut dicitur subiectũ temporalis natiuitatis, cuius rationẽ assignat, quia oporteret naturam humanã aliqualiter esse subiectam filiationi, sicut est aliqualiter subiecta natiuitati: sicut Ethiops; ideò dicitur albus ratione dentis, quia dens ipsius est subiectum albedinis: natura autem humana nullo modo potest esse subiectum filiationis: quia talis relatio directe respicit personam. His iure optimo præmissis est conclusio.

Christus in quantum homo ly in quantum sumpto specificatiue, nullo modo est filius adoptiuus Dei, loquendo de filiatione propriè dicta. Hęc cõclusio est omnium Doctorum paucis supra relatis exceptis. Huius est duplex fundamentalis ratio, vtraque desumpta ex fundamentis præiactis. Prima est, quam constituit D. Thom. in corpore huius articuli supra à nobis formata, circa quam est aduertẽdum, quod licet præsupponatur, vt certum principium maior discursus D. Thom. scilicet relationem filiationis immediatè respicere personam, & suppositum, tamen ex doctrina supra in vltimo notabili tradita maximè in principio potest probari à priori: Quia relatio filiationis consequitur productionem, & communicationem naturę ab aliquo supposito actiuè producente, & communicante eam alteri à se distincto, sed generari, & produci patsiue pertinet immediatè ad suppositum, & personam tanquam ad subiectum, quia natura est terminus adquem eiusdem, vt ibi dixi, ergo relatio inde cõsequens immediatè respicit ipsum suppositum tanquam subiectum, & nullo modo naturam, quia illa, sicut se tenet ex parte termini ad quem generationis, ita se habet, vt aliquid antecedens per modum, vel rationis fundantis, aut conditionis fundandi relationem filiationis quare optimè aduertit Lorca hic disput. 84. membr. 4. num. 44. fundamentum illud D. Thom. satis cõstare aperte, ex communi doctrina asserentium omnium actiones, & productiones esse suppositorũ: hoc ergo principio sic explicato euidenter deducitur conclusio nostra, per discursum Theologicũ in quo minor est de fide. Confirmatur & explicatur, quia propter indubitatã veritatem illius principij D. Thom. si aliquis homo (v.g.) produceret in se ipso alterã naturam humanam, nullo modo diceretur talis natura filius hominis producentis illam, neque eius productio esset generatio, sed haberet rationem tantum productionis distinctæ naturæ substantialis: ergo vt productio aliqua sit generatio debet respicere alterã personam distinctam à persona producente, tanquam subiectum generationis cui communicare intendit naturam producendam: ergo relatio filiationis inde consurgens immediatæ respicit, tanquam subiectum cui inhæret ipsam personam, quę est subiectũ generationis naturæ. Ex quo infertur illum dici filium, qui est persona accipiens naturam à Patre, & illum Patrem, qui est persona communicãs alteri

teri à se distincto suam naturam, vel eandem secundum speciem, vt patet in creaturis, vel eandem numero, vt constat in diuinis, vbi personæ duæ ipsis relationibus paternitatis, & filiationis constituuntur, vt docet D. Thom. loco supra citato primæ partis, sic intelligendam esse maiorem propositionem rationis D. Thom. patet, non solum ratione facta, sed quia ipse Doct. Sanct. infra quæst. 35. art. 5. solutione ad primum expresse docet, naturã nullo modo esse subiectum relationis filiationis. Hoc aduerto contra Suar. qui in hac quæst. & art. disp. 49. sect. 2. §. *Ex hac vero ratione*, ait principium explicatum D. Thom. non esse sic intelligendũ, quod filiatio soli supposito insit, & non etiam naturę, maximè cum illa natura, non est intrinseca, & essentialis tali supposito: nam in tali sensu, ait, talem propositionem, non habere veritatem, & probat sic. Verbum non solum est persona secundumse, sed etiam pro vt coniunctum humanitati, ita vt hoc compositum vera persona substantialis sit, sed hæc persona, vt cõposita intrinsece includit hanc naturã assumptam, & hanc personam, seu subsistentiam: ergo licet filiatio sit proprietas personę, poterit perse primo conuenire huic personæ compositæ vt sic, ergo poterit esse, non tantum in persona secundumse, sed etiam in natura, vel potius in composito ex vtraque. Explicatur hoc quaddam doctrina ipsius, ex qua, rationem sic formo in confirmatione sui dicti. Generari, aut concipi conuenit personæ potius quam naturę, quamuis persona secundumse non concipiatur, sed persona composita ex subsistentia, & natura: sed propter istam rationem relatio filij, quam habet Christus ad Matrem, licet personæ conueniat: non tamen ita vt illi immediate insit, aut in esse concipiatur: quia esset falsa conceptio, quia sicut Verbum secũdumse non generatur ex matre, sed ratione humanæ naturæ, seu compositum ex verbo, & humanitate, ita Verbum secundumse non refertur, sed vt componit vnam personam cum humanitate: ergo neque Verbo secundumse ineſt relatio filij ad matrem, sed media humanitate, quatenus cum illa componit vnam personam: ergo idem erit de filiatione, qua Christus vt homo dicitur filius Dei. Et probatur: nam hęc relatio etiam non conuenit Verbo secũdumse, nec proximè fundatur in æterna generatione, sed in gratia vnionis facta humanitati: ergo filiatio dicitur conuenire personæ: Tùm, quia ipsam vere denominat: Tùm etiam, quia illi secundumse conuenit si fit simplicissima persona, vel quia non ineſt naturę, nisi vt subsistẽti, & terminatę in aliqua persona si fit persona composita, quod promittit se fusius declaraturum infra q. 35. Ex his infert, quod sic intellecta prædicta propositione maiori rationis D. Thom. dicendum est, relationem filij ad Deum conuenientem Christo, vt homini propriè, non conuenire humanitati, & secundumse, sed perse primo conuenire huic personæ compositæ, seu Verbo vt subsistenti in humanitate, seu humanitati substentatæ à Verbo: Vndè statim concludit illam filiationẽ, non posse habere proprietatẽ repugnantem Verbo, & eius dignitati, cũ illud proximè respiciat, licet nõ nudũ, sed vestitũ humanitate, & quia ad dignitatẽ Verbi spectat, vt nullo modo cẽseatur persona extranea à Deo, etiam in natura aliena, quia eãper Assumptionem fecit suam, & faciendo suam fecit illi debitam hæreditatem diuinã perse ipsum eam Deificando, ideò filiatio talis personæ etiam in aliena natura non potest esse adoptiua, quia hęc alienam personam respicit, & negationem filiationis naturalis includit.

Sed vt quid prædictus author laborat in hoc explicando, tanquam fundato in alia ratione, quã in confirmationẽ rationis D. Th. facit, cũ omnia quæ vera in tali illato continẽtur in ratione ipsa D. Thom. fundentur, & patet: nam

nam si filiatio secundumse, non respiceret immediata personam, nõ posset deduci filiationem adoptiuam immediate respicere personam extraneam, sed sufficeret natura extranea, & ita posset quis dicere Christum ratione naturæ extraneæ, secundumse esse filium adoptiuum. Vndè licet verum sit, quod intelligendo, iuxta modum prædicti authoris maiorem propositionem rationis D. Thom. saluetur intentum principale: tamen non potest negari explicationem nostram, quę est communis inter veros discipulos eius esse legitimam, & magis secundum mentem Sancti, vt explicui. Et ita ad fundamentum Suar. in contrarium, resp. admissis præmissis, negando consequentiam, pro illa parte in qua dicitur filiationem posse conuenire ipsi naturę: pro alia vero parte in qua concluditur in esse composito ex natura, & subsistentia distinguitur cõsequens, ratione naturę, vt primarij subiecti, etiam vt quo, nego consequentiam, ratione suppositi resultantis ex vnione naturę, cum subsistentia diuina, concedo consequentiam; itaque compositum singulare est filius, & in illo subiectatur filiatio ratione suppositi, vel in quantum tale compositum est subsistens in natura humana, ly vt specificatiue sumpto, non reduplicatiue, vt in initio dubij est dictum & hoc est, quod intendit Doct. Sanct. docere in presenti ratione: concedendum namque est humanam naturam conducere ad constitutionem subiecti filiationis naturalis per gratiam vnionis, non per modum subiecti quo, sed per modum naturæ terminatæ per subsistentiam suppositi diuini, ac subinde per modum conditionis necessariæ, sine qua non reciperet filiationem diuinam tali modo, scilicet in tępore media vnione hypostatica: nam illa posita resultat, & non aliter. Vndè, quia semper persona est diuina, semper ex parte subiecti recipientis filiationem diuinam, est incapacitas, vt talis filiatio sit adoptiua.

Ad confirmationem, resp. filiationem naturalem Christi ad matrem, etiam in esse nostro modo concipiendi ipsi Verbo Diuino, non secundumse, & solitarie considerato, sed vt recipit humanitatem ly vt dicendo conditionem, & intelligendo sic talem relationem conuenire Verbo Diuino, negamus esse falsam conceptionem: sic enim concipit infra quæst. 35. art. 5. relationem prędictam D. Thom. & ideò ait, non esse realem, sed rationis, quia Verbum diuinum est incapax relationis realis ex tempore aduenientis; si autem reciperet mediahumanitate, vt subiecto, benè esset capax recipiendi in illa relationem realem ex tempore: nam natura humana, non est in se immutabilis: conuenit ergo talis relatio filiationis Christi ad matrem ratione naturæ, tanquam termini producti, per generationem temporalem Verbo vniti; non tamen tanquam ratione subiecti: sed ad constituendum illud se habet tantum antecedenter, tanquam conditio, sine qua non, & ita eadem ratio est, quantum adhoc filiationis diuinæ, qua Christus vt homo dicitur filius Dei: quando ergo dicitur Verbum secundumse non recipit filiationem diuinam in tempore, distinguo antecedens in forma; secundumse, id est, solitariè nudum ab humanitate vnita sibi, concedo antecedens, secundumse, id est in se, & in suo esse personali, nego antecedens: nam esse specificum, & indiuiduale, quod recipit à natura humana, non est ratio formalis recipiendi talem filiationem, sed conditio præsuppositа: patet ergo ex dictis, quare relatio filiationis dicatur conuenire immediatè personæ, scilicet quia ipsa secundum esse personale, est subiectum inhæsionis filiationis, vt tamen terminat, & complet naturam.

His positis, optimè confirmatur ratio D. Thom. confirmatione ipsa Suar. quæ in ipso principio D. Thom. includitur

ditur, vt colligitur ex sexto, & vltimo notabili. Filiatio adoptiua, vt in primo, & secundo notabili præmissi, est admissio liberaliter, & gratiosse facta extraneæ personæ ad hæreditatē adoptantis, sed Christo etiam vt homini, non potest aliquo modo conuenire esse extraneam personam ab hæreditate Dei, & natura ipsius, ergo nullo modo potest ei conuenire esse filiū adoptiuū. Discursus est euidens, minor probatur, quia Christus etiā vt homo non est alia persona à persona filij naturalis Dei, ergo non potest esse in duratione temporis, neque intelligi insigno naturæ persona extranea à diuina filiatione, Explicatur magis, Christus vt est persona composita, intrinsecè includit filiationem naturalem Dei, per quam constituitur in esse talis personę: ergo implicat intelligi, vt persona extranea, quia filius naturalis non est persona extranea à Patre.

Nec valet dicere, Christum vt suppositum humanum posse considerari, vt personam extraneam ratione naturæ humanæ, quę est extranea à Deo, & ab hæreditate: ergo vt sic poterit suscipere adoptiuam filiationem. Nō inquam, valet, quia facile resp. negando antecedens, quia adhuc consideratus Christus, vt subsistens in humanitate intrinsecè includit subsistentiam diuinæ filiationis naturalis; & ideò non potest cōsiderari, vt extranea persona, non obstante, quod admittatur disputationis gratia, naturam humanā, etiam in Christo esse extraneam: quia eius extraneitas, non causat in supposito ipso extraneitatem, sed potius trahitur ad intraneitatem ipsius suppositi diuini cui vnitur.

Secundo confirmatur, eadem ratio D. Thom. Natura humana in Christo facta est propria suppositi diuini ratione vnionis, ergo prout est Christi, non est extranea à diuina hæreditate. Consequentia probatur, quia eo ipso, quod humana natura est, per vnionem facta propria Christi cōsequitur, quod ei sit debita diuina hæreditas, quasi ab intrinseco, quia vnio intrinsece pertinet ad constitutionem Christi, vt suppositum humanum, & vt persona composita ex natura, & subsistentia diuina, sed ratione vnionis, est debita humanæ naturæ Christi hæreditas diuina, ergo etiam Christo ratione naturę assumptæ, vt assumptę, non potest conuenire extraneitas à diuina hæreditate. Antecedens primum patet, quia natura humana in Christo, intrinsecè pertinet ad constitutionem huius hominis Christi, ergo est propria eius, vthic homo, & persona composita est, sed ex alia parte, vt talis homo est, intrinsecè includit filiationem naturalem Dei, & subsistentiam diuinę filiationis naturalis, ergo implicat ei filiationem adoptiuam conuenire, etiam vt homini, in hoc sensu adducuntur verba Adriani Papę ad Episcopos Hispaniarū, quasi Dominus aliquando naturæ alienus fuerit, aut personis extraneus, homo factus assumptioni.

Ad hanc cōsequentiam probandam est efficax illud principium D. Thom. in probatione suæ conseq. adductum, quia ille qui perse est filius secundum eandem rationem, nō potest dici filius participatiue: & imperfectè respectu eiusdem patris, quæ propositio, vt sic intellecta vniuersaliter est vera: quia filiatio per participationē, est imperfecta dicens negationem filiationis naturalis, & perfectæ, faciens de non filio filium, ergo implicat eidē personæ secundum eandem rationem respectu eiusdem conuenire vtraque filiatio: tunc sic, sed Christo non solū in quantum dicit suppositum diuinum secundum se, sed etiam in quantum est humanum modo explicato, ratione humanitatis etiam, vt propria eius effecta est per gratiam vnionis conuenit filiatio naturalis, & perfecta Dei, ergo repugnat ei altera filiatio adoptiua, & imperfecta. Sic omnes discipuli D. Thom. intelligunt prædictum eius principium, quamuis non ita clare, &

explicite illud manifestent.

Secunda ratio principalis, & fundamentalis nostræ conclusionis desumitur, ex solutione ad 2. huius articuli. Formatur à nobis sic subintelligendo maiorem propositionem, quã supponit D. Thom. in argumento constitutam. Filiatio adoptiua est effectus pro manans à gratia, aut est relatio cõsequens effectum formalem gratiæ habitualis, sed gratia habitualis Christi, non facit ipsum de non filio filium, ergo non facit eum filium adoptiuum. Maior est certa, minor probatur. Gratia habitualis in Christo est quiddam effectus in anima eius consequens filiationem Dei, quæ vt dictum est, est naturalis ergo supponit ipsum esse filium Dei. Antecedẽs probatur à D. Thom. ex illo Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis:* consequentia vero probatur, quia gratia habitualis, ideò in alijs hominibus facit filios adoptiuos, quia supponit eos, non filios ecce in hac ratione præsupponitur doctrina à nobis in primis notabilibus constituta, quod filiatio adoptiua præsupponit suppositum extraneum ab hereditate, tanquam non filium. Circa istam rationem aduertit optimè Caiet. hic, quod sicut in humanis, is qui est naturalis filius alicuius, non adoptatur in filium, quia omnia bona hæreditatis, sibi debentur, quia filius est: ita etiam Christus habet omnia bona patriæ, & viæ, quæ filijs adoptiuis debentur, non ex iure adoptionis, sed ex hoc, quod fuit filius Dei naturalis in natura assumpta habet hæreditatem Dei, tanquam debitam, etiam in natura assumpta ex hoc ipso, quod erat filius Dei naturalis in eadem natura, quod ait probari testimonio Ioannis relato à D. Thom. Ex his duplex ratio formatur quarum quælibet in ratione D. Thom. formata includitur. Prima sic. Infusio gratiæ in anima Christi non habet rationem generationis supernaturalis, ergo ex illa non resultat filiatio adoptiua. Antecedens probatur, infusio gratię in anima Christi, non est actio primario intenta Deo, sed consequenter se habens ad vnionem, admodum quo emanatio proprietatum naturalium cõsequenter se habet ad generationem substantialem: ergo non est generatio, patet consequentia: nam actio productiua, quæ est generatio debet esse primaria & perse intenta ab operãte, vt in creatis patet: Antecedens verò cõstat, quia vt ex doctrina D. Thom. confirmata testimonio Ioannis constat, infusio gratiæ in Christo est actio debita humanitati ex vi vnionis Verbi ad ipsam: ergo est consequenter se habens ad vnionẽ hypostaticam, & consequenter nõ potest habere rationem generationis, & gratia producta, non habet rationem termini generati, sed producti ex debito connaturalitatis; & ideò supra dicitur habere se ad modum proprietatis naturalis Christi, vt hic homo. Secunda ratio sic formatur, etiãsi natura humana esset capax filiationis adoptiuæ in Christo esset incapax: ergo nõ posset ratione illius esse filius adoptiuus. Probatur antecedens, adoptiua filiatio est communicatio gratiosa iuris ad hereditatem, non debitam alio titulo, seu ad talem communicationem cõsequitur, sed communicatio gratiæ, quæ cõfert intrinsecum ius ad gloriam creatam animę Christi, non est ex gratia, sed ex debito cõnaturali ratione vnionis præsuppositę: ergo non potuit habere rationem adoptionis in Christo, & eius humanitate. Si dicatur ratione gratię vnionis posse dici naturam adoptatam, & consequenter Christus ratione naturæ posse dici adoptatum.

Contra est solutio D. Thom. ad 1. huius articuli, in qua docet naturam humanam impropriè dici adoptari, prout vnio naturæ ad esse personale filij Dei impropriè dicitur adoptio: Tùm secundo, quia gratia vnionis, nõ constituit filium adoptiuum, sed potius naturalem, quia communicat naturę humanę esse personale filij Dei natura-

Ioan. 1.

naturalis. Ex quo infertur, quod si ipsa esset capax filiationis immediate, & formaliter, reciperet in se filiationem naturalem ipsi communicatam: ergo fieret in capax filiationis adoptiuæ, sicut si in se reciperet Deitatem essentialem redderetur incapax Deitatis participatæ. Tùm tertio, quia gratia vnionis non fuit gratia respectu personę compositæ, vt subsistenti etiam in natura assumpta: ergo non potest ratione illius effici talis persona filius adoptiuus. Antecedens probatur, quia gratia in eo, quod gratia præsupponit subiectum esse saltim prius natura, vt sic intelligatur habere rationem gratiæ respectu illius, sed vnio pertinet ad cõstitutionem talis suppositi, vt humani intrinsece: ergo non supponit illud, & consequenter respectu eius, non habet rationẽ gratiæ, nunquam enim hic homo Christus præsuppositus fuit ad vnionem, sed vnio potius intelligitur, vt precedens tanquam faciens hunc hominem si actiue sumatur: si vero passiue vt constituens: solum ergo vnio habuit rationem gratiæ respectu naturæ secundum se, prout præintelligitur assumptioni. Cæterum, vt iam probaui, humanitas potius per vnionẽ gratuitam redditur incapax filiationis adoptiuę. Vndè omnibus modis, & subquacunque consideratione infertur clare Christum vt hominem non posse esse filium adoptiuum. Hæc ratio vltima ex D. Tho. doctrina formata, probat veritatem nostræ conclusionis etiamsi per possibile, vel impossibile Christus non esset filius naturalis Dei: sicut si Spiritus Sanctus fieret homo, etiam vt talis, non posset esse filius adoptiuus Dei, quamuis non esset naturalis, quia gratia, & gloria non cõmunicarentur ei ex gratia, sed quasi abintrinseco, & nullum reputo inconueniens, quod nullo modo esset filius, sicut modo ipse Spiritus Sanctus, quamuis habeat naturam diuinam per essentiam à principio vitali participatam, non tamen est filius naturalis. Vtrum autem veritas nostræ conclusionis sit de fide modo noluimus resoluere.

Ad fundamentum Durand. resp. ad primum dupliciter, Primo concessa maiori, distinguo minorem, non est filius per generationem æternam secũdum se, & absolute consideratam, concedo minorem, per generationẽ æternam, vt in tempore communicatã media sui termini immediati communicatione nego minorem, & nego consequentiam, quia vt probatum est, sufficit Christum vt hominem specificatiue illo modo esse filium Dei naturalem per gratiam vnionis, quæ est communicatio filiationis naturalis. Secundo potest explicari, maior dicendo, quod non ponitur adæquate omne illud, quod reddit tale subiectum in capax adoptionis, sed addendum est, vel eum qui nullo modo est filius naturalis Dei, aut habet quasi abintrinseco principio ius ad hereditatem, & quia Christus est filius Dei naturalis per gratiam vnionis, etiam vt homo, iuxta nostras rationes, & quamuis non esset filius naturalis haberet ius abintrinseco ad hæreditatem Dei, ideò non potest adoptari. Vndè sic distingui potest minor, & neganda est consequentia.

Ad secundum resp. Christum habuisse gratiam habitualem alio modo excellentiori ad modum aliorum hominum, scilicet ex debito naturali, quasi à principio intrinseco: Alij verò habent per se primo productam, sine aliquo debito prę supposito ex parte personæ, & ideò constituit illos adoptiuos, & sic concessa minori, negatur consequentia, quia in Christo propter rationem factam, supra ex doctrina D. Thom. ad 2. non habet rationem formæ, siue naturę genitæ, propterea quod consequitur filiationem naturalem communicatam per vnionem hypostaticam huic homini Christo. Secundo resp. negando consequentiam, quia Christus non est subiectum capax sub nulla ratione filiationis adoptiuæ, propterea quod sub omni est fi-

lius

lius Dei naturalis, alij verò homines sunt capaces eius, quia supponuntur non filij Dei. Et addendum, quod filiatio, non est immediatus effectus formalis gratiæ, sed relatio consecuta ad illum in subiecto capaci, vndè potest impediri ex incapacitate subiecti.

Effectus autem immediatus gratiæ habitualis est constituere animam Deificam, & gratam Deo, quem etiam confert animæ Christi: resultantis autem filiationis adoptiuæ impeditur ex præsuppositæ filiatione naturali suppositæ, cuius importat negationē præsuppositam adoptiua in ipsa persona, quę adoptatur.

Ad alia argumenta in fauorē eiusdem sententię resp. ad primum cōcedo maiorē, & negatur minor, ad probationem resp. primo negando consequentiam, quia natura humana non est capax adoptionis propriæ, vt dictū est, in rationibus vltimis ex D. Tho. quia talis relatio respicit immediatè personam. Secundo resp. distinguendo consequens secundumse, transeat consequens, in Christo, nego consequentiā, quia respectu naturæ humanæ Christi vt Christi non sunt extranea gratia, & ius ad gloriam, neque ipsa gloria, quia à principio intrinseco sunt debita. Tertio resp. distinguendo maiorem, si sint talia, quod non importent conditionē repugnantem dignitati suppositi diuini, concedo maiorem: si autem includant imperfectionem repugnantem, nego maiorem, vnde admissa minori, negatur consequentia, quia filiatio adoptiua includit imperfectionem incomposibilem cum dignitate suppositi diuini, quocunque modo considerati, etiam vt subsistentis in natura assumpta, vt probaui supra, cum enim Christus vt homo, & eius humanitas, non sint omnino idem, vt optime aduertit Suar. vbi supra, quia Christus vt homo includit necessario suppositū, quod non includit natura. Vndè argumentum non valet in omnibus ab humanitate ad Christum, neque ècontra, non enim valet natura secundumse, est extranea ab hæreditate: ergo Christus vt homo est extraneus, quia extraneitas naturæ, non reddit suppositum etiam, vt humanum extraneum, quia tale prædicatum est repugnans dignitati eius infinitæ, similiter non valet humanitas est vnita: ergo Christus vt homo est vnitus, neque valet humanitati est facta gratia: ergo Christo vt homini est facta gratia: ita etiam non valet humanitas est adoptata in filiam, ergo Christus vt homo est adoptatus: quia semper manet idem suppositum, cui rationibus dictis repugnat adoptiua filiatio, sicut repugnat, quod Christus vt homo dicatur persona finita, aut creata, propter similem rationem.

Ad secundum ex solutione D. Tho. hic ad 3. resp. concesso antecedenti negando consequentiam, ad probationē concesso antecedenti, iterum negatur consequētia, ratio diuersitatis est, quia ratio creaturæ, & ratio subiectionis ad Deum, sunt de prædicatis, quæ immediatè respiciunt naturā saltem, vt subiectum quo, & ideò ratione naturę humanę possunt conuenire Christo vtho mini: relatio vero filiationis respicit immediate personam, & ideò non potest conuenire ratione naturæ, sed potius ècontrario si esset filiatio adoptiua cōueniret naturæ ratione personæ saltim materialiter, & concomittanter. Secundo illa prædicata sunt propria naturæ dependenti à Deo, quæ proinde ratione vnionis non possunt auferri ab illa, quia quę intrinseca sunt, vel intrinsece cōcomittantur naturas per vnionem, non auferuntur, relatio verò filiationis adoptiuæ potit prouenire à gratia communicata per se primo suppositō extraneo, & naturæ cui non conuenit ab intrinseco, & ex debito naturali ius ad hæreditatem diuinam. Vndè præsupponit subiectū extraneum, & non filium tanquam cōditionem requisitam, vt suscipiat illā, cum autem in Christo, neque ratione suppositi, neque ratione naturę vt propria

priæ ipsius præsupponatur talis extraneitas, sed potius principium intrinsecum inducens debitum respectu gratię, & gloriæ est prędicatum repugnans, vt dictum, & probatum est.

Ad confirmationem eodem modo. Resp. quia illa prædicata conueniunt ratione naturę vtriusque, quæ adhuc posita vnione integrę manent, similiter ex vnione, nihil oritur, quod conuenientiam eorum impediat; at vero de filiatione adoptiua oppositũ omnino est dicendum. Ad tertium patet ex dictis in secunda ratione principali nostræ conclusionis, & toto processu eius, quod ex oppositа sententia sequeretur Christum, vt hominem secundum eandem rationem suppositi humani esse filium naturalem, & adoptiuum perse, & ab extrinseco, & participatiue. Et præterea benè ibi dictum est. Ad replicam resp. illud principium supponi, vt perse notum à D. Thom. & prętерea à nobis probatum, & declaratum est in probationibus primis nostræ conclusionis. Ad probationem falsitatis eius. Resp. filiationẽ naturalem consequi ad naturam, quæ tanquam terminus primarius producitur per actionem generatiuam. Vndè concessa minori, negatur eõsequẽtia pro secunda parte, quia vt iam dixi in prima ratione ex secunda principali deducta, infusio gratiæ in anima Christi, non est generatio spiritualis, quia non est actio primaria, sed consequenter se habens ad vnionẽ, ad modum quo emanatio proprietatum se habet consequenter ad generationẽ hominis. Vndè sicut talium proprietatum emanatio non est generatio, ita nec in Christo infusio gratiæ, in alijs vero hominibus in quibus infusio gratiæ est actio perse primo intenta, non præsupponens principium intrinsecũ ratione cuius debeatur ad communicationem naturæ diuinæ participatæ factam per gratiam sequitur relatio filiationis adoptiuę.

Ad secundam replicam resp. negando sequelam, ad probationẽ respond. distinguendo, seù explicando antecedens dicendo, quod Christus habet rationem duplicis subsistentis, non dualitate subsistentiæ secundum rem, sed dualitate naturarum, quas vnica infinita Verbi subsistentia terminat, & complet: & tunc negatur consequentia. Ad probationem concessa maiori, quantum adhoc, quod est cõplere dependentiam naturę humanæ suppositabilis, negando tamen quantum ad modum, quia suppositum proprium terminat, vt suppositum extraneum ab hęreditate diuina, & cõcessa minori, negatur consequentia, quia suppositum diuinum, nõ terminat naturam Deificatam participatiue, vt extraneum, neque vt suppositum, cui fiat gratia in communicatione gratiæ habitualis, & iuris ad hæreditatem, quod erat necessarium, vt susciperet inse filiationem adoptiuam (vt dictũ est) suppositum autem proprium terminat naturam Deificam per gratiam illo duplici modo necessario, & sufficienti ad recipiendam filiationẽ adoptiuam. Ad quartum negatur, antecedens, ad probationem concessa maiori, & minori, distinguo consequens, tã quam ad primam radicem, & causam, concedo consequentiam, tanquam ad proximam, & immediatam, nego cõsequentiã. Hæc enim est gratia vnionis pertinens ad constitutionem personę cõpositę, scilicet huius hominis Christi, qua suppositа connaturaliter est debita gratia, & admissio ad hæreditatẽ diuinã, nõ solũ ipsi Christo, sed etiam eius humanitati, vt eius est, & hoc debitum ex suppositione totaliter excludit adoptionem, quæ proxime, & immediate respicit puram gratiam adoptantis, vt ex diffinitione eius patet; exemplum ad hoc explicãdum est duplex. Primum in homine, qui licet liberaliter, & sume gratiosse producatur à Deo, tamẽ semel productus, debito connaturalitatis debẽtur ei intellectus, & voluntas, & aliæ

pro-

proprietates. Vndè inconferendis illis dicitur Deus seruare iustitiam distributiuam, vt docet D. Thom. 1. par. quæst. 21. artic. 1. quatenus distribuit vnicuique propria, secundum vniuscuiusque dignitatem, & exigentiã, & in art. 4. docet quo modo in omni opere Dei apparet misericordia quantum ad primam radicem eius, quia omne debitum creaturæ est propter aliquid prius in ea præexistens, vel præmeditatum, & rursus etiam si illud est debitum, est propter aliud prius, vnde cum non sit procedere in infinitum oportet deuenire ad aliquod primũ, quod ex sola bonitate diuinæ bonitatis dependeat. Exemplum ponit in homine cuius est debitum habere manus propter animam rationalem, & etiam est debitum habere animam rationalem, vt sit homo, est autem homo propter diuinam bonitatem. Sic dicendũ in presenti, licet prima radix ex qua cõmunicatur gratia habitualis animæ Christi sit diuina bonitas voluntatis Dei, qua voluit se humanæ naturæ communicare, cuius immediatus effectus est ipsa vnio Verbi ad humanitatem, tamen supposita illa per quam fit hic homo Christus, debitum est illi gratia, & gloria, in eius anima debito iustitiæ connaturalis pertinente ad iustitiam distributiuam, quatenus consentaneum est, & naturæ vnionis proportionatum, vt habenti gratiam vnionis conferantur gratia, & gloria, tanquam proprietates connaturales tali ordini vnionis hypostaticæ. Et hoc debitum totaliter excludit adoptionem, quæ est admissio extraneæ personę nullum ius habentis ad hæreditatem adoptantis, atque adeò ex pura, & sola gratia petit fieri. Aliud exemplũ est in gloria, quę datur adultis propter merita, quia suppositis meritis datur ex iustitia, licet quantum ad primam causam, & radicem detur ex gratia, & liberaliter, quia gratia habitualis, quæ est primũ principium meriti datur ex mera liberalitate diuinę bonitatis. Sic D. Thom. 1.2. quæstion. 114. art. 3. ad 2. argumentum intelligit glossam, illius sententiæ Paul. ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Rom. 6. Sic optimè soluitur argumentum, & defenditur secunda ratio D. Thom. independenter à prima, neque exemplum positum in argumento aliquid valet contra hoc, nam gloria paruulorum, cum non nitatur meritis, sed gratiæ habituali, quę simpliciter est gratuitũ ius ad gloriam, per modum hęreditatis, optimè potest dici etiam ex parte proximi principij gratia. Vndè non est ad propositum, quia in presenti dicimus, quod ipsa gratia est debita connaturaliter Christo, vt homini debito connaturalitatis decentiæ: gratia vero quæ datur puero, solum datur ex gratia Dei ordinantis Baptismum causare gratiam. Tùm rursus possumus dicere, quod gloria correspondet gratiæ paruuli non ex noua gratia, sed ex debito iuris hęreditarij. Vndè aliquo modo exemplum confirmat nostram solutionem.

Alij aliter soluunt argumentum, dicendo quod vnio hypostatica, non habet rationem gratiæ respectu huius hominis Christi, quia non supponit ipsum, sed constituit, & ita solum habet rationem gratię respectu humanitatis secundum se, & sic distinguenda est minor, per liberalitatẽ Dei factam humanitati absolute, concedo minorem, factam personę compositę, negatur minor: Etenim actio constitutiua, & quasi productiua alicuius, quamuis procedat ex bonitate diuina libere volente producere rem: tamẽ ipsa non habet rationem gratiæ respectu rei, quam cõstituit actiue, quia vt esset gratia debebat rem supponere, & non constituere, vndè negatur consequentia respectu personæ resultantis, per non suppositionem extremorum, quia respectu illius, ipsa vnio hypostatica, non habet rationem gratię: conceditur tamen respectu humanitatis

tatis absolutè, & secundum se: ex hoc autem non licet inferre, quod Christus sit filius adoptiuus Dei: nam ad hoc debebat fieri gratia ei, ita vt ex illa diceretur admitti ad hæreditatem Dei: Hoc autem est falsum, quia ipsi vt supposito in humanitate existenti debentur naturali iure gratia, & gloria, vt dictum est sæpe.

Ad quintum resp. negando, quod D. Th. asserat idem de natiuitate, & filiatione, quia potius asserit totaliter contrarium, siquidem infra q. 35. citata, art. 5. solutione ad 1. ait, naturam aliqualiter esse subiectam natiuitati, non tamen filiationi, sed subiectum huius esse immediatè personam, quã doctrinam contra Scotum explicat Caiet. ibi ad 4. dubium de proprio filiationis subiecto, vbi dicit originem, & generationem esse subiectiue in parte naturæ, vtpotè in materia: intelligendum est iuxta nostram doctrinam, tanquam in subiecto quo: filiationem verò solum subiectari in persona, quia nec natura, nec pars naturæ dicitur filia, sicuti neque Patre. Quo supposito facile ad argumentum respond. negata mai. ad alias propositiones, dico, diuersitatem naturarum in Christo sufficere, vt in eo sint duæ natiuitates, aut generationes passiuę, quia istę conueniunt ratione naturarum, tanquam primi, & immediati subiecti quo, vndè ratione illarum possunt conuenire: negatur tamen consequentia, quia relatio filiationis immediate respicit personam, quę in Christo est incapax adoptionis rationibus iam factis.

Secundo resp. posse conuenire Christo ratione duarum naturarum duplicẽ natiuitatẽ, quia vna, scilicet tẽporalis ex matre cum conueniat rationi naturæ per se primo productæ, vt vniatur in eodem supposito, cui est vnita diuina, non dicit negationem alterius, sed potius præsupponit; at verò filiatio adoptiua præsupponit negationem filiationis naturalis, & iuris naturalis ad hęreditatem diuinã, quæ negatio repugnat supposito Christi, & ideò dicit incompossibilitatem, cũ filiatione naturali præsuppositã: natiuitas verò secunda nullam incõpossibilitatem dicit, cum altera præsuppositã, sed omnino per accidens se habet ad illam, & ex ęquo, sine aliqua oppositione, & propterea natiuitas duplex conuenit Christo: non verò duplex filiatio, naturalis, scilicet & adoptiua.

Ad sextum, respond. maiorem, esse veram specificatiuè, non verò reduplicatiuè, nam cum dico Christus in quantum homo est filius Dei, si dictio sumatur specificatiuè facit istum sensum, quod subsistens in natura humana ratione suæ infinitę subsistentiæ ad hoc in ipsa natura humana est filius Dei: non ratione naturæ creatæ, quãdo verò dictio accipitur reduplicatiuè facit sensum causalem, quod scilicet ratione humanæ naturæ, Christus Deus, & homo simul, sit filius Dei, qui sensus est hæreticus: primus verò est verissimus. Vndè in illo, concedo maiorem, & nego minorem, ad probationem minoris, ex D. Th. resp. Doct. S. ibi loqui de illa propositione sumendo ly in quantum, cum reduplicatione ex parte naturę, & sic sumendo negat illam propositionem in solutione ad 1. illius art. cũ tamẽ in corpore dicat, quod si reduplicatio accipiatur ratione suppositi, verum est, quod Christus secũdũquod homo sit Deus, quia suppositũ naturæ humanæ in Christo est persona filij Dei, cui perse cõuenit esse Deũ, addit tamẽ D. Th. quod quia terminus in reduplicatione positus magis propriè tenetur pro natura, quàm pro supposito, ideò, ait, magis esse negãdã talẽ propositionẽ, quam affirmãdam. Qua supposita doctrina facile ad argumentum resp. quod in eodem sensu, & cum eadem reduplicatione, bene infertur illa consequentia: & ita fatemur, quod Christus vt homo reduplicatiue ratione naturę humanæ, nõ est filius Dei naturalis est tamẽ ratio-

ne ſuppoſiti. Vndè ly , vt, ſpecificatiue ſumptum eſt verũ, quod Chriſtus vt homo eſt filius Dei , & eſt Deus, quia ſic fit ſenſus, quod ratione ſuppoſiti talia prædicata conueniũt huic homini Chriſto. Videndus eſt etiam D. Th. ſup. q. 16. art. 1. & 2. in quibus cõcedit cum proprietate, has duas propoſitiones. *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, quia in vtraque prædicatum affirmatur de ſuppoſito habente naturam ſignificatam per terminum, & in vtraque prædicatum eſt terminus cõmunis, qui poteſt accipi pro quolibet habente naturam, quam ſignificat.

Lorca. Alij aliter reſpond. argumento dicendo, quod hæc propoſitio Chriſtus in quantum homo eſt Deus licet ſit vera, tamen indicat ſenſum falſum, quem poteſt habere, magis quam ſenſum verum, & ideò potius eſt negãda, quam concedenda, negat tamen hanc eſſe negandam abſolutè. *Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei*, & aſſignat differentiam conſiſtentem in hoc, quod nomen Deus eſt nomen ſumptum à natura ipſa; & ideò in reduplicatione potius deſignat conditionem naturæ, quam ſuppoſiti, & propterea potius facit ſenſum falſum, quam verum; at vero nomen filius Dei eſt nomen ſumptum à ſuppoſito, quia filiatio eſt proprietas perſonalis ſuppoſiti, & ideò potius denotat conditionem ſuppoſiti, quam naturæ. Vndè nullum ſenſum falſum indicat, & ſic abſolutè eſt concedenda hæc propoſitio. *Chriſtus in quantum homo eſt filius Dei*. In forma ergo ſecundum iſtam ſolutionẽ, negandum eſt bene inferri, ſi Chriſtus in quantum homo, non eſt Deus: ergo in quantum homo, non eſt filius Dei, quia variatur appellatio: nam in antecedenti, ille terminus Deus applicat ſuũ ſignificatum formale deſumptum à natura diuina ſupra ſignificatũ formale hominis, & fit ſenſus, quod ratione humanę naturę Chriſtus eſt Deus habens naturam diuinam, qui ſenſus eſt hæreticus, in conſequẽti vero cũ nomen filius Dei ſignificet prõprietatẽ ſuppoſiti applicat ſuum formale ſignificatum ad ſuppoſitum humanum ratione ſubſiſtentiæ, quę eſt diuina ſubſiſtentia Verbi; & ideo eſt vera abſolute, quia abſolute verum eſt, quod ſuppoſitum ſuſtentans naturam humanã in Chriſto eſt filius Dei, imò eſt veritas fidei.

Ad cõfirmationẽ ex ratione, reſp. conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens, ergo nõ eſt filius Dei naturalis per æternam proceſsionẽ à Patre in ſe, & ſolitariè conſideratam, cõcedo conſequẽtiam: per illam, vt vnitam humanitati, quod eſt dicere per gratiam vnionis, nego conſequentiã. Ad alteram confirmationem reſpõd. conceſſa maiori, diſtinguendo minorẽ ſpecificatiue, nego minorem, reduplicatiue, & ratione naturæ humanę, concedo minorẽ, vel aliter, reduplicãdo ly, vt ſuppoſitũ, nego minorẽ, reduplicando naturã humanam, cõcedo minorẽ, & tunc in eodẽ ſenſu negãda eſt conſequentia. Hæc de hoc dubio.

DVBIVM SECVNDVM EST.

Vtrùm veritas explicata in dubio precedenti ſit de fide; an vero ſolum certa certitudine proxima fidei, vel in quo gradu ſit certa?

IN hoc dubio prima ſententia aſſerit, quod hæc propoſitio: *Chriſtus in quantũ homo, vel ſecundũ quod homo eſt filius Dei adoptiuus*, non ſolũ accipiendo determinationẽ ſpecificandò ſuppoſitũ, ſed etiã vt ſpecificat naturã humanã eſt error in fide, condẽnatus in Concilio Franco Fordienſi, & ab Adriano Sumo Põtifice: ita tenet expreſſè Medina in cõmentario huius art. in fine commentarij, quamuis poſt ea, q. ſequenti, art. 1. dub. vlt. cõcl. 3. aſſerat nõ eſſe cõtra fidẽ dicere, quod Chriſtus ſecũdũquod homo eſt filius Dei adoptiuus, dũ tamẽ cõcedatur, quod ratione ſuppoſiti eſt filius Dei naturalis. Didac. Aluar.

tom.

tom. de Incarnatione, disp. 75. concl. 3. tenet idem quod Medina tenuit in præsenti art. Cabrer. hic dub. 2. sentit esse his temporibus prædictam sententiam fere erroneam, vel hæreticam. Vazq. 3. p. disp. 86. cap. 6. & seqq. expresse tenet esse damnatã in prædicto Concilio, & sic contra fidem; idẽ sentiunt aliqui moderni in Codicibus manuscriptis, inter quos præcipuus fuit Fratrer Garsias à Mondragon. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex determinatione Concilij Franco-Fordiensis ab Adriano Papa approbati, vbi Elipandus Archiepiscopus Toletanus condemnatus fuit, eò quod dixit Christum, vt hominem esse filium Dei adoptiuum. Nec valet dicere, ait Didacus Aluarez vbi sup. Elipandum damnatum fuisse, quatenus ipse sentiebat, cũ Nestorio ponente in Christo duas personas, alteram diuinam secundumquam fatebatur ipsum filium Dei naturalẽ, alteram humanam secũdumquam fatebatur esse filium Dei adoptiuum. Nõ (inquit) prædictus author, valet: nã Elipandus non fuit Nestorianus, sed semper confessus fuit in Christo tantum vnam personam diuinam in duabus naturis subsistentẽ, vt constat ex Epistola Adriani, & ex ipso Concilio Franco Fordiensi, & ex propria confessione Elipandi, quã refert Vazq. vbi sup. c. 2. vbi post multa, quę de mysterio Sanctissimæ Trinitatis confessus est, vt explicet mysteriũ Incarnationis, sicut ipse illud credebat subdit: *Quem scilicet filiũ Dei Sacra Scriptura testatur pro salute humani generis Deitate exinanita hominem factum, circunciſſum, Baptizatũ, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, seruum, captiuum, peregrinum, leprosum, despectum*, & alia huiusmodi, post ea subdit: *Et qui dicit, gloriam meam alteri non dabo, homo interior in vna eademque Dei, & hominis persona agglomeratus, atque carnis vestimentis indutus, quia non per illum, qui natus est de Virgine visibilia, & inuisibilia condidit, sed per illum, qui non est adoptione, sed genere, neq; gratia, sed natura, & per istũ Dei simul, & hominis filiũ adoptiuũ humanitate, & non adoptiuũ diuinitate mundũ redemit.* Ecce Elipãdum expresse confitentem in Christo vnã eandemque personam esse Dei, & hominis, & illam secundum naturam diuinam filium, non adoptione, & per gratiam, sed per naturam dicit, & eũdem Christum postea in vltimis verbis adoptiuum filium, humanitate, nõ diuinitate testatur: ergo quando confessio prędicta Elipandi damnatur, nõ damnatur secundumquod vnitatem personę Christi sub duabus naturis, negat cum Nestorio, siquidẽ expresse illam affirmat: dãnatur ergo præcisse, quia illam eandẽ personã Christi filiũ Dei adoptiuum humanitate fatetur.

Conf. nam Concilium, & Adrianus in locis, quę ponderantur à P. Vazq. vbi sup. vt impugnent errorẽ Elipandi nullũ Sacrę Scripturæ adducũt testimonium ad probandum in Christo esse duntaxat, personam diuinam, sed totis viribus conantur ostendere testimonijs Sacræ paginæ, Christum vt hominẽ, non esse filium Dei adoptiuũ, sed naturalẽ, ergo signũ est, quod Elipandus simul, cũ filiatione naturali in eadẽ persona Christi filiationẽ adoptiuam constituebat, & contra talẽ errorẽ processerunt Patres Concilij. Secundo contra eadẽ interpretationẽ Cõcilij, sic arguunt prędicti authores. Si Elipandus fuisset Nestorianus, non postularet, tã obnixe à Carolo Magno, vt Conciliũ congregaret in quo eius doctrina aprobaretur, & doctrina Beati, & Heterei, qui contra ipsum librũ scripsere reseruatũ, vsque modo in Bliblioteca Tolletana condẽnaretur cõfidẽs, ita futurũ, ergo cũ id postulauerit magnis precibus à Catholico Imperatore signum est ipsum non fuisse Nestorianum. Antecedens patet: nã Elipandus, nõ poterat sperare à Principe ita Catholicõ, neque à Pa-

tribus Concilij approbatione erroris Nestorij, cum sciret esse condemnatũ multo antea: ergo sperauit se posse ostendere Theologicæ, Christum vt hominem esse filium Dei adoptiuum.

Secunda sententia affirmat hanc propositionem: *Christus in quantũ homo est filius Dei adoptiuus*, esse falsam, & improbabilem, non tamen cẽsendam hæreticam. Ita Suar. hic disp. 49. sect. 3. dicto 6. Primam partẽ, ait, probatam sufficienter fuisse ab illo in sectione precedenti. Secundam partẽ probat, quia ante Concilium Franco Fordiensẽ talis propositio nullibi damnata est, neque falsitas eius ex reuelatis euidenter colligitur, sed pendet ex aliquibus principijs naturalibus, & moralibus, quæ non sunt, ita euidentia, & etiam quia ex declaratione, quam assignauerat dicto 4. & 5. eiusdem sect. videtur sibi sufficienter probari: declarauit autem Cõcilij diffinitionem de Christo vt homine, ly, vt determinando suppositum huius naturæ humanæ esse intelligendam, & consequenter secũdum rem in sensu Nestoriano diuidente supposita, qua diuisione facta hæc propositio: *Christus in quantum homo est filius Dei adoptiuus*, facit hunc sensum, quod Christus in quantum suppositũ humanum, non est filius Dei naturalis, sed eget adoptione per gratiam, vt fiat filius Dei adoptiuus. Secundo probat suam sententiam, quia post illud Concilium, quãdiu eius diffinitio fuit ignota, non est illa propositio damnata, vt hæresis, sed vt opinio inter Theologos habita: nũc autem quamuis Cõcilium illud, non ignoretur, tamẽ adhuc diffinitio illius, non ita clare repugnat illi propositioni, vt possit, eãrẽ dere hæreticã, quia vt ipse ait, & probabilius esse censet, intentio, & diffinitio Concilij non fuit illam propositionem in eo sensu damnare: ergo nullum est fundamentum, propterquod illa propositio, vt hæretica habeatur: postea verò cum sibi obiecisset, si ea, quæ in confirmationem illius dicti ipse attulit sunt vera, ex illis sequi illam propositionem, non esse improbabilẽ modo, sed manere in eadem probabilitate, quam habebat ante Concilij determinationem. Respondet prædictã propositionem semper fuisse parum, vel ferè nihil probabilem, quia licet vnus, aut alter Theologus illam docuerit omnium aliorum consensus illi repugnauit, propter grauissimas rationes, supra à se tactas, & opinionem Durandi, nullo satis probabili principio niti. Addit deinde prædictam opinionem, iam nunc esse longe improbabiliorẽ quam antea. Primo quidẽ, quia licet non cõstet diffinitione Cõcilij Franco Fordiensis esse damnatã, tamen non est hoc adeò certum, vt non possit aliquo modo in dubium reuocari, & constat multa in eo Concilio dici obiter quibus maxime talis opinio impugnatur. Secũdo, quia propter dictas causas, & quia illa locutio non est à Patribus vsitata, sed valde conformis modo loquendi hæreticorum, ab omnibus modernis Doctoribus, & Scriptoribus reijcitur. Ex quo infert valde proteruum, ac fortasse temerarium censeri debere, qui nunc doceret illam. In summa ergo ex dictis prædicti Magistri solum infertur, sensisse illam propositionem esse multo improbabilem modo post Concilium, quam antea, & forte temeriã, non tamen hæreticã, cũ tamẽ semper fuerit falsa, & fere improbabilis.

Magister Petrus à Lorca ad istũ art. disp. 84. memb. 2. multum huic fauet sententiæ, quatenus se opponit Patri Vazq. defendendo hãc propositionẽ: *Christus vt homo est filius Dei adoptiuus*, non esse aliquo modo damnatam in Concilio citato, secundum illũ sensum secundum quem à Doctoribus Catholicis asseritur, tanquam probabilis, sed solum, ait, esse condemnatã, quatenus continet sensum Nestorianum diuidẽtẽ personas, & suppositain Christo, in quo sentit prædictus Doctor illã affir-

affirmasse Elipandum secundum rem, quamuis non ausus fuerit clare, & expressis verbis talem errorem docere: probat hoc quadam coniectura, & postea satisfacit coniecturis, quas pro sua sententia affert P. Vazq. cõiectura ergo hæc est. Cum primũ Fęlix, & Elipandus adoptionẽ Christi docuerunt Ecclesia, & Catholici scãdalizati sunt valde, & magna diligentia occurrerũt huic doctrinæ congregando Concilia in quibus eos damnarũt; vt plane hęreticos, & in eos inuehũtur verbis clarissimis, & asperrimis, quæ in illo Cõcilio, & Epistolis sunt grauiora, quam vix vnquã contra aliquem Hæreticũ à Catholicis pronunciata legantur; at contra Christũ esse filiũ adoptiuum in alio sensu, non diuidente suppositado cuerunt post multi Catholici, alij vt certum, alij vt probabile; quos refert membro sequenti illius disputationis contra quos Ecclesia, nunquam reclamauit, neque eorũ doctrinę indignata est, neque aliquis Catholicus aliquã censuram illis incussit: euidentissimũ ergo est longe diuersum fuisse illius sensum à sensu Elipandi. Nisi dicamus Ecclesiam posteriori tempore fuisse sui ipsius oblitam, aut minorem assistentiam Spiritus S. habuisse in discernendis hæreticis, aut fuisse magis negligentem, & minus solicitam de rebus fidei, quod nefas est dicere. Secũdo probat idem placitum argumento desumpto ab authoritate authorũ referentium Hæresim Elipandi, qui illã dicunt fuisse Nestorianam. Primus authorem, quem refert est Alcuinus, qui referens Hæresim Hispanam impia temeritate asserentem filium Dei in diuina natura proprium esse filium Dei in humana adoptiuum addit hæc verba diuidentem vnam personam filij Dei in duas personas, cum Nestorio, scilicet in vnam personam veri & naturalis filij Dei, & alteram filij adoptiui, in quibus verbis satis clare docet Alcuinus, talem Hæresim esse Nestorianã. Idem, ait, sensisse Ioann. Aurelianensem, lib. 1. de cultu imaginum, tom. 4. Bibliothecæ SS. Patrũ, nostrum Antonin. 3. p. histor. al. tit. 14. c. 1. §. 6. Palud. in 3. dist. 10. & alios recẽtiores inter quos annumerat Varon. tom. 9 circa annum 783. 793. & 794. Tertio probat idem placitum argumento desumpto, ex verbis illius Concilij, & Epistolarũ eius, in quibus multa verba id manifestantia sunt, ait prædictus author, & primo refert ex libro Sacro-Sylabo circa finẽ, hæc quę sequuntur, Fælicem, & Elipandum nouos hostes Ecclesiæ, sed venenosa fæce perfidiæ pollutos. Secundo refert ex Epistola Concilij versus finem hęc quę sequũtur. Nonne olim hæc vestra Hęresis in Nestorio ab vniuersali Ecclesia refutata, est etiam & damnata? Tertio refert verba ex Epistola Adriani in Mediocius, vbi hę habentur. *Adoptiuũ eum quasi purum hominẽ, & calamitati humanæ subiectũ, non pertimuisti venenosa fauce susurrare.* Ex his ergo bene potest inferri prædictos Hęreticos Hæresim Nestorianã suscitasse, dum Christũ, vt hominem adoptiuũ Dei filium nuncuparunt. Quarto probatur ex verbis ipsius Elipandi desumptis partim ex ipso Concilio in libro Sacro-Sylabo, & in Epistola Concilij, partim ex eius confessione, quã Vazq. excussit depromptam ex originali: Etenim in libro Sacro-Sylabo in medio refertur ipsum dixisse alium esse filium naturalem: alium vero adoptiuum, verba sunt: *Non duo filij alius Dei, alius hominis: sicut illi errando æstimant, vt adoptiuus sit hominis filius, & sine adoptione filius Dei.* Hæc enim verba clare videntur significare distinctionem personarum, cum alius, & alius illam significent. Idem significant quædam verba Epistolæ, quæ habentur paulò post initium, vbi referuntur, & reprobantur, hæc verba: *Non adoptatur cuius gloriam quæsiuit, qui est Dei vnicus natus.* Item in eadẽ Epistola acriter reprehenditur Elipãdus, eo quod

dicebat B. Virginem genuisse tãtum adoptiuum, & non naturalem filium Dei, quæ fuit Nestoriana doctrina, sic enim ait Concilium: *Nonne ideò Nestorius damnatus est, quia B. Mariam semper Virginem non Dei, sed tantũmodo hominis credidit genitricem*, & quid est aliud dicere eandem Virginem adoptiuum tantum genera sse, vel seruum, nisi negare eam Deum genuisse. Denique in ipsa cõfessione Elipandi hæc habentur verba: *Qui non per illum, qui natus est de Virgine visibilia, & inuisibilia condidit, sed per illum qui non est adoptione, neque gratia, sed natura filius.* Etenim distinctio prædicta, cum repetitione illius relatiui, ille, dicendo non per illum, sed per illum distinctionem suppositorum clare indicat, & etiam fatetur filium Dei, per quem omnia sunt cõdita non fuisse filium Virginis natum de illa: sensus ergo adoptionis, quam ille hæreticus attribuit Christo est Nestorianus plane diuidens suppositã & personas in illo.

Tertia sententia est, quam tenet sapientissimus Ioann. Vincent. relectione de gratia Christi, quæst. 1. concluſ. 4. fol. 132. & duobus sequentibus, vbi asserit sententiam asserentẽ Christum, vt hominem esse filiũ Dei adoptiuum, nõ modo falsam esse, sed temerariam, & periculosam. Probat, quod sit temeraria, quia in re tam grãui oponitur omnium Theologorum sententiæ: vno excepto Durando, qui asseueranter docuit Christum, vt hominem esse adoptiuum Dei filium, & exceptis pauciſsimis alijs, quibus licet non vere, probabilis tamen visa est Durandi sententia. Secundo, quia nõ modo probabili innititur rationi, quin potius manifestissimis Theologicis rationibus oponitur, quas ipse fecit proconclusione præcedenti tertia, ex quibus duæ vltimæ magnam vim habẽt ad confirmandã sententiã negantem Christo adoptiuam filiationẽ. Quod sit periculosa probat, quia illa ratio, quæ probat Christo, nõ posse conuenire prædictam filiationẽ, eò quod adoptio necessario cõuenit subiecto extraneo â filiatione, & abhæreditate bonorum eius, â quo adoptatur, aperte deducit sententiam prędictam ad illum errorem ab Ecclesia damnatum, nempe in Christo suppositũ aliquod reperiri creatum, cui adoptiua filiatio conuenit. Secundo probat ex Adriano 1. in Epistola citata supra, ad Episcopos Galiæ, & Hispaniarum, in quo expresse diffinit errasse Elipandum, quatenus Christum adoptiuum Dei filium, & per gratiam adoptatum appellat. Perpenditque sequẽtia verba prædictæ Epistolę: *Quod si secundum eorum calidam tergiuersationem cuncta, quæ protulimus ex Sacris litteris ad diuinitatẽ tantummodo filij Dei referenda opinantur, dicant vbi vnquam communi affatu dixerit Christus nobiscum: Pater noster: scit* (enim inquit) *Pater vester, quid vobis opus sit*, non ait: *Noster*, quasi nobiscũ adoptatus per gratiam, &c. Ex quibus verbis aperte (ait author citatus, & benè) constat aperte mentem Adriani Franco-Fordiensis Concilij intentioni conformem eam fuisse, quod Christus etiam, vt homo non est cẽsendus Dei filius adoptiuus. Præterea confirmat eãdem partem ex libro Sacro Sylabo edito, apud Concilium citatum, quem per modum Epistolę scripsisse ferunt Paulinum Aquileiensem Episcopum, cuius extat de hac re Epistola, quę refertur in Bibliotheca SS. Patrum, 4. tom. & Petrum Mediolanensem. In illo, inquam, libello eadẽ veritas statuta habetur, ad cuius confirmationem adducuntur illa verba dicta Virgini Mariæ ab Angelo, Lucæ 1. *Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur*, & adducuntur etiam illa, *quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei*, & ita ponderantur, nõ air, vocabitur adoptiuus filius Dei, sed absolutè filius Dei, & filius altissimi. Denique non de sola excellentia majestatis Luc. 1.

festatis eius: tunc loquebatur Angelus, sed potius de incarnata diuinitate. Et paulò post ita dicitur. *Secundù carnem Dauid filius dictus est, non secundum diuinitatẽ*: habes igitur quo modo, de qu- supradixerat: Quòd ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei, non adoptiuus, sed verus, non alienus, sed proprius de eo subiecit. *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid Patris eius*. Vltimo confirmat authoritate ipsius Concilij, vbi habetur hęc veritas diffinita multisque Patrũ testimonijs roborata contrà supra relatum hæreticum. Sed cum interrogationem proponat, cur sententia affirmans Christũ, vt hominem esse filiũ adoptiuũ Dei, nõ cẽseatur error in fide manifestus, cum sit in tali Cõcilio, & ab Adriano Papa damnata, & Elipandus Tolletanus, & Fælix Vrgelitanus, vt hæretici sint habiti: Respondet rationem esse, quia non satis constat de huius Concilij authoritate in Ecclesia, neque ante nostram ętatem inter reliqua Concilia circunferebatur, neque modo habemus integrum, sed quoddam eius duntaxat fragmentum opera Laurentij Surij viri doctissimi comparatum, quod in 3. tom. Cõciliorum statim post septimam Synodum Generalem circunfertur: addit etiam constare illud Concilium, non fuisse Generale, sed Prouinciale, vt ex authoribus ipsum referentibus cõstat: non enim conuenerunt ad illud prælati ex omnibus Christianis Prouincijs, sed ex quibusdam tantũ 300. conuenerunt Episcopi, Puta, ex Gelia, Germania, & Italia: ex quo infert non tantam ei authoritatem esse deferendam quantam Concilijs indubitatis generalibus: non tamen est destituendum omni authoritate tale Cõcilium, ait, quia eius meminerũt multi graues authores, quos refert Robertus Bellarminus, controuersia 4. generali part. 2. cap. 8. & pręter illos ipse Ioann. Vincent. refert alios, inter quos est noster S. Antonin. 3. part. hystor. tit. 14. cap. 1. §. 6. Ex quo vltimo infert, quod licet grauis prædicti Concilij authoritas, non sufficiat certam reddere in fide sententiam Theologorum affirmantem Christum, vt hominem, non esse filium adoptiuum Dei, sufficit tamen simul, cum communi Theologorũ sententia grauissimis Theologicis fundata rationibus eam, tam certam efficere, vt oppositum, & temerarium, & periculosum censeri debeatur: postea verò pro cõprobanda authoritate Concilij aliquas difficultates proponit prædictus author, quibus optime satisfacit, quà satisfactione constat authoritatẽ magnam habere illud Concilium, vt oppositam sententiam absolutè faciat periculosam in fide.

Inter tot, tamque diuersa sapientissimorum placita, vt quid sentiam dicam, ante omnia pręmittendum est contra Suaresium, vbi supra §. circa secundam partem de Concilio Franco-Fordiensi, vbi de authoritate eius disputat, & dicit quod licet diffinitio illius Concilij, provt in illo facta est habuerit vim, & authoritatem stabiliendi certam fidem, tamen provt nũc legitur in 3. tom. Conciliorum, sub titulo illius Concilij, non posse dicere, simpliciter in ea, nũc esse infalibilem fidei authoritatem, quamuis iudicet valde temerarium, & periculosum esse ab illa dissentire: præmittendum ergo est talem diffinitionem Concilij, vt nunc etiam proponitur in tertio tomo Conciliorum in libro Sacro-Sylabo, & Epistolis supra citatis, habere authoritatem stabiliendi certã fidem de veritatibus ibi diffinitis.

Sic sentiunt Cabrera in presenti articulo, dub. 2. & Vazquez, vbi supra, & sic debent sentire omnes Doctores, qui sentiunt modo his temporibus esse de fide tenendũ, quòd Christus in quantum homo, non est filius Dei adoptiuus, sic tenet etiam Petrus à Lorca, disp. supra citat. memb. 2. numer. 12. Et probatur, id ita esse dicẽ-

dum, quia licet illud Concilium diu latuerit propter malitiam Hæreticorum: tamen certum est apud omnes in illo esse damnatam hæresim Fælicianam, quam postea suscitauit Elipãdus, non obstante quod erat iam damnata in quodam Concilio Reginensi, seu Ratisponensi Prouinciali diligẽtia Caroli Magni congregato ex sola Prouincia Bauariæ (vt referũt authores, quos adducit Suarez) sed in illo Concilio, quod nunc habemus, & in Epistola sub titulo Adriani Summi Pontificis, nihil aliud continetur, quã illius hęresis damnatio, ergo nihil est, quod nos moueat, ne credamus Concilium, tale ex vero exemplari esse traductum. Cõf. totum, quod in prædicto Concilio habetur, est consentaneum ijs, quę de Concilio ipso Frãco-Fordiense, historiæ referunt, & quidquid in eo est ad causam fidei stabiliẽdam confert veramque, & sanam doctrinam fouet, ergo non est cur, non credamus tale Concilium esse verũ Franco-Fordiense, & Epistolam Adriani Papæ legitimam decretalem eius.

Nec valet dicere cum Suarez hanc rationem probare ex decretis illius Concilij, & Adriani Epistolæ inferri esse temerarium, & periculosum in fide id negare. Quia si semel admittamus prædictum Concilium esse verũ euidenter infertur, quod ea quæ in ipso continentur sunt regula fidei infallibilis, eo quod licet Concilium fuerit Prouinciale, interceſit tamen in eo Ecclesiæ Romanæ authoritas, non solum per legatos Pontificis, scilicet Teophylatum, & Stephanum, vt refert Ioannes Aurelianensis, & Ado, sed etiam per aprobationem eius, seu instructionem per Epistolam decretalem, in qua errorem illum damnandum, & fidei doctrinam diffiniẽdam declarauit. Secundo probatur idem, quia postquam illud Concilium in lucem editum est, & adiunctum alijs ab omnibus Catholicis vnanimi consensu est receptum, & nullus illud negare audet, quia Surius fuit diligentissimus, & fidelissimus in quærendis exemplaribus originalibus eorum, quæ typis edidit: si autem detur licentia, vt quis reuocet indubium hoc Cõcilium, etiam dabitur ei, vt reuocet in dubium omnia alia Concilia, quæ idẽ author in lucem edidit antea non edita. Hoc autem absurdum est, & pias aures offendit, tanquam derogans authoritati ipsius Ecclesiæ, quę semper, & præcipue his temporibus, tam solicita est in exterminandis libris apocriphis, & qui dignitati, & veritati fidei derogant: siquidem ex non admissione prædicti Concilij, & Epistolarum eius, atque libri Sacro-Sylabi infertur ipsam Ecclesiam permittere omnia acta eius, tanquam authentica volumina aliorum Conciliorum circunferri, cum tamen aliquis posset dicere illud Concilium, non esse verum, sed apocriphum: ergo ne idem dicatur de alijs Concilijs receptis ab Ecclesia dicendum est Franco-Fordiense Concilium eo modo, quo recipitur ab illa inter alia esse verum, & admittendum, tanquam infalibilis authoritatis ad fidem astruendam.

Vltimo confirmatur, quia idem Laurentius Surius (vir doctus pius, & omni fide consequenter dignus) fatetur in Epistolis ad Philippum Regem Catholicum, & ad Lectorem se nihil Concilijs, aut numero Conciliorum addere, quod ex vetustissimis exemplaribus manuscriptis, & exgrauibus, & Catholicis Bibliothecis non exceperit: ergo idem est sentiendũ de hac Synodo Franco-Fordiensi: siquidem etiam illa est trãscripta ex veteri exẽplari à prædicto authore, neque aliquod sufficiens fundamentum apparet, vt suspicemur contrarium cũ omnibus, quæ contra authoritatem talis Concilij obiiciuntur satisfaciant euidenter Doctores supra citati.

Prima conclusio, hæc propositio: *Christus est filius Dei adoptiuus*, absolutè

ſolute prolata eſt hęretica. Hæc concluſio cõmunis eſt inter omnes Theologos, inter quos Suar. vbi ſupra dicto 4. explicat omnem ſenſum, quem poteſt fingi habere, & ad minus duplicé ſenſum continet hæreticum. Probatur: nam prædicta propoſitio poteſt habere iſtum ſenſum, quod Chriſtus ratione ſuppoſiti diuini, quod talis terminus abſolutè prolatus ſignificat, eſt filius Dei adoptiuus; ſed iſte ſenſus eſt plane hæreticus: ergo propoſitio eſt hæretica. Probatur minor, nã ſupponit Verbum Diuinum, non eſſe filiũ naturalem Dei, & æqualem ipſi, ſed potius creaturam; & ideò indigentẽ gratia adoptionis, vt ſit filius: hoc autem aſſerere hæreticum eſt, cõtra noſtrã fidem expreſſam, quæ docet Verbum Diuinum eſſe filium Dei naturalem, & æqualem Patri, vt conſtat ex ſymbolis fidei: nam in ſymbolo Apoſtolorum fatemur Chriſtum filiũ Dei vnigenitum, & vnicum, & in ſymbolo Athanaſij fatemur, quod eſt in diuinis vna perſona, quæ eſt filius Patris, & æqualis ei: ergo contrarium aſſerere eſt hęreticum. Error iſte pertinet ad hæreſim Arrianam, de qua agunt Doctores ex profeſſo cum D. Thom. 1. part. quęſt. 27. ergo aſſerere abſolutè hanc propoſitionem. *Chriſtus eſt filius Dei adoptiuus*, eſt hæreticũ. Cõfirmatur. Chriſtus abſolutè ſupponit pro perſona ſecunda Sanctiſsimæ Trinitatis: ergo in illa propoſitione ſubiicit, talem perſonã prædicato, ſed prędicatum includit negationem filiationis naturalis Dei, vel præſupponit ex parte ſubiecti, vt eſt ſubiectũ, de quo prædicatur, ergo facit ſenſum, quod Verbum Diuinum non eſt in ſe filius naturalis Patris. Vndè in iſto ſenſu damnatur in Concilio Tolletano vndecimo in confeſsione fidei iſta propoſitio. *Verbum eſt filius Dei adoptiuus.*

Dicet aliquis, quod talis propoſitio poteſt habere aliũ ſenſum, ſcilicet, quod Chriſtus ex parte hominis, ſcilicet, vt ſupponit pro hoc homine ſingulari, qui eſt Chriſtus eſt tãtũ filius Dei adoptiuus. Contra, nam etiam in iſto ſenſu eſt error in fide id aſſerere: quia ſupponit, quod hic homo Chriſtus eſt tantum creatura, & ſic non filius naturalis, ſed indiget adoptione vt ſit filius. Si autem dicatur ſenſum, non eſſe excluſiuum omnis rationis ſuppoſiti à filiatione naturali, ſed ſolũ quod, qua ratione eſt hic homo formaliter eſt tantum filius Dei adoptiuus. Contra eſt, quia etiam vt hic homo ſingularis eſt perſona diuina, licet non nuda, ſed humanitati vnita per modum ſuppoſiti, ſed talis perſona eſt Verbũ Dei, ac proinde naturalis filius eius: ergo hęreticum eſt dicere, etiam in iſto ſenſu, quod Chriſtus eſt tantum filius Dei adoptiuus. Si autem dicatur, quod ly *tantum*, non excludit à perſona Verbi filiationem naturalem abſolutè, ſed ab illa, vt perſona humana. Tunc ſic arguitur: Vel diuiditur perſona humana à diuina realiter, vel nõ diuiditur, ſi diuiditur eſt error Neſtorianus ponens duas perſonas diſtinctas realiter; ſi autem non diuiditur, tunc non poteſt affirmari, quod talis perſona, vt humana ſit filius adoptiuus tantum, quia ly *vt humana*, ſolum eſt denominatio extrinſeca in verbo à natura, quam terminat, deſumpta: hoc autem non tollit, quod ſit intrinſecè perſona diuina: ergo neque quod ſit filius Dei naturalis: ergo cum hæc propoſitio: *Chriſtus vt hic homo eſt filius Dei adoptiuus*, ſit virtualiter negatiua negans de tali perſona in ſenſu explicato filiationem naturalem ſemper eſt hæretica, & certe in hoc ſenſu damnatur talis propoſitio à Concilio Francofordienſi, vbi ſępè loquendo de Chriſto, non ſolum affirmatur eſſe filium Dei naturalem, ſed etiam negatur eſſe adoptiuum, & in confirmationem ſuæ doctrinæ refert plures Patres Eccleſiæ: ſic enim dicit Concilium Francofordienſe in libro Sacro Sylabo, columna 7. *In Dei Filium non*

cadit

cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, & post assumptum hominem veri filij vocabulum non amisit, qui nunquam verus desit esse filius.

Secunda conclusio. Hæc propositio: *Christus in quãtum homo est filius Dei adoptiuus*, determinatione specificante, seu reduplicante suppositum humanæ naturę est hæretica. Conclusio colligitur ex modo dictis, concediturà Suar. vbi supra section. 4. dicto 5. & censet in hoc sensu esse damnatã à Concilio citato: & probatur ratione desumpta ex dictis: nam in tali sensu denotatur, quod suppositum huius humanitatis, non est filius Dei naturalis, sed iste sensus est hæreticus: ergo conclusio est vera.

Tertia conclusio. Multum probabile mihi est, & fere certum, quod hæc propositio: *Christus in quantum homo est filius Dei adoptiuus*, non solum est damnata in Concilio Franco-Fordiẽsi, & in Epistola Adriani in sensu in quo conuenit saltim implicite, & quoad rem cum errore Nestorij, sed etiam absolute. Probatur hęc conclusio. Primo, quia vt constat ex Epistola Adriani in propositione materiæ falsæ per fidiæ, & in principio Epistolæ, column. 2. Materia discutiẽda fuit de adoptione Domini Iesu Christi filij Dei secundum carnem. Ecce materia doctrinæ condemnãda proponitur de adoptione Iesu Christi secundum carnẽ absolute, sine aliquo Verbo limitante ad sensum Nestorij diuidentis suppositа in Christo: de hac enim materia statim dicit: hoc Catholica Ecclesia nunqnam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit, & statim contra prædictam doctrinam, probat doctrinam fidei multis locis Sacræ Paginę: procedit ergo absolutè docendo, & probando ex primaria intentione Christum vt hominem, non posse absolute dici secundum doctrinam fidei filium Dei adoptiuum. Inter alia testimonia, quibus hãc fidem probat, duo placet referre, quia tam clara sunt, vt mihi sufficiãt. Primum, desumitur ex illo, Iannis 20. vbi Christus de se, vt homine loquens dixit Discipulis: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*, quæ verba sic ab Adriano põderantur: *Distincte enim dixit meum, & vestrum, eius videlicet, non per gratiam, sed per naturam, noster vero per gratiam adoptionis.* Secundum testimonium sit ex illo Pauli ad Rom. 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed prõ nobis omnibus tradit illum*, quæ verba sic à Põtifice ponderantur: *Scimus enim, quia non est traditus secundum diuinitatem, sed secundum quod homo verus erat, illum nimirum, qui traditus est, ideſt hominem ipsum Apostolus proprium Dei filium pro testatur.* Certe in his verbis Pontifex Christũ secundum quod homo est absolutè proprium Dei filium appellat, iuxtà testimonium Pauli, ergo dicere, quod Christus vt homo, quatenus homo, non est filius naturalis, sed adoptiuus contra diffinitionem Pontificis est, & consequenter error in fide. Secundo probatur, nam in corpore ipsius Concilij multa habentur testimonia Sacræ Paginæ, & Sanctorum, quibus de Christo, vt homine absolutè confirmatur esse vnicum Dei Patris proprium filium, nõ adoptiuum: etenim prope finem refert illum locum Pauli ad Rom. 8. iam à nobis adductũ secundum ponderationem Adriani, & à Concilio ponderantur sic: *Proprium nominauit, non adoptiuum*, & statim refert Hilarium lib. 6. de fide in confirmationem eiusdem sententię dicẽtem hæc verba: *Nunquidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio in quo proprietatis est hoc nomen*, & multa alia dicit Hilarius ad idem propositum ibidem immediatè adducta à S. Concilio.

Item magis proxime ad finem Concilij afferunt Patres confessionem Cẽturionis, qui videns Christum morientem in Cruce clamauit: *Vere filius*

Ioan. 20.

Rom. 8.

Rom. 8.

lius Dei eratiſte, quem locum ponderant ſic: *Sed & Dæmones cum veri filium Dei ſummi, cum ſua legione proclamauerunt, ſicut in Sanctis legitur Euangelijs, & Elipandus cum ſua legione negat, adhuc eum vere filium Dei eſſe. Apoſtoli interrogati à Chriſto dicente: quem dicunt homines eſſe filium hominis* (quæ interrogatio refertur Matthæi 10.) *de filio hominis interrogat, & de filio hominis, reſpondit ei Petrus dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui*, quę verba ſatis diffuſe Patres Cõcilij perpendunt ad relegãdam à Chriſto, vt filio hominis adoptiuam filiationem: ergo ex his, & alijs, quæ pro tertia ſententia ponderauit, & attulit Ioan. Vincentius ex libro Sacro Syllabo, mihi vero ſimile eſt hanc propoſitionem: *Chriſtus vt homo, & vt filius hominis eſt filius Dei adoptiuus*, eſſe damnatam vt hæreticam, non ſolum in illo ſenſu, in quo videtur Elipandus illam affirmaſſe ſecundum rem, qui fuit Neſtorianus plane, ſed etiam abſolute. Denique in Epiſtola Caroli Magni ipſi Elipando miſſa pro eius reductione ad fidem, quæ apud ipſum Concilium habetur multa ſunt, quæ certe abſolutè probant Chriſtum, vt hominem eſſe filium Dei naturalem, & nõ adoptiuum: in primis enim prope finem eius loquendo de Chriſto, vt homine hæc habentur verba: *Adoptionis filij, Deo Patri facti eſtis per eũ, qui non eſt adoptiuus, ſed proprius.* Secundo, in ſecunda confeſsione fidei, quæ incipit: *Credimus ex hac Sancta Trinitate, de ſecunda perſona fateturincarnatam, de qua ait, Deus ante omnia ſæcula, homo in fine ſæculi, verus in vtraque ſubſtantia Dei filius, non putatiuus, ſed verus, non adoptione, ſed proprietate, vna perſona Deus, & homo vnus mediator Dei, & hominum, &c.* & ſtatim: *Vnus in vtroque Dei filius proprius, & perfectus ad implendam humanæ ſalutis diſpenſationem.* Certe non poteſt negari, quod in prædicta confeſsione fidei, iuxta diffinitionem Principi Carolo declaratam in Concilio, vtrumque fatetur ordine quodam, primum quod Chriſtus, vt eſt perfectus homo in humanitate eſt verus, & proprius filius Dei. Ecce diffinitum abſolutè à Concilio, Chriſtum vt hominem eſſe naturalem filium Dei, & vt tale creditum à defenſore vniuerſalis Eccleſiæ Carolo Francorum Rege. Secundũ, quod Chriſtus Deus, & homo exiſtẽs ſit tantum vnica perſona, & quod talis perſona in vtroque, ſcilicet in Deo, & homine ſubſiſtens vnica ſubſiſtentia eſt perfectus, & proprius filius Dei: inferò ergo ex his, quod vtrumque diffiniuit Concilium, ſcilicet, & quod in Chriſto non eſt duplex perſona, quarum vna ſit filius Dei naturalis, & altera filius adoptiuus, & etiam, quod Chriſtus vt homo vnitatẽ perſonæ retinens, vt homo perfectus, nõ eſt adoptiuus, ſed naturalis Dei filius: ſuppoſita ergo authoritate prædicti Concilij ad proponendam rem in fide credendam, de fide dicendum eſt eſſe, quod Chriſtus, vt homo eſt filius Dei naturalis, & conſequenter hæc propoſitio: *Chriſtus vt homo eſt filius Dei adoptiuus*: in quocũque ſenſu, & abſolutè prolata eſt hæretica, etiã ſi dicatur, quod hoc verificatur de vna, & eadem perſona Chriſti, vt habente rationem diuerſæ perſonæ, ſecundum quod in diuina natura ſubſiſtit, & ſecundum quod in humana ſubſiſtit.

Matth. 10.

Tertio probatur concluſio ratione, hæc propoſitio: *Chriſtus vt homo eſt filius Dei adoptiuus*, ſi fateatur aſſerens illam vnitatem perſonæ, & ſuppoſiti neceſſario debet verificari prædicatum de ſuppoſito importato per ſubiectum, ſed de illo implicat ſecundum fidem verificari, ergo illam propoſitionem affirmare eſt hæreticum. Maior eſt certa ex doctrina D. Thom. in ratione facta pro concluſione articuli, iam ſupra explicata in expoſitione literæ, & in deciſione dubij præcedentis, ſcilicet, quod filiatio eſt

pro-

proprietas personalis cõueniens personę, & supposito: minor vero patet ex concessis ab ipso Suar: vbi supra citatus est pro nostra secunda conclusione, quia in tali sensu censet ipse esse damnatam à Concilio talem propositionem, & probatur: nam suppositum humanę naturæ in Christo significatum per ly homo, quando applicatur ipsi est idem suppositum diuinũ, quod intrinsece, & perse est filius naturalis Dei, etiam subsistens in humana natura (vt ex Concilio citato, & ex cõfessione Caroli, iam expresse constat) ergo secundum fidem, non potest verificari de Christo, vt homine, quod sit filius Dei adoptiuus. Confirmatur ratione ipsius Concilij: filius adoptiuus non est, nisi ille qui est extraneus, & qui non est filius proprius: ergo Catholicus admittens vnitatem suppositi, & personæ in Christo, secũdum fidem tenetur, negare ipsi conuenientiam filiationis adoptiuæ: patet consequentia: nam affirmans de Christo, vt homine talem filiationem, consequẽter, & implicitè negat de illa vna persona filiationem naturalem, quia affirmat alteram adoptiuam incompossibilem cum illa, (vt ex dictis Concilij patet) & ratione dubio præcedẽti facta constat, quod filiatio adoptiua præsupponit negationẽ filiationis naturalis ex parte subiecti illius. Tunc sic negare de persona Christi, etiam admittendo vnitatem illius, filiationẽ naturalem est manifeste hæreticum contra fidem Incarnationis Verbi, quę docet nos filium diuinum Patris æterni fuisse pro nobis incarnatum. Et hoc adducitur in Epistola citata Caroli in prima confessione fidei: ergo quacunque via affirmetur Christum vt hominem esse filium Dei adoptiuum, non effugietur sensus hæreticus saltim mediate, & secundario, atque implicite. Quarto probatur authoritate D. Th. in presenti articulo dicentis, quod solum rationabiliter potest id affirmari à ponẽtibus in Christo duas personas, vel duo suppositа, sentit ergo D. Th. quod illo errore supposito per optimum, & rationabilem discursum potest inferri Christum, vt hominem esse filium Dei adoptiuum: ergo quicũque affirmans vnitatem suppositi, & personæ in Christo, non potest rationabiliter affirmare ipsum, vt hominẽ esse filium adoptiuũ, scilicet cognoscendo rationem propriam, & essentialem filiationis adoptiuæ, quia si ita cognoscens id affirmat, virtualiter, & consequenter negat filiationem naturalem de tali supposito: necesse ergo est fateri ipsum ignorantem; & ideò excusari ab errore, vel in errorem incidere quocunque modo id affirmet. Et certe videtur mihi hęc propositio: *Christus in quantum homo non est filius Dei adoptiuus.* Est cõclusio Theologica, quæ licet non immediate inferatur ex propositione de fide, & altera nota lumine naturali, mediate tamen ad discursum Theologicum reducitur, qui est discursus factus à D. Thom. in probatione suæ conclusionis, & à nobis supra explicatus in dubio precedenti. Vndè oppositа propositio: *Christus in quantum homo est filius Dei adoptiuus*, est proxima errori, etiamsi non adesset Concilij relati supra diffinitio, qua tamen existente persuasum mihi habeo, quòd est error manifestus in fide, propter negatiuam propositionem, quam includit respectu personę Christi. Dicet aliquis. Posset Theologus Catholicus dicere: Quod filiatio potest conuenire naturæ, & ita quod ratione filiationis adoptiuæ humanę naturæ per gratiam habitualem, Christus vt homo potest dici filius adoptiuus: in hoc autem non apparet error aliquis. Contra hoc est primo, quia Concilium etiam denominationem filij adoptiui excludit à Christo Domino, ponderando locum Pauli ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo, non pepercit:* Et authoritatem Hilarij adducit in huius confirmationem, iam supra relatam, Rom. 8.

ergo

ergo etiã denominatiuè, non potest filiatio adoptiua Christo attribui seruata recta fide. Secundo, quia persona Christi, seu hic homo Christus, secũdũ fidẽ, constat, seu cõponitur ex supposito incapaci filiationis adoptiuæ, quia est filius Dei naturalis: ergo etiam ratione filiationis naturę, nõ potest illã in se recipere, tãquam subiectũ quod, nec ab illa denominari. Prob. cõseq. quia ideò natura humana in Christo nõ potest peccare, quia refunderetur peccatũ in suppositũ eius, tanquã in subiectũ quod, & à peccato naturæ denominaretur peccator, & quia talis denominationis est incapax ratione suæ essentialis, & diuinę sanctitatis ratione cuius in sacra Scriptura dicitur multis in locis non peccasse; ideò denominare Christum peccatorem ratione peccati naturæ humanę esset error cõtra fidem: ergo eodẽ modo, quia in S. Scriptura passim, Christus vt homo dicitur filius proprius Dei, vocare eum adoptiuum ratione naturæ humanę adhuc erit error in fide, quia qui proprius vocatur, eo quod est naturalis filius Dei, nõ potest vocari adoptiuus; quia est idẽ, quod alienus, & extraneus, tãquã ab extrinseco filius, & certe hoc intẽdit Concilium maximè in verbis Hilarij supra relatis. Tertio, quia vt in decisione dubij præcedentis probaui in secunda confirmatione primæ rationis principalis cõclusionis, etiamsi admittatur naturam humanam esse immediatũ subiectum filiationis ex principio fidei Incarnationis, & ex principio naturali, scilicet, ex hoc: subiectũ filiationis adoptiuæ debet ẽsse extraneum ab hęreditate adoptantis, ita vt ei non sit debita hæreditas: infertur naturam humanam Christi, prout eius est per vnionem hypostaticam, esse incapacem talis extraneitatis: ergo consequenter per consequentiam mediatam infertur, non posse adoptari in filiã, & sic nullo modo potest, sine prędiudicio fidei defendi, quod Christus ratione humanæ naturæ sit filius Dei adoptiuus.

Quarto, & vltimo. Eo ipso, quod Verbum Diuinum assumpsit naturam humanam, vniuit ei suam naturalem filiationem Dei, & fecit talem naturam suam: ergo si esset capax filiationis, ex vi vnionis efficeretur filia naturalis Dei per filiationem naturalem ipsi communicatam, & consequenter implicaret recipere in se per gratiam habitualem filiationem adoptiuam: semper ergo ex hoc principio fidei, quod Verbum Diuinum vniuit, sibi naturam humanam infertur ipsum, vt hominem, etiam naturæ humanæ ratione, nõ posse esse filiũ Dei adoptiuũ, & consequenter opinio contraria est error contrarius secundum se, & ex meritis proprijs conclusioni Theologicę: & sic de primo ad vltimũ est mediate contra fidẽ: post diffinitionẽ autẽ Concilij Franco Fordiensis erit error expressus contra fidẽ in illo diffinitã, & explicatam circa adoptionem Christi vt hominis. Confir. Eo ipso, quod Verbũ Diuinũ assumpsit humanam naturã fecit ipsam impeccatricẽ, quia fecit suã (vt clamãt Sancti) specialiter Tertullianus libro de carne Christi, vbi dicit hæc verba: *Nostram carnẽ induit, suã fecit, & suã faciens, nõ peccatricem effecit.* De quo videantur interpretes D. Th. sup. q. 15. art. 1. ergo à simili Verbum Diuinum assumẽs nostram naturam fecit suam, & faciẽdo suam, incapacem effecit filiationis adoptiuæ. Concludendum ergo est, quod quocunque modo dicatur hęc propositio. Christus in quantum homo est filius Dei adoptiuus est error in fide contra diffinitionem Concilij citati, vt affirmant authores primæ sententię: non tamen propter aliqua ex fundamentis eorum, sed propter adducta à nobis modo pro tertia conclusione. *Tertull.*

Ad fundamẽta ergo secũdę sententię Suar. pro secunda parte. Resp. ad primũ, quod licet ante Cõciliũ Frãco Fordiẽse nõ sit damnata expresse hęc propositio: Christus inquantũ homo est

filius Dei adoptiuus, tamẽ falsitas eius ex reuelatis circa Incarnationẽ Verbi, & ex principio naturali infertur secundũse (vt supra explicui) vndè secũdum se fuit error, loquẽdo de filiatione adoptiua propriè, sed tamen quia nõ fuit hæreticus aliquis proterue illã affirmans, non fuit necessarium, quod authoritate Ecclesiæ eius falsitas manifestaretur, & quia Catholici illã asserentes, benè sentiebãt de Christo quantũ ad alia omnia, & in hoc nõ ita clare apparebat error, quia illud asserebant cũ reduplicatione ex parte naturæ humanæ, tamẽ quia sentiebãt filiationẽ adoptiuam esse effectũ formalẽ gratiæ habitualis inseparabilem ab illa; ideò nõ curauit Ecclesia illos dãnare Concilio contra eos cõgregãdo, & ideò pro suo tẽpore, Durandus nõ dixit errorẽ formaliter: dixit tamen materialiter. Cæterũ iam, quia contra Elipandum proteruum asserentem Christi, vt hominis adoptionẽ congregatũ est prædictum Concilium, iam erit error formaliter illam asserere, quia principium morale, ex quo simul cũ articulo fidei, ex quo deducitur cõtraria propositio ab eodẽ Concilio assumitur vt principiũ notum, vt vidimus iam in probatione tertia, conclusionis vltimæ in eius confirmatione: dicit enim Concilium: *Adoptiuus filius non est, nisi ille, qui est extraneus & qui non est filius proprius.* Ad illud de declaratione diffinitionis Concilij, Dico non sufficienter declarari eius intentũ eo modo, quo à Suar. declaratur: nã licet Concilium in illo sensu Nestoriano contra Elipandum diffinierit Christum non esse filiũ adoptiuũ, quasi primo, & perse (quod cõcedo) tamẽ vt ipse Suar. fatetur multa in sua diffinitione cõtinẽtur, quæ cõtra omnẽ modũ filiationis adoptiuæ procedunt. Vndè mihi in omni sensu videtur talis adoptio Christi vt hominis reprobata, atque damnata. Ad secundũ fundamentũ resp. Ad primam eius partẽ, iam patet ex dictis ad primã partem primi fundamenti precedentis. Ad secundam partem resp. quod meò videri, ita clare pugnat diffinitio Cõcilij citati, quoad multa in illa inclusa, cũ prædicta propositione, vt in nullo sensu possit affirmari, sine præiudicio fidei; itavt licet expresse, & immediatè non sit hæretica contra diffinitionẽ ipsam, tamen mediatè, & secũdario implicite opponitur illi, quia ex hac propositione Christus in quantũ homo est filius Dei adoptiuus infertur ista: ergo inquãtũ homo, & subeadẽ ratione, nõ est filius Dei naturalis, quia ista (vt dixi sup.) includitur virtualiter in illa, propter naturã filiationis adoptiuæ: hæc autẽ negatiua absolute prolata est cõtra istã affirmatiuã, Christus vt homo est filius Dei naturalis, quæ expresse diffinitur in Cõcilio, & multis Sacræ Paginæ, & Sanctorũ Patrũ testimonijs confirmatur: ergo illa affirmatiua adoptionis, mediatè, & secundario est cõtra fidẽ declaratam, & explicatam in diffinitione Cõcilij. Ad fundamenta P. Petri de Lorca, quatenus fauent sententiæ præcedenti facilè ad omnia vnica solutione. Resp. cõcedẽdo, quod Elipandus secundũ rẽ habuit errorẽ Nestorij, & illum paliatè voluit excitare asserendo Christũ vt hominẽ esse filiũ adoptiuum Dei, & cõsequenter concedendũ est in diuerso sensu illud affirmasse ab illo, in quo aliqui Catholici, idẽ dixere, & ita cõcedendũ est intentũ principale Cõcilij fuisse diffinire Christũ vt hominẽ nõ fuisse filiũ Dei adoptiuũ in illo sensu intricato, & paliato, qui fuit secundũ rẽ Nestorianus, tamẽ quia clare, & expressis verbis docuit adoptionem Christi vt hominis, & nõ clare docuit diuisionẽ suppositorũ; Cõciliũ multis reprobat adoptionẽ talẽ absolute, & alijs ad optionẽ in sẽsu implicato diuisionis suppositorũ, & ideò dico, quod vtrũq; diffiniuit, licet vnũ magis principaliter sit intẽtũ, quã aliud. Secundò possumus respondere, quod vt dixi in prima probatione 3. cõcl. materia, quę

fuit

fuit proposita, vt discutiẽda in Cõcilio fuit de adoptione Christi, vt hominis absolute, & contra asserentes illã quocunque modo, & sensu diffinitum est contrarium: tamen quia motiuum ad congregandum Concilium fuit prædictus hæreticus, per se primo intentũ est à Concilio diffiniri contra errorẽ suum in sensu paliato, & hoc fecit in omnibus illis locis relatis, & ponderatis à Patre Lorca: secundario autem diffinierunt Patres absolute loquendo, sine aliqua limitatione Christum, vt hominem non esse filiũ Dei adoptiuum, vt constat ex verbis à me ponderatis, & exponderatis ab authoribus primæ, & tertiæ sententiæ. Et certè, rationes à me factæ pro tertia cõclusione probant, quod ex hac propositione absolute prolata: Christus in quantum homo est filius Dei adoptiuus infertur triplex error, alter, quod in Christo sit duplex persona, vna humana secundum quam sit adoptiuus, altera diuina secundum quam sit naturalis, qui fuit error intentus ab Elipando: alter est, quod eadem persona Verbi Diuini Incarnati, vt humana nõ sit filius Dei naturalis, quia filiatio adoptiua præsupponit negationem naturalis in subiecto, & in hoc sensu etiã est damnata expresse in Concilio, & Epistolis eius. Tertius est, quod Christus vt homo ratione filiationis adoptiuæ conuenientis naturæ humanę dicatur & appelletur adoptiuus filius, vt hic homo singularis est; & in isto sensu vt ponderaui, iam excluditur ab illo talis nuncapatio in prædicto Concilio. Vndè admisa authoritate illius ad faciendam certam fidem, vt debet admitti, certum debet esse, quod talis propositio in quocunque sensu proferatur est error in fide (vt dixi in tertia conclusione, & probaui) quanuis ante Concilium tale cognitum, excusaretur Catholicus, qui in isto tertio sensu assereret prędictam propositionẽ. Et hæc de dubio difficili, & maximè his temporibus necessario.

DVBIVM ALIVD SIT PRO complemento huius materiæ.

An si Spiritus Sanctus assumeret carnẽ esset filius adoptiuus per gratiam: an vero naturalis per gratiã vnionis

IN hoc dubio P. Suar. disput. 49. sect. 2. circa solutionem ad 4. obiectionem à se factam contra filiationem naturalem Christi, vt hominis, vt à se constitutam, & explicatam, tenet Spiritum Sanctum in casu dubij fore filium Dei naturalem per gratiam vnionis, cum eadẽ proprietate, atque nunc est filius naturalis Christus vt homo per eandem gratiã vnionis, & nullo modo per gratiam habitualem fieri adoptiuũ. In secunda parte huius sententiæ cõueniunt omnes Doctores, quorum fundamentum est; quia gratia habitualis non aduenire subiecto extraneo ad hæreditate diuina: cũ tunc ratione gratiæ vnionis esset debita connaturaliter talis hæreditas homini illi singulari, quasi abintrinseco, quia includeret personam diuinam intrinsecè, vt extremum cui humanitas esset naturaliter vnita: ergo eo modo quo nunc ratione talis vnionis ad personam diuinam gratia habitualis animę Christi aduenit subiecto, cui abintrinseco est debita hæreditas diuina, & ideò non facit eum filium adoptiuum Dei, ita dicendũ est propter similem rationem de Spiritu Sancto in illo casu. Alteram partem tenet etiam P. Vazq. hic disput. 89. cap. 14. Fundamentum præcipuum, vtriusque ex quo hanc inferũt partẽ est: nam Spiritus Sanctus, vt homo esset æque Sanctus, atque Christus vt homo ex vi vnionis, & haberet æquale ius ad hæreditatem diuinã: sed Christus vt homo non est filius Dei naturalis per gratiam vnionis, nisi ob prædictum ius in tali sanctificatione fundatũ, ergo propter eandem rationem Spiritus Sanctus, vt homo esset filius Dei naturalis.

Maior constat ex eo, quod ex parte personæ vnitæ, cum in vtraque vnione sit persona Dei semper est æqualis sanctitas, & dignitas diuina, atque substantialis, ergo homo resultans esset æqualis sanctitatis. Si dicatur Christū vt hominem non esse filium naturalē ob eam præcisam causam, sed quia illa sanctificatio, & ius ad gloriam prouenit à filiatione naturali, & per essentiam, vt coniuncta humanitati. Cōtra arguit Suar. Tùm, quia semper vrget factū argumentū, eo quod æque digna, & perfecta est personalitas Spiritus Sancti, cū quantum ad hoc valde materiale sit, quod sit persona filij, aut Spiritus Sancti, ergo semper resultabit idē effectus formalis. Conf. nam Christus vt homo non denominatur filius Dei naturalis à filiatione diuina tanquam à forma formaliter referente Christū vt hominem ad Patrē, sed solū vt à subsistentia terminante dependentiam naturæ humanę, & consequēter sanctificante illā, & dante huic homini ius ad æternā hæreditatē, sed totū hoc æqualiter præstat quælibet personalitas diuina: ergo, quod illa sit filiatio Paternitas, aut spiratio nihil refert ad præsentē effectū, & denominationē. Mai. est euidens, ait Suar. Tū, quia ostensum est Christū, vt hominē non referri speciali relatione filij ad Patrē æternum, quia in præcedētibus probauerat dici relatiue filiū naturalē ad Deū absolute, & consequenter ad totā Trinitatē (quod postea probauitur) Tùm etiā, quia illa æterna filiatio non potest informare hominē vt homo est, neq; ipsum ad aliū referre: ergo neq; filiū hoc modo denominare. Tū tertio probat eandem maiorem: nam alias, si Pater assumeret carnem, etiā vt homo referretur per Paternitatē ad filium, & in quantum homo diceretur Pater naturalis filij Dei, quod est plane falsum: sequela autem aparitate rationis est euidens. Confirmatur hæc ratio, nam Spiritus Sanctus, vt homo esset hæres diuinæ hæreditatis: ergo esset filius, & non adoptiuus, ergo naturalis per gratiam vnionis. Anteced. ex dictis constat (ait prędictus Autor) quia haberet ius intrinsecum, & connaturale ad diuinam hæreditatem: cō sequentia verò probatur ex illo Pauli: Si filius, & hæres: ergo à simili si hæres; ergo filius, quia propriū est filiorū Dei esse hæredes bonorū ipsius: nam hæreditas correspondet iuri filiationis, tanquā proprio, & adæquato principio. Si adhęc dicatur, quod in illo casu diuina beatitudo esset debita Spiritui Sancto, vt homini non per modū hæreditatis, sed per modum cuiusdam connaturalis proprietatis. Contra ait, quod licet solutio hæc videatur apparens, in primis reuocat cōtrouersiā ad quæstionē de nomine: nam quod ipse principaliter intendit est Spiritum Sānctum in illo casu, vt hominem habere intrinsecum ius ad illam beatitudinē. Secundo, nam non est cur de Christo, vt homine affirmetur, quod habeat hoc ius ad illam beatitudinem, tanquam ad hæreditatem, & negetur de Spiritu Sancto: ergo idē debet dici de vtroque in hypothesi. Anteced. probatur, nam in re ius vtriusque esset ęque perfectum, & in æquali dignitate & simili actione fundatum: ergo sicut Christus vt homo habuit ius ad diuinā beatitudinem per modū hæreditatis, ita haberet Spiritus Sanctus in illo casu. Probatur consequentia ex eiusdoctrina: quod Christus vt homo sit hæres, nō habet formaliter, quia in quantum Deus hæres est: nā hoc ipsum in rigore, & proprietate non est verum, nam hæres videtur includere aliquā imperfectionem, eo quod significat potius ius ad hæreditatem, quā plenū dominium, & naturalem possessionem, aut proprietatem illius: Dei autem filius potius est genitus, vt suprēmus Dominus, quā vt habēs ius ad beatitudinem per modum hæredis: addit tamen, quod quidquid sit de hoc, non videtur referre, vt in quantum homo sit hęres, quia hoc dependet ex

iurē,

iure, quod habet inquãtum homo, & ex modo habẽdi illud, sed in hoc eadem videtur ratio de Spiritu Sancto, si homo fieret: & probat: quia ratio huius cõsistit in hoc, quod ex vi illius actionis diuinæ, qua fieret homo per vnionem carnis ad ipsum haberet hoc ius ad bona ipsius Dei, à quo talis actio & vnio fieret: in hoc autem æqualitas esset cum modo, quo Christus vt homo ex vi suæ vnionis habet ius ad diuinam beatitudinẽ, ergo. Confirmatur. Homo per gratiam habitualẽ habet ius ad diuinam beatitudinẽ, vt ad hæreditatem, ergo multo magis Spiritus Sanctus vt homo haberet per gratiam vnionis, maximè quia ad ipsam gratiam habitualem haberet connaturale ius, ergo ad ipsam gloriã subquacunque ratione potest gratiæ correspondere, ergo etiam sub ratione hæreditatis. Secundo principaliter pro eadẽ sententia arguitur ex specialibus fundamentis Vazq. si Christus vt homo esset vnitus filiationi præcisse, vt subsistentiæ filij, & non vt sanctificãti ipsam humanitatẽ non haberet ius ad gloriam, sed hæc sanctificatio per diuinam subsistentiam eodem modo conueniret Spiritui Sancto, & Patri in humanitate assumpta, ergo haberẽt eodem modo ius, & cõsequenter essent filij Dei naturalis. Tertio, forma aqua Christus vt homo dicitur filius naturalis Dei est vnio substantialis humanitatis, cũ persona diuina, ergo vbicumque reperiatur talis vnio, reperitur forma, aut quasi formacõstituens filium Dei naturalem in aliena natura. Probatur antec. nam hoc genus filiationis naturalis, nõ est per generationẽ naturalẽ, qua communicatur natura, sed per generationẽ gratiæ, quatenus per naturã Deitatis cõmunicatæ, gratiosè aliquis sanctificatur secũdũ cõiũctionẽ secũdũ rẽ cum Deo, ergo est filiatio naturalis, & filius naturalis efficitur quisper istã generationem gratiosam. Probatur conseq. nã non potest constitui filius adoptius, quia adoptio est per gratiam coniungentem, non secundum rem cũ Deo, sed solum secũdum affectum, sicut ergo, ait Vazq. Christus natura ipsa Deitatis, & Sanctitatis Sanctus est, ita etiam naturalis filius Dei sanctificantis dici debet, ergo erit filius Dei proprius, & naturalis, quatenus distinguitur ab extraneo,

Quarto, Christus vt homo non dicitur filius naturalis solius Patris æterni, ergo non dicitur filius à filiatione Verbi, sed tantum propter vnionẽ ad filiationem, vt ab subsistentiam diuinam sanctificantem. Antecedens probatur: nam si diceretur filius solius Patris æterni, tantũ diceretur filius, per extrinsecam denominationẽ, & analogice à filiatione Verbi, sicut columna dicitur dextera ad exteritate animalis: Tùm etiam, quia non denominaretur filius à filiatione Verbi, sicut in quantum homo, non denominatur Deus à Deitate, sed solum humanitas dicitur Deificata, ergo similem denominationem post habere inquantum homo à filiatione, nempè quod dicatur terminata, & sustentata à filio.

Quinto, Christus vt homo, nõ potest dici filius Dei, si filius accipiatur propriè pro eo, qui procedit perverã, & naturalem generationem, quæ est origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ, ergo solum dicitur filius Dei naturalis per vnionem substantialem, cum Deo. Antecedens probatur, quia Christus secundum humanã naturam, non procedit eo modo à Deo Patre. Confirmatur. Ratio filij, & geniti eadem est, si loquamur de filio propriè accepto, sed Christus secundum humanam naturam, non potest dici genitus à solo Patre: ergo neque filius solius Patris: nam cum ratio filij propriè, & geniti eadem sit re, & ratione in Verbo, eodem modo deriuari debet per extrinsecam denominationem in humanitatem: Ratio autem geniti, non potest deriuari in illam, quia

solum significat terminum generationis: ergo neque ratio filij.

Ex his infert, quod relatio filiationis naturalis in humanitate distincta est à relatione, qua refertur persona ad Patrem æternum, & ab ea, qua refertur ad matrem: concludit ergo Christum vt hominem in ratione filij naturalis referri ad totam Trinitatem: non tamen quatenus proprijs nominibus personarum ex primi potest, sed quatenus nomine Dei significatur concretum Deitatis, quod commune est tribus personis, & nullâ peculiariter denotat, sed vage hanc, vel illam: Probat primam partem ex Adriano, qui in fine suæ Epistolæ id videtur declarasse, cum dixit illam vocem, Matthæi 3. & 17. *Hic est filius meus dilectus, &c.* non ad Patrem æternum, sed ad totam Trinitatem referri, quare ad ipsum Christum secundum diuinitatem referri etiam debet: addit tamen cautè loquendum esse, ne ex verbis inordinate prolatis error incurratur si absolutè dicamus Christum esse Patrem, aut filium sui ipsius, aut Verbum esse Patrem Christi, quia iste modus loquendi absolutè diuisionem significat inter Deum, & Christum, & Verbum, & Christū. Secundam verò partem probat, quia in illo modo loquendi: *Christus est filius Dei*, etiam absolutè, non significatur aliqua diuisio personarum in Christo, sed sufficit distinctio aliqua rationis, quæ inter concretum Deitatis, & personas sub proprijs nominibus conceptas interuenit, quæ vagè includitur in illo cõcreto Deus, propterquam distinctionem absolute potest concedi, quod Christus habet Deum.

Matth. 3.

Secunda sententia affirmat, quod si Spiritus Sanctus assumeret humanitatem, neque esset filius Dei naturalis neque adoptiuus, & eodem modo loquuntur de Patre æterno in casu in quo assumeret humanitatem: ita tenent communiter Theologi, tam ex nostra familia, quam ex aliena, ita tenet in primis Ioannes Vincent. de gratia Christi, quæst. 1. fol. 147. solutione ad 7. & vltimum argumentum dubij grauis in prædicta quæstione moti incidenter de adoptione Christi, vt hominis: ita etiam Cabrera hic disput. 1. solutione ad vltimum per totam, maximè num. 117. & num. 118. Petrus à Lorca hic disput. 84. membr. 4. num. 43. in fine, quatenus asserit, quod etiã si Christus in quantum homo, nõ fuerit filius Dei naturalis, nõ esset adhuc dicendus adoptiuus, quia nullum inconueniens est neutro modo esse filium propriè loquendo, sicut modo Spiritus Sanctus licet habeat maiorẽ coniunctionem cum Deo, & maiores prærogatiuas similes filiationi, non tamen est filius naturalis, neque adoptiuus. Eandem sententiam tenet Curiel in controuersijs, controuersia 2. art. 3 in eius decisione, & solutione ad vltimum pro prima sententia. Eandem sententiam sequitur Basilius Legionensis tomo variarum disputationum relectione 4. per totam eius resolutionem, maximè circa finem, §. *Hinc facile deducitur*. Refertque in explicatione suæ mentis contra Vazq. & Suarez, multos Authores antiquos, in eius confirmationem, dicitque à temporibus Petri Lombardi, vsque ad nõstra tempora à nullo Doctore Scholastico esse defensatam sententiam primam, nisi à duobus modernis citatis.

Pro huius ergo sententiæ explicatione, & dubij decisione præmittendum est primò eius veram resolutionem pendere ex declaratione formę, aut quasi formæ, aqua Christus vt homo dicitur, & est filius Dei proprius, & naturalis: hac enim forma cõstituta Christi, vt hominis in ratione filij Dei naturalis explicata facile videbitur, quo modo quamuis Pater, aut Spiritus Sanctus assumerent humanam naturam, non esset dicendus aliquis illorum filius Dei naturalis. Secundò præmittendum est omnes Scholasti-

cos

cos conuenire in secunda parte sentẽ tiæ primę, scilicet in hoc, quod est asserere indubitanter in casu hypotesis Patrem non esse fututum filium Dei adoptiuum, & idem est de Spiritu Sãcto. Fundamentum solidum, & commune est, quia ad rationem adoptionis proprie loquendo requiritur, vt ex dictis in dubijs præcedentibus patet, quod sit personæ extraneæ ad hęreditatem adoptantis Patris assumptio, at in tali hypotesi, nõ esset extranea persona Spiritus Sãcti humanata, ab hęreditate Dei, sed ita intrinsecè esset ei debita, vt homini, sicut modò Christo vt homini: ergo sicut Christus vt homo, propter istam rationem non est filius adoptiuus Dei: ità neque Spiritus Sanctus in illo casu foret, vt homo filius Dei adoptiuus. Et certe omnes rationes factæ ad excludendũ à Christo vt homine filiationem adoptiuam procedunt ad excludendam eã à qualibet alia persona diuina excepta vna sola, scilicet illa, quæ procedit ratione naturalis filiationis Dei, quia illa solum currit in Christo, propterea quod vt est persona talis intrinsecè est Verbum Diuinum Patris æterni, & consequenter filius.

Sit ergo prima conclusio. Forma âqua Christus vt homo est filius naturalis Dei, non est sanctitas substantialis huius hominis Christi conueniens ei ratione vnionis humanitatis ad Verbum, & consequẽter non est ius, quod habet ratione prædictę sanctitatis ad bona Dei. Hæc conclusio est contra Suar. & aliqua ex parte contra Vazq. communis tamen inter omnes alios, illam specialiter habet Curiel vbi supra prima conclusione, & Basilius Legionensis, etiam vbi supra. Ad huius conclusionis intelligentiam aduertẽdum est, non loqui in illa de filiatione formali, quæ consistit in relatione, qua quis refertur ad Patrem, tanquã filius eius, à quo accepit naturam per generationem, sed loquimur de filiatione fundamentali, quę consistit in eo, quod per modum formæ præsupponitur ex parte filij ad fundandam relationem ipsam filiationis, siue illud sit in se ipso, quid relatiuum, siue quid absolutum: probatur ergo hoc supposito. Primo à priori. Sanctitas substantialis, & ius connaturale talis sanctitatis ad bona hæreditaria Dei, non habent secundũ se constituere filium: ergo Christus vt homo ratione prædictæ sanctitatis, & prædicti iuris non est filius Dei naturalis. Antecedens probatur: nam modo de facto Spiritus Sanctus est sanctus substantialiter, & infinite, & habet ratione talis sanctitatis ius ad omnia bona Dei Patris, & tamen non est filius Dei naturalis: ergo talis sanctitas substantialis diuina, & infinita nõ est forma secundum se constitutiua filij; nam si esset sufficiens secundum se in quocumque esset constitueret filium: si ergo de facto Spiritum Sanctum, non constituit filium, neque Christum vt hominem constituet filium Dei.

Confirmatur ab inconuenienti, quod sequitur ex opposita sententia ex qua infertur necessaria consequentia Spiritum Sanctum, modo de facto esse filium Dei naturalem, illo modo filiationis inuento à Suar. vel alio simili illi: consequens autem est implicatorium, & vt tale à nemine admissum: ergo illud ex quo sequitur: Probatur sequela, Christus vt homo, ideò est filius Dei naturalis, non per æternam generationem, sed quia ratione vnionis habet sanctitatem substantialem; & ius naturale ad omnia bona ipsius Dei per donum intrinsecè pertinens ad eius constitutionem, sed Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis, licet non accipiat naturam diuinam, per modum naturæ, accipit tamẽ, aliquid intrinsecum ratione cuius est Sãctus sanctitate infinita, & consequenter ius habet ab intrinseco ad omnia bona diuina, sicut Christus, imò excellentiori ratione, propter excellentio-

rem coniunctionem cum Deo, ergo debet dici filius Dei naturalis ad modum simílem ei, quo Christus vt homo dicitur filius Dei naturalis.

Secundo probatur. Christus vt homo habet sanctitatem accidentalem per gratiam habitualem, & consequẽter habet per eãdem ius ad bona Dei, & tamen per illam non cõstituitur filius, ergo Sanctitas sub conceptu sanctitatis, & ius ad bona Dei, inde resultans, non est forma constituens filium Dei. Patet consequentia: nam si esset sub proprio conceptu forma faciens filiũ, omnis sanctitas haberet suo modo facere filium: Minor verò patet ex dictis in præcedentibus, iam enim diximus gratiam habitualem in Christi humanitate existentem, non facere eum filium.

Dices hoc ideò esse, quia iam constituit eum filium per gratiam vnionis, quæ est sanctitas altior, prior & substantialis. Contra: si principiũ oppositæ sententię esset verum sequeretur gratiam habitualem facere Christũ, vt hominem filium filiatione aliqua, licet nõ filiatione adoptiua, propter solutionem datam, & quia filiatio adoptiua dicit carentiam filiationis naturalis. Probatur sequela, quia ideò Christus vt homo dicitur filius Dei naturalis, quia per gratiam vnionis sanctificatur, & habet ius ad diuinam hæreditatem, sed etiam per gratiam habitualem habet sanctitatem, & ius ad bona diuina, ergo si illud principiũ est sufficiens, dicendum est, quod per gratiam habitualem fit aliquo modo filius Dei Christus in quantũ homo, & cũ nõ possit fieri adoptiuus de primo ad vltimũ sequitur etiã esse naturalẽ, & sic esse aliũ nouũ modũ filiationis naturalis. Tertio probat. ex diffinitione filij naturalis communiter recepta. Filius naturalis est ille, qui per naturalem generationem, quæ est origo viuentis à viuente in similitudinẽ naturæ, procedit à Patre, vt accipiẽs naturam similem ab illo, sed sanctitas, aut ius ad bona diuina ratione vnionis conueniens Christo vt homini nõ est generatio, neque habet rationem naturę acceptæ à Deo Patre, per originem generationem naturalem, ergo non potest habere rationem formæ, per quam Christus vt homo constituatur filius Dei naturalis. Consequentia pater, nam cum non cõstituat eum procedentem à Patre in similitudinem naturæ, non potest constituere filium Dei naturalem. Discursus euidens est, & minor probatur, nam conceptus sanctitatis etiam substantialis diuersus est à conceptu naturæ per modum naturę, & à conceptu generationis.

Dicet aliquis hoc argumento probari efficaciter Christum vt hominẽ, non esse filium Dei naturalem per Sãctitatem, & ius ad bona diuina vniuoce, & secundum propriam rationem filij naturalis, eo modo, quo Verbum diuinum est filius naturalis Dei, sed quod alio modo, & analogice, atque impropriè non sit filius Dei naturalis per sanctitatem, & ius hypostaticæ vnionis, non probatur tali ratione. Cõtra est primo, quia intentũ nostrũ est manifestare tali ratione, quod talis modus filiationis naturalis sit fictus, & sine aliqua necessitate cogitatur à suis authoribus, quia à nullo ex antiquioribus meditatus fuit, & omnes Christum vt hominem agnouerunt filium Dei naturalem, ly vt, specificatiue sumpto, & ideò intendimus illum, tanquam nouum genus filiationis vsque modo in Schola, non auditum ab illa relegare. Secundo, quia id quod constituit aliquo modo filium, eo modo debet habere rationem naturæ acceptæ ab alio per aliquam actionem, quæ aliquo modo sit generatio, sed illa sanctitas: & idem est de iure per illam communicato humanitati Christi Domini nullo modo habet rationem naturæ diuinę communicatæ à Deo per actionem, quæ aliquo modo sit generatio diuina: ergo nullo modo,

do, neque etiam analogicè constituit Christum vt hominem filium Dei naturalem. Maior patet exemplis, & ratione, exemplum primum est in diuinis, vbi Spiritus Sanctus; ideò non est filius, quia non habet naturam diuinã participatam per actionem, quæ sit generatio. Secundum est affirmatiuum in filiatione adoptiua hominũ, & Angelorum, quę consequitur ad gratiam habitualem, quatenus illa aliquo modo habet rationem naturæ diuinæ cõmunicate animæ per actionem supernaturalem habentem rationem generationis supernaturalis secundum affectum, quia secundum illum terminatur ad participandam naturam diuinam accidentaliter, ergo quælibet filiatio procedit, tanquam à forma ab aliquo habente modũ naturæ cõmunicatæ ab alio ex vi actionis aliquo modo generatiuę: Tum etiã probatur ratione, quia esse filij impropriè, & analogicè considerari debet quantum ad principium formale constitutiuũ eius per ordinem ad filiationem propriam naturalem, & principium eius formale, cum sit ad imitationem eius, sed id quod constituit filium naturalé proprie, & simpliciter est natura per modum naturę accepta à Patre per verã generationem, ergo principium constituens filium aliquo modo naturalé eodem modo impropriè, & analogicè debet esse natura per modum naturę accepta: Maior ergo discursus nostri est vera: Minor verò probatur, sicut probata est minor rationis præcedentis principalis. Et prętera probatur: nam talis sanctitas communicatur humanitati ratione vnionis ad subsistentiam Verbi, nõ quatenus talis subsistentia filij est formaliter (vt concedunt authores contra quos procedimus) sed quatenus subsistentia diuina est, sed subsistentia diuina, vt diuina est præcisse, non dicit formaliter, neque includit rationem naturæ diuinę, vt acceptæ per generationem: ergo non habet prędicta sanctitas communicata humanitati ratione formæ cõstituentis filium, quia non habet rationem naturę acceptę aliquo modo per generationem diuinam. Omitto aliàs probationes, quas Curiel vbi supra cõgerit ad idem probandum, vt probet suam primam conclusionem, qui probat ius, quod Christus vt homo habet ad bona Dei ex vi vnionis non esse ius filij, quia non respicit illa bona, vt hæreditatem filij: sed vt quoddam debitum ex congruentia, & proportione connaturali, & tanquam quasdã proprietates complentes ipsam vnionem hypostaticã. Vnde vocat tale ius, ius naturalis sequelæ, aut congruentiæ, & proportionis connaturalis, quod distinctum est à iure filij, etenim ius naturalis sequelę non est aliud, quam ipsa natura physica rei, quæ postulat, vt aliquid physice ex ipsa emanet, aut vt sibi detur, tanquam congruum, & connaturale suo statui physico, & ratio proprietatis consistit in hoc, quod est esse complementum proprium naturæ. Cæterum ius filij est aliquid morale superadditum naturæ, & ratio hę reditatis, non pertinet ad complemẽtum proprium, & intrinsecum naturæ, sed est quid omnino extrinsecũ, & accidentale respectu eius. Ex his infertur optimè contra Vazq. Christum vt hominem, non constitui filiũ Dei naturalem, per vnionem substantialem cum illo in eadem persona, ad eum modum, quo intelligit prędictus author constitui per illam, scilicet vt per formale constitutiuum, quia talis vnio substantialis, neque est generatio, neque est natura diuina, aut habẽs modum naturæ per generationem cõmunicatæ: Tum etiam, quia vt ipse Vazquez concedit, talis vnio humanitatis, non est formaliter cum subsistentia filij vt talis est, sed præcisè, vt subsistentia diuina est: & ideò loquitur eodem modo de Verbo Incarnato, & de qualibet alia persona diuina si incarnaretur, sed subsistentia diuina, vt diuina est præcisè, non constituit

tuit filium Dei naturalem: ergo quãuis vt sic vniatur naturæ extraneæ nõ constituit hominem singularem ex tali vnione resultantem filium Dei naturalem. Eandem veritatem probant rationes factæ pro conclusione.

Secunda conclusio. Christus vt homo non est filius totius Trinitatis, neque talis dicendus est, etiamsi non exprimatur Trinitas proprijs nominibus. Hæc conclusio est contra eosdem Modernos: fuit tamen communis inter antiquos interpretes Sacræ Paginæ, & antiquos Theologos Scholasticos. Eam tenẽt Basilius vbi supra, Lorca vbi supra disp. 84. memb. 3. numer. 39. & sequentibus, Curiel controuersia supra citata circa solutionem ad cõfirmationem secundi argumenti primę sententiæ. Pro eadem conclusione possunt alegari Alexander 3. part. quæst. 8. memb. 3. art. 4. quatenus ibi negat Christum posse dici filium Spiritus Sancti, vel Trinitatis, nisi abusiuè, sicut dicitur Deus Pater pluuiæ, Bonau. in 3. dist. 4. art. 1. quęst. 2. & 3. Gabriel quæstione vnica, art. 3. dub. 2. noster Albertus in 3. dist. eadẽ art. 4. vbi dicit nullo modo posse dici opsitum, Durandus ibidem quęst. 1. quatenus negat Christum posse dici absolutè, & simpliciter filium Spiritus Sãcti, & loquitur de filiatione propria, & naturali: nam de filiatione abusiua per creationem, & adoptiua per gratiam habitualẽ concedit ipsum in quãtum hominem posse dici filium Spiritus Sancti, & secundum rem totius Trinitatis. Vltimo tandem tenet expresse istam conclusionem D. Thom. infra quæstion. 32. art. 3. in fine corporis, vbi infert ex discursu eius istam cõclusionem; & ideò nullo modo debet dici Christus filius Spiritus Sancti, nec etiam totius Trinitatis, quam doctrinam optimè explicat ibi Caiet. sequũtur, & defendunt eandem veritatem, plures alij Theologi, quos refert Basilius, vbi supra. Probatur primo hæc conclusio ex Concilio Tolletano XI. in confessione fidei, vbi ex doctrina Augustini in Enchiridione, c. 24. 38. 39. & lib. 2. de Trinitate, cap. 10. dicitur Christum Iesum nullo modo esse Spiritus Sancti filiũ: sic enim dicitur: *Nam Christus Iesus nullo modo Spiritus Sancti filius credi, vel intelligi potest.* Aug. Nec valet dicere, Patres Concilij loqui de Christo secundum suppositum diuinum, & qua ratione Deus est, non vero de ipso secundum quod homo est. Non, inquam, valet prædicta expositio, quia ibi loquuntur de filiatione conueniente Christo ratione Incarnationis, & vnionis, quia modus, quo negatur filiatio Christo respectu Spiritus Sancti immediatè declaratur sequentibus verbis, in quibus ratio propterquam poterat quis suspicari contrarium, scilicet Christum vt hominem esse filium Spiritus Sancti excluditur, dum sic dicunt Patres, pro eo quod Beata Virgo Maria eodẽ Spiritu Sancto obumbrante genuit, quod est dicere, non est dicendus Spiritus Sanctus Pater Christi, neque ipse filius Spiritus Sancti, eo quod Beata Virgo ipsum virtute Spiritus Sancti concepit: ergo loquuntur de Christo vt homine, qua ratione est filius Virginis. Confirmatur, quia D. Thom. vbi supra in argumento sed contra, adducit verba Augustini ad probandũ Spiritum Sanctum, non esse Patrem Christi secundum carnem aliquo modo, ergo intendunt Patres Concilij authoritate Augustini excludere à Christo vt homine omnem filiationem respectu Spiritus Sancti loquendo de filiatione propriè loquendo.

Hoc bene vidit Suar. vbi supra, & ideò dicit Augustinum, & Patres Cõcilij loqui de filiatione, & Paternitate humana Christi, non de filiatione diuina, quæ fundatur in gratia vnionis: nam de illa non meminerunt. Cõtra est primo, quia in præcedenti conclusione ostendi, talem filiationem naturalem Dei in gratia vnionis fundatam explicatam eo modo, quo à tali Docto-

Doctore explicatur esse fictitiam, & inuentam à se (cuius ipse concedit in præsenti solutione ad explicandum Concilium, & Augustinum, non meminerunt Sancti Patres) ergo tanquã noua, & singularis non est audienda in Schola Catholica. Secundo, quia Concilium intendit docere nullam filiationem esse in Christo vt homine respectu Spiritus Sancti, & in Spiritu Sancto nullam Paternitatem respectu Christi: ergo aliquam asserere est cõtra mentem Concilij. Antecedens patet: nam id sufficienter explicat in illo verbo, nullo modo, quo vtitur D. Tho. loco citato. Tertiò, quia ex opposita sententia possemus concedere duos Patres naturales Christi: hoc autem est contra Concilium expresse assignans suæ doctrinæ hanc ab inconD. Tho. uenienti rationem: *Ne duos Patres filij videamur concedere, quod nefas est dictu*: ergo nullo modo admittenda est expositio Suarez, neque sua sentẽtia. Sequela patet: nã benè valet sunt duæ filiationes naturales diuinæ in Christo: ergo in Deo correspondent duæ Paternitates naturales vna conueniens tantum Patri, altera ipsi, & alijs personis, & ita consequenter Christus ipse secundum vnam Paternitatem diceretur Pater suus: hoc autem est contra Augustinum supra in 2. lib. de Trinitate, cap. 10. loquentẽ generaliter, probat enim ibi illa verba: *Tu es filius meus dilectus*, non nisi de Patre posse accipi, dicens, quod Iesus Spiritus Sancti filius, aut etiã suus filius credi, aut intelligi non potest. Similiter probat Christum, non potuisse dicere illa verba, nisi tantum Patri, *Pater clarifica filium tuum*, non Spiritui Sancto, cuius non est filius: etenim vt Augustinus efficaciter intentum explicatum probet necessarium est ipsum intelligere loquentem, ita vniuersaliter, vt omnem filiationem excludat à Christo vt homine respectu Spiritus Sancti. Secundo probatur conclusio ratione desumpta ex D. Thom. articul. citato, quæstion. 32. Paternitas, & filiatio proprie loquendo consequuntur generationem viuentium, sed Christus, neque in quantum Deus, neque in quantum homo procedit à Spiritu Sancto, vt generatus: ergo non est filius eius. Discursus est optimus. Maior est propositio, quam supponit D. Thom. ibi, vt principium notum in Physica, vnde solum explicat illud. Minor verò est certa secundum fidem, quia in quãtum Deus procedit à Patre æterno, vt comprincipium Spiritus Sancti. Vnde est prior origine ipso: Secundum quod homo, quia humanitas, nõ procedit à Deo in similitudinem naturæ, sed tantum creatur in esse naturali, & in esse supernaturali iustificatur, ergo non generatur à Spiritu Sancto: cõsequẽtia verò relinquitur nota. Dices discursũ procedere de filiatione proprijssima, quę consequitur generationem æternam: non vero de filiatione naturali fundata in gratia vnionis. Cõtra est, quia iam in præcedenti conclusione probaui vnionem hypostaticam nullo modo esse generationem naturalem diuinam, & consequenter non posse constituere, neque fundare aliquam filiationem in persona resultante respectu principij actiui illius. Vnde solum hic homo Christus habebit vt talis aliquam rationem effectus ad totam Trinitatem, non tamen rationem filij, quia, vt dicit Doct. Sanct. solutione ad primũ illius articuli, Christus vt homo conceptus est de Spiritu Sancto, sicut de actiuo principio, non tamen secundum similitudinem speciei, sicut nascitur homo de Patre suo: Secunda ratio fundata in eodem principio sic formatur, & impugnatur etiã solutio data. Christus est filius Dei secundum perfectam rationẽ, propter æternam generationem: sed secundũ æternam generationem, non est filius, nisi solius Patris: ergo nullo modo est dicendus filius Spiritus Sancti. Consequentia probatur à D. Thom.

quia

quia illud, quod de aliquo dicitur secundum perfectam rationem, non est dicendum de eo secundum rationem imperfectam, sed gratia vnionis secūdum contrarium opinantes, fundat filiationem imperfectam, & analogice: ergo non est dicenda talis filiatio de Christo, & sic ratione illius non erit dicēdus filius Spiritus Sancti, aut suus. Tertio probatur authoritate Adriani Papæ in Epistola Concilij Francofordiensis, & authoritate eiusdem Concilij, vbi ex professo disputatur de filiatione Dei conuenientе Christo vt homini, & explicando illam, non esse adoptiuam, sed propriam, & consequenter naturalem, nunquam dicitur ipsum esse filium totius Trinitatis, sed solius Patris æterni, & ad hanc filiationem comprobandam afferuntur loca Sacræ Paginæ (iam à nobis dubio præcedenti ex parte relata) quibus probatur Christum vt hominem esse filium Patris æterni, & numerantur duæ filiationes Christi altera ad Patrem, altera ad Matrem, & dicitur, quod illa eadem persona, quæ ante incarnationem erat Verbum Patris æterni illa eadem post Incarnationem in humanitate assumpta retinet eandem filiationem, quanuis simul sit filius matris humanitate, & nunquam, nec leuiter insinuatur tertia filiatio ad Trinitatem. Ex hac ergo doctrina sic formo rationem. Filiatio naturalis Dei conueniens Christo vt homini colligenda est ex Concilio Francofordiensi, & solū illa, quę ab ipso probatur, & explicatur est in ipso constituēda, sed in Cōcilio solū declaratur, & probatur vnica filiatio Dei naturalis conueniens Christo: quia Verbum Diuinum vniuit, sibi naturam humanam: ergo solum tali filiatione naturali Dei dicendus est filius eius, sed per illam cum sit filiatio personalis, verbi tantum est filius Patris æterni, ergo non est ponenda in ipso filiatio, altera per quam sit filius totius Trinitatis, aut Dei communis tribus personis. Confirmatur. Adrianus vt probet Christum etiam, cum addito, scilicet in quantum hominem, non esse filiū Dei adoptiuum adducit verba, Matthæi 3. & 16. *Hic est filius meus dilectus*, tanquam dicta à Patre æterno, vt persona distincta ab alijs Sanctissimæ Trinitatis, ergo sentit ipsum vt hominem esse filium naturalem solius Patris æterni, & non omnium personarum. Mat. 3.

Sed contra arguunt oppositum opinantes, ex eodem Adriano loco citato, vbi illa verba refert, vt dicta à tota Trinitate, ergo filiatio naturalis Christi vt hominis ad totam Trinitatem, per Adrianum confirmatur, & nullo modo excluditur. Probatur antecedens ex contextu, quoniam illud Verbum complacuit, quod à Patre æterno prolatum est, significat propriè cōuenientiam aliarum personarū simul cum ipso Patre æterno in complacentia erga Christum vt hominem, ergo significatur illo Verbo totam Trinitatē cōplacuisse in Christo vt homine: nam de illo sub tali consideratione ibi fit sermo: ergo indicatur ipsum vt hominem esse filium totius Trinitatis.

Confirmatur ex illo, Ioannis 20. vbi Christus de se ipso dixit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum*, & certè loquitur de se ipso vt homine, & Deum sumptum pro tota Trinitate vocat Patrem suum: nam aliàs illū eundem non vocaret Patrem nostrū, in quo sensu exponitur hoc testimonium ab Adriano in Epistola citata. Confirmatur secundo, ex eodem testimonio infertur, quod Christus vt homo eodem modo in præsenti loco vocat Deum, Deum suum, sicut vocat Patrem: sed esse Deum Christi vt hominis non conuenit soli personę Patris, sed huic Deo communi, & omnibus tribus personis, quatenus sunt vnus Deus: ergo etiam illa appellatio Patris, quæ tribuitur personæ Patris, respectu Christi vt hominis, non est Ioan. 20.

propria

propria Patris, sed conueniens huic Deo vt sic. Secundo arguitur contra eandem conclusionem ex Suar: Christus vt homo non est filius naturalis Dei ex vi generationis æternę, sed ex eo, quod filiatio ęterna communicata est humanitati; sed quod illa filiatio sit cõmunicata humanitati est opus totius Trinitatis: ergo relatio filiationis, quæ hinc proxime resultat est ad Trinitatem, vt vnus Deus ad extra operans. Confirmatur, & declaratur. Christus vt homo non est genitus ab æterno, sed factus in tempore: ergo si aliqua relatio filiationis in eo resultat est tẽporalis, & non æterna, sed omnis relatio tẽporalis ad Deũ, fundata in actione, est ad totam Trinitatẽ, vt est vnus Deus, quia omnis actio, & effectus ad extra est cõmunis toti Trinitati. Confirmatur secũdo, Christus vt homo habet beatitudinẽ à tota Trinitate: ergo ab eadem habet ius ad illã, prout prius natura intelligitur esse, quam intelligatur beatus: sed ratione huius iuris dicitur filius in quantũ homo, vel saltim à posteriori, recte colligitur esse filiũ ex tali iure: ergo sub illa ratione relatio filij est ad illum, à quo effectiuè habet illud. Ad hæc immediatè, respõdetur. Ad primum ex Adriano: Respondetur negando antecedens, quia potius refert illa verba, vt dicta à Patre æterno, vt patet ex contextu in antecedentibus, & subsequentibus. Ad probationem antecedẽtis: Respõdeo, concedẽdo, quod secũdum intentum Adriani, verbum illud complacuit significat complacentiam totius Trinitatis in homine Christo. Negatur tamen vltima consequẽtia: nam ex eo, quod Pater dicat ipsum, simul cum alijs personis, complacuisse in Christo vt homine, non infertur ipsum esse filium omnium personarum, sed solum, quod tanquam in proprio, & naturali filio eius, non solum ipse, sed etiam aliæ personę complacentiã habeant. Hanc esse legitimam mentẽ Pontificis, & non quam intendunt cõtrarij, patet ex verbis ipsius: Etenim vt probet illud testimonium intelligendum esse de Christo vt homine, sic ait, dum ait, scilicet: *Pater complacuit, totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota cõplacuit Trinitas.* Ecce rationem primi, in qua nostra solutio continetur, & statim magis eam explicat, dum subdit: *Animaduertite, quia nihil vobis restat, vt secundum diuinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem, hic est filius meus dilectus, sed potius secundum humanitatem.* Ecce Adrianum semper confitentem Patrem dixisse, Christum vt hominem filium suum, non filium aliarum personarum, quamuis obiectum complacentiæ omnium, ipse fatetur pronunciatũ à Patre: nunquã tamen, nec leuiter insinuat illa verba dicta à tota Trinitate, tanquam tota ipsum, vt filium omnium personarum commendet. Videtè aliàs solutiones in Doctoribus supra citatis.

Ad confirmationem primam, respondetur concedendo illud testimonium intelligendum de Christo vt homine, & secundum hanc rationem vocat ipse Patrem æternum Patrem suũ. Vndè negandum est appellare Patrẽ suum Deum communem, aut totam Trinitatem: nam si id ita esset, non distingueret inter hæc duo: Patrem meum, & Patrem vestrum, sed vno communi nomine dixisset Patrem nostrum: Vndè primam personam appellat Patrem suum: omnes verò personas appellat Patrem nostrum, vt manifestet nos adoptiuos filios Dei: ipsum verò naturalem Patris æterni. Et hanc veritatem colligit Adrianus ex prędicto testimonio, vt ex dictis in decisione dubij præcẽdentis patet. Sed tunc vrget secunda confirmatio, cui dico maiorem esse falsam: nam in illa secunda parte: Deum meum, & Deum vestrum: vtrobique Deus sumitur essentialiter, propter rationem positã in minori: nihilominus distinguit

etiam illa duo appellando Deum cõmunem Deum suum, & Deum vestrum, & non nostrum vna voce, ad designandum distinctum modũ, quo ipse habet vt homo Deum, tanquam Deum suum, quia sine aliquo medio ipsum habet speciali ratione, sibi vnitum simul cum personalitate diuina: nos verò habemus ipsum Deum in esse naturali, communi quadam ratione, & in esse supernaturali fidei, & gratiæ mediante ipso Christo, vt homine, vt causa mediatrice, & meritoria.

Ad secundum ex ratione desumptum respondetur. Dico, quod ex vi generationis æternæ, non in se ipsa abstractè consideratæ, sed vnitæ humanitati, dicitur Christus vt homo filius naturalis Dei, ad eum modum, quo per ipsam filiationem diuinam communicatam eidem humanitati est filius naturalis Dei: & tunc concessa minori, negatur consequentia, per nõ suppositionem extremorum, quia est propositio affirmatiua de subiecto, nõ supponente: etenim in illa supponitur, quod ex vi vnionis hypostaticæ resultat noua relatio filiationis naturalis ad Deum in Christo vt homine: Nos vero negamus illã resultare, sed solum resultat extensio quædam eiusdem filiationis, & generationis æternæ, quia dependenter ab vnione, tanquam â conditione, sine qua non fit vt illa generatio, & filiatio æterna, quæ denominabat, & constituebat filium naturalem Dei Verbum Diuinum inse & abstractum à natura extranea existentem ante Incarnationem, postea constituat ipsum vt hominem, vt in sequenti conclusione dicemus. Ad cõfirmationem primam: Respondetur, concedendo conditionalem illatam. Cæterum, iam dixi ad argumentum, non resultare talem relationem filiationis, sed solum quandam extensionem filiationis naturalis æternæ ad Patrem æternum, ad illam ergo actionem, per quã effectum est, vt verbum Diuinũ esset homo productione humanitatis, & vnione ad ipsum in concreto resultante, consequitur relatio effectus supernaturalis specialissima ratione ad totã Trinitatem: Nulla tamen relatio filij sequitur, vt probatũ est probando primam conclusionem, quia neque productio humanitatis habet rationẽ generationis, neque vnio eiusdem ad Verbum, cũ neutra actio sit origo viuentis à viuente in similitudinem naturæ.

Sed dicet aliquis Christus vt homo ratione humanitatis prædictę habet, quod procedat viuens à viuẽte Deo, & ratione vnionis hypostaticę habet similitudinem in natura humana, cũ habeat Deitatem ipsam vnitam sibi: ergo ab vtroque simul habebit hic homo Christus, quod necessarium est, vt sit genitus à Deo, tanquam procedens ratione naturæ humanę, vt viuens à viuente, & à Deitate simul cum personalitate diuina habebit procedere à Deo viuente, vt à principio coniuncto: Cum ergo ex alia parte hæc processio sit in tẽpore ratione actionis cõmunis toti Trinitati (dicendum erit) quod relatio filij naturalis Dei consequatur ad totam Trinitatem. Ad hoc respondetur primo, admittendo antecedens, & negando consequentiam: nam diffinitio generationis sic intelligenda est, quod id, quod est genitum formaliter ex vi illius originis, secundumquam procedit viuens à viuente procedat in similitudinem naturæ specificę, cũ natura principij actiui, & non sufficit similitudinem naturæ communicari per accidens, & concomitanter per aliam actionem, quasi adiutricem: tunc enim nulla illarum actionum habebit rationem generationis, quia de nulla illarum verificatur tota diffinitio generationis, quod non verificetur de productione humanitatis ipsa obiectio admittit, quod non de vnione actiua seorsum, etiam admittitur à sic opinantibus, & patet, quia prima productio tantum est processio, seu origo viuentis à viuen-

viuente: secunda autem non habet rationem originis: ergo de nulla verificatur, iuxta prædictam sententiam, quod sit origo viuentis à viuente perse, & formaliter tendens ad ponendam similitudinem naturæ. Vndè cum hoc sit de essentia generationis, propriè nulla illarum erit generatio, & consequenter indiuiduum resultans ratione prædictarum actionum, non erit genitum à Deo.

Secundo respondetur negando secundam partem antecedentis: quia adhuc ex vi vnionis hypostaticæ formaliter loquendo, non habet Christus vt homo participare similitudinem in natura diuina, sed solum materialiter, & concomitanter. Ratio est, quia vnio hypostatica formaliter, & perse tantum terminatur ad personalitatem diuinam, & solum materialiter, & concommitanter affert secum naturam diuinam, propter identitatem cum personalitate Verbi: hoc autem non sufficit vt Christus vt homo dicatur, & sit filius Dei naturalis: quia solum materialiter habet ab vnione similitudinem in natura: sicut propter consimilem rationem Spiritus Sanctus non est filius, quia, scilicet tantum concommitanter accipit naturam diuinam ratione identitatis cũ amore, cuius rationem tantum participat formaliter ex vi processionis. Vndè negamus consequentiam argumenti.

Ad secundam confirmationem, respondetur, concedendo consequentiam in illo sensu, in quo concedendum est à tota Trinitate habere Christum esse Deum, & hominem simul, vel esse hunc hominem singularem, qui simul est Deus. Ad minorem subsumptam pro prima parte negatur formaliter, & pro secũda quoad præsens attinet (nam postea in solutione ad argumenta primæ sententiæ constabit veritas) distinguo: ex tali iure formaliter, vt efficienter est à tota Trinitate, nego minorem, identicè & concommitanter, quatenus est ius consequtum in re ad intimam vnionem personalitatis Verbi cum humanitate, transeat minor, & nego consequentiam, propter rationem assignatam in solutione præcedenti.

TERTIA CONCLVSIO.

FORMA, aut quasi forma constituens Christum vt hominem filium Dei naturalẽ est generatio ipsa æterna Verbi, seu ipsa filiatio personalis Verbi diuini, vt communicata per vnionem hypostaticam humanitati: Hæc conclusio videtur mihi expressa D. Thom. infra quæstion. 32. artic. 3. in corpore, & in solutione ad primum. Et deducitur euidenter ex doctrina eius in hac quæstione, & articulo in ratione suę conclusionis. Illam tenent multi, imò omnes Scholastici sentientes Christum vt hominem, non esse filiũ Dei adoptiuum, sed naturalẽ, quos omnes refert Basilius Legionensis, vbi supra, qui nobiscum tenet, inter quos citat D. Bonauentur. in 3. distinction. 4. articul. 1. & aduertit malè referri à Suar. pro sua sententia: optimè id facit, quia licet sentiat Christũm esse filium Dei naturalem per gratiam vnionis, etiam dicit hanc propositionem, nullo modo esse concedendam: Christus in quantum homo est filius Spiritus Sancti. Nobiscum tenet S. Albertus Magnus ibidem: quamuis falsò referatur à Vazquez pro sua sententia. Cum enim inquireret in illa distinction. 4. an Christus vt homo posit dici filius totius Trinitatis: Respondet negatiuè, & idem respondet respectu Spiritus Sancti.

Nostram conclusionem tenet Curiel, vbi supra conclusione 3. amplectitur Medina hic art. 4. excludens à Christo vt homine filiationẽ adoptiuam, quia filiatio respicit personã, &

persona Christi est filius Dei naturalis per æternam generationē. Pater Lorca disput. 83. citata, memb. 4. dicto 3. propè finē, vbi ait, quod Christus quatenus homo non aliter est filius Dei naturalis, quam per ipsam filiationem æternam, qua ab æterno est filius Dei naturalis, quæ etiam assumpta natura humana permanet, neque esse querendam aliam filiationem naturalē, per quam sit filius in quantum homo omnium personarum. Estque conclusio nostra communis omnium, etiam illorū, quorū opera nōdū in lucē prodiere: (imò ipse Suar. disput. & sect. citat. solutione ad 3. circa finem, & §. *Sic ergo filiatio naturalis*) docet, quod ex parte formæ tantum est vnica filiatio naturalis in Christo respectu Dei, & altera respectu Matris: Vndè in re concedit nostram sententiam. Probatur ergo conclusio: Primo authoritate D. Thom. infra quæstion. 32. artic. 2. in corpore, vbi cum inquisisset, an Christi, secundum carnem debeat dici Pater Spiritus Sanctus: Respondet, quod licet Christus secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus non debet dici filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternę, secundum quam est filius solius Patris. Ex quo concludit nullo modo Christum debere dici filium Spiritus Sancti, aut totius Trinitatis: ergo secundum D. Thom. dicendum est generationem æternam esse formam, aut quasi formam, per quam Christus vt homo constituitur filius Dei naturalis.

Deinde probatur ex eodem D. Th. in præsenti articulo, vbi in ratione cōclusionis, vt certum præsupponit filiationem respicere immediatè tantum personam, ex quo principio infert, quod cum in Christo sit tantum vna persona, quæ est filius Dei naturalis, nō potest esse filius adoptiuus. Ex hac ergo doctrina, sic formo rationem. Filiatio immediatè tantum respicit personam, sed in Christo vt homine, est tantum vnica persona Verbi Diuini terminans humanitatem: ergo est tantum vnica filiatio naturalis, tunc sic, sed filiatio competens tali personę, est ratione ęternę generationis: ergo illa eadem est, quæ competit eidem personæ, vt terminanti humanitatē ratione eiusdem generationis æternæ cōmunicatæ simul cum ipsa personalitate Diuini Verbi: Consequentia prima patet: nam si ponerentur duæ filiationes naturales respectu Dei, deberent multiplicari personæ. Secundo probatur, ratione etiam desumpta ex doctrina D. Thom. in vtroque loco citato; quod est tale secundum perfectam rationem, non est capax, vt fiat tale imperfectè, & secundum participatā imitationem, sed Christus vt homo, ly vt specificatiuè accepto, est filius Dei naturalis perfectè ratione æternæ generationis: ergo non est capax, vt fiat filius Dei naturalis per vnionē ipsam, tāquam per formam coniungentē naturam humanā cū Deo, ipsamque sanctificantē. Si dicatur cū Suar. vbi sup. his rationibus probari, quod ex parte formæ, & originis, seu productionis, in qua fundatur filiatio naturalis, tantum est duplex filiatio naturalis, & duplex generatio secundū duas naturas, ex quibus constat, tamen secundū rationem, & præcisionē naturalis ad Deum consideratur dupliciter, & vt constituit personam in natura diuina subsistentem, & ab æterno genitam, & vt formaliter sanctificat naturā humanā: Primo modo dicitur filiatio per essentiam, secundo verò modo in ipsa humana natura fundat alium respectum filiationis.

Contra est. Primo, quia iam secundum rem concedit nobis formam constituentem Christum vt hominē filium Dei naturalem, esse tantū vnicam, quæ est filiatio æterna, seu generatio æterna Verbi, quod in idem coincidit, quod autem illa forma consideretur dupliciter à nobis nō negatur: ne

gamus

gamus tamen, quod secundumquod sanctificat naturam humanam constituat filium, quia (vt diximus probando primam conclusionem) ille conceptus, non est formæ facientis filiũ; sed cõceptus posterior, sanctitatis cõuenientis Christo vt homini, tanquam vero filio Dei. Secundo, natura humana (vt ipse Suarez concedit in decisione principalis dubij) non est subiectum immediatum filiationis: ergo semper ad hominem vrgent contra ipsum rationes factæ: solum ergo est vnica filiatio naturalis Dei conueniens Christo vt homini ratione solius generationis æternæ. Tertiò contra eandem solutionem militant rationes factæ pro præcedentibus conclusionibus, quibus probauimus filiationem consequi tantam ad generationem, & huius rationem non inueniri, nisi in forma, quam aduersarij dicunt esse constituentem filium Dei naturalem: ergo de primo ad vltimum infertur solam generationem æternam esse formam, aut quasi formam, per quam Christus vt homo cõstituitur filius Dei naturalis.

Tertiò principaliter probatur conclusio ex doctrina D. Thom. in præsenti articulo, solutione ad secundum, vbi concedit hanc propositionem: Christus per gratiam vnionis est filius Dei naturalis, vbi terminus, Christus, sumitur formaliter, quatenus significat hunc hominem: quia solum ei, vt homini facta est gratia, quod eius humanitati vniretur personalitas Verbi: Vndè intelligenda est propositio de Christo, vt homine formaliter, in quo sensu admittit eandem propositionem Suar. Tunc sic argumentor. Gratia vnionis in Christo vt homine respicit, tanquam vnum extremum ipsam generationem æternam Verbi: prout est idem formaliter realiter, cum personalitate filij Dei: ergo ab illa, vt vnita humanitati dicitur, Christus vt homo filius naturalis Dei. Probatur consequentia: quia solum illa est, quæ vt summum donum gratiosè communicatur humanitati Christi: nam vnio ipsa sumpta pro actione est via ad tale donum, seù communicatio actiua illius: non ergo habet rationem formæ facientis filium, sed communicationis ipsius filiationis æternæ, per quam efficitur, vt hic homo resultans post vnionem in facto esse sit Deus, & homo simul filius naturalis Dei Patris, & filius Matris Virginis Mariæ.

Vltimo probatur ex doctrina D. Thom. quæstione sequenti, articul. 2. vbi concedi Christum, vt hominem esse prædestinatum ad esse filiũm Dei naturalem, & ita intelligit verba Pauli ad Roman. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, &c.* Quem locum eodem modo intelligunt alij Sancti Patres: Tunc sic formo rationem. Illud esse filij Dei, ad quod prædestinatus est Christus in quãtum homo, est esse filij æterni Patris, propter identitatem formalem cum esse personali Verbi Diuini: ergo per talem filiationem, & non per aliam formam factus est in tempore Christus vt homo, filius Dei naturalis. Antecedens est certum. Tùm, quia de tali filiatione intelligũtur verba Apostoli: Tùm etiam, quia semper aliquis dicitur prædestinari ad illud donum, quod est præcipuum inter omnia alia dona, ad quæ ordinatur à prædestinante; præcipuum autem donum inter omnia ad quę ordinatur Christus, vt homo à Deo prædestinante est ipsum esse filij æterni Dei, ad quod consequitur esse ordinatum secundario, ad dignitatem moralem sanctitatis ad gratiam habitualem, & alia dona (vt loco citato conceditur communiter à Theologis) quia omnia consequuntur ad vnionem cum ipsa: ergo euidenter deducitur Christum vt hominem constitui filium Dei naturalem per ipsam filiationem æternã in tẽpore cõmunitatem ei. Legatur Caiet. in

Rom. 1.

commentario articuli illius 2. circa ſolutionem ad primum D. Thom. vbi ex hac propoſitione: Chriſtus ſecundumquod homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei infert iſtam: ergo ſecundumquod homo, eſt filius naturalis Dei per gratiam vnionis. Vndè ſicut antecedens intelligitur (vt dictū eſt) de eſſe filij Dei per æternam generationem, aut filiationem, ita conſequēs debet intelligi eodem modo de filiatione ipſa æterna: Ex his ergo infertur quomodo ſit intelligendum dictum commune D. Thom. in hac materia, ſcilicet, Chriſtus ſecundūquod homo eſt filius Dei naturalis per gratiam vnionis: intelligēdum ergo eſt, quod forma conſtituens eum filium Dei ſecundum carnem eſt ipſa filiatio perſonalis, quę vt in tempore cōmunicatur humanitati habet rationē ſummæ, & infinitæ gratię: ipſa autem vnio, ſiue in fieri, ſiue in facto eſſe cōſideretur eſt conditio, ſine qua non: quia ſi non vniretur illa filiatio æterna humanitati in tempore, non eſſet Verbum Diuinum filius Dei in humanitate aſſumpta, ſed in ſe ipſo ſolitarie ſumpto. Explicemus hoc exemplo. Fingamus albedinem creari abęterno ſeparatam ab omni ſubiecto: modo autem in tempore vniri alicui ſubiecto. Certum eſt, quod tunc ipſa albedo eſſet forma formaliter faciens album: vnio verò ſeù applicatio ad ſubiectum eſſet conditio, ſine qua nō: Ad hunc ergo modum perſonalitas Verbi Diuini abæterno erat ſeparata ab omni natura extranea, & ſolū terminabat propriam naturam diuinam communicatam Verbo à Patre per æternam generationem: vndè ſolum conſtituebat ſuppoſitum diuinum ſecundæ perſonæ in ratione ſubſtantiæ perſonalis: factum eſt autem in tempore per Incarnationem, vt illa eadē perſonalitas filij vniretur humanitati, ex tali vnione, tanquam ex quadam conditione, ſine qua non reſultat vt illa perſonalitas Verbi cōſtituat ipſum ſuppoſitum humanum, & conſequenter, quod cum ſit filiatio naturalis Patris ęterni conſtituat ipſum, vt ſic ſpecificatiuè (iuxta dicta ſupra) filiū Dei naturalem eiuſdem Patris, ita vt etiā exiſtens, & ſubſiſtens in humanitate ſit filius naturalis Dei: Ad hoc autem ipſa humanitas, & vnio habent ſe, vt conditio, ſine qua non.

Ex his ſequitur optimè dicere Theologos aſſerentes, quod gratia vnionis non facit filium naturalem Dei perſonam, quæ aliàs non habet in ſe filiationem naturalem: quia gratia vnionis in Chriſto non facit ipſum filium naturalem Dei, quia gratia vnionis eſt abſolutè, ſed quia talis gratia vnionis eſt, iuxta explicationem, & intelligentiā iam aſſignatam. Vndè per optimam deductionem ſequitur vltima concluſio dubio directe reſpondens.

VLTIMA CONCLVSIO.

SI Spiritus Sanctus aſſumeret naturam humanam, non eſſet filius naturalis Dei vt homo, neque eſſet filius adoptiuus, & idem eſt de perſona Patris. Hęc concluſio, quoad primam partem optimè manet probata ex probationibus aliarum cōcluſionum. Ex quibus talis formatur ratio. Forma conſtituens Chriſtum vt hominem filium Dei naturalem eſt ipſa generatio æterna, & filiatio vnita eius humanitati: ſed Spiritus Sanctus, vt homo, in caſu dubij non haberet prædictam generationem, & filiationem æternam: ergo non eſſet filius Dei naturalis: Patet conſequentia, quia deficiente forma conſtituēte aliquod ſubiectum in aliquo eſſe, neceſſario debet deficere talis conſtitutio in illo eſſe. Secunda pars concluſionis ſufficienter manet probata in fundamento ſecundæ partis primæ ſententiæ, & in ſecundo notabili ante primam cōcluſionem. Ad argumenta ergo primę ſentētiæ: Reſpondetur ad primum conceſſa maio-

ri,

ri, negatur minor: non enim Christus vt homo est filius naturalis per gratiã vnionis propter ius in sanctificatione personali fundatum, sed quia (vt dictum est in declaratione talis propositionis assignata in calcę tertiæ conclusionis) gratia vnionis Christi includit vt maximam gratiam ipsam filiationẽ & generationem æternam vnitam eius humanitati. Vndè bene dictum est ad argumentum ibidem. Ad replicam respondetur negando antecedens, nõ enim vrget argumentum contra prędictam solutionem: nam admisso antecedenti distinguendum est cõsequẽs, quantum ad esse sanctum absolutè, cõcedo consequentiam, quantum ad esse filij, nego consequentiam: nam in Christo personalitas sanctificans eum vt hominem, non tantum est personalitas infinite sancta, sed est simul filiatio æterna, quod non contingit in casu dubij, & quia (vt dictũ est) eò quod filiatio constituit Christum vt hominem filium Dei naturalem personalitas Spiritus Sancti habet eundem esse ctum sanctificationis: alterum verò filiationis non potest habere, quia dicit rationem originis oppositam personalitati filij diuini.

Ad confirmationem respondetur, petere difficultatem, an Christus vt homo dicatur filius naturalis Dei relatiue formaliter, vel solum quasi absolutè, & fundamentaliter: qui enim dicunt constitui filium Dei, per vnionẽ substantialem ad personam diuinam, vt personam diuinam, & non vt filiationem, dicunt per illam cõstitui fundamentaliter, & ad illam sequi quandam relationem rationis, per quam formaliter relatiuè est filius; & terminum talis relationis ponunt Deum vt communem, sicut iam explicatum est in probationibus vltimis primæ sententiæ. Respondetur ergo secundũ nostram sententiam ad maiorem propositionem argumenti, in qua mouetur difficultas iam explicata, concedẽdo illam pro prima parte: Etenim vt optimè docet Curiel controuersia supra citata, artic. 3. filiatio æterna non constituit Christum vt hominem filium Dei naturalem relatiuè, sed fundamentaliter, ideſt, non ad modũ relatiuæ formæ, sed ad modum absolutę, vndè non refert Christum vt hominem ad Patrem, ad quem ipsa refertur essentialiter. Ratio est, quia constituit eum, vt sic filium quasi identicè, scilicet, quia est ipsa filiatio æterna essentialiter, non tamen immediatè, & formaliter secundum rationem illam, qua vnitur humanitati, quia sic vnitur ei, vt subsistentia infinita terminans, eò quod infinita est, dependẽtiam naturæ à proprio supposito: vndè sicut vt terminat eam, non refert ad Patrem æternum, Christum vt hominem, sed constituit eum suppositũ humanum, & hominem talem singularem absolutè: ità quia talis subsistentia est essentialiter filiatio, identicè, & quasi mediatè constituit eum filiũ naturalem Patris æterni, ac si esset forma absoluta. Vndè non refert ipsum formaliter ad Patrem.

Ad secundam ergo partem maioris. Respondetur: negando illã in sensu formali, nã (vt dixi modo) illa subsistentia, quia est in se talis subsistentia relatiua filij æterni; ideò vnita naturę humanæ cõstituit identicè, & quasi mediatè hunc hominem Christum, vt talem filium Dei naturalem. Pro cuius maiori explicatione reuidendũ est primum sectarium illatum ex probationibus tertiæ conclusionis: sic ergo euanescit tota constructio argumẽti. Ad alteram probationem eiusdem intenti respond. non esse necessariam informationem, sed sufficere intimã vnionem filiationis æternę, cum natura humana, vt per illam constituatur Christus vt homo filius Dei naturalis modo iam explicato. Sed interrogabis: Vtrùm ex tali modo constitutionis Christi, vt hominis in ratione filij naturalis Dei, sequatur aliqua relatio filij per quam referatur, vt filius ad Pa-

trem æternum, an vero ad totã Trinitatem: si enim sequatur, videtur dicẽdum, quod sit ad totam Trinitatem, quia est relatio in tempore consequta ad aliquem effectum ad extra, qualis est ipsa vnio hypostatica. Respondi primo nullam sequi talem relationẽ filij (vt dictum est supra in solutione ad secundum argumentum positum contra secundam conclusionem) solum enim resultat denominatio filij naturalis Dei in Christo vt homine, propter intimam vnionem filiationis æternæ cum eius humanitate, & in ipsa filiatione æterna quidem respectus rationis pertinens ad extensionem eius ibidem explicatam: ratio autem quare non resultat talis noua, & formalis relatio filiationis naturalis Dei est, quia fundamentum relationis filiationis naturalis ad Patrem est forma accepta ab alio per modum naturæ ex vi processionis: filiatio verò æterna constituit Christum vt hominem filium Dei naturalem, non per modũ formæ acceptę ad modum naturæ ex vi processionis: nam vnio, quę ipsam vnit naturę, non est processio, aut productio eius, neque naturæ diuinæ cũ qua identificatur formaliter realiter, (vt dictum est supra maximè in solutione secunda ad obiectionem factam contra solutionem confirmationis secundi argumenti positi contra secundam conclusionem) sed præcisse constituit, quia ipsa est essentialiter filiatio naturalis Dei: Vndè nõ potest esse fundamentum, aut ratio fundandi relationem filiationis. Secundo respondetur, quod admisso talem relationem rationis sequi, illa esset ad Patrem æternum tantum, & non ad totam Trinitatem. Ratio est, quia dicendum est non sequi ad vnionem hypostaticam adęquatè sumptam, in quantum habet rationem effectus ad extra tanquam ad fundamentum, & rationem formalem fundandi, vt sic enim solum est conditio, vt sequatur ad eũ modum, quo est conditio extensionis filiationis æternæ: sequitur ergo tanquam ad fundamentum, & rationem fundandi, ad ipsam filiationem æternam, quatenus est essentialis filiatio naturalis Patris ęterni, quæ proinde debet sapere naturam, & modum talis fundamenti, & non conditionis, sine qua non: cum ergo fundamentum sit relatio filij ad Patrem, ita ipse respectus rationis filij debet esse ad Patrem æternum tantum. Hæc solutio gratia ostendendi subtilitatem ingenij data est: cum prima sit vera cõformis doctrinæ Curiel, vbi supra num. 93. & sequentibus.

Ad vltimam probationem eiusdẽ confirmationis. Respondetur: quod in illo casu etiã Pater æternus in quãtum homo diceretur, & esset Pater Verbi æterni, non relatiuè formaliter, sed quasi absolutè: sicut dictũ est Christum vt hominem esse filiũ Dei Patris, propter easdem rationes, quæ formaliter inspectę idem probant de Patre, & Spiritu Sancto in casu hypothesis, vt clare vnusquisque videbit: itaque ille homo Deus diceretur Pater per communicationem idiomatũ, sicut diceretur Deus. Item, diceretur Pater in quantum homo specificatiuè: sicut dicitur modo Christus, vt homo specificatiuè filius Dei, & etiam reduplicatiuè facta reduplicatione supra suppositum diceretur ille homo Pater Verbi: sicut dicitur eodem modo, nunc Christus in quantum homo filius Dei, & hoc tantum abest, quod sit inconueniens, quod potius est necessarium.

Ad alteram confirmationem. Respondetur primo concedendo antecedens, & negando consequentiam: nã (vt benè aduertit Pontius Legionensis propè finem disputationis supra citatę) latius patet ratio hæredis, quam ratio filij, & ideò licet valeat benè: est filius, ergo hæres, quam consequẽtiam fecit Paulus, non tamen ècontra est hæres: ergo filius, sicut benè valet, est homo, ergo animal; non tamen

ècontra

contra est animal: ergo homo; quia ratio animalis latius patet; & ideò potest reperiri in alia ratione inferiori, quæ non sit ratio hominis: ita similiter ratio hęredis potest reperiri in eo, qui non sit filius, quia potest alio titulo aliquis effici hæres bonorum alterius, vt in humanis contingit, potest namque fundari in aliquo iure proueniente non à generatione naturali, neque à filiatione, sed ab aliqua coniunctione existente inter hæredem, & personam illam, cuius sunt bona hæreditaria, sicut de facto modò Spiritus Sanctus est hæres diuinæ bonitatis, & tamen non est filius; quia ius illud, quod habet non fundatur in generatione, aut filiatione, sed in coniunctione essentiali, quam habet cum natura diuina Patris æterni. Contra hanc solutionem non militant rationes factę inter arguendum; sed instò nihilominus contra illam. Gratia habitualis ideò facit filium, quia constituit hęredem, sed vnio Spiritus Sancti ad humanam naturam constitueret illum hominem singularem hæredem bonorum Dei: ergo constitueret filium. Respondetur negando maiorem absolutè, & in sensu formali, vel distinguendo, quia constituit hæredem absolutè, nego maiorem: quia cōstituit tali modo, scilicet mediante generatione adoptiua, per quam communicatur animę natura diuina participata accidentaliter, sed per modum naturæ, concedo maiorem, & tunc admissa minori, iuxta modum explicatum, negatur consequentia: Quia vt constitueret filium debebat dare ius fundatū in generatione aliqua; quod non contingit in præsenti: gratia verò dat ius fundatum in generatione adoptiua, quæ est assumptio suppositi extranei ad curam paternam, ad quam cōsequitur ratio filiationis adoptiuæ.

Secundo respondeo ad confirmationem principalem (iuxta dicta supra circa finem primę conclusionis ex doctrina Curiel) negando antecedēs, ad cuius probationem: Respondetur, distinguendo antecedens: Haberet ius intrinsecum ad diuinam hęreditatem, tanquam ad hæreditatem, nego antecedens, tanquam ad quoddam cōplementum proprium naturæ, & debitum ei ad modum proprię passionis, concedo antecedens. Vnde optima est solutio assignata inter arguendū: Ad primā replicā negamus, per datam solutionem reuocari controuersiam ad quæstionem denomine, sed potius tanquam in controuersia de re assignamus in re ipsa diuersitatem iuris ad aliquod bonum, vt ad connaturaliter debitum, & iuris ad bonum hęreditarium, quod consistit in aliquo bono non connaturaliter debito naturæ rei, sed extrinseco omnino, & accidentaliter respectu naturæ rei.

Explicemus doctrinam exemplo: Supponamus esse possibile, vt aliqua personalitas creata terminaret alienam naturam, vt personalitas Petri alienam naturam, Leonis (v.g.) vel personalitas Angeli naturam Petri: Tunc, si suppositum naturæ illius cuius personalitas aliam distinctam terminaret, haberet ratione suę proprię naturæ aliqua bona, quæ possent communicare naturæ illi, sibi de nouo vnitæ, tanquam ornamēta propria eius debita ratione vnionis, certè diceremus in composito resultante ex tali vnione (illa suppositа) esse ius ad huiusmodi bona, & tamen hoc ius, neque esset filij, neque respiceret illa bona, vt hęreditatem, sed esset quoddam ius cuiusdam congruentię, & proportionis ad illa bona, vt ad quædā ornamenta, sibi congruētia, & cōsentanea ex suppositione vnionis; sic dicēdum in hypothesi nostri dubij.

Ad secundum ergo replicam: Respondetur, negando antecedens, ad probationem, transeat antecedens, & nego consequentiam, ad probationē quidquid sit de illo: Vtrùm Christus, vt Deus sit hęres, vel non, quia dicit esse hęredē aliquam imperfectionem

inter

inter arguendum explicatam, quam tamen ego iudico nō includere: quia quod sit hæres non dicit in secunda Trinitatis persona, exclusionē supremi dominij, & naturalis possessionis, sed solum habere totum hoc ab alio per originem, quæ est generatio: dico ergo (omisso hoc puncto) non esse eandem rationem in Christo; & in Spiritu Sancto in casu dubij, quia Christus habet illud ius fundatū in filiatione æterna, & vnio tantum est cōditio: Spiritus autem Sanctus haberet ius fundatum in alia coniunctione cum Deo, quæ non est filiatio; & ideò in Christo est ius hæredis, & filij: non tamen in Spiritu Sancto vt homine.

Ad alteram probationē negatur maior, formaliter intellecta; sed solum consistit in hoc, quod in Incarnatione Verbi Diuini actio vnitiua est via ad vnionem humanitatis cum filiatione æterna, aqua vt à forma prouenit ius in Christo vt homine, & vnio se habet vt conditio (sicut dictum est) at in Spiritu Sancto, si fieret homo, forma aqua proueniret ius ad bona diuina non esset filiatio; sed altera coniunctio iam supra explicata. Vndè negatur in hoc esse æqualitatem cum Christo. Ad confirmationem: Respondetur admisso antecedenti, negando cō sequentiam. Ratio diuersitatis cōstat ex dictis ad replicam factam cōtra primam solutionem ad confirmationem præcedentem principalis argumenti contra cuius solutionem secundam currit hæc confirmatio.

Ad secundum principale desumptum ex fundamenti Vazquez, respōdetur distinguendo maiorem: non haberet ius ad gloriam, tāquam ad proprietatem complementumque sanctitatis, & tanquam ad effectum vnionis hypostaticæ illo modo factæ (quem impossibilem iudico, quia personalitas filij vt talis est sanctitas infinita) concedo maiorem, tanquam adbonū hereditarium filij debitum ipsi, negō maiorem, & concessa minori quantū ad substantiam sanctitatis, negatur cō sequentia, propter rationem factam sæpè iam.

Ad tertium respondetur negando antecedens ad probationem respondetur, negando antecedens, pro vtraque parte; pro prima, quia supponit vnionem ipsam formaliter causare in Christo aliquam filiationem, quod diximus, & probabimus esse falsum: pro secunda, quia supponit vnionem hypostaticam esse generationē gratiosam, quod etiam diximus esse falsum: solum enim agnoscimus vnam generationem naturalem Verbi, per quā vt per formam communicatam in tēpore, huic homini Christo denominatur, & fit filius Dei naturalis: dixi etiā illam non communicari formaliter, & immediatè per modum generationis exercitę respectu humanitatis, aut huius hominis vt sic: Sed per modum subsistentiæ terminantis dependentiam naturæ à proprio suppositō, sed quia est essentialiter generatio naturalis, & filiatio ratione identitatis cōstituit Christum vt hominem filium Dei naturalem, quasi absolutè.

Ad quartum, respondetur negando antecedens (in sensu iam explicato) scilicet, non relatiuè formaliter, sed absolutè, & fundamentaliter: Ad probationem primam, negatur antecedens, quia filiatio Verbi est intime vnita, tanquam ratio subsistendi, vnde sicut facit hunc hominem Christū suppositum subsistens secundum intrinsecam denominationem, ita & filium: nam ad denominandum, & constituendum aliquid in esse aliquo intrinsecè non requiritur inhęsio, aut informatio, sed sufficit intima vnio, vt contingit in essentia diuina vnita in ratione speciei intelligibilis intellectui beati, & in anima rationali, quæ vt intellectiua est, non actuat materiam, neque informat, & tamen intrinsecè constituit hominem. Ad alteram probationem, respondetur, negando etiam antecedēs (iam enim dictū est)

Chri-

Christum vt hominem esse Deũ per communicationem idiomatum, & etiam in sensu specificatiuo, & reduplicatiuo reduplicatione facta supra suppositum, pro quo videnda sunt, quæ dixi dubio primo circa hunc articulum solutione ad sextum.

Ad quintum respõdetur, iuxta modo dicta, quod specificatiuè verum est Christum vt hominem esse propriè filium procedentem per veram, & naturalem generationem: quia fit sensus, quod in humanitate assumpta, terminans eam est filius naturalis Patris procedens per propriam, & naturalem generationem, & quod per hoc, quod terminet eam non desinit esse, sic procedens à Patre, vt in dubio etiam præcedente ponderaui, cum Cõcilio Franco Fordiensi, & in illa solutione ad sextum dubij primi præcedentis ad hunc articulum: est etiam verum reduplicatiuè reduplicatione facta supra suppositum humanę naturæ Christi: nam illud est suppositum diuinum filij naturalis Dei, est etiam verum communi catione idiomatum. Vnde secundum istam doctrinam, negandũ est antecedens, & ad probationem distinguendum est antecedens: si ly, secundum humanam naturã accipiatur reduplicatiuè, ratione humanæ naturæ, ita vt illa sit causa, quare procedat à Patre genitus, concedo: Si sumatur specificatiuè, aut reduplicatiuè secundum suppositum humanæ naturæ, nego antecedens.

Ad confirmationem, respondetur distinguendo minorem eodem modo. Aliter posset dici ad argumentum cum sua confirmatione, quod sumendo ly, vt homo reduplicatiuè ratione naturæ humanę verum est antecedẽs, & neganda est consequentia prima, & secunda, quia nos non dicimus, Christum vt hominem esse filium Dei naturalem, per generationem æternam exercitam sub tali ratione formaliter circa humanitatem, sed per illam, vt communicatam sub ratione subsistentiæ personalis filij: quia in re est ipsa filiatio naturalis communicata ei, & vnionem dixi esse conditionem tantum. Et in forma distinguendum est consequens confirmationis, per generationem vt sic exercitam circa eius humanitatem, concedo consequentiam, per illam, quatenus identicè est personalitas filij terminans, nego cõsequentiam. Ad rationem pro prima parte illati patet ex dictis ad primam obiectionem contra secundam cõclusionem, & hæc de dubio nouo contra modernos pro viribus laborato.

Et hęc de tota materia adoptionis Christi.

CIRCA QVÆSTIONEM VIGESSIMAMQVINTAM COMMENTARIA.

SIT ARTICVLVS TERTIVS.

Virùm imago Christi sit adoranda adoratione latriæ?

ANTE resolutionem præmittit D. Thom. ex Philosopho in libro de memoria, & reminiscentia, cap. 2. circa medium: Quod duplex est motus animæ in imaginem: vnus in imaginem secũdumquod res quædam est, alter in imaginem secundũquod est imago alterius: inter istos duos motus hæc est differentia: Quod primus

primus motus quo quis mouetur in imaginem, vt est res quędam est alius, & diuersus à motu qui est in rem: secundus autem motus, qui est in imaginem, in quantum est imago est vnus, & idem motus cum motu, qui est in rem.

Hoc prędmisso notabili est prima conclusio. Imagini Christi in quantū est res quædam (puta lignum sculptū, vel pictum) nulla reuerentia exhibetur. Ratio est, quia reuerentia nō debetur, nisi rationali creaturæ. Secunda conclusio. Imago Christi in quantum est imago eius est adoranda adoratione latriæ. Prima ratio huius desumitur in argumento, sed contra, ex doctrina Damasceni lib. 4. cap. 17. inducentis Basilium dicentem: *Imaginis honor ad prototypū peruenit*, id est exemplar, sed ipsum exemplar, scilicet Christus est adorandus adoratione latriæ: ergo & eius imago. Secunda ratio ex corporis articuli doctrina: Reuerentia, quę exhibetur imagini Christi exhibetur ei in quantum imago est eius, & non aliter; sed motus in imaginem in quantum talem attactam, est idem cum motu contingente ipsam rem imaginatam: ergo adoratio, qua adoratur imago Christi, est eadem cū adoratione, quæ exhibetur Christo. Præmissæ sunt notę, ex notabili præmisso, & conclusio optimè infertur. Vndè subsumendū est cum ipso D. Thom. sic: Sic Christus adoratur adoratione latrię: ergo consequens est, quod eius imago eadem adoratione latriæ sit adoranda. Ad eandem conclusionem confirmandam est optima doctrina in ipso D. Thom. 2. 2. quęst. 81. art. 3. ad 3. Vbi, vt explicet quo modo cultus, qui exhibetur imaginibus Christi non distinguat adorationem latriæ, nec virtutem religionis docet eandem doctrinam, atque in cōclusione huius art. magis explicatam, sic enim ait: *Ad tertium dicendum, quod imaginibus non exhibetur religionis cultus, secundum quod sunt in seipsis, & cōsiderātur quasi res quædam; sed secundum quod sunt imagines ducentes in Deum Incarnatum, motus autem, qui est in imaginē prout est imago non sistit in ipsa; sed tendit in id cuius est imago: & ideò quod imaginibus Christi exhibetur religionis cultus, non diuersificatur ratio latriæ, nec virtus religionis.*

Damas.

CIRCA HANC CONCLV. sionem D. Thom. est dubium grauissimum.

Vtrùm imago Christi sit adorāda propria adoratione, & eadem cum illa, qua adoratur Christus, & idem dubium est de imaginibus Beatæ Virginis, & aliorum Sanctorum?

IN hoc dubio ante omnia præmitenda est relatio sententiæ Durandi, & eius reprobatio, vt sic sententias aliàs magis apparētes secundum veritatem referamus, & illam eligamus, quæ re vera magis consona est vsui Ecclesię, & doctrinæ Conciliorum, & Sanctorum: Est ergo sententia Durandi in 3. distin. 9. quęstion. 2. docentis, quod imagines Christi, & Sanctorum non adorantur propriè, sed impropriè, & abusiuè illa adoratione, qua exemplar, & signatum per illas adorantur, ita dicit, num. 9. explicans commune dictum, quo dicitur reuerentiam exhibitam imagini, in quantum imago est, deferri etiam ad rem, cuius est imago, vt sic sit vna reuerentia, quę debetur imagini, & exēplari: Numero autē 10. immediato ait, loquendo vt plures commune dictum sic esse exponendum, quod pro tanto dicitur imago, sub ratione imaginis adorari eadem adoratione cum re cuius est imago: quia ad præsentiam imaginis, seu signi, fit rememoratio rei, quam rememoratā adoramus eadem adoratione, atque si prę sens esset in se, & pro tanto cōcedi potest, quod signata, & imagines adorā-

tur

ter eadem adoratione cum rebus significatis, & repræsentatis, quia res, vt cognitæ per signa, & imagines eodē modo adorantur, ac si essent præsentes secundum se. Fundamentum eius, n. 9. tale est. Quantumcūque sit vnus & idem motus animę, quo fertur in imaginem, vt imago est, & in rem cuius est imago, nunquam tamen anima dicit, imaginē in quantum est imago, esse idem cum exēplari, neque signū vt tale, idem cum signato: sed semper inter ista est distinctio in re, & in cōceptione animæ: ergo non est dicendū, quod eadē reuerētia sit debita imagini, vt tali, & rei imaginatæ. Antecedens prob. ex doctrina Durādi sic. Habitudo quę est inter illa est relatiua, sed relatiui esse, est ad aliud se habere: ergo quod attribuitur exemplari, vel signato, non est attribuendū imagini aliquomodo, aut signo, quantumcunque cōsideretur subratione imaginis, aut signi. Referunt pro hac eadē sententia Olchot sapientiæ 13. lect. 153. & Pieum Mirandulanum in Apologetico, q. 3. in eam refertur inclinasse Castro, verbo imago, hęresi prima. Confirmari potest istud placitum, ex 7. Synodo action. 2. vbi de Cruce Dominica, loquens sic ait: *Non ipsum lignum adoratur, sed quod in ligno ad contemplandum datur, atque ita per recordationem veneratio exhibetur.* Similia verba refert Turrianus noster habere actione 3. eiusdem Concilij, & in Cōcilio Senensi, cap. 14. & Maguntino, cap. 41. Confirmatur secundo authoritate Sancti Gregorij, lib. 7. Epistol. 53. & 109. vbi per recordationē explicat hanc adorationem: ita vt tota tendat in prototypum: In eodem sensu lib. 9. Epistol. 9. ad Sirenum Episcopum Masilienſem, qui confregerat imagines, sic alloquitur: *Et quidem quia eas adorare vetuisses omnino laudamus, sed quod eas fregeris reprehendimus; frangi non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesijs, sed ad instruendas solummodo mentes nescientium fuit collocatum.*

His non obstantibus, communis sententia omnium aliorum Doctorum Catholicorum docet imagines Christi, & Sanctorum, vt imagines sunt, esse propriè, & vere adorandas, & sententiam Durandi, & aliorum sequentium eam dicunt esse periculosam, temerariam, & aliqui dicunt sapere hæresim, & Sapientissimus Medina, refert Magistrum Victoria nostrum, docuisse esse hereticam. Pro huius sententię explicatione præmittendū est primo, non esse intētum nostrum hic explicare, an eadem adoratione simpliciter, & absolutè sint adorādę imagines, atque exemplaria (nam id in sequentibus explicabitur) sed tantum illas esse propriè adorādas, propter prototypa, quæ repræsentant: ita vt actus adorationis, non terminetur præcisse, ad res imaginibus repræsentatas, sed etiam ad ipsas imagines, tanquā ad obiectūquod materiale tātū adorationis.

Secundo præmittendum est absolutè esse dicēdum sacras imagines esse colendas, & venerandas in templis & extra templa, atque honorificè tractandas. Doctrina hæc est de fide, vndè vt talis est amplectenda. Probant illam omnes interpretes D. Th. in primis ex traditione Apostolica, quā approbat Doctor ipse Sanctus in præsenti art. solut. ad 4. Probant etiam ex variis diffinitionibus Conciliorum antiquorū, & Concilij Tridentini, authoritatibus etiā Sacræ Scripturæ, in quibus inueniunt fundamentū magnū, ad afferendū cultum imaginum sacrarū: Probant etiam authoritatibus Sanctorum Patrū, & denique rationibus: Placeat aliquas ex his probationibus in mediū adducere in confirmationem præfatæ doctrinæ. Sit prima desumpta ex diffinit. 7. Synodi Generalis actione 7. vbi approbatur cultus imaginū, veluti Ecclesiæ traditio, & actione secunda, & tertia habentur Epistolæ Synodicæ, in quibus tota Ecclesia Græca, & Latina in hac veritate conueniunt

eadem veritas habetur diffinita in 6. Synodo Canone 73. & Canone 82. Item etiam in Concilio Florentino Sessione 5. & in alijs multis, quæ referunt interpretes. Vltimo habetur in S. Tridentino Sessione 25. decretū de inuocatione veneratione, & reliquijs Sanctorum, & sacris imaginibus, vbi habentur tria in confirmationem prædictæ veritatis: Etenim primum habetur in principio illius decreti. Præcipitur Episcopis, curamque, & docendi munus sustinentibus, vt fideles diligenter instruant de legitimo imaginum cultu, iuxta Catholicæ Ecclesiæ vsum à primæuis Christianæ religionis temporibus receptum. Secūdum habetur in corpore eius, & pertinet ad modū, quo colendæ sunt imagines Christi, & Deiparæ, atque aliorum Sanctorum; dum sic dicitur: *Eisque debitum honorem, & veneration em impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in eis diuinitas, vel virtus, propterquam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti olim fiebat gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant: sed quoniam honor, qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Christum adoremus, & Sanctos cuius illæ similitudinem gerunt veneremur.*

Tertium, quod habetur est pertinens ad approbationem prædicti cultus, tanquam ab antiquis Concilijs stabiliti, dum sic immediatè post verba relata dicitur: Id quod Conciliorum præsertim verò secundæ Nicenæ Synodi contra imaginum oppugnatores est sancitum. Secundo probatur ex aliquibus testimonijs sacræ paginæ, in quibus habetur res sacras esse in veneratione habendas, imò & adorandas. Primus locus insignis, & communis est desumptus, ex Psal. 98. in illis verbis: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, vbi nomine scabelli ad literā intelligitur arca testamenti, vt communis vult expositio, vel, vt vult Iansenius, propitiatorium, & certè septima Synodus Generalis actione 3. docet, non solū arcā, sed etiā mensam, propitiatorium, totūque tabernaculum adorata fuisse à Populo Israelitico. Diffusam explicationē huius loci legat curiosus in Suar. disp. 50. sect. 3. in prima probatione primæ conclusionis per totam. Secundus locus est desumptus ex illo, Exodi 3. vbi res inanimis, vtpotè terra, vocatur locus Sanctus: sic enim Dominus ad Moysem dixit: *Locus, in quo stas, terra sancta est*, &c. iussusq; est à Domino vt solueret calceamenta de pedibus suis in signum honoris, & reuerentię. Ad idem faciunt alia testimonia sacræ paginæ, in quibus etiam res inanimæ dicuntur sanctæ, propter habitudinem ad aliquid, cui perse primo conuenit sanctitas ipsa: Sic enim Exodi 12. dies Paschę Sanctus dicitur, & Exod. 28. vestes Sacerdotales vocantur sanctę. Ex his testimonijs facile fit argumentū. Prædictę res inanimæ dicūtur sanctæ, propter habitudinē ad aliquid sanctū; & ideò tanquam sanctæ fuerunt in honore, & reuerētia habitæ in veteri populo Israelis, ergo imagines Christi, & Deiparę, atque aliorum Sanctorū, propter habitudinē ad res sanctas dicētur sanctæ, ac per consequens dignæ honore, & reuerentia. Consequentia patet ex paritate rationis: Antecedēs autē ex prędictis testimonijs constat, & quod fuerit in vsu illius populi adorare, & venerari prędictas res inanimes secundū exigētiam sanctitatis earum, propter ordinem ad res sanctas, patet specialiter de arca testamenti, quæ ita magna reuerentia tractabatur, vt tantum à Sacerdotibus, aut Leuitis tangi posset, & ideò, qui irreuerenter eam tetigerunt, aut aspexerunt grauiter puniti sunt, quæ omnia ex alijs testimonijs sacræ paginæ constant: nam in primis

Psal. 98.

Exod. 3.

Deu-

Deut. 10 Deuteronomij 10. sic dicitur: *Eo tempore separabit Tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius*, & in principio capitis constat Dominum multa præcepisse Moysi, vt faceret in reuerentiam arcæ: Iosue etiam 3. dicitur num. 5. *Sanctificamini, cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia*, & ait ad Sacerdotes: *Tollite arcam fœderis, & præcedite Populum*, & n. 3. antea dicta sunt alia verba, in quibus idem conspicitur: nam introducuntur in illis Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes arcã, & Populum sequentem insignum reuerentiæ. Alia poterant adduci testimonia, ex lib. 1. Regum cap. 6. & ex 2. Regum etiam 6. cap. Eũdem vsum confirmantia: Tertiò probatur testimonijs Sanctorum Patrum, qui dicunt sacra signa veteris Legis fuisse honore digna. Sic Damascenus libr. 4. cap. 17. & D. Augustin. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 9. & libr. 3. de Trinitate, cap. 10. inter prædicta signa numerat serpentem æneum, idem dicit de vasis Sacris, contione 2. in Psalm. 113. Item Damascen. oratione 1. 2. & 3. de imaginibus plura testimonia Patrum refert, ex quibus colligitur cultum imaginum ad traditionem Apostolicam pertinere. Quarto probatur ratione. Honor imaginis in prototypum redundat, tam in rebus sacris, quam in rebus profanis, vt in 7. Synodo, sæpè dicitur ex Basilio lib. de Spiritu Sancto, cap. 18. & Ambrosio sermone 10. in Psalm. 118. ergo imagines rerum sacrarum dignæ sunt adoratione. Consequentia ex eo patet, quia veneratio imaginis redundat in prototypum, ideſt non fistit in imagine, sed transit in rem imaginatam, sed res sacra est digna veneratione propter suam sanctitatem: ergo imago ipsam repręsentãs est digna eadem veneratione: Antecedẽs autem præterquamquod, est diffinitum, & approbatum à S. Synodo, & à Patribus ibidem relatis certè est notum lumine naturali: Nam lumẽ naturale dictat, quod personæ excellentes, non solum inse, sed etiam in suis imaginibus, & in suis propinquis, & seruis honorentur, & hoc ad honorem ipsarum pertinet, vñ dè antiquacõsuetudo obtinuit, vt imagines Imperatorum honorificè tractarentur, & licet iam inter Christianos inualuerit consuetudo, non adorandi personas prophanas in suis imaginibus, vt vsus sacrarum imaginũ in cultu, & adoratione ab alijs fecernantur, tamen aliqualiter perseuerat: quia in vsu est, quod censeatur indecorum, & iniuriosum imagines Regum, & Imperatorum male tractare, & ipsæ personæ excellentes iniuriam factam suis imaginibus, tãquam propriam reputant, quia in ipsas redundare censetur. Ita constat ex vindicta, quã Theodosius in Antiochenos exercuit, eo quod male tractauerant Imperatricis imaginem. Referunt hystoriam istam Ambrosius oratione de morte Theodosij, & Chrysost. hom. 2. & 3. ad populũ, & Nicephor. lib. 2. histor. c. 43. *Apud Suarez lib. 13.*

Ex hac ratione infertur, quod stante veritate fidei circa venerationem Christi, & Sanctorũ eius naturali ratione infertur imagines eorum esse adorandas, & venerandas, quæ ratio iã facta est in probatione consequentiæ præcedentis rationis. Similiter infertur talem adorationẽ esse eãdem per discursum Theologicum, assumendo duas propositiones, quarum altera est nota lumine naturali, altera lumine fidei. Formatur ergo sic: Idem est motus adorationis imaginis, & rei imaginatæ (cuius ratio est) quia motus ad imaginẽ vt talẽ, terminatur ad rẽ imaginatam, sed rei imaginatæ sacræ debetur adoratio latriæ si fuerit Deus, & Christus, dulia, vel hyperdulia, ergo hæc eadem adoratio exhibenda est imagini, vt imagini: Maior huius discursus est nota lumine naturali, & est legitima intelligẽtia illius propositionis Arist. lib. 2. de reminiscẽtia, & memoria,

moria, cap. 2. asserentis eundem esse motum in imaginem, & in exemplar, quæ propositio est accepta à Patribus, & Concilijs, vndè in Concilio Niceno secundo, actione vltima, sic ex tali doctrina diffinitur eũ, qui adorat imaginem adorare in ea exemplar: sic enim dicitur: *Qui adorat imaginẽ adorat in ea descriptum argumẽtum*, id est exemplar: Minor verò est de fide, cõclusio ergo Theologica est optimè deducta: De hoc autem in resolutione dubij principalis ex professo agendũ est, sequitur vltimo adorationem imaginis provt ad illam terminatur esse respectiuam, & non absolutã. Ratio est, quia (vt ex dictis patet) solum adoratur propter habitudinẽ ad excellẽtiam, & sanctitatẽ extrinsecam exẽplariũ, quæ representant, vel propter sanctitatẽ exemplaris in ea contenti: eo quod cum imago inse sit res inanimis non potest habere propriam excellentiam, propterquam adoratione sit digna: ergo tota ratio adorandi illã est propria rei imaginatæ excellẽtia, & sanctitas, & consequenter adoratio eius erit non absoluta, & propterse, sed relatiua, & propter habitudinem ad prototypum.

HIS PRAEMISSIS SIT CONclusio.

IMACINES sacrarum personarum verè, & propriè sunt adorãdę, & non tantum abusiuè, & intentio adorationis, non tantũ est dirigenda ad eorũ exemplaria, in quorum recordationem excitant, sed etiã in ipsas, tanquam in obiectum materiale adorationis. Hæc conclusio est cõmunis inter omnes Doctores Catholicos, & contra Durandum, cuius sententiam sentit Raphael de la Torre, 2. tom. quæst. 94. art. 2. disp. 6. dub. 5. concl. 1. sapere hęresim Iconomachorum. Probatur primo prima pars: nam Concilia plura diffiniunt (vt patet ex pręmissis notabilibus) imagines esse adorandas, & venerãdas absolutè: ergo propriè sunt adorandę, & non impropriè, & abusiuè. Probatur consequentia: quia doctrina Conciliorum, & Sanctorum Patrum non est intelligenda in sensu impropriò, & abusiuò, ergo. Probatur antecedẽs: nam quod impropriè, & abusiuè tantum adoratur, quia excitat memoriam rei adorãdæ, non adoratur absolutè, & re vera, ergo Concilia, & Patres non diffinierunt adorationẽ imaginũ in isto sensu: nam si hoc tantum intenderent potiùs negare deberent, simpliciter esse adorandas, quam affirmare: cum abusiua adoratio, non sit simpliciter, & re vera adoratio: sicut quod impropriè est homo absolutè, & simpliciter non est homo, & consequenter male dãnarentur, vt hæretici, qui admittentes imagines Sanctorũ quoad alios vsus, earũ adorationem negabant. Cõfirmatur. Secũdũ sentẽtiam Durandi, cultus adorationis re vera, non terminatur ad imagines, tanquam ad obiectum, quod adoratur, sed quod rememorat rem, quę est digna adoratione: ergo vtendo propriè termino adorationis, non est concedendum ipsas adorari, sed potius est negandum: Cum ergo Concilia damnent, vt Hæreticos eos, qui negat adorationem, quæ adoratio vera est, imaginibus talem doctrinam intelligere in sensu abusiuo cõtra mẽtem eorum est, & consequenter ingens temeritas, & certè nunquam Cõcilia in sensu improprio contra Hæreticos aliquam veritatem diffiniunt.

Secundo probatur hac ratione, vel imago in sententia Durandi est obiectum materiale adorationis saltim partiale, vel non, si dicatur primum, hoc asserimus in nostra conclusione: nam illud quod est obiectum materiale adorationis verè est materia circa quã actus ipse adorationis exercetur, ac ideò verè, & propriè à tali actu denominatur: sicuti veritas circa quã fides versatur, propriè per fidẽ dicitur attingi, & denominatur obiectũ creditum:

ditum: Si autem imago non sit aliquo modo obiectum adorationis, sequitur primo eam verè, nō adorari cum nullo modo sit obiectum adorationis: cōsequens autem est erroneum contra diffinitionem Conciliorum: ergo nullo modo est asserenda sententia illa, ex qua sequitur. Sequitur secundo eā, neque etiam abusiue adorari. Probatur, quia quod non est aliquo modo obiectū adorationis, nō potest dici etiam abusiue adorari.

Si dicatur cum Durando, ideò dici abusiue adorari, quia ad præsentiā imaginū adorantur earum exēplaria, quæ per ipsas in memoriam reuocātur, cōtra vrget ratio facta. Tū deinde, quia hoc non est affirmāre eas esse obiectū adoratum, sed esse motiua excitantia homines ad adorandum earum prototypa: Tùm quia eodem modo posset quis affirmare omnes creaturas esse adorandas, quia excitāt omnes ad memoriam Dei creatoris, & ad ipsum diligendum, & colendum, vt supremūque Dominum adorandum: Hoc autem nullus Catholicus dicit sufficere, vt creaturæ omnes adorentur: ergo neque etiam dicēdum est esse sufficiens, vt dicamus adorari imagines illa communi, & generali ratione.

Vltimo, quia etsi aliquis ad præsentiā creaturæ ab eius perfectione villa, & contēplata moueatur ad considerationē creatoris, & illū laudet, & diligat non dicitur laudare, & diligere creaturā ipsam: ergo assimili etiamsi aliquis ad imaginū præsentiā moueatur ad contemplationem prototypotum, & ipsa adoret non proinde dicitur adorare ipsas imagines, sed tantū excitari ab illis, & occasionem sumere ad adorandum earum exemplaria.

Tertiò probatur, nam in 7. Synodo Generali, actione 7. reprehenduntur quidā hæretici, qui merito à Raphaele de la Torre, vbi sup. in probatione 2. part. suæ conclusionis vocantur Semi Iconomachi, quia admittebāt imagines retinendas esse in templis, propter ornatum: Tùm etiam ad excitandam memoriam exemplariū; non tamen, vt ipsę adorarentur, & tamē isti hæretici damnantur à Patribus Concilij: ergo similiter debent damnari dicentes cum Durando, imagines abusiuè adorari, quia in præsentia earum prototypa adorantur. Consequentia patet: nam fere in re idem dicunt isti atque illi, qui certe non vererētur fateri imagines abusiuè adorari: siquidē in sententia Durandi abusiua adoratio, nihil aliud est, quam adductio, & excitatio in memoriam exemplariū, propter quem actum illi hæretici admittebant imagines esse retinendas in templo, & supposito, quod ex alia parte concedebant eorum prototypa esse digna adoratione, nulla ratione possunt moueri ad negādum illa adorari ad præsentiam imaginum, in quo abusiua adoratio consistit: error ergo eorum damnatur in eodem sensu, in quo Durandus affirmat abusiuam imaginum adorationem. Vndè videtur sentētia illius, ibi etiam damnata. Præfatos Hęreticos refert Epiphanius in illa Synodo actione 7. Vltimo in illa Synodo actione tertia, non solum dicitur adorari exēplar in imagine, sed etiam adorari imaginem propter exēplar, in quo dicendi modo clare affirmatur imaginem esse rem adoratam, propter exemplar, tanquam propter rationem formalem adorandi eā. Hoc idem insinuat non obscure Leontius ibidem act. 4. dicens: Imaginem adorans, non materiam, seu colores, sed in animatum Christi characterē adorant. His tamen non obstantibus, noster Raphael de la Torre excusat Durandum, & alios authores primæ sententiæ ab hęresi Iconomachorum, & solum dicit illam sapere illam hæresim, eo quod illi hæretici, quamuis admitterent imagines ad recordationē exemplarium, non patiebantur eis aliquam actionem exteriorē reuerentię exhiberi, nec etiam salutationem, aut genuflexionem, sed assistebant illis

erecti, ac si profanis imaginibus assisterent: Durandus verò, & alij admittebant notam reuerentiæ exterioris, & faciebant illam imaginibus, licet illam provt ad imagines terminabatur impropriam, & abusiuam adorationem faterentur. Vndè non coincidit sua sententia, cum errore illorū damnato in Concilio formaliter, licet appareat coincidere. Nobis tamē propter rationes factas displicet prędicta positio, & videtur multum dissonans à doctrina Conciliorum, & Patrum. Vndè non est audienda in schola, tanquam perniciosa, temeraria, & periculosa in fide. Secunda pars conclusionis probatur primo: Nam ex dictis in præcedentibus rationibus Concilia præcipiunt diffiniendo imagines esse vere adorandas, sed vera adoratio, non potest dari in actione exteriori, nisi procedat ex intentione colendi imagines: ergo ita debent venerari imagines sacræ, vt actus exterior adorationis ex intentione colendi ipsas procedat. Discursus est bonus. Minor probatur, intentio voluntatis est, quasi anima adorationis exterioris, quę dat ei esse in ratione adorationis, vndè ex diuersa intentione idē actus exterior reuerentiæ diuersam rationem adorationis sortitur: ergo secluſa tali intentione, non datur vera, & simpliciter adoratio. Confirmatur, nam vt est commune principium 1. 2. quæst. 20. & alibi, tota bonitas moralis actus exterioris loquendo de bonitate actuali, & formali actus desumitur ex actu intetiori voluntatis: ergo tota ratio specifica moralis bonitatis adorationis exterioris necessario desumenda est ex bonitate interni cultus, ideſt, volitionis, & intentionis reuerentiam exhibendi rei dignæ honore: ergo nisi ad sit talis intentio adorandi imagines, non potest saluari vera adoratio earum præcisse in actu externo adorationis. Facit ad hoc confirmandum doctrina Leontij in Dialago cōtra Iudæos actione quarta septimæ Synodi Generalis, dicentis sic: In omni adoratione intentionem ipsam requiri, & expectari. Nec valet dicere, quod requiritur ad adorationem interior intentio cultus exhibendi: non tamen, vt illa dirigatur ad eandem rem cui exhibetur reuerentia exterior; & ita stante legitima intentione cultus potest dirigi ipse cultus, non in imaginem, sed in prototypum, non inquam, valet hoc: nam cōtra est primo: Nam ratio facta probat imaginem, non vera adoratione adorari, nisi bonitas moralis adorationis cōmunicetur actioni exteriori, ex interiori intentione colendi ipsam imaginem, aliàs adoratio exterior habebit rationem moralem adorationis ex respectu ad prototypum, & non ex respectu ad imaginem, vt ad obiectū adorationis: Secundo, adoratio vt sic, vt sit vera adoratio requirit intentionem cultus: ergo adoratio huius, aut illius obiecti exigit intentionem colendi directam ad idem obiectum.

Confirmatur, nam adoratio ex propria ratione est actio reuerentialis alicuius. Vndè respicit alterum: ergo vt sit vera adoratio huius in particulari necessario debet voluntarie ad illud idem referri. Tertiò, honor, & reuerentia vnius rei, non potest dici honor, & reuerentia alterius distincta, nisi in illam aliquo modo refundatur, ergo vt adoratio, & honor prototypi dicatur, & sit adoratio imaginis in illā aliquo modo debet refundi, ita vt intētio adorationis illā attingat: quia est aliquid distinctū ab ipso exēplari. Vltimo, adoratio imaginis vt sit bona debet esse volūtaria in ratione adorationis, & cultus, sed nō potest esse, vt sic volūtaria, nisi procedat ex intētione colendi ipsam: ergo talis intentio adorationis debet in illam ordinari.

Confirmantur omnia exemplo. Si quis ex intentione humiliandi, & submittendi se Deo, tantum terram Deo sculetur, ille talis tantum dicetur adorare Deum, nullo modo terrā, quia

quia tantum exercet illam actionem submissionis circa terram materialiter, sicut posset circa aliam rem exercere ex animo, & intentione colendi solum Deum: ergo à contrario, vt aliqua actio exterior submissionis circa aliquam imaginem habeat veram rationem adorationis illius necessariũ est, vt exerceatur ex intentione volentis exhibere cultum eidem, & nõ sufficit simplex voluntas exercendi actionem exteriorem tantum circa illam ex intentione colendi rem significatam per illam.

Ad fundamenta ergo pro sententia Durandi, respondetur. Ad proprium eius fundamentũ dico pro nunc, quod loquendo de imagine provt in actu exercito exercet rationem imaginis, anima cognoscit illam esse vnum cũ suo exemplari, vt contento in ipsa secundum esse repręsentatiuum, atquè adeò fertur in vtrumque eodem actu cognitionis, & adorationis, licet non eodem modo: nam in imaginem fertur, tanquam in obiectum materiale, & minus principale, in imaginatum verò, tanquam in obiectum formale, & magis principale. Idem dicendum de signo, & signato; vndè neganda est consequentia. Ad probationem antecedentis, respondetur, concedendo maiorem, intelligendo eam de relatione, & habitudine transcendentali, & tunc explicanda est minor, quæ intelligenda est iuxta naturam cuiuscũque habitudinis de alietate alterius, secundum esse rei, & entis indiuidualis, non verò de alietate sub omni ratione: itaquod excludatur aliqua vnitas, imò relationes aliquæ fundantur in vnitate vtriusque extremi specifica, vt sunt relationes idẽtitatis in substantia, aut similitudinis in aliquo accidente, vt vnum album refertur ad aliud album alietate materiali, & non formali: ita signum, & imago refertur ad suum exemplar, & signatum tã quam ad aliud in esse entitatiuo particulari, & materiali; quatenus tamen habent vnitatem in esse intentionali vel, vt alij dicunt in esse intelligibili, ita vt sub illa vnitate terminet signatũ, seu exẽplar habitudinem signi, aut imaginis: Tũc ergo distinguitur cõsequẽs, considerãdo imaginẽ sub ratione imaginis in actu exercito, nego cõsequentiam, in actu signato, & sub ratione rei ratione sui terminantis actũ animæ, transeat consequens: quoniã vt sic consideratur secundum rationem, quam habet in se, vt ad se pertinentem, & ipsam in tali essentia imaginis constituẽtem: quo pacto ipsi (vt postea diffusius dicetur) non debetur aliquis cultus: sub priori autem ratione non ponit in numero imago, cum suo imaginato, quia tota ratio attingendi ipsam, est ipsum exemplar, vt in ipsa contentum, ly vt, dicente conditionem ex parte modi huius adorationis prototypi. Vndè eadem adoratione adoratur ipsa imago, tanquam continens ipsum exemplar, & quia continet ipsum, tanquam obiectũ materiale adorationis.

Ad confirmationem ex septima Synodo, respondetur. Sensum Concilij in illis verbis fuisse tantum docere, quod nos non adoramus Crucem Dominicam in esse rei, & ratione sui, tanquam in ea credamus esse aliquam diuinitatem, sicut Gentiles adorabãt sua idola, & hoc denotant illa verba: *Non ipsam lignum adoratur*, scilicet, ratione suæ excellentię propriæ, quia lignum est. Vndè vt sic non habet, vndè adoretur, sed adoramus illã, propter repræsentationem exercitã Christi passi, ad cuius contemplationem nos ducit, vt ipsum adoremus propter se: Crucem autem propter ipsum repręsentatum per eam, quod latis indicant illa verba: *Sed quod in ligno ad contemplandum datur.*

Ad secundam confirmationẽ ex authoritate Gregorij, respondetur: In prioribus locis explicare adorationẽ imaginum per recordationem, ad excludendam adorationem Gentilicã,

qua Gentiles adorabant imagines sistendo in illis, ac si in eis essent aliqua numina, & vt doceret vsum Ecclesiæ in adorandis illis non esse Gētilicum, sed longe diuersum, vtpotè quia exhibemus reuerentiam imaginibus propter sua exemplaria, ita vt quando adoramus eas principaliter prototypa adoremus.

Ad aliam partem argumenti ex Epistola ad Sirenum, respōdetur eodem modo: Laudatur enim ibi Sirenus Episcopus, quia vetuit suis subditis adorationem Gentilicam imaginibus exhibendam, qua ipsi vtebantur, vel adquam erant procliui: quia erant inclinati ad idolatriam, & quia secundum vsum Ecclesiæ populo benè instructo de illo est licita adoratio, & poterat, & debebat Sirenus ipsum instruere, tanquam legitimus pastor, & non fecit, sed fregit imagines; ideò Gregorius reprehendit eum, quia cōseruatio imaginum conueniebat, vt Diœcesani eius benè instructi licitum adorationis modum in eas exercerēt. Vndè optimè Cabr. circa art. 3. quęst. 25. D. Thom. 3. part. disput. 2. §. 4. ad primum docet sensum verborum D. Gregorij esse eundem, ac ille, quem faciunt sequentia verba: *Quando imago non adoratur propter se, sed propter exemplar adorabile, licitum est ipsam adorare, quare cum posses populū docere licitum adorandi modum malefeciſti confringendo eas.* D. Greg.

His ergo prætermissis circa difficultatem, quam titulus dubij inquirit inter Doctores affirmantes imagines verè, & propriè adorari est varius modus adorationem earum explicandi. Sit ergo prima sententia eorum, qui absolutè asserunt imagines, etiam cū ordine ad proptia exēplaria, non posse adorari eadem adoratione, qua adorantur sua exemplaria, sed alia multum inferiori, quam proinde honorariam vocant. Vndè asserit hæc sententia hanc adorationem propriè exhibitam imaginibus terminari ad illas, tāquam ad totale obiectum adoratum, vt quod, non autem ad exemplaria, vt ad obiectum quod adoratur propriè loquendo, sed tātum attingitur, vt quo, tanquam ratio formalis, propterquam adorantur prædictæ imagines, & consequēter asserit hanc adorationem ad imaginem Christi, aut Dei non esse adorationem latriæ.

Hanc sententiam sequti sunt Ambrosius Catherinus in opusculo de adoratione imaginum, concl. 6. & 7. Martinus Peresius de Ayala lib. de traditionibus, 3. part. cap. quæst. 25. art. 3. quali honore imagines venerandæ sint. Pro eadem sententia citat Suar. hic disput. 54. sect. 3. Gabrielem in 3. distin. 9. & super Canonem Missę, lection. 49. sed certe, vt ex dictis eius relatis ab ipso Suar. cōstat potius in re docet sententiā D. Th. postea à nobis explicandam: pro eadem refert Cordubam lib. 1. quæst. Theolog. quæst. 5. dub. 4. art. 2. opinione 3. quem dicit referre ibidem opinione 2. Ioannem de Medina, asserentem adorationem imaginis esse inferiorem adoratione prototypi: quidquid tamen sit de his authoribus fundaméta opinionis sunt sequentia.

Primum, & potissimum est desumptum ex 7. Synodo generali actione 7. in diffinitione fidei, vbi postquā diffinit Sāctorū, imagines esse adorādas, & venerandas, explicando adorationem, quę ipsis exhibenda est paulò inferius sic ait: *Illisque salutationem, & honorariam adorationem exhibeāt non secundum fidem nostram veram latriam, quæ soli naturæ diuinæ competit, sed quemadmodum typo venerandæ, & viuificantis Crucis, & sanctis Euangelijs, & Reliquis sacris, oblationibus sufficuā, & luminarium reuerenter accedimus.* Ecce in hoc testimonio apparet diffinitum à Concilio imagini etiam Christi, qualis est signum viuificæ Crucis, non esse exhibendam adorationem latriæ, quia illa solum diuinæ naturæ conuenit.

Idem

Idem cõstat ex eo, quod opponit adorationi latriæ aliam cõsistentem in sola oblatione sufficuum, & luminaribus accensis, & alijs huiusmodi signis externis, illamque negat imaginibus, & concedit secundam alteram: ergo iuxta Concilium vera est sententia relata. Confirmatur, & explicatur efficacia huius testimonij: nam Concilium comparat adorationem imaginum, etiam Christi, Sanctorum Euangeliorum adorationi, & aliorum sacrorum vasorum, sed hæc omnia, non adoramus cultu latriæ, sed alia inferiori adoratione veneramus: ergo idem dicendum est de imaginibus Christi, & ipsius Trinitatis: Hanc verò adorationem esse exhibendam imaginibus, quando in eis, & cum eis exemplaria adoramus patet ex verbis, quæ postea Concilium subdit: Imaginis enim honor in prototypum refertur, & qui adorat imaginem in ea quoque adorat descriptum argumentum: ergo quando Concilium negat imagini Christi cultum latriæ loquitur de cultu exhibito ei, quando simul adoratur ipsum exemplar, scilicet Christus in ea, & cum ea, aliàs non diceret honorẽ imaginis in prototypum resultare, neque adorantem imaginem, in ea quoque adorare descriptum argumentum, scilicet exemplar depictum: tunc sic, sed quando sic honor imagini fit, quod etiam honoratur exemplar, negat Concilium esse exhibendam latriam: ergo sentit non adorari ipsam eadem adorationẽ, qua exemplar ipsum tunc adoratur: propter hoc testimoniũ aliqui conuicti eius efficacia, dixerunt (vt referunt noster Turrianus, & Suarez, atque alij) quod si Doctor Sanctus vidisset Synodum relatam non docuisset imagines adorandas esse eadem adoratione cum exemplaribus. Deinde secundo, confirmatur authoritate Epiphanij inducta, action. 6. prędictæ Synodi, vbi in quaddam breui demonstratione de vtilitate imaginũ duplicem designat adorationẽ, alteram latriæ, quam tribuit exemplari, alteram inferiorem, quam imaginibus assignat, verba eius hæc sunt: *Epiph.* *Quapropter non indignas habemus eas, scilicet imagines honore, salutatione, & veneratione, debitamque adorationem eis dare debemus, siue igitur placebit salutationem, siue adorationẽ appellare, idem profecto erit, modo sciamus excludi latriam: Hæc enim est alia à simplici adoratione.* Ecce Epiphanium distinguentẽ latriam à simplici adoratione: ergo cum imaginibus solum tribuat simplicem adorationem benè infertur ipsum sentire imaginem Christi, aut Trinitatis non debere adorari eadem latriæ adoratione, qua adoratur ipse Deus, & Christus, secundo principaliter probatur eadem sententia ratione forti. Imago quocunque modo consideretur, etiã vt in actu exercito exercet munus, & actum repręsentandi suum exemplar, est quid distinctum ab illo, & longe inferius indignitate: ergo non est colenda eodem cultu: quo exemplar, sed inferiori. Si dicatur adhoc argumentum, quod imago in prędicta cõsideratione si sit Christi, est ipse Christus, secundum rationem formalem, & materialem adorationis terminandi, quia ipsa adoratio terminatur ad Christum, & non vltimate ad imaginem. Sed contra est primo, quia huius doctrinę rationem, petit argumentũ probando nõ esse bonam, quia etiam sub prædicta cõsideratione imago est res distincta à Christo habens diuersum esse ab illo, etiam in ratione imaginis, habet enim esse creatum relationis signi, aut figurę repręsentantis, ergo quomodocunque consideretur est, quid inferius ipsi Christo in excellentia, & dignitate, & consequenter, non adoranda est eadem adoratione. Secundo, quia absolutè loquendo, hæc propositio falsa est: imago Christi est Christus: sicut hæc est simpliciter falsa, homo pictus est homo, ergo similiter erit falsum dicere, quod adoratur

ratur eadem adoratione, qua Christus ipse. Si dicatur ad hęc, probari prædictis rationibus imaginem Christi absolutè, & in esse rei, esse quid distinctum ab eo, & inferius ipso: non autè probari, quod secundum esse repræsentatiuum, non sint idem, & quod hoc sufficit, vt eadem adoratione colatur imago, qua ipse Christus. Cõtra est, primo, quia istud esse repræsentatiuum est esse quoddam diminutum comparatum ad esse verum, & physicum ipsius Christi: ergo vnitas imaginis cum Christo secundum tale esse, est tantum esse secundum quid: ergo si ratione illius vnitatis cum Christo, imago eius est adorabilis, non tamen eadem adoratione, qua Christus, sed alia inferiori ipsi imagini sub tali esse proportionata. Probatur ista consequentia, quia adoratio debet proportionari rei adoratę: ergo secundũ excellentiam cuiuscunque rei adoratæ, debet esse excellentia adorationis. Si ergo imago etiam sub esse repręsentantis est inferior Christo, eius adoratio erit inferior adoratione Christi. Confirmatur, adoratio imaginis habet pro causa adorationem Christi: ergo sunt diuersæ adorationes, quia causa, & causatam in vniuersum differunt: Et enim adoratio imaginis est respectiua: Adoratio verò exẽplaris absoluta, sed absolutũ, & respectiuũ distinguuntur: ergo & adorationes, & cõsequẽter, nõ possunt imago, & exẽplar adorari vna adoratione simpliciter vna, sed tantum ordine quoddam seù habitudine, quia imaginis adoratio ordinatur, & tendit ad adorationẽ exemplaris, tanquam ad finem. Tertiò, non potest voluntas vnico, & eodem actu velle finem, & media: ergo neque adorare imaginem, & exemplar. Consequentia exparitate rationis probatur, quia sic se habet in speculabilibus, & veris practicis exemplar, & imago, sicut finis, & medium, cum imago respiciat suum exemplar, tanquam finem in cuius repræsentationem ordinata est. Antecedens verò probatur, quia circa media in genere appetibili datur actus electionis, circa finem verò datur alius actus, qui est intentio, qui actus distinguũtur realiter, tanquam causa, & effectus: Etenim intentio est causa, vt voluntas eligat media vtilia ad cõsequutionem finis intẽti, & propterea multoties perseuerante eadem intentione eiusdem finis variatur electio, ergo sunt diuersi actus. Vltimò, nam vel, cum adoratur Christus mediante imagine obiectum totale adorationis est ipse Christus, vel Christus, & imago simul, si primum: ergo imago non est obiectũ adorationis, & consequenter male dicitur ipsam adorari eadem adoratione, qua ipse Christus, sed solum potest dici medium excitans, seù obiectum mouens ad adorandum Christum: Si dicatur secundum, tunc sequitur aliquid creatum esse obiectum partiale cultus latriæ, quod videtur falsum in fide, quia latria soli creatori debetur.

Secunda sententia affirmat contra istam precedentem imaginẽ Christi (v.g.) posse adorari eadem adoratione, qua adoratur ipse Christus: addit tamen posse adorari etiam diuersa adoratione ab adoratione prototypi inferiorique illa. In hac parte conuenit cum præcedenti sententia aliquo modo. Primã partem docet Suar. 3. part. quæst. 25. art. 3. disp. 54. sect. 4. vbi in principio aduertit, tribus modis posse fieri adorationem ad imaginem, seù in præsentia imaginis: primo modo dirigendo totam mẽtis intentionem ad exemplar, & nõ ad imaginem, quem modum absque dubio possibilem iudicat, cum homo per suã libertatem possit vti imagine tanquã medio tantum excitante eum ad recordationem exemplaris, vt sic excitatus ipsum per imaginem repræsentatum adoret, adoratione sibi debita. Secundo modo dirigendo intentionẽ ad exemplar, & imaginem, conficiendo mente, & animo, vnum obiectum adæ-

adæquatum adorationis ex vtroque, ita vt vtrunque sit materia adæquata circa, quam versatur adoratio. Tertiò dirigendo intentionem tantũ ad imaginem, tanquam ad rem adoratã: Ad exemplar verò, tanquam ad rationẽ adorandi: Hunc modum adorationis posibilem esse, sic explicat dicens, quod aliud est rẽ adorari perse aliud verò adorari propterse: sicut in amore aliud est medium amari in se, & perse aliud verò amari propterse: medium namque in se, & perse amatur, non tamen propterse amatur, sed propter finem: ita enim ait, imagines possunt adorari in se, & perse, & propriè (vt ipse docuit sectione antecedenti) non tamen propterse, quia talis adoratio est respectiua, & propter exemplar, tanquam propter rationẽ adorandi. De secundo modo agit in illa 4. sect. & tenet primam partẽ sententiæ relatę, de tertiò vero agit sect. 5. vbi paulò post medium, probata iã secundã parte sententiæ relatæ, vt ad fundamenta primę sententię respondeat, quã ibi refert negantis imagines posse adorari, non adoratis perse, & principaliter earum exemplaribus, vt obiecta quæ, præmittit considerationẽ duplicem imaginis: prima est imaginis in actu exercito, ideſt, vt actu exercet munus imaginis, quod est repræsentare prototypum: secunda est imaginis vt res quædam sacra est, ita vt non cõsideretur imago, vt talis res naturalis, vel artificialis est lignea, aut rea benè vel male depicta, vt sic enim fatetur imaginem nullius adorationis esse capacem, ad quam fundãdam concedit, non sufficere rem illam sacram censeri, & esse considerandam ait imaginem, vt cultui diuino dicatã, & in honorem Dei, vel Sanctorum institutã, & in isto secundo modo consideratur imago, vt imago est, non in actu exercito, sed specificatiuè, seù relatiuè: quia consideratur imago, vt est talis res habens relationẽ ad tale exẽplar, à quo participat talem sanctitatem, seù quasi consecrationem saltim per extrinsecam denominationem: ergo secundum istam rationem docet Suarez imaginem adorari perse, non adorato in recto suo exemplari: quia vt sic concipitur vt res sacra, & diuino cultui dicata, & consequenter, vt digne reuerenter tractanda, in quo cõceptu saltem in cõfuso necessario intrat conceptus exemplaris, non vt in recto adorati, sed in obliquo per modum formæ extrinsecè sanctificantis imaginem suam. Probant sententiam istam, quoad secundam partem explicatam sequentibus argumentis. Primum formatur sic: Quælibet potentia, tam intellectus, quam voluntatis, potest tendere in aliquod obiectum, materiale propter aliud formale, etiã si non tendat in formale directe, tanquam in rem, seù materiam circa quã propriè versatur: ergo etiam in præsenti poterit intentio adorantis versari circa imaginem, vt obiectum quod, vt in rem adoratam, propter ipsum exemplar, licet directe, & expresse nõ tendat in exemplar, tanquam in rem adoratam: consequentia ex paritate rationis probatur: Antecedens autem probatur exemplis in intellectu, & voluntate. Primo intellectus potest credere aliquam veritatem reuelatã absque eo, quod credat eodem actu primam veritatem reuelantem esse Deũ infallibiliter dicentem, quæ est ratio formalis obiecti fidei: ergo similiter poterit quis imaginẽ adorare absque eo, quod illa eadem adoratione adoret exemplar, quod est ratio formalis, propterquam adoratur, saltem formaliter, & expresse, licet ad minus virtualiter adoretur, vt quo tanquam finis propter cuius excellentiam adoratur imago ipsa. Idem argumentum fit de actu sciẽtię, qui directe, & expressè fertur circa conclusionem ex præmissis illatam, non tamen fertur in ipsas præmissas, seù principia, tanquam obiectum quod, quamuis virtualiter feratur in illa, secũdum quod ex cognitionẽ

nitione præexistente principiorum procedit assensus conclusionis. Secundo idem probatur in voluntate: nam voluntas potest amare vnam rẽ propter aliam, vt propter rationem formalem absque eo, quod eodẽ actu amet directe talem rem, quæ est ratio formalis: ergo idem in presenti: Antecedens explicatur in aliquo amore proximi quo amatur directe proximus, vt obiectum quod, directe, & in recto amatum, & tamen eodem illo actu nõ amatur ipse Deus, vt quod, & vt in recto dilectus. Deinde probatur in pura electione medij, propter extrinsecam bonitatem finis: Et enim ille actus electionis formaliter, & in recto versatur circa medium, tanquam circa materiam adæquatam: non tamen versatur circa finem, nisi tantum in obliquo, tanquam circa rationem formalem volendi medium: ergo idem dicendum erit in adoratione imaginis, quod scilicet sit possibilis actus adorationis circa ipsam, qui directè non tẽdat formaliter, & expresse in exemplar. Confirmatur exemplo, cum Rex adoratur propter dignitatem Regiã, persona ipsa Regis est quæ perse, & inse adoratur, vt obiectum quod adorationis: Ipsa autem Regia dignitas, non est propriè, quę adoratur, sed ratio quare adoratur; si autem talis dignitas coadoratur vt quod; ideò erit quia est ratio intrinseca adorandi Regem, sed exemplar est tantum ratio extrinseca adorationis imaginis: ergo non est necessariũ, quod semper quod adoratur imago vt quod, eodem motu veneretur ipsum exemplar, etiam vt quod, sed sufficit ipsum in obliquo; & indirecte adorari. Idem explicari potest exemplo legati Regis, qui eo quod minister Regis est colitur, & honoratur, & ipse est totalis terminus honoris, qui colitur; & honoratur: dignitas autem, quæ illi accrescit eo quod minister Regis est, non honoratur. Vndè ipse Rex tantum est ratio adorandi, & colendi legatum, non autem est qui colitur, & honoratur, vt obiectum circa quod versatur actus ipse adorationis.

Confirmatur argumentum, & probatur antecedẽns constitutum in præcedenti argumento circa actum voluntatis: ratione sequenti. Voluntas tendit in suum obiectum, prout propositum per intellectum, sed intellectus potest actu cogitare, & proponere vnam rem, vt venerabilem, & amabilem ratione alterius, non considerando rem illam, quę est terminus talis habitudinis, vt perse amabilem, vel honorabilem: ergo poterit voluntas tẽdere directe in illam rem, quę diiudicata est amabilis, & honorabilis, propter aliam absque eo, quod eadem tendentia feratur in illam rem aliam, quæ est ratio amoris, & honoris alterius. Minor probatur, nam prior illa consideratio non pendet intrinsecè à posteriori formaliter, & expresse, licet virtualiter, vel quasi in habitu illã supponat, vt patet in hoc exemplo iã posito proximi amabilis propter Deũ: Potest enim optimè ratio apprehendere proximum, vt amabilem propter Deum, sine eo, quod actu, & formaliter cõsideret Deum, vt propterse amabilem, aut quantum, & quomodo sit amandus, licet implicitè, & virtute illam considerationem includat: ergo & voluntas potest tendere in eam rẽ, quæ propter aliam amabilis iudicatur directè, & formaliter absque eo quod directè, & formaliter tendat in illam aliam, &c. ergo eodem modo dicendum est de actu voluntatis, vt à voluntate intenditur, prout illa sequitur iudicium apprehẽsionis explicatæ. Hũc modum apprehensionis rursus intendit experientia ostendere, & probatur visa imagine, etiam si illam apprehendamus, vt rem sacram, & reuerenter tractandam, non tamen semper cogitamus explicite, ac formaliter de Christo in ea repræsentato, ac de excellentia, & diuinitate eius, propter quam summe venerandus est: ergo ex

parte

parte intellectus possibilis, & facilis est hic modus considerationis: Si autē ille semel admittatur necessario admittendus est modus adorationis explicatus: nā supposita propositione, & libertate obiecti volūtatis nulla ratio cogitari potest, propterquā talis actus adorationis impossibilis sit: sic possibilitate adorationis ab ipso intentæ probat. Deinde probat illum modum adorationis esse licitū primo probans honestatē adorationis. Sit ergo secundum principale argumentū pro eadē sententia. Imago simul cū prototypo licite adoratur in se, & propriè: ergo quando adoratur ita in se, quod prototypus nō adoratur in recto, etiā licitè adoratur. Probatur cōseq. nam quādo ita adoratur non exhibetur ei maior veneratio, quam quando adoratur adorato simul prototypo in recto: imò minor reuerentia ei exhibetur, siquidem vt sententia quæ probatur affirmat, talis adoratio est inferior illa, quę exhibetur ipsi prototypo: ergo si adoratio coniuncta est licita etsi perfectior sit, cum sit eadē cum adoratione prototypi à fortiori adoratio separata, vt sic dicam licita erit. Confirmatur, quia vtraque adoratio fundatur in excellentia prototypi, propterquā adoratur imago: ergo si vna est licita, etiam altera. Tertiò probatur sentētia, & secūdo cōfirmatur. Pro honestate actus adorationis, nihil potest assignari in prædicto modo adorandi, quod illicitū eū reddat, & alias habet ille actus obiectū honestū, & cōforme rationi: ergo actus erit honestus. Probatur maior, & simul explicatur & probatur minor: nam in illo actu sunt duo alterum, quod sit, scilicet honor exhibitus imagini, alterum verò quod omittitur, scilicet honor, qui non exhibetur prototypo directe, & formaliter. Primum per se loquendo bonum est, quia imago verè, & propriè est honorabilis propter prototypum, sed per illum actum sic honoratur, sine eo quod ibi admisceatur aliqua superstitio, aut falsæ existimationis significatio: ergo nihil est in illa actione, ob quam sit illicita ex parte positiui, quod per eam fit, quod verò ex parte illius, quod omittitur non vitiatur actus. Probatur, quia non semper tenemur exercere actum adorationis Dei, aut alicuius sancti repræsentati in imagine: quia cum præceptum adorationis sit affirmatiuum non obligat semper: sed tunc non omittitur, nisi directa exemplaris adoratio: ergo illa omissio non est mala: Sed dicet quis, quod quamuis non semper teneamur exercere actum adorationis Dei, aut alicuius Sancti, tenemur tamen quando adoramus aliquā imaginem adorare suum exemplar. Hoc enim pertinet ad debitam circunstātiam adorationis imaginum. Contra hoc est argumentum, quia nullū præceptū potest assignari, vel negatiuum prohibens talem circunstantiam, vel affirmatiuū præcipiens, vt quotiescūque adoratur imago propter exēplar, adoratur etiam ipsum exēplar directe tāquam obiectūquod: ergo. Probatur antecedens: quia tale præceptum non potest colligi pręcisse ex sola ratione naturali, ergo. Probatur antecedens, quia iā ostēsum est vnam adorationē posse præscindi ab altera, & in qualibet reperitur honesta causa, sine dependentia à cōiunctione actuali alterius. Et probatur: nā adoratio directa exēplaris non est necessaria, vt adoratio imaginis habeat debitum finem vltimū, & remotum, quia ex se tendit in prototypi honorē, neque est necessaria, vt habeat debitū finem proximū: quia sine illa habet talis actio debitū obiectū formale, & materiale (vt iam cōstat) finis autē proximus obiectum immediatū actionis est: ergo ex solis principijs rationis naturalis, nō potest colligi præceptum obligans ad talem circunstantiam. Deinde probatur, quod ex iure positiuo superaddito, nō colligatur tale præceptū, quia nullibi inuenitur scriptū, neq; traditione

habitum, neque consuetudine introductum: imò frequẽter (ait Suar.) tractamus imagines, aut aliàs res sacras peculiari reuerentia, etiamsi res in illis repræsentatas non veneremur directe, & perse. Quarto, duo fundamẽta sunt, ex quibus sententia opposita infertur, sed ex nullo illorum sufficiẽter infertur: ergo. Probatur minor apponendo fundamenta. Primum est, quod res inanimata, & irrationalis nõ est capax adorationis inse. Aliud fundamentum est constituere quantum ad hoc differentiam inter imagines, & alias res sacras inanimatas, probatur ergo minor, quoad primum fundamentum: nam in primis ex sacra Pagina colligitur eius falsitas siquidẽ Ptalmo 98. dicitur: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*, vbi sermo erat de propitiatorio, aut de arca Testamenti. Secundo ex septima Synodo, vbi sæpissime dicuntur hæc res adorabiles, & honorabiles, & earum adoratio comparatur, cum adoratione sacrarum vestium, & calicis, atque libri Euangeliorum, ac aliarũ rerum similium. Tertiò probatur ratione: nam licet res inanimata, nõ sit adorabilis propter se, est tamen adorabilis in se propter aliud, sicut mediũ est amabile inse propter aliud, in quo modo loquendi obiectum materiale designatur, cum habitudine ad obiectum formale extrinsecum tamen, ergo sic potest dici de imagine: nulla enim in hoc repugnantia apparet. De alio vero fundamento sic probatur falsum esse: nam in primis repugnat cum doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 99. art. 3. vbi inter res sacras dignas veneratione numerat imagines cum reliquijs, & vasis sacris. Secundo: repugnat rationi ex eodem D. Sanct. ibidem art. 1. res sacra efficitur per hoc, quod ad diuinum cultum ordinatur, sed imagines hoc ipso, quod ad repræsentandum Christum, aut alios Sanctos ordinantur, sunt ad diuinum cultum ordinatæ, & deputatę: ergo habent dignitatem, & sanctificationem, propter quam sunt venerabiles inse, & adorabiles tanquam sacræ. Maior patet, nam sicut ex eo, quod aliquid ordinetur in finem bonũ sortitur rationẽ boni: ita etiam ex hoc, quod aliquid deputatur ad cultum Dei efficitur quoddam diuinum. Hanc comparationem facit loco citato D. Th. ex qua infert hanc conclusionẽ: & sic ei quædã reuerentia debetur, quę refertur in Deũ: minor vero probatur vniuersaliter de omnibus imaginibus. Sãctificatio omni imagini conueniens (etiam illi quę speciali benedictione, aut consecratione Cæremoniali in Ecclesia sanctificari solet) consistit, non in tali benedictione, aut consecratione necessario, sed seclusa illa consistit in repræsentatione personæ sacræ, ad quam habet habitudinem, ex eo præcisse, quod illius similitudinẽ gerit, & loco illius cõstituitur (vt Anastasius in eadẽ 7. Synodo act. 4. significauit) sed ex vi huius repræsentationis habet imago aptitudinem ad eos sacros vsus ad quos cõferre possit: ergo hoc sufficit, vt tanquam res sacra honorabilis existat. Quare in septima Synodo de imaginibus absolutè, & simpliciter dicitur esse venerabiles, sine aliqua limitatione, & ponuntur exempla in cerea imagine, qua vtebatur Chrysostomus, & in imagine à Nicodemo de Picta. Vltimo confirmat suã sententiam authoritate Concilij, quod est septima Synodus, in qua sæpe dicitur imaginibus deberi veneratiã adorationẽ, qualis debetur rebus sacris, non tamen veram latriam, vbi vt in primo argmento pro prima sententia huius prętentis dubij ponderauimus ex mente Concilij inferior adoratio debetur imaginibus adoratione debita exẽplaribus: sed talis nullá alia esse potest, nisi illa quæ respectiua cum sit versatur erga imaginem ipsam, non in exemplar directe, licet nitatur in excellentia illius, tanquam in ratione adorandi: ergo prædicta

Psalm. 98.

dicta adoratio imagini exhibenda est secundum licitum vsum: Pro hac sententia refert Suarez Sanderum lib. 2. de imaginibus, cap. vltimo, Albertum Pighium lib. 8. contra Erasmum, & Bellarminum lib. 2. de imaginibus, c. 21. & 25. fauere dicit huic sententiæ Capreolum, & Ferrara, quatenus cõstituunt imaginem verum obiectum adorationis quamuis partiale, & maiorem, quatenus admittit adorationem respectiuam imaginis, & Paludan. quatenus dicit absurdum principium esse dicere nihil irrationale esse adorandum in se.

Tertia sententia affirmat contra primam, imaginẽ debere adorari eadem adoratione, qua adoratur suum exemplar: itaque imago Christi adoranda est iuxta istam sententiam adoratione latriæ, qua adoratur ipse Christus, imago Beatę Virginis hyperdulia, sicut ipsa Deipara: & sic proportione seruata de imaginibus aliorum Sanctorum loquendum est. Hanc sententiam expresse docet D. Th. in art. 1. vt patet ex littera eius supra explicata, & in 3. dist. 9. quem sequuntur omnes eius discipuli, tam ex nostra familia, quam ex alienis, & licet aliquis ex antiquioribus, de quorum numero fuit Antonius de Cordoba libr. 1. quæst. Theologic. quæst. 5. dub. 4. intelligat Sanctum, de identitate ex parte habitus: quia scilicet vtraque adoratio ab eodem habitu procedit, & in eodem motiuo religionis fundatur: non vero de identitate ex parte actus secundi, adorationis exercitæ, tamen iam communiter magis ad mentem expressam Sancti Doct. eam intelligigunt de identitate ex parte actus, (vt postea explicabimus) ita tenet, & explicat istam sententiam Ferrara 3. Contragent. capit. 120. §. circa latriæ adorationem soli Deo exhibendam.

Ita etiam Capreol. in 3. distinct. 9. quæst. vnica, Caietan. in comment. artic. 3. citati supra: ita Medina quæst. 25. 3. part. art. 3. quæst. 3. ita Raphael de la Torre 2. 2. ad quæstion. 94. D. Thom. art. 2. disputat. 6. dub. 5. ita Cabrera 3. part. loco citato, disputat. 3. §. 4. ita Suarez disputat. 54. citata sectione 4. per totam, quamuis sectione 5. sequente immediatè, teneat sententiam secundo loco supra relatam. Tenet eandem sententiam Dominicus de Soto lib. 2. de iust. quæstion. 4. art. 2. in fine, & Suarez, citat alios antiquiores Doctores pro eadem sententia maxime D. Albertum in 3. distin. 9. articul. 4. vbi docet adorationem imaginis, vt sic esse per intellectum, & intentionem adorationis duci in eum, cuius est imago.

Habent istam sententiam plures Sancti Doctores specialiter scholastici, D. Antoninus 3. part. titul. 12. cap. 9. §. 4. D. Bonauentur. in 3. distin. 9. art. 1. quæst. 2. & 3. Hæc sententia habet valida fundamenta: fundatur nãque in diffinitionibus Conciliorum, authoritatibus Sanctorum Patrum, & efficacibus rationibus. Pręcipuum testimonium est illud, quod habetur in 7. Synodo Generali actione 7. *Imaginis enim honor in prototypũ resultat, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat descriptum argumentum*, vbi illud aduerbium, quoque, absque dubio indicat, quod adoratio imaginis, non sistit in illa, sed transit ad prototypum, vt indicant priora verba: quia idem actus, quo exhibetur reuerentia imagini tendit ad prototypum, tanquam ad obiectum principale talis reuerentiæ, illo actu exhibitæ. Vnde clarum est, Concilium docere, eodem actu adorationis adorari imaginem, & suum prototypum.

Idem confirmatur in Concilio Tridentin. Sessione 25. vbi supra in notabilibus, cuius verba ibi ad aliud præsuppositum principium probandũ expendi: modo expendo illa, in quibus modum, quo debent adorari propter sua prototypa explicat, dũ ait: *Sed quoniã honos qui imaginibus exhibe-*

tur refertur ad prototypa, quæ illæ re præsentant, &c. Certè in causali ista manifestatur: quod illo eodem actu, quo imagines venerantur, prototypa earũ colũtur, aliàs non diceret, ideò coli debere eas, quia talis cultus ad prototypa per ipsas repræsentata refertur, sed quia ad cultum prototyporũ refertur, vt sic designarentur diuersi cultus, diuersęque adorationes imaginum, & suorum exemplarium. Item in eadem Synodo septimâ generali actione 4. ex Basilio contra Iabellium, & Athanasio serm. 4. contra Arrianos sic dicitur: *Qui adorat imaginem in ea ipsum Regem adorat.* Ex quo dicto Ioannes Legatus Orientis approbantibus alijs Patribus colligit in hęc verba. *Vnde Beatus Pater indicauit non esse duas adorationes, sed vnã imaginis, & primi exemplaris.* Secundo probant alijs Sanctorum testimonijs, quæ hic multiplicant Interpretes supra citati. Insigni testimoniũ Athanasij in lib. cõtra Arrianos, quem refert D. Damasc. oratione tertia de imaginibus in hũc ergo modũ dicit Athanasius, vt Damascenus refert. *In imagine species, & forma Regis, & in Rege species est imaginis, expressa est in imagine Regis similitudo, vt qui videt imaginem in ipsa Regem aspiciat, & qui Regem videt intelligat hunc esse illũ, qui in ea sit expressus imagine, & quia non differt similitudo idcirco post cõspectam imaginem volenti Regem intueri imago dixerit: Ego & Rex vnum sumus,* & post pauca subdit sententiam supra relatam: *Qui enim adorat imaginem, is Regem adorat: nam illius formam, & speciem imago continet.* Ecce in hoc testimonio Athanasium ponentem imaginem, & prototypum vnum esse in ratione obiecti adorationis, quia sunt vnum similitudine, & in esse repræsentatiuo, quare potest dicere imago (vt ait Sanctus ipse) ego & Rex vnum sumus: ergo ex sententia Athanasij imagines adorandæ sunt vnica adoratione ex parte actus: quia ea quæ sunt vnum aliquo modo eodem actu attingi possunt, imò quãdo sub tali vnitate attinguntur, necessario eodem actu attinguntur. Tertiò probãt varijs rationibus, quarum præcipua fundamentalis est, quæ ex D. Thom. supra formata est, quę confirmatur ratione desumpta ex testimonio Athanasij modo relato. Imago secũdum propriam rationem imaginis in actu exercito considerata est vnum cum exemplari: quia sunt vnũ similitudine, & repræsentatione: ergo in ratione obiecti adorationis attinguntur eodem actu adorationis, antecedens probatur: quia vt sic facit potentiæ præsens suum exemplar, ac si ipsum in se physice esset prędens potẽtiæ ipsi: Hoc enim est repræsentare, scilicet rem præsentem potentiæ facere; sed si non esset vnum aliquo modo cum exemplari non faceret ipsum prędens potentiæ aspicienti ipsam: ergo sunt vnum, atque adeò offert se nobis pro se, & pro suo exemplari: ergo cũ imago non aliter adoratur sub propria ratione imaginis, nisi vt præsentat suum exemplar efficit vnum obiectum cum ipso respectu adorationis: & sic eadem adoratione adorabitur cum suo exemplari.

Ath. 4.

D. Damasc.

Pro huius ergo sententiæ explicatione præmittendũ est primo, quod dupliciter possumus intelligere imaginem eadem adoratione adorari cũ suo exemplari: vno modo considerando imaginem, vt quid coniunctum cũ suo prototypo saltem cogitatione, isto modo coadoratur simul cum suo prototypo, instar vnius adorationis, qua adoratur Rex, & eius vestis, & qua adorantur partes alicuius totius simul cum toto, & quæcunque illi quoddãmodo coniuncta sunt, & quia imago cõfertur cũ exẽplari vt pars cũ toto, & sicut purpura, & vestis cũ Rege, ideò eadẽ adoratione adorari debet sub ista consideratione cũ suo exẽplari. Hũc modũ adorationis attingit D. Thom. art. 1. huius quæst. in principio

cipio corporis, dum ait, quod partes non dicuntur honorari, quia secundum se honorentur, sed quia totum in partibus honoratur, & statim subdit, per quem etiam modum aliquis homo potest honorari in aliquo exteriori, puta in veste, aut in imagine, aut in nuntio: eundem modum adorationis attingit, & explicat Caiet. in principio sui commentarij; iste tamen modus adorationis imaginis communis est (vt patet ex exemplis allatis) cum alijs rebus, quæ non adorantur secundum se, sed secundum aliud in se contentum per coniunctionem cum illo iam explicatam. Secundo modo potest adorari imago eadem adoratione cum suo exemplari considerando imaginem, non vt quid coniunctum, cum suo exemplari, sed potius vt vnũ cum ipso in esse repræsentatiuo, & iste modus adorationis imaginis est proprius eius, quatenus sub conceptu imaginis propriè loquendo distingui tur ab alijs rebus.

Ad huius duplicis modi adorationes imaginis considerat doctissimus Raphael de la Torre imaginem tripliciter: primo modo secundum materiam, colores, ac lineamenta, & sic nullus ei debetur cultus. Secundo modo vt est similitudo sui exemplaris in actu signato, & non in actu exercito, sic considerata imago potest apprehẽdi vt quid coniunctum, cum suo prototypo: sic ergo ait prædictus author coadoratur cum suo exemplari: sicut coadoratur purpura cum Rege. Tertio modo consideratur in actu exercito, quatenus munus imaginis exercet faciendo potentiæ præsens ipsum exẽplar; sic ergo est vnum in esse repræsentatiuo cum illo; & ideò adoratur subpropria ratione imaginis eadem numero adoratione cum suo prototypo, & certè in præsenti articulo tertio de ista adoratione imaginis subproprio conceptu imaginis exercitæ loquutus est D. Thom. iuxta communiorem intelligentiam conformem expositioni Caietani intelligentis secundam considerationem imaginis vt imago, quam explicuit D. Thom. de imagine in actu exercito. Verum tamen est à Ferrara, si ad speciem verborum eius attendamus, vbi supra intelligi de imagine, quatenus stat sub conceptu repræsentatiui, qui fertur in imaginem, vt potentem repræsentare, & non vt de facto, & in exercitio repræsentat, & sic saluat, & defendit posse adorari eadem adoratione cum suo exemplari; vndè probabilis est expositio, & consideratio imaginis à Raphaele. Motum primũ adorationis imaginis simul cum exẽplari, sic explicare placet, quomodo fiat. In primis enim apprehendit intellectus exemplar alicuius imaginis, & simul excellentiam aliquam, ratione cuius est dignus adoratione: tunc autẽ simul voluntas decernit se subiicere ei interius, atque exterius, quod est idem, ac proponere se velle illud adorare, & ex tali proposito voluntatis dimanat, vt homo prorumpat in actualem adorationem prototypi, & imaginis, illius primo & perse, vt termini perse primo intenti: imaginis verò vt termini secundarij, tãquam cõiuncti cum primario: Ratio verò formalis terminandi in vtroque termino est eadem excellentia prototypi, & propterea terminant vnam adorationem simpliciter, quam exemplar terminat perse, & ratione sui, imago verò ratione excellentiæ ipsius exemplaris, vel vt aliqui dicũt per accidẽs, ideſt, per aliud, aut secundum aliud (vt explicat Caiet. vbi sup.) secundus verò motus adorationis, sic perficitur. Obiecta imagine visui secundum colores, & figurã, atque lineamenta, statim apprehendit illam, vt medium ad cognoscendũ eius exẽplar: imò vt ipsissimũ exẽplar, in quod quasi est cõuersa propter expressionẽ similitudinis ipsius: cognito ergo exẽplari per imaginem iudicat intellectus ipsum dignum honore, & reuerẽtia, propo-

nit ita illud voluntati: voluntas verò vult adorare, & mouet potentias ad actionem externã adorationis actualis, qua media homo sic adorat imaginem, quod simul adorat exemplar relucens in ipsa, propter vnitatem explicatam secundum esse repræsentatiuum: in hoc adorationis motu etiam possunt distingui, cum aliquibus terminus primarius, & secundarius, primarius est exemplar: quia propter se adoratur, quia continet intrinsecè rationem formalem, propter quam adoratur, secundum verum esse reale, & physicum, secundarius verò est imago, quia adoratur propter exemplar, quod continet in se in esse illo repræsentatiuo, melius tamen fiet, & erit formalior consideratio, si considerentur vt vnus terminus adæquatus, qui ex formali, & materiali conflatur, dicendo quod adoratur exemplar identificatum cum imagine, vel ipsa imago identificata cum exemplari: quia præcisse adoratur tali modo, scilicet vt stat sub tali vnitate, seù identitate.

Sed contra primum modum adorationis est argumentum: nam vestis Regia, & tronus, & alia huiusmodi, quãdo sunt coniuncta Regi realiter componunt vnum cum eo saltem accidentaliter, & ipsum contingunt, & pro tanto cum illo coadorari nihil mirum: Si autem separentur à Rege, nequaquam coli possunt eadem adoratione, quod dicunt authores primæ sententiæ asserere Ephiphanius in anchorat. de Christi humanitate, quod scilicet cum est coniuncta coadoratur adoratione latriæ cum ipso Christo, si autem esset separata à supposito diuino, non ita posset adorari, sed imago semper est, quid separatum ab exemplari, nec vnum accidentariè componit cum ipso: ergo non potest coli eadem adoratione, cum ipso exemplari, vt quid coniunctum ei.

Ad hanc obiectionem respondetur, primo iuxta mentem nostri Raphaelis distinguendo maiorem, si separentur à Rege secũdum rem, & secundum apprehensionem rationis, cõcedo maiorem, si autem separẽtur secundum rem, non tamen secundum apprehensionem, nego maiorem, & minorem distinguo, secundum rem transeat minor, secundum apprehensionem, nego minorẽ: vndè negatur consequentia. Ratio solutionis est, quia cum adoratio procedat ex affectu voluntatis volentis se submittere exemplari per se primo, & affectus voluntatis feratur in rem, vt apprehensam cogitatione, sufficit vt aliquid adoretur secundario, tanquam aliquid coniunctum cum primario obiecto adorato, quod saltem cogitatione, & apprehensione fiat vnum cum illo, secundum coniunctionem, & vt sic componat vnum, vndè pariformiter dicendum est de veste, & alijs positis in argumento, quod sufficit, vt coadorari possint, quod saltem cogitatione, & apprehensione sint aliquid coniunctum cum Rege, & imago cum exemplari, quia eo ipso, quod consideratur vestis, vt aliquid Regis, quamuis de facto, non sit realiter coniuncta cum ipso, sed tantum consideretur, tanquam aliquid, quod fuit coniunctum facit vnum cum Rege cogitatione, & secundum illam est coniũctum ei. Et idem dicendum est de humanitate Christi, quæ coniuncta Verbo coadoratur, etiam admisso, quod realiter separaretur, si tamen apprehenderetur vt aliquid, quod coniunctum fuit Verbo Diuino eadem adoratione posset coli: Epiphanius autem intelligendus est seruando eundem modum materialem, quo humanitas modo colitur, simul cum supposito diuino, qui est adorare illam secundũ quod in re est natura sustentata, & suppositata de facto ab illo, secundum quem modum, si separata esset, absque dubio non posset adorari.

Ad hanc solutionem confirmandam, est efficax satis, testimonium quoddam Læontij in Dialogo 5. contra

tra Iudæos, cuius meminit Damascenus, oratione 3. de imaginibus, & refertur in 7. Synodo action. 4. cuius hæc sunt verba. *Damas. 3.* *Quemadmodum etiã Iacob accipiens à filijs suis vestem sanguine conspersam Ioseph, cum lachrymis osculatus est, suisque oculis circumposuit, non ipsam vestem honorando, aut diligendo fecit, sed per eam arbitratus est se Ioseph osculari, & in manibus habere, sic Christiani omnes imagines Christi, aut Apostoli, aut Martyris tenentes, nostraque carne osculantes, animo videtur nobis ipsum Christum, aut Martyrem amplecti.* Ecce comparat Leontius imagines Sãctorum vesti Ioseph separatæ ab ipso, & quemadmodum Iacob illam osculando dicitur osculasse Ioseph, ac si ipsum præsentem haberet, quod certe apprehensio eius fecit, ratione cuius vestem vt aliquid, quod fuit Ioseph, cõsideráns cogitatione, illam vt coniunctam Ioseph apprehendit, & proposuit sic voluntati, quæ mota est ad mouendum potentiam exequentem ad illum actum amoris, & honoris in vestem, animo principaliter intendens in filium: Sic Leontius dicit Christianos honorare Christum, aut Martyrem eius, quando vniuscuiusque imaginem venerantur: non ergo necessarium est ad prædictum modũ adorationis exhibendum alicui, quod sit secundum rem coniunctum, aut vnitum obiecto principaliter adorato, sed sat erit si ratione alicuius habitudinis ad illud, cogitatione apprehẽdatur vt coniunctum ei. Nec valet dicere tunc illam apprehensionem esse falsam, & consequenter quod voluntas, non potest licite illam sequi: non inquam, valet: nam in primis, nego apprehensionem esse falsam: nam non apprehendimus vestem separatã realiter, vt realiter coniunctam, & sic de alijs, sed vt aliquid quod fuit coniunctum, & in hac cogitatione vera fundatur, quod apprehendatur, vel simul (vt melius dicam), eadem apprehensione apprehenditur, vt coniunctum cum Rege, vel potius ipsa apprehensione fit ipsa coniunctio cum ipso, in ratione obiecti adorabilis: In imagine vero fundatur sufficienter talis coniunctio secundum apprehensionem in esse repręsentatiuo imaginis, signatè cõceptæ, propterquod aliquid coniunctum, cum exemplari repræsentabili est in tali esse. Deinde dico, quod admisso apprehensionem esse falsam: actus adorationis erit verus, & licitus: quia orietur ex affectu ad exemplar, & eius excellentiam: Sicut oritur quando adorantur tales res, dum sunt realiter coniunctæ, & adoratio nihil superstitiosum haberet, quia in illas, vt in coniunctum cogitatione cum exemplari digno veneratione fieret, & sequi conscientiam erroneam ex affectu ad finem bonum, & licitũ, bonum est, & licitum, vt si aliquis putans pecunias, quas habet in depositio esse suas, cum tamẽ nõ essent, daret ex illis eleemosynam pauperi licite id faceret, & actum virtutis exerceret. Secundo respondeo ad obiectionem admissa maiori, distinguendo minorem secundum esse physicum sui, & exemplaris, concedo minorem, secundum esse repræsentatiuum, nego minorẽ, nã cũ vt sic cõcipiatur, vt repræsentatiua est talis exemplaris in particulari sic vnum componit cum exemplari in eodem esse repręsentatiuo, & aliquid coniunctum ei est, quod nullo modo potest cognosci sub illa ratione, nisi cognito exemplari, vndè vt sic benè potest coadorari simul cum ipso. Etsi dicas sequi ex hac solutione, quod adoratur imago per se primo, & non exẽplar: quia in tali ratione est obiectum primo cognitum vt quod, exemplar autem solum in obliquo, tanquã terminus habitudinis repræsentatiuæ cognoscitur, ergo, &c. Respondetur, negando sequelam, quia quamuis in esse obiecti cognitionis attingentis quidditatem imaginis, vt repręsentatiua est, ipsa habeat rationem obiecti

cogniti vt quod, quia vt sic gerit ratiõ nẽ rei (vt fatetur Caiet. in expositione rationis D. Th. in præsenti articul.) & tũc tantũ in obliquo attingatur exẽplar vt repręsentabile per ipsam, tamen in ratione obiecti adorabilis ratione illius habitudinis signi repræsentatiuè cognitæ in imagine apprehenditur, vt coniunctum exemplari, quia ipsa in se non participat aliquam excellentiam, aut dignitatem intrinsecam ratione cuius possit perse adorari, sed tota ratio adorationis est excellentia exemplaris, quæ non consideratur vt intra imaginẽ in actu exercito, vndè necessario debet considerari imago, vt aliquid coniunctum exẽplari, in quo residet talis excellentia, propterquam fit adoratio hic, & nũc, vndè ipsum exemplar subtali ratione obiectum, primo apprehensum est, & secundario imago sub ratione alicuius coniuncti. Contra secundum modum adorationis imaginis sunt specialia argumenta, quæ intẽdunt destruere rationem, in qua principaliter fundatur, quæ est ratio D. Thom. supra explicata, ad cuius tamen pleniorem intelligentiam est pręmittendum ex D. Caietan. in commentario articuli, quod subprima consideratione imaginis, vt res quædam est, comprehenditur imago, non tantum secundum materiam, sed etiam secũdum formam, puta si considerentur secũdum lineamenta, & colores, figuram, aut relationem, siue realem, siue rationis: sic enim etiam accipitur, secũdumquod res quædam est, licet exemplum apponatur à D. Thom. in materia: quia est magis notum, vt sic habere rationem cuiusdam rei: Ratio verò sui asserti est, quia motus in imaginem secundumquod est talis figura, vel relatio non necessario fertur in rem imaginatam, sed potest tam intellectus, quam voluntas in figuræ, aut relationis consideratione, & complacentia imaginis secundum se: quia potest ipsa imago ratione suę figuræ placere alicui, eo quod pulchra sit, & optimè expressa ad similitudinem sui exemplaris, velletque proinde illam relationem habere ad se, vel ad aliquem suorum, & simul potest displicere ei suum exemplar, & odio illud habere. Tũc enim diuersus, imò oppositus est motus in imaginẽ etiam formaliter, ideſt secũdum formam à motu in exẽplar (vt patet) secundo modo consideratur imago, quatenus exercet actum imaginis: tunc autem ait Caiet. imago exercet talem actum, quando ratio illius est ipsum exemplar, in cuius notitiam nos ducit (addit tamen ipsam imaginem esse conditionem agẽdi talem actum, notificãdi exemplar, quod certe difficile visum est aliquibus) sed postea explicabitur: tunc ergo idem est motus in imaginem, & in exemplar, quia ad ipsam, & exemplar terminatur, & ideò ait Caiet. motus in imaginem quatenus est imago est in ipsam secundum aliud in ipsa, impressum in ipsam, quia ipsa est, quæ terminat motum in exercitio, quia in ipsa est exemplar ad quod ducit. Secundum aliud in ipsa, quia ratio terminandi est exemplar, quod est aliud ab ipsa, & constat quod est in ipsa. Ex quo infert Caietan. processum litteræ, & efficaciam rationis D. Thom. & consequenter veritatem doctrinæ in quadocet, quod quia imago, vt imago terminat eundem motum, quem terminat exemplar, eadem adoratione est adoranda subprædicta ratione, cum suo exemplari, & quia Christus adoratur latria, etiam eius imago eadem adoratione debet adorari. Modo ergo sunt argumenta. Primum: nam non satis explicatur per hanc doctrinam, quis & qualis sit actus idem terminatus ad imaginem, & eius exẽplar, ergo. Probatur antecedens, nam non est actus intellectus, nec voluntatis, ergo nõ explicatur qualis sit, probatur antecedẽs, quoad primam partem: nam intellectus videntis imaginem exteriorem alio actu intelligit

ipsam,

ipsam, & alio rem in cuius cognitionem ex ipsa, & per illam deuenit: cuius ratio est, quia ex cognitione imaginis venit, vt ex causa in cognitionem imaginati, vnde notitia huius est recordatio: illius vero simplex notitia: causa autem efficiés distinguitur semper ab effectu suo: ergo. Confirmatur ex diffinitione signi instrumentalis, quale est imago externa: sic enim diffinitur à dialecticis, scilicet, est quod præexente cognitione sui ducit nos in cognitionem sui signati, & ideò dicitur, ad rationem talis signi instrumentalis duas notitias requiri, & signi, & significationis, in quo distinguitur à signo formali, quale est imago expressa mentalis, quæ non est obiectum cognitum vt quod, sed vt quo res signata cognoscitur; & ideò se ipsa & non mediante alia notitia repræsentat suum obiectum significatum. Deinde probatur antecedens, quoad secundam partem: quia non eodem amore prosequimur imaginem, & rem cuius est imago (vt ipse Caiet. fatetur) nam benè stat placere mihi imaginem, & odio habere eius exēplar. Secundo, quia relatiua etiam si sint simul natura, & cognitione, non tamen sequitur, quod sint simul amore (vt constat) nam optimè stat cognoscere Patrem, & filium simul diligere autē vnum, & nō aliud, ergo licet actus intellectus erga imaginem, & exemplar sit idem, non inde infertur adorationē esse eandem: quia illa est actus voluntatis (vt dicitur 2. 2. quæstion. 84. articul. 2.) si dicas adorationem esse actum voluntatis, quo quis se submittit Deo, vel alicui Sancto, propter excellentiam eius recognitam, & sic propositam ei, vnde sequitur modum identitatis cognitionis. Contra sic argumentur: quia talis actus proprie loquendo non est erga imaginē, sed erga exemplar: ergo non saluatur adoratio imaginis propriè. Antecedēs probatur illo cōmuni principio: quod res inanima non est capax submissionis, sicut non est capax excellentię superioris ipso adorante. Et certe Caiet. ita videtur sentire, quia ex doctrina eius relata sit infert. Ideò Christus cuius est imago est ratio, quod imago eius adoratur, & esse Christum in imagine est conditio, in qua ratio adorandi mouet ad adorandum, & terminat adorationem, & propterea non exhibetur adorationis honor creaturæ, sed creatori: quia non exhibetur conditioni adorandi, sed rationi adorandi, quæ est ipse Christus. Ex his ergo verbis optimè infertur motum adorationis, vt terminatum ad imaginem non esse adorationem proprie eius, sed tātum exemplaris. Hoc autem non benè audit: quia sapit errorem Iconomachorum.

Ad hæc immediatè respondetur: Ad primum dico, quod illud principium Aristotelis, quo vtitur D. Tho. iuxta explicationem Caietan. est vniuersaliter verum respectu motus intellectus, & voluntatis dummodo in omnibus illis obiectis, quę ad vtramque potentiam pertinent reperiatur talis ordo, aut connexio, quod vnum sit ratio alterius in genere cognoscibili, & appetibili. Vndè nego informa antecedens, & ad probationē negatur antecedens, quoad vtramque partem illius, ad probationem illius pro prima parte, nego antecedens, ad rationem eius dico, quod si ly ex, dicat causalitatem ex parte actus falsa est propositio, quia imago in actu exercito non cognoscitur aliquo actu qui sit causa, quare intellectus cognoscat rem imaginatam, sed vnico, & indiuisibili cognoscitur vtrumque, quia imago cognoscitur tunc vt præsentans suum exemplar potentiæ: si autem non cognosceretur, tunc exēplar, pro illo tunc non diceretur imago illud præsens facere, sed excitare intellectum ad actum recordationis (vt insinuabit Durandus.) Dicendum ergo est, quod subtali ratione imago, & exemplar sunt vnicum, & idem obiectum

fectum cognitionis terminans eam, quia imago terminat per exemplar in ipsa contentum, tanquam per rationē formalem illius actus, hoc est, quod dixit Caietanus secundum exemplar in ipsa.

Ad confirmationem in contra, respondetur: illam præexistentem cognitionem esse antecedenter ad exercitium imaginis requisitam, tam signi, quam suæ significationis, vt ipsa imago, vel aliud signum instrumentale in actu secundo repræsentet suum obiectum, & in hoc distinguitur a signo formali, quod quia magis expressa, & formalis similitudo est sui signati, quā instrumentale, & est intra ipsum cognoscentem nō præexigit illam duplicem notitiam antecedentem, sed se ipso immediate facit cognoscere illud.

Ad probationem antecedentis argumenti principalis pro secunda parte solutio communis est, quę inter arguendum est assignata: admittitur ergo antecedēs vtriusque probationis, & negatur consequentia. Ratio discriminis est, quia exemplar vt obiectum diligibile, & amabile non est ratio formalis amabilitatis imaginis, sed bonitas propria conueniens imagini intrinsecè, in quantum res est etiam secundum formam, quia bene est expressa ad similitudinem exemplaris, & idem est dicendum de alijs relatiuis, & ideò vnum potest amari, & alterum odio haberi, seu non amari, sed displicere: at ratione obiecti adorationis exemplar est ratio formalis adorabilitatis imaginis: quia cum obiectum adorabile debeat habere aliquam excellentiam: propterquam apprehendatur vt superius adorante, vt sic possit se submittere ei; & obsequium vt inferius superiori præstare; & imago in se nullam habeat excellētiam propriam supra hominē, tota ratio quare ab illo potest adorari est excellentia sui exemplaris. Vndè respectu actus voluntatis, qui est adoratio simul terminat imago cum exemplari illum, & sic eadem adoratione adoratur cum illo.

Ad replicam contra prædictam solutionem, negamus antecedens: iam enim supra in prima parte dubij explicui esse propriam adorationem imaginis inse, quamuis non propterse, & secundumse, sed secundum aliud in ipsa, & propter exemplar, quod idē est. Secundo ad idem argumentum dico: Quod meo videri imago vt exercens actum imaginis etiam eodem amore amatur quo suum exemplar, quia vt sic, nec bonitatem, nec excellentiam in illa fundatam habet præter bonitatem, & excellentiam exemplaris, & sic ex vtroque fit vnum integrum obiectum amoris, qui est prima causa, ex qua procedit voluntas adorationis, & ipsa adoratio. Et hoc certe manifestat doctrina Caietani supra relata: quando autem dixit, non eodem actu amari imaginem, & exemplar loquebatur de ipsa vt exercente actum rei, vt patet ex ipsa eius doctrina expresse: Fatetur tamen, quod si concipiatur sub ratione relationis est verū, quod intēditur: quia sic vnū relatiuū, quia est id per quod aliud diffinitur, vt per terminum suæ relationis, est ratio cognoscendi aliud, non tamen est ratio amādi (vt dictum est in prima solutione) sed tunc imago iam consideratur in esse rei, & vt actum rei exercet.

Ad illud verò, quod ex Caietano obijcitur, respondetur, quod cum ipse in doctrina à nobis relata expresse doceat imaginem terminare motum adorationis, licet nō secundumse, sed secundum aliud in ipsa idest exēplar. Vndè in verbis citatis non est mens Caietani constituere imaginem tantum cōditionem adorationis, sed cōstituendo ipsam obiectum adorationis materiale, ait rationem formalē, quare terminat non esse ipsam, sed exemplar, & conditio sine qua non terminaret, est ipsa passiua continentia exemplaris in illa, secundum esse illud repræsentatiuum explicatū, illa autem

autem vt sic cõcepta aliud est ab imagine quamuis ad ipsam, vt sic pertineat: quando autem dixit: & ideò honor adorationis non exhibetur creaturę intelligit propterse, vt ex dictis antea constat: Cum enim sit veluti cõclusio illata ex ante dictis, iuxta doctrinam antecedentem est intelligẽda, & sic in nullo habet Durando, neque Iconomachis.

SIT ERGO PRIMA CONclusio.

IMAGO sacra adorãda est eadem numero adoratione secundũ actum, qua propriũ eius exẽplar, & eiusdem rationis essentialiter, licet non ita perfecte conueniat talis ratio actui adorationis provt terminato ad imaginem, sicut conuenit ei provt terminatur ad exemplar. Vndè dicẽdum est simpliciter loquẽdo, quod imago Christi adoratur adoratione latriæ secundum actum. Hæc conclusio est intelligentia conclusionis D. Thom. in articulo. Ita sentiunt communiter omnes eius discipuli, tã ex nostro instituto, quam ex alieno; excepto Petro Lorca qui 3. part. quæstion. 25. art. 3. dispur. 94. membr. 3. 2. concl. in qua fere primam sententiam supra relatam, explicat dicens: Quod imagini quatenus adoratur, vt quod nõ debetur eadem adoratio secundum speciem, quę ipsi Christo, sed longe inferior, & in tertia conclusione ait illam imaginis adorationẽ procedere ab eodem habitu religionis sẽcundum speciem à quo procedit adoratio Christi, & istam vult esse mentẽ D. Thom. hic Suar. disp. 54. sect. 3. in sua responsiua conclusione intelligit conclusionem D. Thom. in hoc sensu, quod potest fieri recte imaginem, propter prorotypon, & prototypon in imagine bino actu interiori, & exteriori adorari, quod etiam negat Lorca, vbi supra, in prima conclusione asserens imaginem eadem adoratione adorari, qua adoratur exemplar, vt quo, adorari, & non vt quod, quia nõ propriè adoratur, sed solum est occasio adorationis exemplar. Hęc tamen sententia singularissima est quantum adhoc. Vndè probatur nostra conclusio. Primo ex diffinitionibus Conciliorum supra in probatione notabilis secundi præmissi ante conclusionem propositam contra Durandum. Nam certè ex illis probatur imaginem eodem actu adorationis colendam esse cum suo exemplari, ibi põderatis verba Conciliorum, & supra in probationibus primis tertiæ sententiæ. Secundo probatur ratione ipsa D. Thom. iã explicata, & à cõtrariorum obiectionibus tutata, ac defensata. Tertiò probatur, & est maior explicatio rationis D. Thom. formatur ergo ratio sic tota ratio adorandi imaginem est ipsum exemplar repręsentatum per eã, ergo adorari debet adoratione illã, quæ exhibetur eidem exemplari. Antecedens probatur, quia nullã dignitas, aut excellentia reperitur in imagine, propterquam sit adorabilis licite, nisi excellentia ipsa exemplaris, ergo tota ratio propterquam adoratur imago est exemplar ipsum, secundum eius excellentiam. Consequentia probatur, quia si solum excellentia exemplaris est ratio quare adorari debet imago, ergo illa eius adoratio, est quę correspondet tali excellentiæ, & cõsequenter adorabitur actu illo, quo adoratur exemplar, & ille habebit speciem adorationis ex tali obiecto formali. Vndè si exẽplar fuerit Christus, cum ipse propter eius dignitatẽ adoretur latria, ita & eius imago, etiã latria adorabitur.

Confirmatur. Imago, & exemplar sunt vnum in ratione obiecti adorabilis: ergo vnica indiuisibili adoratione adorantur. Antecedens probatur: nam cum exemplar adoratur mediãte imagine, licet adoretur in suo vero esse, & secundum excellentiam, quã habet inse, ly secundum sumpto ex

parte

parte rei adoratæ, ex parte tamen modi adorationis adoratur vt vestitū imagine, seu vt denominatum ab illa repræsentatum, & manifestatum potentiæ, quod absque dubio vocauit Caietanus conditionem obiecti principaliter adorati desumptam ex continentia passiua exemplaris in imagine: ergo efficiuntur vnum in ratione obiecti adorabilis imago, & exemplar, & consequenter vno adorationis motu adorantur: quia quę vnum sunt in eo, quod vnum vnico actu attinguntur. Deinde probatur antecedens ex ratione formali, & obiecto pure materiali fit vnum adæquatum obiectum actus, sicut & potentiæ, sed iam probatum est, quod imago tantum est obiectum materiale adorationis exemplar vero ratione suæ excellentiæ est obiectum formale, tāquam ratio, propterquam adoratur: ergo ex imagine, & suo exemplari efficitur vnum obiectum adæquatum adorationis: Consequentia autem principalis rationis est plana ratione iam facta, & exemplis declaratur: nam idem actus visionis terminatur ad colorem, & ad lucem, quia lux est ratio formalis obiecti visibilis: similiter vnicus actus intellectus terminatur ad Verbum mentij, & ad rem significatam per illud, quia Verbum est ratio intelligendi rem ipsam: quia per illud fit proportionata, vt actu intelligatur, & propter istam rationem per modum vnius obiecti adæquati attinguntur: Sic ergo dicendum erit de imagine, & exemplari eius, atque ita eadem numero adoratione adorabuntur. Ex dictis rationibus sequitur primo contra Loream imaginem nunquam quod adoratur simul cum prototypo, tanquam principali termino adorationis, adorari diuersa adoratione secundum speciem ab adoratione prototypi: quia si exēplar ipsum est principalis terminus adorationis, & eius excellentia est ratio formalis propterquam ipsum adoratur, & imago propter ipsum: ergo semper adorationis motus est eiusdē speciei, patet consequentia, quia omnis motus accipit vnitatem specificā à termino formali, & primario, & nō à termino quasi secundario, & materiali: ergo ab eodem termino formali, & principali eadem species motus debet desumi: ergo si exemplar habet excellentiam, propterquam adoratur latria, similiter imago adorabitur eadem adoratione secundum speciē: quomodo autem illa essentialis ratiō latriæ, non ita perfecte applicetur tali motui, vt est ad ipsam imaginem, atque applicetur ei, vt ad exemplar terminatur explicabimus solutione ad primum argumentum primæ sententiæ.

Sequitur secundo contra eundem nūquam posse adorari imaginem, vt quo tantum, quando adoratur simul cum exemplari adorato, vt quod formaliter, & expresse. Ratio est, quia illud adoratur vt quo, quod est ratio formalis quare aliud adoratur, vt quod, sed imago nō est ratio formalis, quare adoratur vt quod exemplar, sed potius econtra (vt ipse fatetur sæpe conformiter ad doctrinam Conciliorum) ergo nunquam potest adorari, vt quo. Deinde, quia dicere cum ipso idem adorari imaginem vt quo, non quia est ratio formalis (hoc enim cum fide nostra non bene stat) sed quia est occasio adorationis exemplaris, quæ per se primo ad ipsum terminatur, in quantum consideratur vestitus imagine: Hoc enim dicere est incidere in opinionem Durandi supra impugnatam: nam esse occasionem adorationis prototypi, non est esse obiectum adoratum proprie loquendo, neque vt quo, neque vt quod, sed solum abusiue, & improprie: hoc autem non bene saluat proprietatem verborum Cōciliorum, quæ diffiniunt imaginem adorari, quando in ipsa adoratur suum exemplar: ergo talis conclusio Lorcæ videtur sapere doctrinam Iconomachorum, sicut doctrina Durandi.

Vndè

Vnde non est audienda. Deinde, quia eius doctrina est contra communem Metaphysicam, secundum quam edocti sumus, quod imago externa semper vt quod cognoscitur etiamsi attingatur, vt in exercitio manuducit in cognitionem eius exemplaris, quia est medium, quod vocant Dialectici per quod, & non in quo, & in hoc distinguunt illam ab imagine interiori, & Verbo mentis (quamuis fere omnes illi etiam asserant, vt probabilius verbum mentis cognosci vt quod in cognitione directa, quādo in ipso cognoscitur suum exemplar) ergo eodē modo dicendum est de illa in ordine ad adorationem, quod videlicet in illa adoretur exemplar, aut per illam ipsa est adorata vt quod, tanquam obiectum materiale secundarium que, atque proinde minus principale, & coadoratum, vt aliqui ex nostris Thomistis explicant.

Ad argumenta ergo pro prima sententia respondetur: Ad primum ex Concilio 7. Generali action. 7. dicendo Concilium, & Patres intēdere explicare, quod imaginibus Dei, & Christi, non est exhibenda adoratio, quæ sit vera latria propter aliquam excellentiam propriam ipsarum imaginum: ita vt credamus illis in esse aliquam diuinitatem, sicut gentes credebant de suis idolis, sed hanc adorationem latriæ exhibitam rei propter se referuandam esse exemplaribus, quæ in ipsis adorantur imaginibus. Sic exponunt præfatum testimonium cōmuniter multi; Medina ad primum, quæstion. 3. Raphael vbi supra; ad 1. tertię sententiæ, Cabrera ad primum primæ opinionis, amplectitur Suarez, & Ragusa, & quamuis etiam alij adhibeant plures expositiones, hæc est legitima, & melior. Tūm quia sic videtur explicuisse Nycænam Synodum, Concilium Tridentin. Session. 25. decreto 2. de inuocatione veneratione, &c. Dum postquam dixit imaginibus debitum honorem, & venerationem impertiendam subiunxit: *Nō quod credatur in esse aliqua in eis diuinitas vel, virtus, propterquam sint colendæ, veluti olim fiebat gentibus, qui in idolis suam spēm collocabant*, adiungenda sunt hęc verba verbis Concilij Secundi Nycæni, quia Concilium Tridentinum expresse asserit illud idem, quod ibi diffinit circa venerationem imaginum esse sancitum decretis Conciliorum præsertim secundæ Nycænę Synodi contra imaginum oppugnatores, est ergo decretum Concilij Tridentini declaratio decreti Nycænæ Synodi secundum propriam eius, & Patrum illius mērem. Tūm etiā patet esse legitimam explicationem ex ratione subiuncta à Synodo Nycęna, scilicet: *Quia honos imaginis ad exemplar refertur, & qui adorat imaginem in ea quoque adorat descriptum argumentum*: quam rationem etiam subiungit Tridentina Synodus sub his verbis: *Sed quoniam honor qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, ita vt per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procūbimus Christum adoremus, & sanctos, & sanctos quorū illæ similitudinem gerunt veneremur.*

Rationis huius sensus clarus est, quem verba ipsa indicant, & explicat D. Thom. in præsenti articulo in corpore, & in solutione ad primum & secundum, scilicet quod imagines, qua ratione imagines sunt honorantur propter excellentiam suorum exemplarium, non propter se ipsas, atque adeo adoratione illa, qua ipsa exemplaria sunt adoranda. Vnde patet sententiam D. Thom. esse ipsam mentem Synodi Nycęnæ licet eam, non retulerit Sanctus, ex quacunque causa id prouenerit.

Tūm denique probatur expositionem esse legitimam: quia intentū Conciliorum citatorum fuit, adorationem gentium suis idolis tributam penitus euertere, in adoratione imaginum

ginum, vt sic explicaret Catholicos adorantes sacras imagines, non esse similes idolatris gentibus, sed virtuosè procedere secundum fidem: quia adorando imagines adorant earum prototypa: quia non adorant eas propterse, & sistendo in illis, vt in rebus dignis ratione sui adoratione, sed transeundo ad ipsa prototypa, propter quę adorantur. Gentiles autem exhibebāt adorationem suis idolis artefactis, tanquam si inse haberēt numen aliquod diuinitatis veræ: hāc ergo idolatricam adorationē ab imaginibus voluerunt sacra Concilia auferre, & nostram sanctam, ac religiosam contra Hæreticos illam oppugnantes stabilire: in hoc eodem sensu adducitur à Concilio similitudo adorationis Crucis, & Sanctorum Euangeliorū, aliorūque quę ibi exprimuntur, quia etiā hæc omnia, nō adorātur propterse, sed propter Deū a vt Sāctos repręsentatos, vel quia sunt aliquid eorū. Crux ipsa in qua Christus pepēdit ratione cōtactus, reliquiæ Sāctorū, quia sunt partes corporis, aut vestis Sancti, Calices sacri, quia propter consecrationem aliquo modo Deum cuius cultui sunt dicati repręsentant, & sic de Euangelijs, vt postea dicam solutione ad confirmationem.

Ad ponderationem ex oppositione adorationis, quæ in sola oblatione sufficuum consistit adorationi latrię: Respondetur negando, Concilium in illis verbis intendere accomodare, aut explicare aliquam adorationem imaginibus propriam distinctam ab adoratione prototypi, sed solum vult declarare, quod eo modo quo reuerenter accedimus illis actibus externis, quatenus sunt signa internæ submissionis ad adorandam Crucem, sancta Euangelia, ac reliqua sacra, non ratione alicuius excellentię eius propriæ in esse rei, sed ratione Dei significati per ipsa, ita imaginibus exhibemus illum cultum, non propter ipsas, sed ratione exemplarium, quibus in ipsis imaginibus fit adoratio exterior illis signis sensibilibus, & corporalibus vt procedentibus ab interno affectu submissionis conformiter ad propriam excellentiam illorum, & iuxta eius exigentiam.

Pro quo videndus est Raphael de la Torre 2. 2. quæstion. 84. articul. 2. disputation. 4. vbi docet omnem adorationem externam esse communem secundum se Deo, & creaturis. Vnde dum imagini Christi exhibetur cultus illis signis externis, illa sunt notæ adorationis latriæ internæ, ex qua illa habent componere adorationem exteriorem, quæ est latria. Sed tunc instare videtur, quod in primis verbis dicitur à Concilio, non exhiberi imaginibus veram latriam, & statim subdit verba alia iam relata: ergo videtur sentire, quod non adorantur imagines vera latria, sed alia inferiori adoratione explicata in alijs verbis sequentibus.

Ad hoc respondetur, persistendo in explicatione eadem, quod in illa negatiua excludit Concilium veram latriam, quæ soli naturę diuinæ competit: Hæc autem est latria exhibita Deo propterse, & secundumse: quia ratione suæ supremæ, & infinitæ dignitatis debetur ei latria primò, & per se; non tamen intentum Concilij, est negare adorationem latriæ exhibitam imagini, non secundumse, sed secundum exemplar in ipsa, modum ergo quo latria exhibetur Deo, negat Concilium imaginibus: non tamen rationem ipsam specificam adorationis latriæ. Alij verò de quorum numero est Raphael de la Torre, à quo non differt Suar. in secunda expositione ad prædictum testimonium sect. illa 4. citata, sed potius est magis explicans idem, quod itidem videtur sentire Ragusa, dicunt ergo, quod Concilium vocat adorationem imaginis Dei, & Christi, non veram latriam, per comparationem ad adorationem, quæ exhibetur prototypo, sicut

sicut Ioannes 4. adoratores Noui Testamenti dicuntur veri adoratores, nō quod adoratores Veteris Testamēti essent falsi adoratores, sed cōparatiue, id est potiores, & meliores adoratores, hæc noster Turrianus, quæ intelligenda sunt non ita, quod designetur distincta adoratio erga imaginē ab illa, quæ exhibetur exēplari, sed vt dicit Suar. quia licet idē actus adorationis sit vtriusque, tamen ille idē habet perfectam latriam, id est perfectissime participat rationem talis adorationis ex ordine ad prototypū, prout vero terminatur ad ipsam imaginē, non ita perfecte participat illam rationē, & propterea vocatur nō vera latria, sed inferior adoratio, neque est nouum, quod idē actus formaliter secundū diuersam habitudinem ad diuersos terminos, & quatenus cum præscisione mentis consideratur sub illis participet diuersam denominationē participationis eiusdem rationis formalis specificę. Exēplum ponit in actu visionis beatificæ, qui formaliter est eiusdem essentiæ beatificæ, tamen per diuersos illos respectus quos habet ad terminum primarium, nempè Deū, & ad terminum secundarium, scilicet creaturas habet diuersam denominationē, nam prout terminatur ad Deū habet rationē beatitudinis, quam tamen non habet prout terminatur ad creaturas. Exemplum istud non per omnia tenet, quia adorationis motus per respectum ad imaginem, & prototypum habet eandem denominationem latriæ, & rationem eandem indiuisibilem actus visionis per respectū ad creaturas nullo modo est beatitudo, sed quasi aliquid secundariò pertinens ad statū, & cōpletam perfectionē beatitudinis, tenet tamen quantū ad aliquid, scilicet quantum ad vnitatem actus etiam formalem, cum qua compatitur illa diuersitas denominationis: sic etiam eadem adoratio prototypi in imagine, & imaginis propter illius exēplar participat rationem latriæ perfecte respectu prototypi, quia illud respicit vt obiectū sume excellens, & ideò propterse adorabile, respectu verò imaginis imperfecte participabit rationē latriæ, & potest vocari inferior adoratio: quia nō adoratur vt summum obiectū, sed propter summum obiectum, tanquam aliquid illius, quod proinde adorato illo coadoratur, cum ex Ragusa admittit diuersas istas denominationes explicatque illas, §. *Ponuntur exempla*, impugnando exemplaSuarr. tanquam in multis deficientia, primus defectus est, iam à nobis explicatus, potissimus est, quod creaturæ terminant actum scientiæ beatificę secundum propriā cognoscibilitatem in ipsis existentē, & eodem modo terminant actū amoris, in quo etiam ponit exemplū Suar. at imago, non terminat actum adorationis propria adorabilitate, sed secūdum adorabilitatem exemplaris per ipsam repræsentati, ita vt censeatur vnum obiectum cū ipso quatenus vicaria eius est propterquam rationem adoratur in ipsa, tamen subdit, quod quia excellentia prototypi propterquam adoratur, non est in ipsa secūdū rem quomodo est in ipso exemplari, ideò in suscipienda illa ratione adorationis latriæ est diuersitas superioris, & inferioris, ita vt dicere possimus, quod prototypum participat perfectā latriam, quia exhibetur ei propterse ratione excellentiæ intrinsecæ existentis in ipso secundum rem: imago vero participat imperfecte, quia adorationis motus terminatur ad ipsam, non quia secundum rem habeat rationem illam propterquam adoratur, sed quoniam quia exemplar adoratur in ipsa, & non seorsum inse ipso, censetur & fit vnum obiectum, cum eo habens eandem excellentiam per modum expressę similitudinis eius. Benè quidem hæc cohærent, cum nostra explicatione, tamen sine illis sufficienter per illam soluitur obiectio proposita.

Ad confirmationem respondetur, aliqui dicunt, quod illa cõparatio Cõcilij imaginum cum sanctis Euangelijs, & vasibus sacris est tantum, quãtum ad aliquid, scilicet, quantum ad hoc, quod sicut Euangelijs, & vasibus sacris, non exhibetur adoratio propter se, sed propter Deum, quem significant, ita etiam imaginibus fit cultus, non propter excellentiam propriam, sed propter prototypum, qui intra ipsam est in esse repræsentatiuo (quod etiam diximus supra ad præcipuam partem, & primam argumenti) non tamen fit comparatio, quantum ad omnia, quia est diuersa veneratio, & adoratio, quæ exhibetur imaginibus, ac alijs rebus commemoratis propter diuersam significationem eorum: imagines enim Dei expresse significant ipsum: aliæ verò res sacræ tantum implicitè, ex vsu, & acommodatione Ecclesiæ, & propterea varius cultus exhibetur illis (vt constat ex vsu, & consuetudine ipsa Ecclesiæ) sic Medina: Sic etiam Cabrera vbi supra in secunda explicatione Synodi septimi citatæ in fine eius: isti tamen authores non explicant, an illo cultu eodem, quo veneramur sacra Euangelia, & vasa veneremur ipsum Deũ, neque an sit latria illa adoratio, necne, & propterea quamuis ad soluendum argumentum, quatenus contra adorationem imaginum procedit sufficiat, ad veritatem tamen explicandam aliter est soluendum argumentum. Raphael verò de la Torre, ex parte conuenit, cum solutione præcedenti: Addit verò aliqua in quibus videtur disconuenire, nisi dicamus ea pertinere ad maiorem, & legitimam explicationem solutionis assignatæ quantum ad illud in quo ponit diuersitatem inter imagines, & Euangelia: Dicit ergo, quod fere idem est dicendum de adoratione prædictarum rerum, atque imaginum, scilicet eas esse adorandas eodem actu, quo Deus ipse cuius honori dicatæ sunt. Aduertit tamen non esse in more cõstitutum omnigenere cultus coli, quo Deus ipse, imò neque quo imagines: Tùm propter arctiorem coniunctionem imaginis Dei ad ipsum: Tùm propter expressiorem significationem imaginum. Ex quo prouenit, quod coram imaginibus Christi, & Trinitatis genuflectamus, & non coram vasis sacris: Coram imaginibus pectus tundamus; non tamen coram libris Euangeliorum: at verò osculamur vasa sacra, & Euangelia, ac veneramur, & tunc eodem motu veneramur etiam Deum, vel Christum: qũa propter subdit, similitudo adorationis harum rerum adducta à Concilio ad confirmandam, & explicandam adorationem imaginum, non in omnibus sequenda est: sed in eo, quod precedenti solutione est explicatum. Et concludit dicendo, quod fortasis in huiusce modi rebus habet verum sententia opposita; non tamen in imaginibus, quæ vicem tenent sui exemplaris, & vnum cum eo computãtur, vndè non mirum, quod eodem actu colantur.

Mihi vero his solutionibus præmissis: videtur dicẽdum, quod quamuis aliquas actiones exteriores pertinẽtes ad integritatẽ cõpletam adorationis secundum morem, & cõsuetudinem Ecclesiæ exerceamus circa imagines Dei, & Christi, quas tamen nõ exercemus circa Euangelia, & vasa sacra, propter rationẽ iam factã, tamen illæ actiones exteriores quibus veneramur Euangelia sancta, & vasa sacra, vt procedunt ab intentione recta, volendi submissionẽ exhibere illis, qua ratione habent esse adorationem externam ex subordinatione ad internam: cum illis non exhibeantur propter aliquã excellentiã propriam, sed propter excellentiam Dei (vt omnes fatentur) quãuis secundũ esse rei physicũ videãtur exhiberi illis, & nõ Deo tamẽ moraliter, & vt habẽs rationẽ adorationis externę notificãtis animũ interius

interius submissum principaliter exhibetur Deo propter cuius excellentiam eis exhibentur, vndè idem motus adorationis fertur in Deum, ad eũ modum quo fertur motus adorationis imaginum in exemplar, & cõsequenter de primò ad vltimum dicendum est, quod adorantur latria, sicut ipse Deus: nam Deo neque seorsum à vasis sacris, & sanctis Euangelijs, neque in ipsis, vt in signis, potest veneratio adorationis inferioris exhiberi distincta à latria: nam id esset ipso facto denegare ei reuerentiam debitã. Ratio solutionis est conuincens meo videri: nam id per quod formaliter prædicta fiunt obiectum adorabile, est excellentia Dei contenti in ipsis secundum aliquam significationem saltim implicitam, vel non ita explicitã sicut est significatio imaginum: ergo motus adorationis, qui ad illa terminatur est illa, qui specificatur à tali excellentia diuina, sed ille est motus adorationis latriæ, ergo. Fateor tamẽ, quod apud simplices, & in doctos, cũ signa externa quibus adorantur, non sint ita sacrata, secundum vsum Ecclesiæ, atque sunt illa quibus imagines Dei, aut Christi adorantur videbitur adorationem esse minorem, tamen cum ex bono affectu adorent ea, sicut sunt adoranda, etiam illi, in actu exercito adorant ea, propter excellentiã Dei, & sic cultu latriæ; & propter prædictam significationem imperfectam, non ita notum explicite est, talem adorationem esse latriam: re tamen vera est latria. Ex dictis patet, quod etiamsi D. Tho. vidisset Synodum illam non mutaret sententiam suam, sed potius confirmaret, quia eadem est cum illa, quam Concilium diffinit, vt benè aduertit Cabreta vbi supra, §. ex hac explicatione Concilij Nycæni, &c. & Suar. cui imponũt alii quid dictum illud positum in cõfirmatione cui satisfecimus, ait, quod licet probabile iudicet ipsum, non vidisse Synodum, cum illius mentionem nõ fecerit, tamen etiamsi vidisset, neque sententiam mutasset, nec modum loquendi, cum sit simpliciter verus, explicuisset tamen illam Synodũ, & suã sententiam cum modo loquendi Cõcilij, conciliasset.

Ad secundam confirmationem ex Epiphanio, respondetur ipsum eodẽ modo esse interprætandũ, atque septimam Synodũ, siquidem verba Synodi cum ait: *Non quidẽ secundum fidẽ veram latriam*, ita rigurosa sint sicut verba illa Epiphanij, *modo sciamus excludi latriã*. Vndè non est cura, vt aliquid addamus, siue repetamus, vt meliusdicam. Ad secundum argumentũ principale respondetur, negãdo antecedẽs, quia imago vt exercens munus imaginis, est idem cum suo exemplari. Vndè excellentia eius censetur eadẽ excellentia exemplaris, & nulla alia in ipsa consideratur vt sit obiectum adorabile, sicut supra diximus: Vndè solutiõ inter arguendum bona est.

Ad primam replicam resp. distinguendo antecedens, si cõsideretur secundum esse physicum entis, concedo, quia illud exercitium, est actus secundus entis artificialis: si verò consideretur secundũ esse repræsentatiuũ, nego antecedens: nam sic ipsum esse physicũ exemplaris est expressum in imagine, atque ita vicẽ eius gerẽs, nobis manifestat illud secundũ excellentiã propriã exẽplaris, ly secundũ &c. tenẽs se ex parte rei manifestatę, & ideò volũtas, sicut & intellectus fertur in imaginẽ, & in exẽplar, tanquã in vnũ obiectũ adęquatum adorationis, sicut dixi supra, dũ secundũ modum vnitatis adorationis imaginis, & prototypi explicui.

Ad secundam probationem, seu replicam resp. concedo antecedẽs, quia prædicatũ illud secundũ proprium esse, & modũ, subquo cõuenit in esse rei obiecto significato per terminũ effertur de subiecto in esse rei eodem modo: negatur tamen consequentia, vel distinguatur consequens, si diceremus

remus imaginem Christi adorari in esse physico eius eadem adoratione, qua ipsum Christum adoramus concedo, si autem dicamus, sicut diximus cum D. Th. adorari quatenus in exercitio repręsentationis sub vnitate repręsentationis, est idē cum ipso Christo, nego consequentiam: quia ad adorationem vnam vtriusque sufficit vnitas ista. Vndè benè ibi dictum est.

Ad replicam respondetur solutione communi, illam probare efficaciter imaginē inferiori modo participare specificam rationem adorationis, qua exemplar eius colitur, non tamen probare, quod non adoretur eadem adoratione secundum speciem, quia vtrunque propter eadem prototypi excellentiam adoratur. In quo autem consistat illa inferior participatio, iam dictum est, ad precedens argumentum, dum verba Synodi septimæ explicui: in forma ergo ad argumentum, concedo antecedens, & primam consequentiam, & distinguo secundum consequens, si ratione illius vnitatis imago esset adorabilis perse, & propterse seorsum ab exemplari, concedo consequētiam, propter probationem ibi inductam, si autem ratione illius sit adorabilis non perse, & propterse, sed propter aliud principaliter adoratum, scilicet propter exēplar in ipsa contentum, nego consequentiam: nam adoratio non debet proportionari cum re adorata per aliud, aut coadorata simul cū alia, sed cum obiecto perse primo adorato, exemplum est in adoratione humanitatis Christi, quæ adoratur latria, & tamē talis adoratio nō proportionatur cū ipsa, quia nō est obiectū perse primo adoratū, sed secūdariū, adoratum ratione totius Christi subsistētis, qui propterea quod subsistētia diuina subsistit adoratur latria. Sic euertitur tota argumēti cōstructio. Secūdo potest distingui illud idē consequēs, nō est adorabilis eadem adoratione secundum omnem modum perfectionis, qua adoratur exemplar, concedo consequentiam, eadem sub modo tamē inferiori, nego consequentiam: iste autem modus inferior sub quo imago Christi participat illam adorationem latrię, Christo in ipsa imagine exhibitam, non consistit in hoc, quod adoratio imaginis non sit æqualis inse, & totaliter vna secundum substantiam cū adoratione prototypi, sed in hoc quod eadem essentialiter adoratio, secundum suam substantiam inæqualiter vtrique conuenit, quia exemplari propterse, & ratione sui, imagini secūdariò, & propter ipsum exemplar (vt dictū est iam supra.) Vndè sicut propter istam rationem adoratio imaginis vocatur respectiua, prototypi vero absoluta, ita vna vocatur inferior secundum modum, altera verò superior: sit exemplum in adoratione alicuius Sancti inse, etenim totus homo Sanctus eadem adoratione adoratur, tamen illa eadem adoratio, non cadit æqualiter in omnes eius partes, sed primo & perse, ac magis principaliter afficit animam, & minus principaliter corpus, sic eadem adorationis latriæ ratio, participatur ab imagine, & exemplari, ab isto primò, & principaliter modo explicato ab illa secundariò, & minus principaliter, idem potest explicari in adoratione Christi in se, & in alijs exemplis, quibus explicata adoratio eadem imaginis, & prototypi extat supra. Raphael noster Turrianus, id explicat exemplo animæ, quæ vna, & eadem cum sit participatur à diuersis partibus corporis totaliter inæqualiter tamen: nam tota anima est in qualibet parte corporis, etiam minima: tamen nobilius est in capite, & in corde, quam in manu, aut pede: sic tota eadem adoratio latriæ attribuitur imagini, & exemplari, sed huic principaliter, illi vero minus principaliter. Tertio, distinguo consequens, meo videri iuxta mentem Caietani, si illa vnitas secundum esse diminutum repræsentatiuum esset

ratio

ratio formalis, propterquam adoratur imago, concedo consequentiam, si solum sit conditio, sine qua non, nego consequentiam, etenim quod sit imago secundum illud esse repræsentatiuum ipse Christus est conditio sine qua non posset adorari Christus in imagine, & media ipsa, & consequenter est conditio sine qua non posset adorari imago vt vicaria Christi simul cum ipso: Ratio autem formalis adorationis est eadem excellentia Christi (vt dixi explicando supra doctrinam Caietani) à conditione nõ specificatur motus, sed à ratione formali. Vnde cum hæc sit eadem, adoratio vtriusque est eadem formaliter secũdum speciem.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens pro causa efficienti, nego antecedens, pro causa formali obiectiua, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia potius infertur contrarium, quia semper obiectum materiale, & formale eodem actu secundum speciem attinguntur, vt patet in luce, quæ quia est ratio formalis obiectiua, quare videtur colores eodem actu videtur cum ipsis, & Verbum mentis eodem actu intelligitur, quo cognoscitur res ad extra, quia est ratio intelligendi ipsam.

Ad alteram confirmationem respondetur explicando maiorem, debet enim sic intelligi, non quod imago adoretur adoratione respectiua, quæ sit respectiua, quia relatiua est, & per ordinem ad aliquem terminum: adoratio vero sit absoluta, ideſt carẽs habitudine ad aliquem terminum, ve luti ens absolutum dicitur tale in genere physico: quia est ad se, & non in ordine ad aliud: quia isto modo etiã adoratio exemplaris est respectiua, scilicet per ordinem ad ipsum exẽplar: dicitur ergo respectiua adoratio imaginis ex parte obiecti, quia scilicet imago non adoratur propter excellẽtiam propriam, quę sit in ipsa absolutè considerata, sed propter excellentiam prototypi, quam respicit, vt aliquid continens illam intra se secundum esse repræsentatiuum iam explicatum: adoratio vero exẽplaris dicitur absoluta ex parte obiecti adorati, quia est in se absolutè excellẽs excellẽtia propria, & intrinseca in esse rei, tunc ergo negatur minor, quia modo explicato, benè potest esse, quod vnũ, & idem sit absolutum, & respectiuum respectu diuersorum, sicut contingit in quacunque adoratione, qua adorantur partes simul cum toto, vel vestis Regis, aut Sancti, supra enim idem explicatum est. Vnde non est amplius hic immorandum.

Secundo respondetur ad argumentum principale, iuxta mentem Ferrara lib. 3. Contrag. cap. 120. Tum in solutione ad simile argumenti Durãdi, §. *Nec valent argumenta Olichot*: Tũ etiam ad aliud argumentum Ioannis de Mirandula. §. ex his patet. Respondetur ergo, cõcedo antecedẽs, & distinguendo consequens primò, & per se, concedo consequentiam, secundario ratione Dei per se primò adorati, nego consequentiam: ait enim Ferrara ad argumentum Durandi non dicere se, cum D. Thom. imagini Dei deberi adorationem latrię, quia anima dicat imaginem esse Deum, sed quia eodem actu adorationis, quo adoratur imago Dei, in quantum est eius imago adoratur ipse Deus, tanquam id quod primò, & per se adoratur: ipsa vero imago, tanquam Dei repræsentatiua adoratur ratione Dei, quod nullum est inconueniens: sicuti non est incoueniens simul Regem, & eius legatum honorari: dum ipse legatus, tãquam repræsentans Regem honoratur: esset autem inconueniens, si imago Dei per se adoraretur latria, actu quo Deus non honoraretur: quia tũc adoraretur vt talis res, non autẽ Dei imago. Eodem modo respondet simili argumento ex Mirandulano, quod est primum secundi, §. supra citati.

Contra hanc solutionem non procedunt replicę factæ inter arguendum. Eodem modo debet dici ad argumentum secundum primum modum defendendi sententiam D. Thom. supra explicatam: Nam quamuis imago vt imago, sit quid distinctum à Deo, benè potest adorari latria simul cum ipso, in quantum secundum esse repræsentatiuum, adhuc signate conceptu, apprehenditur vt aliquid coniunctũ cum Deo, adoratur tamen secũdariò, & ratione Dei perse primò adorari, & contra istam solutionem, secundũ quam etiam est distinguendum consequens iuxta prædictam doctrinam, non procedunt præfatæ replicæ.

Ad tertium principale respondetur negando antecedens: nam oppositum docet D. Thom. 1. 2. quæst. 8. artic. 3. & quæst. 12. art. 4. & quæst. 13. de veritate art. vltimo, ad probationem distinguitur maior, ita vt semper sint distincti actus realiter, nego maiorem, ita vt aliquando sint distincti, cõcedo maiorem, etenim in locis citatis omnes discipuli D. Thom. explicantes ipsum dicentem, quod quando voluntas fertur in finem provt est ratio volendi media in actu exercito, eodem actu vult finem, & media, sicut visus eodem actu fertur in obiectum, & in lucem, dicunt, quod quãdo voluntas fertur in finem secũdum se, & in media secundum se diuersis actibus in illa fertur: quando verò fertur in finem, vt includentem in medijs, & in media, vt includentia finẽ, eodem actu fertur in vtrumque, & rationem huius assignat D. Thom. in illa quæst. 12. art. 4. quia idem actus cadit in obiectum, & in rationem formalem obiecti: sicut idem actus visionis cadit in colorem, & in lumen. Et tunc, quando eodem actu reali appetitur finis, & medium propter finem intentio finis, non est causa efficiens electionis secundum rem, & formaliter: sed solum est causa electionis formalis, aut si efficiens, virtualis, & secundum rationem, sicut essentia rei est causa realis proprietatum, quæ ab ipsa realiter distingũtur, at verò respectu proprietatum, quæ ab ipsa tantum ratione distinguntur solum est causa virtualis, & secundum rationẽ, vt ens potest dici causa veri, & boni: tunc ergo quando voluntas intendit finem, provt in medijs determinatis, & media eadem, provt determinatè includentia finem, perseuerante eadem intentione finis sic intenti, nunquam variatur electio: Hoc enim solum contingit, quando voluntas prius intendit finem aliquem secundum se in ordine ad aliqua media in confuso, & vage, & ex tali intentione procedit, vt determinata per illam, & consultationem de medijs vtilibus ad finis consequutionem ad electionem mediorum, propter illum finem, & tunc distinguntur realiter intentio illa formalis, & electio sequta, tamen in ipso eodem actu electionis simul est appetitio mediorum, & finis: quia media appetuntur propter finem, vt propter rationem formalem, & multi dicunt, quod est ibi virtualiter intentio finis. Vnde idem dicendum est, & à fortiori in adoratione imaginis, quia illa nũquam potest adorari propterse, sed semper propter exẽplar, & ideò semper eodem actu adorari debet vtrunque. Sed tunc est argumentum, quia in illo eodem actu circa finem, & media est duplex ratio formalis, scilicet electionis, & intentionis: ergo similiter dicendum de actu adorationis: quod sit in illo duplex ratio formalis, altera latriæ circa finem, & exemplar, altera inferior circa imaginem, vt medium.

Respondetur admisso antecedenti de duplicitate rationis formalis in esse naturæ (quia in genere moris est eadem ratio formalis virtutis, vt dicunt Thomistę) negando consequentiam, ratio diuersitatis cõsistit in hoc, quod medium vt mediũ, potest saltim propter habitudinem, quam dicit

ad

ad finem terminare inse aliquam rationem formalem volitionis : quia provt sic apprehenditur vt bonum vti le ad consequtionem finis intenti. Vnde habet inse sufficientem rationem, per quam terminare possit actũ sub formalitate electionis; at verò imago vt imago, per hoc quod repræsentet exemplar, vel consideretur, vt quid coniunctum cum illo, vel dicens habitudinem ad illud, non participat inse excellentiam, per quam possit terminare aliquam adorationem, quia præcisè, est adorabilis propter excellentiam sui exemplaris principaliter adorati. Vndè solum eadem ratione adorationis latriæ, qua Deus, aut Christus adoratur in ipsa potest adorari (vt cõtra secundam sententiam dicam statim.)

Ad vltimum argumentum respondetur, cum Ferrar. vbi supra, quẽ omnes sequuntur, etiam Suar. sect. 4. citata ad vltimam obiectionẽ, quod imago est partiale obiectum adorationis. Vndè cum exemplari integrat obiectum totale adorationis cuius obiecti vna pars, scilicet exemplar, est ratio quare adoratio ad alteram partem terminatur, & tũc distinguo propositionem sequelæ, sequitur aliquid creatũ terminare cultum latriæ secundariò, concedo sequelam, primò, & perse, nego sequelam, primò modo non inconuenit creatum aliquid respectum includens ad diuinum, terminare adorationem latriæ, quia terminat vt aliquid coadoratum cum principali adorato, vt dicitur ab omnibus de humanitate Christi Domini, neque hoc est male Catholicum subdit Ferrar. sed potius dicere oppositum est magis à veritate fidei alienũ, cũ secundũ Ecclesiæ Catholicæ ritũ videamus Cruci, fieri genuflexiones, postrationes, supplicationes, & alia huiusmodi, quę ad latriæ adorationem pertinent: Nõ enim est contra diuinam reuerentiã hoc, sed potius maximè consentaneũ illi est, vt cum ipso Deo adorẽtur ea, quæ illi sunt coniuncta per habitudinem ad ipsum, & hæc de prima, & principali parte dubij, & confutatione primæ sententiæ.

Ad explicationem secundæ partis, & secundæ sententiæ confutationem prę̃mittendum est, quod cultus sacer, ac veneratio, seù adoratio solum debetur alicui ratione alicuius excellentiæ in bonitate supra adoratores, & cultores, ex quo infertur à D. Thom. in 3. Contrag. cap. 12. ratione 5. & eius confirmationibus, quod imaginibus, etiamsi fingatur adhærere illis aliquas substantias intellectuales, non deberetur illis latrię cultus, quia nulli substantiæ intellectuali debetur talis cultus, nisi soli summæ. Secundo infert nullum deberi cultum eis, etiam illo falsissimo præsuppositio: quia anima rationalis nobiliori modo inhæret corpori hominis: quam quælibet substantia spiritualis adhæreat prædictis imaginibus, & ideò homo remanet in maiore dignitate illis. Ex quo vltimo infert D. Thom. contra Gentiles adorantes illas imagines ex aliquo errore putantes habere virtutem aliquam, aut dignitatem communicatam ex corporibus cælestibus, aut spiritualibus substantijs, talem adorationem prouenire ex instinctu Dæmonum, qui se etiam loco Dei hominibus colendos exhibuerunt, alienum appetentes honorẽ, etiamsi illæ imagines haberent sortiri aliquem effectum ex substantijs illis spiritualibus, quia illæ substantiæ essent vitiosæ eo quod imagines illæ gentium, ad aliquos noxios effectus fiebant aliquando. Et si dicas. D. Thom. intendit ibi probare, non deberi illis imaginibus cultum diuinum latriæ, non vero ex eius doctrina probari potest, non deberi eis aliquem cultum:

Respondetur, quod quamuis intentum D. Thom. perse primò sit errorẽ Gentilium adorantium prauo cultu imagines quas faciebant confutare, tamen rationes illius etiam probant

quem li-

quemlibet honorem exhiberi ab hominibus illis imaginibus errorem esse: quia ex rationibus in summa à nobis relatis infert, quod illę imagines essent inferiores bonis hominibus, & statim hanc infert consequentiam, nõ ergo eis debetur latriæ cultus: ex illo autẽ principio optimẽ infertur, quod ab hominibus nullus cultus eis debetur, & ita quod solum ab hominibus in citatis à creatura rationali male dispositа exhibebatur cultus illis, ac sic ex instinctu Dęmonũ. Tùm deinde id constat ex tertia ratione adhoc probandum inducta, in qua quia illæ imagines fiebant ab homine, & causa est potior effectu infert hanc conclusionem: non ergo homo debet eis aliquem cultum, itaque D. Thom. suis rationibus probat nullum deberi eis cultum, & à fortiori confutat cultum latriæ.

SIT ERGO PRIMA CONclusio pro hac parte.

IMAGINES secundum se, nõ possunt adorari, nisi adorentur simul eodem actu earum exemplaria, vt quod perse primò adoratur. Hãc conclusionem puto esse intentam à D. Sancto in presenti articulo: sic intelligunt eum communiter eius discipuli, Raphael vbi supra in 3. concl. Cabrer. etiam vbi supr. in 2. cõclus. isti expressę tenent prędictam cõclusionem; alij verò implicitè, quatenus non agnoscunt aliam imaginum adorationem, nisi illam, quę eis exhibetur vt imagines sunt: hæc autem adoratio ita est vna in ipsas, & earum exemplaria, vt hęc sint obiecta perse primò adorata; illæ verò secundariò quia earum exemplaria in ipsis, & medijs ipsis sunt perse primò adorata. Istam conclusionem expresse, tenet Rauisa, & probat quod ex natura rei nulla adoratio potest exhiberi imagini, nisi quia eius exemplar adoratur perse vt obiectum, quod adoratur formaliter. Vndè necessario adoratio imaginis perse tendit ad prototypum adoratum principaliter.

Probatur ergo conclusio contra authores secundæ sententiæ. Primo ex Concilio Nyceno actione septima vbi in diffinitione fidei circa adorationem imaginum stabiliendam, ranquã rationem suæ diffinitionis de adorandis imaginibus hanc assignat dicens: *Imaginis enim honor in prototypum resultat, & qui adorat imaginem in ea quoque adorat descriptum argumẽtum.* Ecce secundum Concilium tota ratio adorationis imaginis est, quia eius honor, non sistit in illa, sed in prototypum transit, & quia in ea adoratur descriptum argumentum, id est expressum exemplar: ergo ex eo adoratur imago semper, quod adoratur; quia tunc in ea adoratur exemplar in cuius honorem, & reuerentiam ordinatur adoratio imaginis perse primò: cum ergo hæc ratio afferatur à Concilio ad probandam adorationem imaginis, quę diffinitur ab ipso ea solà diffinitur quę adoratur, propter exemplar perse primò adoratum, aliàs si alia adoratione posset adorari, non adorato exemplari perse primò male à Concilio talis adduceretur ratio, quæ solum probat, & manifestat adorationem eius simul cum exemplari perse primò adorato.

Confirmatur, ex decreto Concilij Tridentini, iam supra relato in illis verbis: *Non quod credatur in hæsse in his diuinitas, vel virtus propterquam sint colendæ: sed quoniam honos, qui eis exhibetur refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant, &c.* iam supra ponderaui locum istum ad stabiliendam adorationem propriam imaginum contra Durandum, modo autem ponderanda sunt ad propositum presens illa verba relata in quibus absque dubio docet imaginibus nullam adorationem esse debitam, propter aliquam excellentiam diuinam, aut creatam dignam adoratione propriam

Cõc. Tr.

priam earū, sed quoniā honor earū ad prototypa refertur, quæ illæ repræsentant, quod est dicere nullum honorem eis esse exhibendum præter illū, qui simul exhibetur prototypis, vt principaliter adoratis. Si dicatur ab aduersarijs Concilia diffinire veneratio nis regulariter à Catholicis exhibitæ modum, vt explicet esse licitū: quia primò, & perse mouentur ex consideratione dignitatis exemplarium, quæ ideò principaliter adorantur quando ipsæ adorantur, vt sic simul explicet, distinctionem inter cultum, quem Catholici exhibent imaginibus, & cultum, quem Gentiles exhibebant. Contrà est, nam Concilia maximè Tridentinum excludit ab imaginibus quacumque excellentiam propriam, propterquam aliquo cultu debeant adorari: ergo excludit omnem adorationem ipsis inse ipsis exhibendam. Patet consequentia, quia nulla res est capax adoratio nis, nisi rationæ alicuius excellentię secundumquam sit superior adoratoribus (vt prçmissi in notabili) sed imagines iúxta doctrinam Concilij, nullam excellentiam, sicut nec virtutem habent ratione cuius sint adorabiles inse, & secundumse: ergo non sunt adorabiles, nisi propter exemplar perse primò adoratum, vt quod & sic illo eodem actu.

Ad rationem hanc potest reduci altera communiter facta à nostris, quia videlicet nulla resinanimata, aut irrationalis est capax secundumse alicuius honoris ab homine exhibendi: quia homo est superior quacumque illa, sed imago est resinanimata, & irrationalis: ergo remanet inferior hominibus, & consequenter non est capax reuerentiæ.

Discursus est euidens, maior ex ratione præcedēte patet, & deinde probatur: quia honor, & cultus est testimonium excellentiæ rei, cui exhibetur, & præcipuè adoratio est nota subiectionis adorantis erga adoratum, ergo cum omnis resinanimata, non habeat excellentiam aliquam supra hominem, nulla illarum erit adorabilis ab ipso. Si dicatur ad hanc, & aliā precedentem rationem probari nō posse adorari imagines, nisi propter exemplar, vt propter rationem adorandi; non verò vt propter obiectum adoratum, vt quod: sicut benè stat legatum Regis perse, & secundumse adorari propter Regem, ipso Rege non adorato vt quod. Cōtra est primo: nā imago non participat à prototypo inse ipsa aliquam excellentiam, quæ faciat eam homine superiorem: ergo nunquam est adorabilis secundumse, sed secundum aliud in ipsa adoratum vt quod, scilicet exemplar. Antecedens patet, quia semper manet inse inanimata. Secundo, nam imago non participat excellentiam aliquam inferiorē excellentia prototypi, vt iam patet, quia res inanimata nihil excellentiæ superioris hominis excellentia, qui est viuens vita rationali potest inse præhabere: quod etiam D. Tho. probat loco citato in notabili: ergo non est adorabilis adoratione aliqua inferiori adoratione prototypi: non etiā participat inse intrinsecè excellentiam ipsam prototypi appropiando eā ipsi, sed solum repræsentat illam repræsentando prototypum secundum illud, quod habet inse: Hoc autem modo participare illam est conditio necessaria (vt acute Caiet. hic) vt possit simul adorari adorato exemplari vt quod, & perse primò: non autem est ratio formalis propterquam ipsa sit adorabilis, quia illa participatio diminuta non facit imaginem, simpliciter excellentiorem homine adoratore: ergo implicat ex natura rei, quod adoretur imago, nisi simul adoretur eius propotypon modo iam in præcedenti parte explicato. Exemplum autem legati Regis, non est ad propositum, quia vt in solutione ad argumenta videbimus ille est subiectum adorabile, vt homo, & quatenus minister Regis est aduenit ei quędam dignitas,

& ex-

& excellentia superior à Rege, communicata ratione cuius alij inferiores vt tales ei se subiiciunt, quod alias non facerent; & ideò perse primò potest adorari, & coli, etiamsi Rex non adoretur vt quod, illo eodem actu. Contrarium verò est in imagine, aut quavis alia re inanimata, vt purpura Regis, quibus nulla excellentia, aut dignitas ab exemplari communicatur ratione cuius sit subiectum perse adorabile.

Tertiò impugnatur eadem solutio: nam exemplar, non aliter est ratio propterquam imago adoratur, nisi quatenus est obiectum adoratum vt quod: ergo nisi ipsum adoretur vt sic, imago non potest adorari, propter illud, antecedens probatur. Exemplar est subiectum formæ, quę est principium formale reddens ipsum capax adorationis: quia est subiectum proprium excellentiæ virtutum, quę est obiectum formale adorationis: ergo si est ratio quare imago adoretur, est, quatenus est subiectum adoratum vt quod ratione propriæ rationis formalis specificātis adorationē. Patet cōsequētia, quia illud quod est ratio quare alteri conueniat aliquis actus, non per modum formæ, sed per modum subiecti proprij, & immediati formæ, quæ est principium talis actus, nō potest esse ratio quare illi alteri conueniat prædictus actus, nisi tanquam subiectum cui perse primò conuenit talis actus, sed exemplar est immediatum subiectum, cui conuenit excellentia, quæ est ratio formalis constituens eū adorabile: ergo solum est ratio quare imago adoretur, tanquam subiectum cui perse primò conuenit talis adoratio, seu per modum subiecti cui perse primò conuenit actus est ratio conuenientiæ eiusdem actus alteri subiecto, nā nō aliter est ratio talis cōueniētię, nisi quatenus in ipso recipitur talis actus, & prout in ipso recipitur: ergo exemplar est ratio adorationis, tanquam subiectum imaginis, cui perse conuenit adoratio, & ita vt adoratum tanquam primum, & proprium subiectum adorationis.

Confirmatur imago, non est capax formæ, quę perse est ratio adorationis, nisi quatenus continet subiectum illius, quod est exemplar in esse repræsentatiuo: ergo solum est capax adorationis mediante ipso, vt mediāte subiecto cui perse primò inhæst talis forma: ergo exemplar est ratio adorationis imaginis per modum subiecti adorati, & consequenter imago, non potest aliquando adorari, nisi simul adoretur vt quod eius exemplar, siue formaliter, & expresse, siue virtualiter, & implicite. Exemplis contrarię sententiæ idē explicabitur: nā amor nō tendit, nisi in illud subiectū, cui inest ratio formalis sui obiecti, etsi fertur in aliquid cui, non inest, non potest ferri in illud, nisi mediante subiecto, cui inest ratio formalis obiecti, prius à tacto: Hoc enim ratio adæquationis potentię, & virtutis, ac actus vtriusque cum proprio obiecto postulat secundum bonam metaphysicam.

SECVNDA CONCLVSIO.

VIX intelligi potest, quod imago adoretur, vt imago est actu repręsentans, & quod non adoretur formaliter, & expresse eius exemplar: nullo tamen modo potest intelligi, quod adoretur licite, nisi simul adoretur exemplar saltim virtualiter. Hæc cōclusio ex præcedenti infertur quoad vtramque partē. Prima pars probatur primo rationibus pro præcedenti factis. Secūdò, quia imago vt imago offertur potentiæ non tātum prose, sed pro suo exemplari, imò perse offertur pro exemplari: ergo sicut propter istam rationem sic repręsentat se, quod principaliter repręsentat suum exemplar explicitè, & formaliter, quia repræsentatio sui est, vt mediè in actu ex-

exercito ducentis in aliud, scilicet exemplar repræsentatum: sic actus voluntatis, qui est adoratio interior per se primo, & formaliter, fertur in exemplar, vt in obiectum principaliter adorationis, in quo vt in fine sistit ipsa adoratio, & in imaginem fertur minus principaliter, vt in medium in quo, aut per quod adoratur exẽplar. Patet consequentia, quia voluntas sequitur aprehensionem intellectus, & modum eius, sed intellectus mediante imagine vt actu repræsentãte per se primo cognoscit exẽplar in ipsa, aut per ipsam cognitã vt medium faciẽs præsens suum obiectum repræsentatum, ergo eodem modo fertur actus voluntatis in ipsam, & exemplar. Cõfirmatur; quia cum dicitur, quod idẽ est motus in imaginem, vt imaginẽ, & rem imaginatam, communiter intelligitur de vnitate motus expresse, & formaliter tendentis in vtrumque, vt in vnum obiectum adæquatum cõflatum ex medio, & fine, ergo cum adoratur imago, vt imago formaliter, & expresse adoratur imaginatum vt finis principaliter intentus, & tanquã obiectum principaliter adoratum ab homine. Confirmatur secundo; dum cognoscitur imago, vt imago simul expresse, & formaliter cognoscitur eius imaginatum, ergo dum sic adoratur simul expresse, & formaliter adoratur imaginatum. Antecedens patet, quia non cognoscitur imago in esse rei, tanquam terminus principalis cognitionis, sed in esse imaginis per modum viæ, & medij ad exẽplar principaliter cognoscendũ: ergo necessario exemplar cognoscitur tunc expresse. Consequentia verò probatur, quia actus adorationis conformatur cognitioni, tanquã propriæ regulæ. Secunda pars conclusionis probatur, nã si adminus, virtualiter non adoretur exemplar, cum adoratur imago erit terminus vltimus adorationis imago ipsa in se, & secundum se, & ratione propriæ excellentiæ erit obiectum adorationis, sed illa non habet excellentiam in se, per quam sit capax adorationis, quia est inferior adoratore homine (vt probauimus supra, & præmissi ante primam conclusionem ex doctrina D. Tho.) ergo non erit licita talis adoratio, nec potest procedere à Deo inspirante, sed à Dæmone suggerente, vt dicit D. Thom. vbi supra, erit ergo superstitiosus cultus, stultitiæ signum, vel animi idololatrici, ita dicunt in presenti Doctores supra citati. Sed dices: potest homo pro sua libertate considerare imaginem saltim vt imago in actu signato, non considerato exemplari, vel potest hoc contingere, ex eo quod occurrit aliquod motiuum ad considerationem imaginis, monens vt res sacra cultui diuino dicata, aut alicuius Sancti, & non ad considerationem Dei, aut Sancti expressi in imagine, aut ex aliqua inaduertentia, seu obliuione: tunc ergo poterit adorari imago vt quod, non adorato etiam virtualiter ipso exemplari.

Respondetur implicare contradictionem, quod intellectus humanus intelligat imaginem, etiam in actu signato per modũ imaginis, & quod non apprehendat simul eius exemplar, quia si vt imago cognoscitur, debet cognosci vt representatiua alicuius imaginati, & ita etiamsi imaginatum ipsum non cognoscatur in particulari, necessario cognoscitur illud saltim in confusso, & generali, sicut vnum relatiuum, vt tale non potest cognosci, nisi altero correlatiuo cognito. Vndè non potest adorari imago, vt imago, nisi saltim virtualiter sub illa ratione communi, & generali adoretur eius particulare exemplar, neque est admittẽda inaduertentia, aut motiuum aliquod ex quo possit prouenire contrariũ, licet ex aliquo accidenti possit prouenire nõ recordari exẽplaris particularis, aut nõ cognoscere ipsũ. Hoc multo

clarius apparet verum, cum cognoscitur imago in actu exercito, quę est potissima eius consideratio, & communior, sub qua dicunt discipuli D. Thom. illam esse obiectum adoratum. Secundo respondetur, dato quod respectu cognitionis præcisiuę intellectus purè speculatiui possit cõtingere cognosci imaginẽ, siue in actu signato, siue in actu exercito nõ cognito exẽplari per modũ obiecti cogniti vt quod formaliter vel virtualiter, tamen respectu cognitionis practicę intellectus regulantis adorationem: tanquam cognitio, quæ ad illam ordinatur, non potest contingere aliquo modo illud, quia (vt probatum est) imago neque secundum primum modum adorationis in ratione imaginis in actu signato, non habet ex parte sui rationem obiectiuã adorationis, nisi ratione exemplaris: vndè adoratur ad modum quo pars adoratur cum toto, aut purpura cũ Rege, tanquam aliquid ipsius exẽplaris (sicut supra dictum est in explicatione illius) vndè adhuc in illo modo adorationis ideò adoratur imago, quia adoratur exemplar: quare necessario voluntas debet procedere ad adoration ẽ imaginis ex cognitione exẽplaris digni reuerentia insę, & consequẽter in omnibus ad ipsum aliquo modo pertinentibus, in secundo autem modo, non potest cognosci imago, vt exercens actum imaginis aliquo modo (vt dixi) nisi principaliter cognoscatur exẽplar propter rationes supra factas etiã metaphysicè. Sed dato hoc de metaphysica, & speculatiua cognitione, de practica in ordine ad adorationem, hoc non potest esse, quia imago secundum actum exercitum ideò adoratur, quia censetur vt vnũ cũ exẽplari intra ipsam cõtẽto in esse tenræsentatiuo, & ita obijcitur potentiæ non perse tantum, sed prose vt medio ordinato ad exẽplar, & ita pro ipso exemplari, vndè si adoratur vt sic est propter exẽplar in ipsa contentũ, adoratũ in ipsa, & media ipsa. Vndè in quocũque casu debet prius ordine intentionis adorari exẽplar, quam imago, licet eodẽ motu adoretur vtrumque.

TERTIA CONCLVSIO.

NVLLVS sapiẽs potest absque culpa formaliter ipsi imputabili adorare imaginẽ, propter exẽplar vt quo tãtũ adoratũ. Hęc cõclusio patet ex rationibus factis pro prędcedentibus, quia omnis homo doctus mediocriter, scit, & tenetur scire, quod imago propter rationes factas, nõ potest esse obiectũ perse primò adoratũ aliqua adoratione, ergo si cognoscat prototypũ eius in particulari tenetur quãdo cognoscit imaginem in ordine ad adorationẽ, tẽdere in prototypũ perse primo adorandum ratione suæ propriæ excellẽtię, & in imaginẽ vt in mediũ coadorandũ simul, quatenus in ipsa continetur, vel quatenus consideratur vt aliquid ipsius prototypi, ergo si nõ sic cognoscit vtrũque, non potest licitè exire in actum secundũ adorationis, quia non adorabit subiectũ cui sit debita aliqua adoratio. Vndè erit superstitiosus cultus, sapiens Gentiliũ ritus. Vndè si cũ illa prętscisione adoret imaginẽ non adorando vt quod prototypũ peccabit contra debitũ modum venerandi imagines, quia licet non sit præceptũ adorandi hic, & nunc, est tamen præceptum connaturale ipsi virtuti religionis, supposito quod homo vult exercere actũ cultus; quod exerceat illo modo, quo debet exerceri circa personã dignã reuerẽtia, & circa imaginẽ eius, quatenus modis supra explicatis est obiectum adorabile propter exẽplar perse primò adorabile. De viro autẽ simplici, bono tamen fideli, dicendũ est, quod cum semper adoret imaginem bona fide, adoratione sibi debita secundum consuetudinem Ecclesiæ, semper adorat eam adorando perse primò prototypum submittendo animum ei ex primaria intentio-

tentione exhibens: Si autem aliter adoraret cum præscisione oppositæ sententiæ putans tamen ipsum benefacere, faceret materialiter peccatum irreligionis, & superstitiosi cultus ac vani: quamuis ignorantia eius inuincibilis excusaret cum à peccato formaliter: Si autem esset vincibilis non excusaret. Ex dictis sequitur illud commune axioma à Concilijs, & Patribus vsitatum, dum dicunt: imaginem adorari propter exemplar suum, non esse intelligendum, ita vt ly propter designet tantum rationem causæ finalis; sicut cum dicimus, quod proximus diligitur propter Deum, sed etiam dicit rationem causæ formalis intrinsicæ secundum modum concipiendi ordinatum ad adorationem, quia exemplar concipitur intra ipsam imaginem, quæ adoratur, & est ita ratio adorandi, quod non se habet præcisè vt forma, sed vt subiectum proprium formæ constituentis adorabile obiectum, vndè se habet vt adoratum, & secundum quod adoratum est ratio adorationis imaginis, & sic vtrumque simul specificant actum adorationis. In summa ergo dico, quod adoratio passiua prototypi, vt recepta in imagine, est quæ intrinsecè constituit imaginem in ratione obiecti adorabilis. Sic dicunt Theologi 2. 2. quæstion. 23. artic. 8. quod Charitas est forma cuiuscumque virtutis aquà habent, quod sint virtutes simpliciter moraliter, & Theologicè: non tamen, quia extrinsecè se habet vt mouens, & dirigens actus aliarum virtutum ad proprium finem vltimum, qui est Deus: sed quia participatio passiua imperij ipsius recipitur intrinsecè in illis, ratione cuius attingunt ipsum finem charitatis, & fiunt actus virtutum simpliciter; & ab eodem imperio passiuè recepto in ordine ad talem finem habent actus omnium virtutum à charitate rationem meriti vitæ æternæ, vt dicitur 1. 2. quæstion. 114. articul. 4.

VLTIMA CONCLVSIO.

SENTENTIA à nobis in præcedentibus explicata, est ita conformis sacris Concilijs, & Patribus, vt quamuis opposita haberet aliquam propabilitatem metaphysicè, practicè non sit sequenda, sed nostra tanquam cõformis prædictis Concilijs, vt secura, & certa, atque ita probabilior illa, vt alteram periculosam iudicem, maximè si rudibus, & simplicibus practicaretur, & manifestaretur.

Hæc conclusio ex præcedentibus colligitur, asseriturque non solum contra authores oppositæ sententiæ, sed etiam contra Ragusſam: quatenus in vltima conclusione suæ disputationis docet securam esse in practica talem sententiam: quamuis metaphysicè non sit vera. Probatur quoad omnes partes, primò: quia vt constat ex verbis Conciliorum in præcedentibus relatis, Concilia, & Patres non cognoscunt, neque adstruunt aliam adorationem imaginum, nisi illã quæ transit in exemplaria. Tunc sic; eadem adoratione adorantur imago, & proprium exemplar, istud primo, & perse, atquè ratione sui adoratur: imago verò secundariò, & ratione exẽplaris primò adorati; ergo nostra sentẽtia explicata in præcedentibus est ita conformis diffinitionibus Conciliorum, sententijsquè Sanctorum, vt altera oppositæ eisdem Concilijs, & Patribus videatur.

Confirmatur, nam Ecclesia ad prędicta Concilia attendens, ità exigit à fidelibus venerationem imaginũ, vt intendant principaliter ad earũ prototypa, eis principaliter se submittendo, & ideò vsus communis fidelium est adorare imagines animũ dirigẽdo perse primo in earum exemplaria: ergo nostra sententia est sequenda in praxi vt secura, altera relicta, quia eo quod est contra diffinitio-

nes Conciliorum est periculosa: & quia est contra communem vsum fidelium.

Secundo probatur: nam in prædicto modo adorandi imagines non adoratis exemplaribus est periculum, idolatrandi, imò (vt aliqui dicunt) est adoratio idolatrica: quia sistitur in imagine vltimatè, in qua non est ratio excellentiæ constituens ipsam sic adorabilem. Ego autem ab hac censura libenter abstineo, sed periculum falsi cultus quis non videat in tali adorationis modo, si perpendat rationes supra factas, ex quibus ad minus qui eas sic adoraret propter prototypum vt motiuum tantum adorationis, vel vt adoratum tanquam quo, quod est idem, incurreret vitium vanæ obseruantiæ, & stulti cultus, quamuis bona fides excusaret eum à peccato idolatrandi, sed in nostra sententia nihil est periculi: ergo illa debet sequi, & opposita relinqui, tanquam periculosa, quia vix potest apprehendi quommodo possit fieri, sine aliquo vitio. Videatur de hac conclusione Raphael de la Torre vbi supra quarta assertione.

Ad argumenta pro sententia opposita respondetur: ad primum communiter sequenti solutione respondetur negando antecedens, quia potentia nullo modo potest attingere obiectum aliquod materiale, nisi directè attingat proprium obiectum formale vt quod, vt patet in visu, qui non potest attingere aliquod coloratum, nisi attingendo simul eodem actu lucem, & ita communiter dicitur illam esse obiectum quo, & quod, quia eo quod est ratio formalis constituens aliquod visibile ipsa videtur ratione sui, & quatenus sic videtur est ratio quare videãtur colores.

Ad probationẽ antecedẽtis ad illud de actu fidei respõdetur, primò cõmuniter distingendo antecedens, absque eo quod credat eodem actu primam veritatem reuelantem formaliter, & expresse ac veluti in actu signato, transeat antecedens, absque eo quod credat saltim virtualiter, & in exercitio, nego antecedens. Ratio est, quia omnis veritas ex eo est obiectũ credibile diuina fide: quia est reuelata à Deo. Vndè cum credatur tali fide, quatenus reuelata à Deo in illa reuelatione passiua inclusa in ipsa veritate credita, virtualiter vt in proprio effectu formali includitur Deus reuelans: Vndè simul eodẽ actu, quo creditur, vt veritas diuina reuelata creditur Deum reuelasse, alias non crederet illam certò, & infallibiliter. Vndè possumus aliter distinguere, si consideretur diuina veritas reuelans, vt ratio formalis inclusa in omni obiecto materiali fidei, nego antecedens: nam ratio adorationis habitus cum proprio obiecto formali consistit in hoc, quod nullum actum exerceat, nisi circa obiectum formale, vt inclusum in aliquo obiecto materiali: quia obiectum materiale, non alia ratione pertinet ad actum habitus, nisi ratione obiecti formalis aliquo modo inclusi in illo (sicut dictum est de coloribus respectu lucis, & dicitur communiter de qualibet potentia) si vero loquamur de prima veritate reuelante, quatenus inse est etiã veritas credibilis, verum est antecedens, iuxta solutionem communem assignatam, quod scilicet possumus credere aliquam veritatem diuinam, absque eo quod eodem actu credamus primam veritatem reuelantem formaliter, & expressè: non tamẽ virtualiter, propterea quod esse rationem formalem aliarum veritatum fundatur in propria veritate, & entitate Dei reuelantis, & est idem cum illa, & secundum hanc solutionem, dicimus, idem de adoratione imaginis, quod scilicet quantumuis præscindatur, non potest adorari, nisi simul saltim

virtua-

virtualiter adoretur exemplar vt quod, & non tantum vt quo; quia adorari vt sic est tantum esse motiuum adorationis, non tamen esse rem adoratam.

Ad illud de actu scientiæ respondetur eodem modo, quod necessariò eodem actu fertur in præmissas virtualiter, tanquam in cognitas vt quod, secundumquod in exercitio sunt ratio formalis assensus conclusionis, cui scientificè non assentimur secundum veritatem inse absolutè, sed vt illatam ex præmissis. Vndè simul eodem actu cognoscimus veritates vt causantes, & inferentes conclusionem in facto esse.

Ad alia exempla de amore proximi propter Deum eodem modo respondent Doctores, & similiter ad exemplum de electione medij, & ratio est eadem, scilicet quia quotiescumque vnum est ratio formalis attingendi alterum simul eodem actu attingitur vtrumque, quia cessetur idem in ratione obiecti, propter rationem factam.

Secundò respondetur, transeat antecedens, & negamus consequentiam, quia in omnibus exemplis allatis omnia illa quæ adducuntur ad probationem veritatis antecedentis habent inse intrinsecè aliquid vndè possint attingi à potentia, vel habitu, vt facile quisque videbit; etiam ipsum medium habet saltim ex habitudine ad finem aliquam rationem boni vtilis propterquam potest terminare actum voluntatis, etiamsi finis non terminet illum vt quod, & idem de alijs rationibus formalibus: quia se habent respectu illorum (ratione iam dicta) veluti extrinseca motiua: at verò in imagine, nihil est vndè possit terminare actum adorationis, si ab illa separetur exemplar, quia (vt probaui supra) ipsum exemplar vt adoratum in imagine, scilicet media cognitione sui in imagine, est ratio formalis quare ipsa adorationis est capax: Vndè perse loquendo, non potest adorari, nisi dependenter ab exemplari adorato directè, & formaliter. Videantur dicta supra ad solutionem cuiusdam obiectionis contrà secundam conclusionem, & in corolario illato ex ratione tertiæ conclusionis, licet aliquando (vt dixi) in illa solutione propter aliquem casum accidentalem sufficiat adorari prototypum virtualiter.

Ad confirmationem respondetur, concessa maiori, negando minorem (quia vt dictum est) exemplar nō tantum est ratio formalis extrinseca, sed etiam intrinseca, tanquam subiectum primò adoratum, ratione cuius imago adoratur secundariò iuxta dicta loco proximè citato. Vndè excidit tota fabrica argumenti.

Ad illud de legato Regis, iam dixi supra, quod habet inse, vndè sit capax honoris, & sic non est simile.

Ad aliam confirmationem, distinguo minorem, quando res illa est adorabilis ratione alterius, tanquam ratione alicuius motiui tantum extrinseci, fateor minorem: quando est ratione illius, tanquam rationis intrinsecæ constituentis eam adorabilem, nego minorem, & sic se habet exemplar respectu imaginis.

Secundò distinguo aliter: quando est adorabilis ratione alterius, vt rei primò adoratæ in ipsa: nego minorem, quando præscisse est adorabilis ratione illius vt motiui remoti, vel alia ratione extrinseca: transeat minor, primò modo est imago adorabilis ratione exemplaris: Vndè non potest fieri, quod intellectus habeat illum modum cognoscendi.

Ad exemplum de proximo, iam dictum est, habere inse vndè ametur, ita quod vt ametur ex charitate diuina sufficit Deum concurrere extrinsecè vt motiuum, vel vt dilectus virtualiter perse loquendo, in imagine verò totum contrarium accidit.

Ad aliam probationem posibilitatis prædictæ apprehensionis: Respondetur, quod perse loquendo, non possumus cogitare imaginem vt rem sacram, & reuerenter tractandam, nisi formaliter apprehendamus exemplar, & eius excellẽtiam intra ipsam: licet aliquando per accidens sufficiat hæc apprehensio virtualiter (vt dixi supra.)

Ad secundum principale respondetur: negãdo consequentiam, ad cuius probationem admisso antecedẽti, iterum negatur consequentia, quia ratio, quare non est licita talis adoratio est, quia cum adoratur imago, non adorando exemplar vt quod terminatur in illa adoratio, ac si haberet aliquam excellentiam inse propterquã esset ei debita: cum autem probatum sit illã non habere, fit quod exhibeatur adoratio rei, quæ non debetur, & sic est actus vitiosus, tanquam superstitiosus, & vanus.

Ad confirmationem respondetur, non fundari vtranque adorationem in excellentia prototypi eodem modo: nam quæ à nobis cõstituta est fundatur in illa proximè, tanquam in ratione formali intrinseca adorationis exemplaris, & imaginis, illius primò, & perse: Huius vero secundariò, altera vero adoratio fundatur in illa excellentia remotè, & extrinsecè. Vndè supponit aliquam esse aliam intrinsecam in imagine: propterquam sit adoranda, & quia illa talis non est, dicimus nos, esse incapacem adorationis, si exemplar non sit adoratum.

Ad tertium argumentum, patet ex dictis, in decisione dubij maximè circa probationem tertiæ conclusionis ex quibus constabit, bonam solutionem esse datam inter arguendum.

Ad replicam, patet ex eisdem dictis, illud præceptum non adorandi imaginem, nisi adorando simul exemplar esse connaturale ipsi virtuti Religionis, & ipsi actui virtuoso adorãdi, qui ex propria ratione essentiali exposcit subiectum habens excellentiam propterquam sit adorabile: & quia imago seclusa adoratione exẽplaris nullam habet, quia ratione exẽplaris prius adorati participat illam, ideò est adoratio aliter ei exhibita cõtra modum debitum adorandi, qui necessario includitur in actu ipso virtutis, vt sit virtuosus, & ideò est vitiosus.

Ad quartum respõdetur, ad impugnationem primi fundamenti dico, quod in sacra Scriptura præcipitur adorari propitiatorium, non ratione sui, sed ratione Dei significati per illud, & sic illa adoratio ad Deum terminanda erat, vt ad primum obiectũ adoratum. Similiter dicitur ad authoritatem ex septima Synodo: omnes namque illæ res adorantur, vt coniunctæ rei rationali, quam repræsentant, & in cuius recordationem nos excitant, vt dixi in solutione primi argumenti pro prima sententia alio parrapho explicata.

Ad probationẽ ex ratione desumptam, respondetur, rem inanimem esse adorabilem propter aliud, cui est cõiuncta vel quod continet, tanquam propter primum subiectum adoratũ, non tamen vt propter aliud tantũ extrinsecum motiuum.

Ad impugnationem alterius fundamenti, respondetur negando antecedens: nam nos idem dicimus, quod D. Thom. concedimus enim imagines rerum sacrarum esse sacras propter sacrationem suorum exemplariũ, & consequenter dicimus, non posse concipi, vt tales res sacras, & veneratione dignas, nisi simul concipiamus excellentiam sacram illorum, & nisi simul ea adoremus: quia propter ea adorata, participant imagines sacrationem propterquam proximè sunt adorabiles. Sic respondetur ad rationem D. Thom. quę non aliter est intelligenda, quia ipse, se explicat ibidem, dum dixit: *Et sic ei quædam reuerentia debetur, quæ refertur in Deum,* id est, D. Tho.

id est, quę est principaliter reuerentia exhibita Deo.

Ad vltimum ex septima Synodo, patet iam ex dictis ad primum primæ sententiæ, quia nihil affert noui. Vnde non est cur aliquid addamus. Et hæc de dubio difficili, in quo contra Hæreticos, & Modernos Theologos veritatem conformiorem Conciliis, & vsui communi Ecclesiæ explicui, vti nam ad laudem, & gloriam Dei, & Virginis Matris Incarnati Verbi Diuini; necnon Sancti Ioseph, nostri Patri Dominici, & Magistri S. D. Thom.

COMMENTARIA CIRCA QVÆSTIONEM SEXAGESSIMAM.

De Sacramentis in genere.

PRO introductione huius materiæ est notandum. Primò, quod licet rectus ordo doctrinæ videatur postulare, vt primò D. Th. in præsenti stabiliret Sacramenta esse in Ecclesia, quam de eorũ quidditate disputaret: Sicut incipit facere in ista quæstione: quia ordinem tradendæ disciplinę alicuius rei nobis docuit Aristoteles in primo libro Posteriorum, docens quęstionem, an est, debere præcedere ad quęstionem quid est, illius obiecti, de quo est disciplina, seu disputatio: cui rationi accedit, quod hæretici huius temporis, & etiam antiquiores connati sunt ab Ecclesia vniuersa Sacramenta explodere.

Nihilominus tamen aduertens Doctor Sanctus hanc veritatem, nimirum Sacramenta esse in Ecclesia, receptam esse communi consensu omnium fidelium etiam simplicium, cõsulto prætermissa quęstione, an est, à quęstione quid est, hanc materiam inchoauit, & in hac quæstione sexagessima geminam Sacramenti diffinitionem nobis explicuit alteram Metaphysicam, ex genere, & differentia cõstantem, & hanc exposuit tribus prioribus articulis: alteram vero materialem, & physicam ex materia, & forma constantem, de qua tractat in alijs articulis.

Secundò est notandum, quod secutus D. Sanctus ordinem Aristotelis in proœmio Physicorũ perscriptum, iuxta quem ab vniuersalioribus est incipiendum in quolibet tractatu, quia nostra cognitio ab vniuersali incipit, & terminatur in singularis cognitione, quod licet cognitione reflexa cognoscatur, & non directa, tamen absolutè ibi terminatur nostra cognitio in quolibet genere obiecti, in præsenti disputatione prius de Sacramentis ingenere, & in communi tractat, & deinde agit de illis, in specie, & in particulari, singula eorum naturas explicans.

SIT ERGO ART. I.

Vtrùm Sacramentũ sit ingenere signi?

CONclusio. Sacramentum secũdũquod modo loquimur de Sacramentis, est ingenere signi. Hæc probatur primo à D. Thom. in argumento sed contra,

ex proportione, quæ est inter sacrificium visibile, & Sacramentum sensibile, desumit eam ex D. August. doctrina, lib. 10. de Ciuit. Dei, vbi dicit: *Sacrificium visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est sacrum signũ est*: ergo eodem modo quo sacrificiũ est in genere signi, etiam Sacramentũ, & præter proportionem allatam merito ponderandam, ipse Augustinus in suis verbis Sacramentum pro eodem accipit, atque pro signo rei inuisibilis, ergo, &c. Deinde probatur ratione in corpore. Sacramentum potest aliquid dici, vel quia habet sanctitatem occultam, vel quia habet aliquã habitudinem ad hanc sanctitatem causę, vel signi, vel quomodocumque illam habitudinem habeat, sed modo loquimur de Sacramentis secumquod important habitudinem signi: ergo Sacramentum est in genere signi.

D. August.

Maior potest probari ex doctrina, quam habet D. Thom. in principio corporis articuli, quæ sic habet. Omnia, quæ habent habitudinem ad aliquid vnum, diuersimodè possunt ab illo denominari: vt patet in dicentibus habitudinem ad sanitatem, sed Sacramentum dicitur aliquid per ordinem ad sanctitatem: ergo secundum diuersam habitudinem ad illam, diuersimodè aliquid dicitur Sacramentum.

Rursus, sed modo specialiter loquimur de Sacramentis, secundum habitudinem signi ad sanctitatem: ergo Sacramẽtum de quo modo loquimur est in genere signi. Circa huius articuli doctrinam aduertendum est, quod in ratione corporis supponit D. Tho. aliquid, & aliquid probat. Probat hãc vocem Sacramentum secundum varias significationes accipi posse, quatenus significat multa habentia diuersam habitudinem ad rem sacram, sicut vox, sanum propter eandem rationẽ secundum varias significationes accipitur: Supponit vero Sacramentum in præsenti materia solum accipi pro signo rei sacrę, quod ex institutione diuina est impositum ad significandã sanctitatẽ, qua nos sanctificamur. Si quis autem appetit scire omnes significationes huius vocis Sacramentum, legat Interpretes D. Thom. in præfatione huius quæstionis, maximè Magistrum Nuño, Cabrera, & Suar. qui ex sacris litteris colligunt, & probãt omnes significationes, quas hæc vox Sacramentum habere potest. Nobis autem non placet in hoc tempus consumere, vt sic ad difficiliora trãsitum faciamus. Sed contrà istud notabile est argumentum: nam sequitur ociosum fuisse istum articulum, & inutiliter conclusionem eius fuisse deductam: consequens non est admittendum, ergo. Probatur sequela, nam si D. Tho. supponit (vt dixi in notabili) in præsenti articulo solum loqui de Sacramẽto, quod dicitur tale, quia est signum sanctitatis occultæ, quorsum interrogar, an Sacramentum sit in genere signi? Si enim quæsitum est de Sacramento, de quo specialiter loquimur cum ipso in presenti, res clara, & perspicua est illud esse signum: ergo similiter est clarum, quod est in genere signi. Si autem quæsitum sit de Sacramẽto in communi, vt latè patet ad omnia Sacramenta, quæ propter diuersas habitudines ad rem sacram, sic nominantur, conclusio est falsa, cum aliqua Sacramenta, non sint signa, & si sint sacra secreta, vt Mysterium Incarnationis, & alia secreta gratiæ, vt est secretum Regis, quod nefas est illud manifestare, vt ait D. Sanct. solutione ad secundum: ergo ociosus est articulus iste.

Respondetur, quod quæsitum procedit de Sacramento speciali ratione, & significatione sumpto pro signo rei sacræ: omnes enim Doctores in hoc conueniunt asserentes D. Thom. in presenti explicuisse diffinitionẽ quid nominis huius vocis Sacramentum, vt cognita multiplici eius significatione solum ageretur de Sacramento, vt significat signum sensibile sanctitatis occul-

occultę, vndè solum de signo isto sensibili agit relinquendo Sacramentum quacumque alia significatione sumptum: modo igitur vrget argumentũ factum, ad quod nihilominus respondetur, negando sequelã ad cuius probationem: Respondetur, quod licet relinquat vt suppositum notum, Sacramentum in præsenti importare rationem signi, adhuc restabat explicandum, an tale Sacramentũ, de quo fit sermo importaret quidditatiuè rationem signi, ita vt signum sit genus proprium, & prędicatum quidditatiuum illius: nam poterat includere rationem signi, quasi secundariò, & accessoriè, aut pro materiali, & nõ pro formali, vt ergo hanc difficultatem nobis apperiat explicat in presenti articulo Sacramentum esse ingenere signi essentialiter, taliter quod hæc prædicatio Sacramentum est signum est quidditatiua in primò modo dicẽdi per se, sicut ista homo est animal.

Circa quod est præmittendum D. Thom. non solum loqui in præsenti de Sacramentis nouæ legis institutis à Christo Domino ad significandum gratiam sanctificantem nos, sed de Sacramento vt est quid superius, & commune ad Sacramenta veteris legis, & ad Sacramenta nouæ legis: nã omnia illa conueniunt in significatione gratiæ.

VNDE SIT DVBIVM I.

An conclusio D. Thom. sic intellecta sit vera.

PRO parte negatiua arguitur primo. Sacramentum nõ est signum naturale, neque ad ad placitum, ergo non est ingenere signi. Consequentia est euidens: nam signum adæquata sui diuisione diuiditur in naturale, & ad placitum. Antecedens pro prima parte probatur: nam signum naturale, est quod ex natura rei significat; & ideò est idem apud omnes: sed Sacramentum nõ significat idem apud omnes, quia significat ex institutione, ergo. Pro secũda verò parte probatur: nã signum ad placitum est ens rationis; Sed Sacramentum non est ens rationis, ergo. Maior est certa apud Summulistas, quia significatio signi ad placitum tota pendet ex beneplacito intellectus, & voluntatis imponentis: Minor verò probatur, nam hæc propositio est vera. Sacramentum est ens reale, ergo hęc est falsa: Sacramentũ est ens rationis. Probatur consequẽtia, quia duo prædicata opposita, & ad diuersa genera spectantia, nõ possunt de eadem re quidditatiuè prædicari, sed hæc est quidditatiua: Sacramẽtũ est ens reale, ergo altera falsa: Sacramentum est ens rationis. Confirmatur. Si Sacramentum est signum ad placitum, ergo est mutabile, quod est maximum inconueniens: nam aliàs Sacramenta possent mutari, & non haberemus firmitatem in illis. Consequentia probatur, quia omne signum ad placitum est mutabile pro voluntate libera hominum, vndè sicut pro hominum arbitrio mutantur verba, similiter variarentur Sacramẽta. Confirmatur secundo. Si Sacramẽtum est signum ad placitum necessariò debet esse instrumentale, sed cõtra rationem Sacramenti est ratio signi instrumentalis, ergo. Probatur minor, nam signum instrumentale ducit in cognitionem rei significatę media immissione specierum; & ideò prærequirit duas notitias alteram signi, alteram significationis; sed Sacramentum secundum sui significationem, non potest præcognosci, ergo non est signum instrumentale. Maior patet ex Dialecticis principijs. Minor verò probatur, nam Sacramentum significat aliquid occultũ, quale est gratia, ergo eius significatio est occulta, & consequenter secundũ illam, non erit pręcognitum ante signatum, & ita deficiunt ei conditiones

nes signi maximè instrumentalis.

Secundò arguitur. Sacramentum quidditatiuè pertinet ad genus actionis, ergo. Antecedens probatur authoritate Gregorij in capite multi causa prima, quæstione prima, vbi sic
Greg. inquit: *Sacramẽta ideò dicũtur, quia sub tegumento corporalium rerum secretius diuina virtus salutem Sacramentorum operatur, vndè ab occultis virtutibus, vel sacris Sacramenta dicuntur*: Ergo secundum Gregorium ratio Sacramenti consistit in occulta virtute effectiua gratiæ.

Tertiò. Aliquæ species Sacramenti quidditatiuè, & essentialiter sunt in Prædicamento actionis: ergo & ipsum genus Sacramenti est in eodẽ genere: Consequentia patet, nam genus subalternum, & omnes eius species specialissimę debent esse in eodem genere. Antecedens verò probatur: nam Baptismus essentialiter est sacra ablutio. Confirmatio essentialiter est sacra consignatio, sed istæ sunt species Sacramenti, ergo. Cõfirmatur, Sacramentum dicitur à sacrando: sicut medicamentum à medicando, ergo sicut medicamentũ est ingenere actionis, ita & Sacramentum. Nec valet solutio D. Thom. ad primum, vbi ait, quod medicamentũ est causa effectiua sanitatis; & ideò omnia denominata à medicina dicũtur per ordinem ad vnum primum agens: at sanctitas, aqua denominatur Sacramentum non significatur per modum causæ efficientis, sed magis per modum causæ formalis, seu finalis; & ideò ait non opportere, quod Sacramentum semper importet causalitatem. Non inquam, valet hæc solutio, nam licet illa sufficiẽter excludat à Sacramento necessariam inclusionem causalitatis actiuæ, non tamen formalis, aut finalis: ergo ad minus erit Sacramentum ingenere causę formalis, aut finalis. Probatur antecedens, ex eo quod medicina est causa efficiens omnia denominata ab illa sunt in genere efficiẽtis; ergo propter similem rationẽ, ex eo, quod sanctitas est causa formalis omnia denominata ab illa erunt in eodem genere causalitatis.

Quartò arguitur. Differentia essentialis, per quam Sacramentum cõtrahitur ad rationem Sacramenti nouæ legis, pertinet ad genus causę efficientis, & non signi, ergo Sacramentum vt sic, etiam pertinet ad genus causæ. Consequentia patet, quia genus, & differentia perse diuidens, & contrahens illud, ad idem prędicamẽtum pertinent, quia differentia perse diuisiua debet esse intra potentialitatem sui generis, & non extra, aliàs accidentaliter, & per extranea diuideret. Antecedens probatur, ex Concilio Trident. Sess. 7. de Sacramentis; & ex Concilio Florentino super vnionem Græcorum, & Armenorum: Vtrumque enim Concilium docet Sacramenta nouæ legis differre à Sacramentis veteris legis, quia ista solum significabant gratiam dandam per Passionem Christi: nostra autem Sacramenta, & significat gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Videatur Concilium Trident. Sessione citata Canon 2. & Can. 6. ergo secundum ista sacra Concilia, differentia constituens perse rationem Sacramenti nouæ legis, & contrahẽs Sacramentum vt sic, est esse causam gratię, ergo ad minus Sacramentum nouæ legis in vtroque genere erit, & signi, & causæ. Confirmatur. Hæc prædicatio Sacramentum nouę legis causat gratiam est perse, ergo vel in primo modo perfectitatis, vel in secundo. Si dicatur, quod in primo habetur intentum: nam prædicatum illud erit de essentia subiecti: si verò dicatur, quod est in secundo modo perfectitatis sequitur, quod esse causatiuũ gratiæ sit passio Sacramenti nouæ legis: consequens est falsum, nam si Sacramentum essentialiter est ingenere signi ad placitum, est impossibile, quod

quod eius essentia sit principium talis proprietatis: nam ens rationis non potest esse radix, & principium alicuius proprietatis, quæ est ens reale, ergo cum esse causam sit aliquid reale implicat, quod sit passio significationis, quæ est ens rationis. Confirmatur secundo. Causare gratiam principalius, & perfectius est, quam illam significare, ergo si perse conuenit Sacramentis nouæ legis, conuenit tanquam differentia, & non tanquã passio. Antecedens probatur, nam perfectio realis nobilior est, quam entitas rationis, sed esse causam, est perfectio realis, esse signũ ad placitũ est ens rationis, ergo. Consequẽtia verò probatur, nam in qualibet re, id est essentia eius, quod est perfectius, & nobilius, id autem quod est imperfectius, & si conueniat perse tantum conuenit vt propria passio.

Quintò. Nulla res essentialiter potest esse in duplici genere non subalternatim posito: Sed Sacramentum nouæ legis perse primò, & non perse secundò est ingenere actionis, ergo non ingenere signi. Maior videtur certa: nam duo genera non subordinata, non possunt coniungi perse per modum generis, & differentiæ, neque per modum vnius indiuisibilis differentiæ, ergo non possunt intrare tanquam partes essentiæ alicuius rei. Minor verò probatur, nã id per quod essentialiter differunt Sacramenta nouæ legis ab alijs antiquę legis, est ratio causæ, cum Concilia citata solum istam diuersitatem constituunt, & nullam aliam, quæ posit esse prior.

Sextò. Sacramenta sunt quædam cæremonię religiosæ quibus colimus, & veneramur Deum, ergo sunt actus virtutis religionis, & consequẽter ad genus qualitatis pertinebunt, & non ad genus signi. Confirmatur, nam vitium quod committitur in praua administratione Sacramentorum, vel in praua susceptione pertinet ad irreligionem, ergo debita administratio, vel debita susceptio pertinent ad religionem.

Alia argumenta minoris ponderis videantur in sapientissimo Magistro Nuño in presenti articulo, & etiam in Magistro Cabrera.

In hoc dubio Magister Sentent. in 4. distin. 1. docet propriam rationem Sacramenti non consistere in hoc, quod est esse signũ rei sacrę, sed in hoc quod est esse causatiuum ex quo infert, quod Sacramenta veteris legis impropriè, & secundum quid Sacramenta erant, quia non causabant gratiam, quã significabant. Vnde secundum suam opinionem, tantum Sacramenta nouæ legis sunt, & appellari debent propriè, & rigurosè Sacramenta, quam sententiam sustinens D. Thom. in 4. distin. 1. quęst. 1. docuit Sacramentum esse propriè ingenere actionis, quam opinionem, vt ait Magister Soto in 4. distin. 1. quæstion. 1. art. 1. propè medium secuti sunt fere omnes Doctores illius temporis. Cæterum in presenti articulo, re occulatius inspecta, oppositam tenet sententiam: Vnde licet non fecerit mentionem doctrinæ, quam in 4. habuit per doctrinam clare oppositã mutauit sententiam, vt volunt, & explicant omnes eius discipuli.

Pro resolutione est notandum primo, quod in presenti solum fit sermo de signo instrumentali, & non de signo formali. Et ratio est, quoniam Sacramenta sunt sacræ quædam cęremoniæ institutæ ad colendum Deũ cultu externo, & visibili, qui sit protestatiuus interni, & inuisibilis, qui fit (authore D. Augustin. in Enchiridion. cap. 2. & 3.) fide, spe, & charitate, quibus virtutibus Deo cõiũgimur: ad externum autem cultum, non pertinet signum formale, quod est inuisibile, & spirituale. Vnde tantum cõducit signum instrumentale, quod est sensibile, & præter speciem, quam ingent sensibus aliquid aliud à se repræsentat.

Secundo

Secundo est notandum ex D. Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 2. quod res sunt in duplici differentia, quædam per se primo institutæ, vt sint, quales sunt, homo, & equus (v.g.) & res huiusmodi, licet aliquam significationem habeant, non proinde propriè, & simpliciter, atque absolutè possunt signa appellari, quia talis significatio conuenit eis per accidens, & quasi secundariò: aliæ vero sunt, quæ principaliter institutæ sunt vt alia significent, ita quod proprium earum esse est per se ordinatū ad significationem alterius rei, vt imago Diui Thomę, vestigium animalis, & voces impositæ ad significandum: huiusmodi autem res, appellantur, & sunt propriè signa. In presenti ergo, quando inquirimus, vtrùm Sacramẽta sint in genere signi, inquirimus, vtrùm sint per se primo instituta ad significandum, an vero ad essendum, & ad causandum.

PRIMA CONCLVSIO.

VT aliqua res propriè appelletur Sacramentum & sit, satis est, quod significet rem sacram, vel quod sit causa rei sacræ. ita quod si detur aliqua res instituta ad significandum gratiam sanctificantem, licet nullo modo sit illius causa erit proprie Sacramentū, & similiter si detur res, quæ fuerit causa gratiæ, quamuis nullo modo eam significet erit propriè Sacramentum. Hæc conclusio expresè docetur à D. Thom. presenti articulo, dū in corpore ait, quamlibet rem quommodolibet dicentem ordinem ad rẽ sacram, maximè causæ, vel signi esse Sacramentum, quod optimè exemplo de sano explicat. Vndè ex eius doctrina talis potest pro conclusione formari ratio.

Ratio propria Sacramenti desumitur per ordinem ad rem sacram, seù sanctitatem occultam, ergo quælibet res dicens essentialiter, & proprièhabitudinem ad talem sanctitatem erit propriè Sacramentum, siue talis habitudo sit signi, siue causæ. Ex quo sequitur contra Magistrum Sententiarum, quod Sacramenta veteris legis fuerunt propriè, & verè Sacramenta, quia licet non causarent gratiam, illam tamen significabant per Christum conferendam, vt definit Concilium Florentinum, vbi supra, absolutè, & simpliciter ea vocans Sacramenta, quod etiam facit Concilium Tridentin. Can. 6. citato supra. Vndè hæc sententia Magistri, non videtur multum conformis sacris Conciliis, & consequenter totaliter ab intellectu Catholici reijcienda.

Sed inquiret quis. Vtrùm Sacramenta nouæ legis dicantur secundū duplicem rationem Sacramenta, quia id videtur sequi ex nostra conclusione, cum significent gratiam ex vna parte, & ex altera illam causent, ergo si quælibet ratio istarum, causę vidlicet, vel signi sufficit ad rationem propriam Sacramenti, illud quod habet vtranque rationem simul duplici ratione erit Sacramentum. Hoc autem videtur falsum: nam alias diminutè processisset D. Thom. in presenti quæstione, cum solum vnicam diffinitionem astruat pro Sacramentis in qua tantum ratio signi explicatur.

Pro solutione huius est aduertendum, quod vt statim dicemus ad rationem Sacramenti requiritur, quod sit signum rei sacrę, vel quod sit causa, non vt cumque, sed taliter, quod hoc ei conueniat ex institutione diuina. Vndè Christus Dominus, licet sit causa gratiæ: non tamen est simpliciter Sacramentum: quia non conuenit hoc Christo Domino speculariinstituti one, sed ex hoc quod est Deus, & homo simul, per quandam quasi naturalem consequutionem haber, quod sit causa gratię, sicuti & quod sit causa nostræ salutis, & nostrę

træ redemptionis. Deinde aduertendum est, quod nõ qualiscunque institutio, siue causę, siue signi sufficit ad rationẽ Sacramenti, sed necessarium est, quod sit primaria, ita quod res sit perse primò instituta, vt causet gratiam, vel vt significet gratiam. Et ratio huius est, quia quęlibet res dicitur talis ratione illius, quod conuenit ei perse primò, & principaliter, & nõ ratione illius, quod conũenit ei sebũdariò, & minus principaliter. Hoc supposito dico, quod Sacramenta nouæ legis, non sunt Sacramenta duplici ratione, ex æquo: quia ratio causę in illis non reperitur, tanquam ratio primaria ex diuina institutione; & ideò nõ collocat ea D. Th. ingenere causę, & ratio signi conuenit eis primo, & perse; & ideò ab ista desumunt rationẽ Sacramenti, quapropter D. Tho. illa collocat ingenere signi. Vndè ad rationem dubitandi, negamus sequelã, & ad probationẽ. Respõdetur, quod quęlibet ratio causę, vel signi, si sit primaria constituit rationem Sacramenti, non verò si sit secundaria, & minus principalis, vndè si æque primò conuenirent, constituerent Sacramentũ duplici ratione ex æquo sicut vrina, quia æque primò habet esse signum, & ex alera parte si detur fingendi causa esset causa sanitatis duplici ratione denominaretur sana: Non verò sic denominaretur, si vna ratio conueniret primariò, & altera secundariò, vel vt modus primariæ, sicut contingit in Sacramentis, vt postea explicabitur.

SECVNDA CONCLVSIO.

SAcramenta, siue veteris, siue nouæ legis sunt ingenere signi essentialiter, & illud genus est signum ad placitum. Ex hac conclusione sequitur, quod hæc propositio est quidditatiua. Sacramẽtum est signum, sicut ista, terminus est signum. Hæc conclusio est communis inter Theologos, & ita certa, vt oppositũ eius sit manifestus error in fide, quia modo non intẽdimus explicare significationẽ conuenire perse primo, aut perse secundo ex secundaria, vel minus principali institutione: nam forte in hoc sensu, nõ est ita certa, vt autẽ iacet est de fide. Et probatur quoad vtrãque partem de omnibus Sacramentis vtriusque legis, primo quoad primam, & loquamur prius de Sacramentis veteris legis. Circuncisio fuit primum, & præcipuum illius legis Sacramẽtũ, de quo dicitur Genes. 17. quod est signũ fœderis inter Deum, & Populũ Iudæorum, & Paulus Epist. 1. Corinr. cap. 10. omnia Sacramenta veteris legis appellat vmbras, & figuras, dũ ait, referens Sacramenta illius legis: *Hæc autẽ omnia in figura cõtingebãt illis*, ergo de fide est Sacramenta ille fuisse signa. Confirmatur ex decreto citato sup. Concilij Florent. vbi absolutè dicitur Sacramenta antiquæ legis signa fuisse gratiæ dãdæ per Christi passionẽ, ergo. Deinde probatur eadẽ pars de Sacramentis nostræ legis gratiæ. In primis Paul. ad Rom. cap. 6. loquens de Sacraméto Baptismi vocat eum signum mortis Christi, sepulturæ eius, & resurrectionis, ac nouitatis vitæ animæ nostræ, dum ait: *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu in morte eius baptizati sumus, cõsepulti enim sumus cum illo per baptismũ in mortẽ, &c.* quia enim Baptismus significat mortẽ, sepulturã, resurrectionẽ, & resurrectionem vitę animę verificantur omnia, quæ ibi docet Apostolus: Alias enim minimè verificarẽtur. Videãtur Expositores huius loci, qui ab omnibus Doctoribus Scholasticis in hoc sensu intelligitur. Præterea de Sacramẽto Eucharistiæ extant multa loca, in quibus vocatur signũ passionis Christi, maximè illud Lucæ 22. vbi dicitur in persona Christi, quod accipiens panem dedit discipulis dicens: *Hoc facite in meam commemorationem,*

Gen. 17.

Ad Rom. 6.

Luc. 22.

nem, ideſt in ſignificationem mortis,
1. *Ad Corinth.* 11. & paſsionis meę. Idē habetur 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, &c. Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, ideſt repræſentabitis. Idem dicitur de alijs Sacramentis, & de matrimonio ad Epheſ. 5. peculiaris eius ſignificatio aſſignatur: eſt enim ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, quod deſignat Apoſtolus, dum de illo ait: *Sacramentum hoc magnum eſt in Chriſto, & in Eccleſia.* Confirmatur hoc authoritate Concilij Trident. Seſsion. 7. Can. 6. ſupra citato, vbi expreſsè docet Sacramenta nouæ legis ſignificare gratiam, illamque conferre, & ſpecialiter Seſsion. 13. cap. 3. dicitur, commune quid eſſe Sacramento Euchariſtiæ, cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſsibilem, ergo ſecundum ſacram Scripturam, & ſacra Concilia veritas noſtræ concluſionis vt iacet eſt de fide. Videatur Cabrer. in preſenti multas authoritates Sanctorum Patrum adducens pro iſta ſententia. Deinde probatur dicta pars concluſionis ratione à congruentia deſumpta: modus cognoſcendi proportionatus naturæ humanæ pro iſto ſtatu eſt per ſigna ſenſibilia cognoſcere ſpiritualia, & inviſibilia, ergo congruum fuit, quod Deus inſtitueret Sacramenta, quæ rebus ſenſibilibus ſignificarent nobis effectus ſpirituales procedentes à gratia ſanctificante. Probatur conſequentia, nam Deus in Sacramentorum inſtitutione debuit ſecundum quandā cōgruentiam ſe accommodare ad modum cognoſcendi hominum.

Secunda pars concluſionis, ſcilicet quod immediatum genus Sacramentorum ſit ſignum ad placitum vt ſic. Probatur. Sacramenta ſunt res ſenſibiles, & materiales, ſed res materialis nullo modo poteſt naturaliter ſignificare gratiam, neque aliud quid ſacrum, ergo ſolum poteſt ſignificare explacito eleuantis ipſam ad eſſe Sacramenti, conſequentia patet. Antecedens probatur, nam res materialis, non poteſt eſſe naturalis ſimilitudo rei ſacræ, & ſpiritualis, neque poteſt habere rationem effectus illius, ergo nullo modo poteſt ſignificare naturaliter rem ſacram, conſequentia patet: nam omne ſignum naturale ſignificat, vel tanquam naturalis ſimilitudo rei ſignificatæ, vel tanquā effectus ipsius, vt ex Summuliſtica diſciplina patet. Antecedens autem pro prima parte apparet manifeſtum omnibus: A qua enim (v. g.) aut ablutio paſsiua, quæ eleuata fuit à Chriſto Domino ad rationem Sacramēti nullam ſimilitudinem naturalem habet cum gratia regenerante: pro ſecunda autem parte etiam patet: nam gratia in Sacramentis, non cōparatur vt cauſa illorum, ergo non habent rationē effectus reſpectu gratiæ, & conſequēter tanquam effectus non poſſunt naturaliter ſignificare gratiam. Secundo probatur. Differentia particularis ſignificacionis Sacramentorū eſt modus ſignificandi pendens expeculiari inſtitutione diuina, ergo ratio communis eſt ſignificatio ex inſtituto procedens, qualis eſt ſignificatio ad placitum. Patet cōſequentia, quia genus, & differentia debēt pertinere ad idē genus. Antecedens pater: nam ſolus Deus eſt author Sacramentorum: ſicut ſolus ipſe eſt author gratię, & ſanctitatis ſignificatæ per ipſa, ergo ſolū Deus poteſt conferre rebus materialibus ſignificationem gratiæ, & ſanctitatis, ergo Sacramentorum ſignificatio pendet ex inſtitutione diuina. Etſi contra iſtam veritatem obijcitur Auguſtinus Epiſtol. 23. ad Bonifacium dicens: *Quod ſi Sacramenta earum rerum quarum ſunt Sacramenta, ſimilitudinem non haberent omnino Sacramenta non eſſent*, in quibus verbis videtur Sanctus Doctor ponere ſimilitudinem naturalē gratiæ in ipſis Sacramentis. *Aug.*

Ad

Ad hoc respondetur D. Augustinum in illo loco solum voluisse constituere quandam analogicam proportionem, & similitudinē, quæ reperitur inter res, quę assumptæ fuerunt à Christo Domino, vt essent Sacramenta, & inter effectus Sacramentorum: Illa autem non sufficit vt naturaliter, & per modum similitudinis repræsentent gratiam, quia est proportio multum remota, & imperfecta in qua solum fundatur capacitas, & aptitudo, vt magis vna res assumatur ad vnum Sacramentum, quam ad aliud, vt patet in ablutione corporis, quę analogicam proportionem, & conuenientiam habet cū ablutione interiori animæ ab omnibus sordibus ipsius, & maculis, quā quis consequitur in Baptismo, & ad istam conuenientiam attendens Christus Dominus illam ablutionem corporalem eleuauit, vt ex institutione peculiari eius significaret gratiā regenerantem, & ita esset Sacramētum Baptismi. Vndè propriè, & simpliciter significat ad placitum: nam de ratione signi ad placitum est, quod non temerè, & à casu, sed habita aliqua cōsideration, & ratione alicuius proportionis inspecta, imponatur ad significandum. Secundò potest contra conclusionem obijci ex Sacramento pœnitentię: nam illud quatenus cōstat confessione, & contritione pro materia, & absolutione Sacerdotis pro forma absque vlla Dei institutione videtur significare rem sacram sanctificantem nos, & remissionem omnium peccatorum, ergo. Probatur antecedens, nam cū Sacerdos dicit: *Ego te absoluo*, effectum remissionis significant illa verba, ex sola hominis voluntate, quatenus cadunt supra confessionem procedentem ex contritione, ergo ad perfectam rationē Sacramenti non est necessaria aliqua diuina institutio.

Ad hoc respondetur, quod illa verba vt substant institutioni Dei, non significant idem, & eodem modo, atque vt substant hominis volūtati, & institutioni, quia licet appareat hoc ita esse re vera, non ita est, quia ex humana institutione significant remissionē peccatorū ab ipso Sacerdote collocatā, siue id sit verum siue non, ita quod abstrahit ab hoc, quod est illorū verborū significationem verificare, vel falsificari, quatenus autē subsunt institutioni Christi Domini illa verba significant illum effectum verè, & realiter, ita quod re vera effectus ponitur in subiecto dispositio ad receptionem Sacramēti, & nō solū id significat verè speculatiuè, sicut faciebāt Sacramēta veteris Legis, sed etiam practicè, quia ex vi institutionis habēt illa verba efficatiam, vt illis correspondeat re vera remissio peccatorum, nisi ex parte pœnitentis ponatur obex. In alijs verò Sacramentis hæc doctrina magis manifesta est etiam pro tyronibus, quia in sacramēto Baptismi ablutio corporis, antecedenter ad diuinam institutionem, nullo modo significabat ablutionem interiorem animæ, quam tamen modo ex diuina institutione significat. In Sacramento Eucharistiæ verba hæc: *Hoc est corpus meum*, ante institutionem Sacramenti solum significabant prę sentiā corporalem ipsius proferentis: tamē post diuinam institutionem significāt præsentiam veram, & realem corporis Christi sub speciebus, quia dicuntur à ministro loco, & vice ipsius Christi. Idem inueniens in cęteris Sacramētis si volueris discurrere per illa.

TERTIA CONCLVSIO.

LICET Sacramenta, quæ de facto Christus instituit habeant aliquam similitudidem, & proportionem naturalē imperfectā (vt supra explicui) non tamen hanc proportionē petunt secundum suam essentialem rationē, vndè secundum hanc conclusionem

potuit Christus eleuare ad rationem Sacramenti quascumque res sensibiles, etiam nullam habentes proportionem cum effectu Sacramentorum.

Hanc conclusionem sic explicatam, tenet expresse Magister Cabrera in presenti dubio circa tertiã conclusionem, num. 24. constitutam, & licet non ita expresse doceatur ab alijs Magistris: Tamen cum omnes cõcedant significationem Sacramentorum esse ad placitum, absque dubio tenere debent presentem conclusionem, & probatur ratione. Ad rationem signi ad placitum, non est necessarium, quod inter signum, & signatum sit proportio aliqua, aut similitudo naturalis, ergo. Antecedens patet: nam sicut de facto habens authoritatem ad imponendum, regulariter ad aliquam proportionem attendit: Tamen attenta natura, talis significationis, & impositionis, solum petitur, quod secundum placitum, & arbitriũ eius conferatur significatio huius, vel illius rei cuicunque medio voluerit.

Hęc ratio respectu Christi Domini fortius currit, & confirmatur, nam Christus potest ad præsentiam cuiuscumque rei producere gratiam, sicut potest ad presentiam ablutionis corporeæ, & potest ad causandum quãcumque effectum vti instrumento inepto manente inepto secundum suam intrinsecam rationem, ergo etiam potuit instituere ad significandum, & causandum gratiam, res ineptas, & improportionatas. Consequentia ex paritate rationis patet, antecedens probatur, & explicatur exemplis, ex Scriptura desumptis: Nam Ioann. 9. refertur Christum Dominum cæcum à natiuitate illuminasse lutum supra oculos ponendo, quod potius videtur impedire restitutionem visus, & cæcitatem de nouo causare, quam aliquid conducere ad miraculum patratum. Similiter Luc. 7. refertur Christum Dominum remisisse peccata Mariæ Magdalenę, dicendo illa verba: *Remittuntur tibi peccata tua*, & tamen illa verba nullam proportionem, aut similitudinem naturalem habebant cum gratia causata in anima Marię Magdalenę, ergo similiter potuit eleuare quaslibet res sensibilis ad rationem signi, & causæ gratię, quamuis nullam proportionem habeant cum illa.

Contra istam conclusionem aliqua obijcit Magister Cabrer. quæ parum, aut nihil habent difficultatis, & ideò illa omitto: nam per doctrinam traditam in ista, & secunda conclusione, cuilibet obiectioni possibili satisfacere poterit diligẽs veritatis inquisitor.

QVARTA CONCLVSIO.

SAcramentum debet esse signum sacrum, & secretum. Hæc est communis inter omnes Doctores Scholasticos, in quibus possunt videri aliquæ authoritates Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quæ optimè ab illis ponderantur in presenti, maximè à sapientissimo Nuño, & à Cabr. circa tertiam conclusioné huius dubij. A nobis autẽ probatur ratione, & prima pars ex quadam doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 102. articul. 5. Probatur. Sacramenta propriè sunt instituta pro Dei cultoribus ad quandam cõsecrationem, per quam deputantur homines ad cultum Dei, sed id per quod homo deputatur ad cultum Dei debet esse aliquid sacrum, ergo Sacramentum institutum ad cultum Dei debet esse aliquid sacrum. Confirmatur. Medium, esse, & denominationem sumit à fine immediato, quem respicit, sed Sacramenta ordinantur, tanquam medium ex diuina institutione ad finem sacrum, scilicet ad gratiam significandam, & ad cultum Dei manifestandum, ergo signum sacrum debet esse.

Secunda pars, quod scilicet sit secretum,

cretum, probatur primò ex loco cita to suprà art. 2. S. Gregorij in capite multi, vbi docet sacramenta sic dici ab occultis virtutibus, ergo ab occul ta significatione: nam eadem ratione colligitur, quod significatio Sacramentorum debet esse occulta, qua colligitur eorum virtutem occultã esse: & ratio est, quia sacramenta in ratione causæ, & in ratione signi pertinent ad homines constitutos in via, sed pro statu viæ, gratia, & sanctitas communicanda per sacramenta est occulta, imò & in certa hominibus, ergo ratio signi in Sacramentis debet esse occulta, sicut & ratio causæ. Consequentia ex eo probatur, quia tam significatio, quam causalitas est respectu gratiæ, & sanctitatis occultæ. Confirmatur. Significatio Sacramentorum est omnino supernaturalis, ergo occulta. Patet consequentia, quia ens supernaturale occultum est fidelibus, à quibus non potest cognosci, sine speciali reuelatione, & lumine supernaturali.

Ex quo sequitur contra Hæreticos nostri temporis, quod res pertinentes ad sacramenta non sunt reuelandę populo, quia cum significatio, & causalitas sit occulta, vtpotè respiciens sanctitatem occultam, hominibus tantum sacratis, & qui maiorem habent notitiam spiritualium rerum sacramenta debent committi, & omnia ad ipsa spectãntia reuelari, & manifestari, & non hominibus vulgaribus, & forte propter istam rationem aliqua spectantia ad cæremonias, & ritus Sacramentorum, non sunt expresse tradita in sacris litteris, sed magis occulta, & peculiari reuelatione tradita sunt, & commissa viris Apostolicis, quæ modo habentur in Ecclesia Christi per traditionem Apostolorum, cui doctrinæ adhærentes omnes Doctores Scholastici reprehendunt Sacerdotes, qui voce alta, & non submissa sacramenta conficiunt maximè Sacramentum Eucharistiæ verba consecrationis altè proferentes: nam faciunt contra reconditam, & secretam significationem Sacramenti, & non aduertunt ad decretum sacri Concilij Tridentin. Session. 22. cap. 9. vbi approbat ritum Ecclesiæ Romanæ submissa voce partem Missæ, quæ incipit à Canone, & verba consecrationis proferentis, quam doctrinam omnes debent attendere Sacerdotes, vt deuotè, & reuerenter celebrent sanctissimum Missæ sacrificium.

QVINTA CONCLVSIO.

SIgnificatio Sacramenti debet promanere ab impositione habentis authoritatem publicam ad conferendum rebus sensibilibus significationem stabilem, quæ duret pro statu aliquo in quo homines ex diuina ordinatione conueniant in tali modo colendi Deum, & profitendi.

Hæc est communis inter omnes Doctores, & potest probari primo, quia Circuncisio, & omnia vetera sacramenta sic fuerunt instituta à Deo, vt stabili lege durarent pro toto tempore quo duraturа erat lex Mosayca, vt colligitur ex Genes. 17. & Exod. 12. hanc enim legem stabilem significant illa verba, quæ dixit Dominus ad Moysem antequam illi præciperet vsum Sacramenti Circuncisionis: *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post me*, & antea: *Tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis*, quę verba significant illud Sacramentum, quod legitur ibi institutum à Deo, duraturum longissimo tempore, scilicet vsque ad legem gratiæ promulgatam. Similiter de Sacramentis legis gratiæ idem colligitur ex verbis Christi, Matthæi vltimo, vbi post quam præcepit discipulis baptizare omnes gentes subforma ab ipso perscripta,

Gen. 17.

cripta, in manifestationem huius veritatis, scilicet quod illud baptismi Sacramentum stabili lege in perpetuum duraturum erat, sic dicit: *Et ecce ego vobis cum sum vsque ad consummationem sæculi*, & ratio id persuadet de omnibus Sacramentis, quia Sacramenta sunt quædam cæremoniæ sacræ quibus homines fideles colunt Deum, & sanctificantur, siue per ipsorum vim, vt fit in nostris Sacramentis, siue quia in vsu eorum Deus immediatè sanctificabat, vt fiebat in Sacramentis veteris legis, sed status fidei, & religionis est permanens, & stabilis: ergo Sacramenta, quę ad actus religionis ordinantur, & ad protestandam fidem, atque ad confitendum Deum authorem gratiæ debēt habere eandem permanentiam pro toto tempore, quo durat lex, & religio. Probatur consequētia, nam omnes fideles simul faciunt vnam Ecclesiam vnumque modum religionis cō stituunt, ergo oportet quod habeāt vnum determinatum, & præfixum modum colendi Deum: nam vnitas religionis maximè manifestatur in vnitate modi colendi Deum per easdem cęremonias, cum ergo status religionis sit stabilis, sacras cæremonias quales sunt Sacramenta stabiles esse oportet pro toto tempore durationis religionis, & legis diuinæ.

Confirmatur. Signa ad placitum, quę ad communem vsum hominum instituuntur stabili, & permanenti lege imponuntur, ergo similiter Sacramenta, quę instituuntur ad communem modum colendi Deum in Ecclesia, & ad communem modum sanctificationis hominum speciali Dei ordinatione, sic statuentis debent imponi ad significandum stabili significatione.

SEXTA CONCLVSIO.

CAusare sanctitatem internam animæ non est de ratione, & essentia Sacramenti vt sic. Hęc cōmunis est inter omnes paucis exceptis, cum Magistro Sentent. vbi supra, & patet ex præcedentibus conclusionibus maximè tribus prioribus ex quibus cōstat Sacramenta veteris legis fuisse simpliciter Sacramenta secūdum doctrinam Conciliorum, & tamen non fuerunt causa gratiæ, ergo de ratione Sacramenta, non est gratiam causare.

SEPTIMA CONCLVSIO.

LOquendo de Sacramentis nouæ legis etiam dicendū est, quod esse causa riua gratię, non pertinet ad eorū essentiam: ita quod hæc prædicatio. Sacramenta nouæ legis sunt causatiua gratię, quam significāt, non est quidditatiua, & essentialis. Hæc etiam est communis specialiter inter Thomistas, vno, aut altero excepto, quod dico propter sapientissimū Nu ño, qui postquam conclusione quarta difficultatis motæ circa istum articulum dixit Sacramenta ex parte materiæ esse ingenerecausę, deinde art. 2. difficult. 2. ad 2. argum. expressè docet causare gratiam esse de essentia Sacramenti nouæ legis ex parte materiæ.

Nostra tamen conclusio probatur. Sacramenta nouæ legis sunt ex primaria Christi institutione ordinata, & imposita ad significandum gratiam, ad causandum autem illam minus principaliter, & quasi secundariò sunt instituta, ergo ratio causę nō intrat eorum quidditatem. Probatur antecedens: Diuinus cultus, & reuerentia religiosa Deo debita præferri debet nostrę sanctitati, & vtilitati spirituali, ergo Sacramenta principalius

fuerunt

fuerunt instituta à Christo Domino, quatenus pertinent ad cultum Dei, & ipsi debitam reuerentiam, quam prout pertinent ad nostram sanctificationem. Consequentia ex eo probatur, quia quo finis est præstantior, & excellentior medium ordinatum ad ipsum præferēdum est in intentione operantis, quatenus ordinatur ad talem finem, & non vt ordinatur ad finem imperfectiorem: Hoc enim videtur postulare ratio ipsa operantis, & agentis propter finem, quod scilicet primariò, & perse intendat consequi finem perfectiorem, & secundariò minus perfectum, & consequenter cum finis sit assequendus per media ad ipsum ordinata, operans propter finem excellentiorem, eadem intentione primaria qua intendit illū finem, debet intendere medium ad ipsum ordinatum, sub ea ratione formali, sub qua ad ipsum ordinatur. Ex quo sequitur, quod cum Sacramenta in ratione signi gratiæ, sint media ordinata ex Dei institutione ad diuinū honorem ipsi exhibendum, & in ratione causę ad bonum nostrum spirituale, & primus finis sit primò, & per se intentus à Christo Domino propter eius maiorem excellentiam, sequitur (inquam) quod eadem primaria intentione sint instituta Sacramēta, vt sint signa, & secundariò vt sint causæ: idem enim ordo voluntatis, qui est circa fines est circa media ordinata ad ipsos, vt ex bona Theologia 1.2. patet.

Confirmatur, causalitas Sacramentorum subordinatur eorum significationi, ergo ex primaria Christi institutione sunt imposita ad significandum. Probatur antecedens. Sacramēta id causant, quod significant, & eo modo causant quo significant, ergo causalitas sacramentorum subordinatur eorum significationi, tanquam regulæ. Probatur antecedens, Sacramētum Eucharistiæ (v.g.) ex eo causat gratiam, quia significat illam, & ex eo causat illam per modum gratię nutrientis, quia isto modo illam significat, & idem inuenies in reliquis sacramentis, ergo antecedens illud est verum, ex quo optimè infertur consequentia.

Confirmatur secundo, nam salus, & nostra iustificatio subordinatur gloriæ Dei, & Christi, & reuerētiæ Deo debitæ, ergo sacramēta quatenus sunt effectiua nostræ sanctificationis respiciunt eandem causam finalem, ergo eorum significatio est regula, cui subordinatur propria eorū causalitas. Probatur consequentia, quia significatio in illis immediatè respicit vt proprium finem gloriam, & honorem Dei, & Christi.

Quo modo autem connectatur in Sacramentis nouæ legis ratio causæ cum essentia Sacramenti postea diffusè explicabitur, modo autē sufficiat scire, quod connectitur aliquo modo perse, & non per accidens, ad quod explicandum est optima ratio congruentia illa, quam facit sapientissimus Soto ad probandum sacramēta nouæ legis instituta fuisse primò, & perse ad significandū; efficax meo videri, ad probandum connexionem perse esse inter significationem, & rationē causę, sic vt à nobis explicatur.

Ratio ergo Magistri, in hoc consistit, quod sacramenta promanauerunt à Christi institutione secūdum quod fuit, & hominum Redemptor, & Christianæ Religionis institutor, & author, quatenus fuit Redemptor instituit Sacramenta, vt essent medicinæ animarum, quę in illis salutem causarent, quatenus fuit Christianę Religionis author instituit eadem Sacramenta, vt essent sacræ cęremoniæ ad diuinum cultum ordinatę, vt in illis Deum coleremus, & Deum summum benefactorem protestaremur, & authorem nostrę salutis, & gratię. Ex hac ratione infert Soto, quod cū sacramenta in ratione signi deseruiāt ad cultum Dei, & ad protestationem

dictam, necessarium fuit, quod essent sacramenta nostra instituta primò, & perse ad significandum. Ex hac ergo doctrina, quę forte benè intellecta conclusionem probat, sic conficio rationem pro nostro dicto.

In Christo Domino ratio Redẽptoris, & ratio legis Christianæ conditoris, non connectuntur per accidẽs, sed perse, ergo similiter in Sacramentis ratio signi, & ratio causæ habent similem connexionem. Antecedens est certum: nam vtrumque munus conuenit Christo ex vi suæ prędestinationis. Consequentia verò probatur: nam in Sacramentis illæ duæ rationes procedunt à Christo secundũquod in ipso reperitur connexio Redemptoris, & fidei nostræ authoris, sed effectus procedentes à causa secundum rationes adinuicem ordinatas habent similem ordinationem, cum in effectu resplendeat secundũquod effectus est totum, quod reperitur in causa, vt causa est, ergo si in Christo vt causa fuit, reperitur Sacramentorũ illa ordinatio, & connexio perse rationum dictarum, eadem cõnexio reperitur inter rationes conuenientes Sacramentis, vt effectus sunt ipsius Christi.

Hac ratione potest etiam demonstrari efficacia rationis Magistri pro sua conclusione benè intellectæ: supponit enim in illa doctissimus Magister, quod in Christo Domino illæ duæ rationes sunt interse connexæ, & quod ratio Redemptoris subordinatur rationi institutoris Christianæ Religionis, tanquam magis principali. Ex quo benè infert in sua ratione, quod cum sacramenta in ratione signi ordinentur ad cultum Religionis Christianę, qui est finis primò, & per se intentus à Christo, quia est bonum diuinum, vt supra dixi, ratio signi cõueniat illis ex primaria Christi intentione, quia ille ad significãdum instituit sub illa ratione, quæ illi principaliter conuenit, ad causandum autem subratione Redemptoris, quæ minus principaliter ipsi conuenit, eo quod vt sic immediatè ordinatur ad bonũ nostrum, & non ad bonum diuinum. Hæc dixi, vt defendam tantum Magistrum ab omnibus alijs communiter suam rationem, vt inefficacem reprehendentibus.

Ad argumenta à principio: Ad primũ respondetur, ad antecedẽs primum illius, quod Sacramentum est signum ad placitum, vt explicui, & probaui in 2. conclusione.

Ad probationem in contra respõdetur concessa maiori, & distinguendo minorem, non est ens rationis secundum suam rationem formalem, & quidditatiuam, nego minorem, ex parte materiæ consideratum: concedo minorem, ad probationem minoris respondetur, concędo antecedens & distinguendo consequens: si sumatur propositio illa in illo sensu, in quo hæc est vera: Sacramentum est ens reale, concedo consequentiam: si vero sumatur in alio sensu, scilicet ex parte rationis formalis, nego consequentiam: Ad cuius probationẽ respondetur distinguendo maiorem, si res illa sit vnum perse simpliciter; sicut sunt res substantiales, concedo maiorem: Si autem sit vnum perse secundumquid, qualiter sunt entia per se omnia artificiata, nego maiorem. Hoc enim est proprium compositorum artifitialium, & accidentalium, quod quia componuntur ex duobus entibus in actu, quorum subiectum, siue materia est substantia, & forma est actualitas accidentalis, non resultat in compositio vna essentia habens vnitatem perse simpliciter, sed secũdumquid. Vndè prędicantur de ipsa rationes pertinentes ad duo genera opposita, scilicet ad substantiam, & ad accidens, vt patet in termino, de quo prædicatur, & quod sit ens reale, quia eius materia est vox, & quod sit ens rationis, quia forma ad illud genus entis pertinet. Consimiliter

loquen-

loquendum est in Sacramentis, quia etiam sunt composita artificialia in quibus materia est res sensibilis, cui applicatur significatio, & forma est ipsa significatio, explacito Christi conueniens. Vnde prædicata, sumpta ex parte vtriusque partis componentis possunt de toto composito prędicari. Etsi inquiras an absolute sit concedẽda ista: *Sacramentum est ens rationis.* Respondetur, quod attendendo ad vim suppositionis subiecti, non est cõcedenda absolutè, sed semper cum addito, scilicet ex parte formæ. Ratio est, quia illud subiectum, est terminus concretus significans compositum artificiale Sacramentale: & ideò supponit pro materiali, scilicet pro re sensibili, connotando tamen significationem propriam ipsi rei applicatę, vt (v.g.) cum dico: *Baptismus*, iste terminus supponit non pro signo gratiæ regenerantis formaliter, sed pro ablutione reali hominis sub determinata verborum forma, vt connotat ipsam significationem gratiæ. Sed cõtra est communis obiectio. Si Sacramentum est ens rationis saltim cum addito explicato, idest ratione formę, ergo cum ens rationis non sit, nisi quando actu cognoscitur ab intellectu, Sacramentum non erit formaliter absque actuali consideratione intellectus: Hoc autem blasphemum videtur, ergo nullo modo dicendum est rationem formalem Sacramenti esse ens rationis. Huic obiectioni, nõ plenè satisfaciunt, qui dicunt, quod non est concedendũ Sacramentũ esse ens rationis, quia supponit pro materiali, quod est ens reale: nam restat adhuc explicandum: quommodo cũ re vera secundum formalissimam rationem, sit ens rationis, habeat esse ante actualem considerationem intellectus.

Propterquam difficultatem Suarez in presenti, disput. 1. sect. 3. ait rationem signi ad placitum propriè, & formaliter non cõsistere in relatione reali, nec rationis, sed in habilitate quaddã, seù aptitudine, quæ quasi more humano loquẽdo relinquitur in re imposita adsignificandũ ad excitandũ intellectũ, vt veniat in cognitionẽ rei signatæ. Cuius fundamentum, prẽter argumentum à nobis factum, est, quia in re imposita nihil ponitur per hoc, quod impositio re vera facta sit, præter denominationem extrinsecam à reali actu prouenientem, idemque censet contingere in pluribus alijs rebus, quæ ex institutione hominum originem ducũt, vt est, potestas iurisdictionis, gradus Doctoratus, quæ per extrinsecam deputationem, & denominationem fiunt.

Sed tamen quidquid sit de exemplis, contraria sententia est communis, præcipuè inter Thomistas, qui omnes concedunt rationem signi Sacramentalis esse relationem quandam rationis ad rem significatam, sicut in alijs signis ad placitum, quia relatio ex impositione prouenies non potest esse realis, quia sicut (ipse Suar. optimè dicit) impositio nihil reale causat in re imposita, quæ possit esse fundamentum relationis realis, & cõtra ipsum potest id probari: Nam denominatio extrinseca, quam ipse fatetur relinqui in re imposita ingenere entis (vt communiter docent loqui) nihil est in re ante intellectus cõsiderationem, vnde si est aliquod ens necessariò debet esse ens rationis, eo præterea de illa habilitate more humano relicta interrogo, an sit entitas realis, vel rationis: non primũ, quia ipse fatetur rationem signi in Sacramentis, non esse quid reale propter fundamentum relatum, ergo debet esse ens rationis, vel nihil est, cũ inter ens reale, & rationis nullum detur medium. Vnde aliter ad obiectionem respondetur, distinguendo consequens, non erit formaliter secundum omne illud esse debitum, & possibile. ex parte formę eius, concedo consequentiam, non erit absolutè, &

quantum

quantum sufficit ad excitandum intellectum respectu gratiæ significatæ, nego consequentiam. Itaque tanquã certum iudico, quod nullum ens rationis potest habere esse existentiæ, sibi debitum, nisi adsit actualis consideratio intellectus, quia tale esse nihil aliud est, quam obijci actualiter intellectui (vt docent Logici, & Metaphysici) Vndè non mihi placet solutio Magistri Nuño in presenti ad sextum, & aliorum oppositum dicentium. Nihilominus tamen, quia Sacramẽtum est absolutè ens reale, vt explicatum est, & eius significatio manet, etiam nullo intellectu considerãte, habitualiter, seu fundamentaliter proximè; ideò ratione sui fundamenti, & per eius existentiam dicitur esse quantum sufficit ad denominandum Sacramentum signum absolutè, sicut voces in libro clauso dicũtur, & sunt absolutè signa, & ratio huius est, quia denominatio aliquarum relationum rationis, quæ habent fundamentum proximum in rebus, non sumitur à relatione ipsa concepta in actu signato, sed à fundamento proximo, vt patet in denominatione Domini, Deus enim dicitur Dominus realiter ante actualem considerationem relationis rationis. Ex quo sequitur, quod Sacramentum absolutè est ante actualem considerationem intellectus ratione suæ entitatis realis, quæ vt imposita ad significandum semel retinet rationem fundamenti proximi ipsius significationis. Vndè realiter dicitur signum, & excitat ad cognoscendum rem significatam, quod prouenit non ex aliquo reali in ipso existente, sed quia ex vsu hominum scientium impositionem Christi communiter cognoscitur substitutum fuisse loco talis rei sacræ. Idem dicitur à Dialecticis de signis, & propositionibus vocalibus.

Ad primam confirmationem argumenti principalis, patet ex quinta conclusione, distinguẽdo consequẽs, est mutabile pro toto tẽpore, pro quo est institutum à Deo, nego consequẽtiam, mutabile attendendo ad ordinẽ quem dicit ad arbitrium Dei, concedo consequentiam: & hoc est esse immutabile simpliciter, quia supposito decreto diuino de eius institutione, cum voluntas Dei sit omnino immutabilis etiam significatio, & essentia Sacramentorum, est omnino immutabilis: secus verò dicendum est de signis ab humana voluntate pendentibus, cum enim voluntas hominis imponentis sit mutabilis absolutè eorũ significatio est variabilis etiam in tẽpore pro quo sunt imposita, nec placet nobis in hac parte solutio secunda Cabrera dicentis, quod si significatio quam habent verba formæ Sacramentorum ex instituto hominũ mutaretur, mutarentur Sacramenta, sed hoc ait tunc contingere per accidens & indirectè. Non inquã placet hoc, quia licet institutio Christi supposuerit significationem ad placitum verborum, tamen, ita stabili lege contulit verbis Sacramantorum significationem gratiæ Sacramentalis, quod etiam si hoc verbum, *baptizo*, vel hoc verbum, *absoluo*, mutaret suam significationem humanam, in quãtum assumeretur ad formam Sacraméti proferendam cum debita intentione, significaret eandem gratiam, vndè esset idem Sacramentum, quia significatio Sacramentalis non dependet essentialiter à significatione, quam verba habent antecedenter ad institutionem diuinam.

Ad secundam confirmationem respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius probationem dico, quod illæ duæ notitiæ necessariæ ad signum instrumentale positæ in maiori, intelligendæ sunt respectu exercitij actualis significationis, non verò respectu essentialis rationis signi: Hæc enim solum consistit in habitudine ad rem significatã, quam habet signum instrumentale

ad

ad placitum ex impositione. Ex quo sequitur, quod licet actu non significet alicui, quia non habentur illę duę notitiæ, est tamen essentialiter signū, vt patet de ista voce homo, quæ essentialiter est signum, licet nullus audiat, & cognoscat suam significationem. Ex quo sequitur, quod admissa minori, sine distinctione aliqua potest, negari consequentia: nam vt Sacramentum sit signum essentialiter sufficit, quod ex impositione Christi habeat ordinem signi ad gratiam manifestandam: sed hoc admisso tanquã verò vrget adhuc difficultas, quia cũ ratio essentialis signi ordinetur ad actualem repræsentationem, & hæc sit impossibilis, nisi signum sit prægnitum, vt dicitur in argumento, si Sacramentum non potest esse prægnitum, non poterit repræsentare, ergo non erit signum, vel frustra erit eius significatio.

Et præterea, quia deficiente fine, & impossibili existente omnis ratio medij respectu illius est auferenda. Vndè dicendum est, quod Sacramentum secundum se potens est actu repræsentare, cum ex parte rei sensibilis, quæ est suum materiale possit excitare, & immitere species. Vndè respectu illorum, qui cognoscũt significationem eius actu repręsentat. Licet hanc non omnes cognoscant, sed pauci, & hoc supposita fide: Hoc tamen non sufficit, vt non sit signum simpliciter: Sufficit enim ad rationẽ signi, quod actualis repræsentatio sit possibilis respectu aliquorum, vt non dicatur frustranea in illo ratio repræsentatiui, sicut non est frustra potentia, quę reducitur in aliquo individuo ad actum licet non reducatur in omnibus, vt tenet communis sententia Metaphysicorum explicantium hanc maximam: Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Ad secundũ argumẽtum, negatur antecedens, ad probationem ex authoritate Gregorij deductam. Respondeo primo, quod Sancti Patres non semper artificiosse, & ad methodum Dialecticã ponunt diffinitionem, & ita Gregorius ibi, nõ artificiosè explicuit essẽtiã Sacramentorũ nouę legis, sed tãtum exposuit id, quod notius est, & prẽstantius in illis respectu hominum in quantum sunt medicinę animarũ. Secundo respondetur, quod ex illo loco non colligitur intentum, quia si verba Sancti rectè ponderentur potius insinuant contrarium, quia non dixit Sacramenta per diuinam virtutem operari, sed diuinam virtutem secretius operari salutem Sacramentorum, scilicet quam ipsa Sacramenta significant. Vndè negatur consequentia. Ad tertium, distinguo antecedens, si considerentur illa Sacramẽta speciali à ratione suę formę constitutiuę, nego antecedens, quia sic cõstituuntur per species significationes, vt posteà dicetur, si considerentur ratione materiæ transeat antecedẽs, & absolutè potest, negari antecedẽs: Nam cõposita artificialia nõ ponuntur in prædicamento ratione materiæ, sed formæ quæ ad constitutionem essentiæ principaliùs concurrit quamuis in esse entis, & materialiter sit imperfectior.

Ad confirmationem respondetur primo, sicut ibi dictum est secundum solutionem D. Thom. Ad replicam respondetur, negando antecedens, ad probationem distinguo consequens, si sunt subiecta capacia recipiendi illam denominationem, transeat consequens. Si verò sint incapacia, nego consequentiam. Et quia Sacramenta nõ sunt capacia denominationis causæ formalis, vel finalis respectu gratiæ; ideò probando D. Thom. primò, & per se per illam rationem, non esse necessarium, quod Sacramenta sint in genere causę efficientis; secundariò applicando rationem illam tali materię probat, non esse in alio genere causæ. Ratio autem incapacitatis consistit in hoc, quod Sacramenta respectu

pectu gratiæ, non possunt esse causa formalis: Cum non sit forma intrinseca animæ nostræ gratificãs ipsam per informationem. Similiter non potest esse finis nostræ sanctitatis, sed potius est ab intrinseco medium ordinatum ad illam, vndè tantum potest habere rationem causæ efficientis. Ex quo sequitur, quod si D. Sanctus sua ratione excludit istam causalitatem consequenter excludit omnem aliam: vide te in Magistro Nuño aliam solutionem. Secundo potest responderi ad confirmationem, negando consequentiam, quia aliud est à quo nomẽ dicitur, & aliud quod significat, sicut aliud est à quo nomen imponitur, & aliud ad quod significandum imponitur. Vndè licet Sacramẽtum dicatur ab actiua sacratione: non tamen est ipsa actiua sacratio, sed signum sacrationis formalis præcedentis in anima ab actiua sacratione Dei. Vndè non oportet, quod id quod est Sacramẽtum sit causa efficiens sanctitatis.

Ad quartum respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, quod sacra Concilia in locis citatis explicuerunt differentiam Sacramentorum nouæ legis à Sacramentis antiquæ legis à posteriori, & non à priori per aliquid differentiale essentiale, sed per aliquid quasi secundariò subsequtum ex particulari modo significandi, quem habent nostra Sacramenta. Etsi dicas, sacra Concilia non agnoscunt aliam differentiam priorem, ergo. Antecedens probatur, nã si agnoscerent illam ponerent, dum differentiam eorum explicant. Respondetur, quod & nouerunt, & possuerunt virtualiter, & implicite: cum enim Sacramenta (vt probauimus in vltima conclusione) causent gratiam iuxta modum quo illam significant, hoc ipso quod Concilia diffiniunt Sacramenta noua causare gratiam, quã vetera non causabant, consequenter & virtualiter diffiniunt aliter significare, quam antiqua significabãt: Hæc autem diuersa ratio significationis, quæ reperitur in nostris Sacramentis respectu Sacramentorum veteris legis desumitur ex modo diuerso significandi. Etenim nostra Sacramenta gratiam, & Christum explicite significant Sacramenta verò vetera tantũ implicite significabant illa. Similiter nostra Sacramenta significant gratiã, vt conferendam per ipsa: Antiqua verò, vt conferendam per Deum immediatè ad præsentiam illorum. Item etiam nostra Sacramenta significant gratiam conferendam per Christum ingenere causę efficientis, alia verò conferendã per ipsum ingenere causæ finalis, quæ differentia ortum habet ex alia, quæ consistit in hoc, quod nostra Sacramenta significant Christum prẽsentem: alia verò Christum venturum.

Ad confirmationem respondetur, concesso antecedenti. Dico ad consequens, quod talis propositio est in secundo modo per se saltim reductiue, vt constat ex dictis circa septimam conclusionem post eius probationes. Ad id quod obijcitur in contrarium distinguo sequelam: sequitur quod sit passio cum illa proprietate, cũ qua passiones entis naturalis dicũtur passiones, nego sequelam, quod sit passio reductiue ad illum modum, propter similem connexionem, concedo sequelam. Ad probationem sequelę distinguo: implicat quod ens rationis sit principium entis realis secundum emanationem, & causationem concedo, secundum connexionem, nego antecedens, & in eodem sensu, nego consequentiam: Hoc autem dubio sequenti explicabitur diffuse. Ad secundam confirmationem, distinguo antecedens, est perfectius in se ipso, & ingenere entis, concedo antecedens, est perfectius respectu subiecti cui cõuenit, nego antecedens, & nego consequentiam, ad cuius probationẽ patet ex distinctione tradita sit exemplum in albo, quod est quoddam compositum

positum accidentale: certum enim est, quod corpus ex quo componitur, tanquam ex materia est principalius, quam albedo in esse entis, tamen respectu compositi magis principaliter concurrit albedo, quam corpus: quia concurrit vt actus, & forma: corpus vero vt materia. Ita similiter, quia significatio concurrit ad constitutionem Sacramenti nouæ legis per modum formæ, & actus ex diuina institutione: causare autem gratiam consequenter conuenit, supponit iam Sacramentum constitutum in sua essentia.

Secundo respondetur, quod licet causare gratiam consideratum entitatiuè sit perfectius, quam illam significare, tamen considerando vtrumque formaliter in ratione medij ordinati ad finem intentum à Christo Domino, principalius quid est significatio, quam causatio, quia sic ratio formalis medij, & eius perfectio attenditur penes perfectiones finis perse intenti, cum autem finis perse intentus per significationem, sit perfectior, quam finis intentus per causalitatem Sacramentorum (vt dictum est in septima conclusione in probationibus) ideò significatio Sacramentalis ex diuina institutione, & ordinatione principalius quid est, respectu Sacramentorum, & ita intimius concurrit ad constitutionem essentialem illorum.

Ad quintum argumentum admissa maiori pro nunc, quia ad vim illius parum conducit, & illam alio modo positam explicui in solutione ad primum (vbi dictum est) quod composita accidentalia, & artificialia, quia non dicunt vnam essentiam simpliciter vnam, possunt esse in duobus generibus ratione vtriusque partis componentis, illa (inquam) modo admissa, nego minorem, ad cuius probationem, patet ex dictis ad quartum, & replicam ibi positam.

Ad sextum argumentum respondetur, quod Sacramenta possunt considerari dupliciter: primo provt à Christo Domino sunt instituta, & secundo, provt subordinantur intentioni particularis ministri, & suscipientis, quod est considerare illa vt sunt actus eliciti ab ipsis ministrantibus, vel suscipientibus, si considerentur, isto modo sunt actus eliciti à Religione, & per virtutem Religionis regulantur, si debitè ministrentur, & suscipiantur: si verò considerentur primo modo, non sunt actus eliciti à Religione, sed tantum signa sacra ex diuina institutione apta, & proportionata, vt virtus Religionis mediis illis colat Deum in suis actibus, & nos per ipsam virtutem dirigamus actus Sacramentales, & ordinemus ad diuinam reuerentiam, & honorem Dei, & propter hoc appellantur sacræ cęremonię. Nos autè in præsenti, nō loquimur de Sacramentis in secunda consideratione, sed in priori, secundumquod ex institutione diuina habent rationem signi sacri, & obid dicimus cum D. Thom. illa esse simpliciter ingenere signi. Videte aliam solutionem in Magistro Nuño præsenti dubio ad quintum, qui ait rationem actus Religiosi conuenire Sacramento materialiter, & solam significationem formaliter.

Hęc de hoc dubio.

SIT SECVNDVM DVBIVM occasione conformationis quarti argumenti.

Vtrùm in Sacramentis nouæ legis ratio signi sit intrinsecè connexa cum ratione causæ?

IN hoc dubio est prima opinio aliquorum asserẽtium hæc duo coniungi per accidens in Sacramentis nouę legis, & dicunt quod quemadmodum quando aliqua verba canuntur per cosonantiam musicę sonoram reperitur in illis verbis, & quod significent, & quod delectẽt, nihilominus significatio, & delectatio coniunguntur per accidens in illis verbis: ita Sacramenta nouę legis, & significant, & causant gratiam, quam significant: tamen significatio, & causalitas per accidens coniunguntur in eis.

Fundamentum huius sententiæ primum est: nam de ratione Scripturæ vt est signum ad placitum tantum est significare, mouere autem visum per accidens cõuenit ei ratione atramenti: ergo eodem modo dicendum est in præsenti. Secundo de ratione significationis non est efficere, quia significatio est relatio cuius non est efficere, sed referre, ergo cum significatio sit relatio, & hęc sit de essentia signi, non erit de eius ratione efficere, & causare.

Secunda opinio asserit causalitatẽ gratiæ in Sacramentis nouæ legis cõnecti perse cum eorum essentia per modum propriæ passionis: ita vt hæc propositio: Sacramenta nouæ legis sunt causatiua gratiæ sit perse in secũdo modo perfeitatis, sicut ista: homo est risibilis, ita docet sapientissimus Soto in 4. distin. 1. quæst. 1. art. 1. circa finem ante parraphum, quod incipit in calce *denique*. Nullum fundamentum speciale assignat doctissimus Magister huius sententiæ, sed tantum doctrinaliter illam ponit, potest tamen desumi ex doctrina Conciliorum: nam si causare gratiam, non esset ad minus passio Sacramentorum nouę legis, non recte distinguerent illa à Sacramentis veteris legis per rationem causæ: ergo asserendum est ad minus esse passionem. Antecedens probatur: nam distinctio specifica, & essentialis nullo modo potest assignari inter duas res in aliqua formalitate omnino accidentaliter conueniẽte illis, sicut non benè distinguerentur homo, & equus si assignaretur differentia in aliqua ratione accidentaliter tantum conuenienti homini, non tamen equo, vt puta in albedine, ergo supposito, quod Concilia differentiam essentialem Sacramentorum explicant per rationem causę, sequitur quod ad minus sit passio talis ratio Sacramentorum nouæ legis.

Tertia sententia asserit causalitatem gratiæ simpliciter, & absolutè loquendo, neque esse propriam passionem, neque omnino habere se per accidens ad Sacramenta nouæ legis, & ad eorum essentiam.

Prima pars huius sententiæ probatur primo, quia entitas realis, non potest esse propria passio entis rationis, sed essentia Sacramentorum est ens rationis, cum sit significatio ad placitum (vt dictum est) causalitas autem est entitas realis, ergo non potest esse propria passio eorum.

Secuudo. Ratio subiecti, à quo dimanat propria passio est dignior, & præstantior actualitate propriæ passionis, cum sit causa eius, sed relatio signi, quæ constituit essentiam Sacramentorum, non est dignior, & præstantior causalitate gratiæ, sed multo inferior, ergo non potest esse ratio dimanationis talis passionis, & consequenter causalitas gratiæ,

gratiæ, non erit propria passio Sacramentorum nouæ legis.

Secunda pars probatur à Thomistis tenentibus istam sententiam tali fundamento. Significatio in Sacramentis nouæ legis est conditio necessario, & perse requisita ad causandum gratiam supposita diuina institutione: ergo significatio, non coniungitur per accidens cum causalitate. Antecedens non probatur ab istis authoribus, sed supponitur vt certum; potest tamen probari sic. Sacramenta nouæ legis causant gratiam, quam significant, & eo modo causant, quo significant, ergo saltim concurrit significatio respectu causalitatis, tanquam conditio perse necessaria. Potest quoque hæc ratio confirmari aliquibus exemplis, quæ adducunt prefati authores. Primum est. Syllogismus demonstratiuus habet connexas perse modo explicato formam syllogismi demonstratiui, quæ est aliquid rationis, & causalitatem realem scientiæ: ergo isto modo potest dici in præsenti. Antecedens patet, nam ita pendet ratio causandi scientiam à dispositione syllogistica, quod si tali modo demonstratiuo nō essent dispositæ præmissæ nullo modo scientia generaretur.

Consequentia verò eodem modo probatur: nam si Sacramenta nouæ legis non significarent gratiam, nullo modo eam causarent, eo modo, quo rebus vt nunc existētibus ex diuina institutione causant, ergo per se pendet eorum causalitas ab eorum significatione. Ex his infertur, quod sicut ista propositio. Syllogismus demonstratiuus generat scientiam, vel est generatiuus scientiæ, non est propositio per accidens simpliciter, sed reductiuè pertinet ad secundum modum perfectitatis, ita similiter ista propositio: Sacramentum nouæ legis est causatiuum gratiæ, non est simpliciter quarti prædicabilis, reducitur tamen ad illud, quia reductiue est in secundo modo perfectitatis propter rationem traditam. Videte alia exempla in Magistro Cabrera hic disputation. 2. §. 6. num. 31. quæ ipse ex Magistro Vincentio desumpsit, qui hanc sententiam refert, & approbat, teneturque à multis doctissimis Thomistis.

Quarta sententia distinguit in Sacramentis duplicem connexionem repertam inter significationem, & causalitatem gratiæ, altera secundum quam causalitas dependet à significatione, tanquam à conditione necessario requisita ex diuina institutione, altera connexio est dependentia, quam habet significatio Sacramentorum quoad sui veritatem à causalitate gratiæ, tanquam à modo perse completiuo, & terminatiuo ipsius significationis, etenim cum Sacramenta nouæ legis significent gratiam dandam per eadem Sacramenta (vt dictum est dubio præcedenti, & dicetur articulo tertio huius quæstionis) necessario dicendum est, quod veritas significationis Sacramentorum dependet necessario à causalitate ipsorum Sacramentorum: nam si in termino significationis Sacramenta non habent virtutem causatiuam illius gratiæ, quam significant, non verificabitur significatio, qua significant gratiam, vt conferendam per eadem Sacramenta.

Hoc supposito docet hæc sententia, quod loquendo de prima connexione vera est tertia sententia, & conformiter ad eius doctrinam est procedendum. Cæterum cum reperiatur altera connexio secundum quam, etiam perse connectuntur significatio, & causalitas gratiæ, dicendum est, quod non solum significatio connectitur cum causalitate, sicut cum aliqua proprietate, in sensu explicato, sed etiam tanquam cum modo intrinseco completiuo perse ipsius significationis, quia talis connexio est magis intrinseca,

quam altera prior: cum fundetur, non solum in merâ Christi institutione sicut altera: sed etiam in ipso modo significandi, qui est propria, & essentialis ratio Sacramentorum nouæ legis.

Ex quo inferunt, quod esse causatiuum gratiæ in Sacramentis nouæ legis, non constituit specialem rationem Sacramenti, quia in illis, non se habet vt ratio, & forma constituens, sed vt modus complens significationem, quæ se habet vt forma: modus autem rei non constituit specialem rationem in re ipsa, sed reducitur ad formam, & rationem, quam complet, sicut personalitas, quæ est modus completiuus rationalis naturæ, non constituit specialem rationem specificam, neque primariam, neque secundariam, sed reducitur ad speciē naturæ rationalis.

PRIMA CONCLVSIO.

FALSA est prima sententia relata. Hæc conclusio probatur ratione facta pro secunda sententia. Et confirmatur, quia ratio Redemptoris per se connectitur in Christo cum ratione authoris legis gratiæ: ergo rationes communicatæ Sacramentis à Christo Domino secundum quod habet istas duas rationes connexas, similiter perse connectuntur. Consequentia ex eo patet, quod rationes in effectu relucentes, vt dependet à sua causa, eundam ordinem connexionis habent, quem habent rationes, quibus medijs causa influit in effectum, & oppositum non benè intelligitur.

SECVNDA CONCLVSIO.

SECVNDA sententia sapientissimi Magistri Soto est satis probabilis.

Ad huius intelligentiam notandum est, quod vt aliqua formalitas habeat rationem propriæ passionis, sicut requiritur ad constituēdam propositionem aliquā in secūdo modo perse, non requiritur, quod sit imperfectior in esse entis, quam ratio illa, respectu cuius est passio, sed sufficit, quod respectu subiecti, cui vtraque formalitas conuenit, quæ primo conuenit, & se habet vt essentia, sit principalior licet in esse entis aliter contingat, vt patet in passionibus entis rationis, etenim secunda intentio vniuersalis habet propasione prædicabilitatem, & tamen prædicabilitas tam perfecta est in genere entis rationis, sicut vniuersalitas; tamen quia respectu vniuersalis prius, & principalius concurrit secunda intentio vniuersalis, & illa est veluti ratio formalis, qua mediante cuilibet rei conuenit esse prædicabilem, ideo est eius passio. Similiter non est necessarium, quod formalitas passionis dimanet efficientia metaphysica à formalitate illa, quę est essentia rei, sed sufficit quod sic se habeāt interse quoad connexionem, quod secunda formalitas nequeat conuenire rei, cui conuenit de facto, nisi mediante aliqua priori, id patet in eodē exemplo, imo etiam in passionibus entis, quæ cum tantum ratione distinguātur ab essentia entis, non possunt efficienter ab ipsa ratione entis procedere: cū ad quālibet efficientiam requiratur distinctio realis inter causam, & effectum. Secundo est notandum, quod quēadmodum sufficit connexio explicata in rebus, quę nō dependent in suis rationibus, ex placito, & institutione humana: multo magis sufficiet ad cōstituēdā rationē passionis in formalitate vna respectu alterius, quādo vtraq; ex pura

pura institutione, & ordinatione extrinseca alicuius valentis illas sic ordinare pendet, quia tota ratio, tam in essentia, quam in proprietatibus illi conuenientibus ex tali causa attenderda est, & non ex connexione naturali, quæ ex natura rei alijs entibus naturalibus conuenit.

Hoc supposito probatur conclusio, primo ratione posita pro sententia Magistri. Secundo ex doctrina tradita. Ad rationem propriæ passionis nõ requiritur inferioritas in esse entis respectu essentiæ subiecti, sed sufficit inferioritas comparatione ad cõstitutionem subiecti. Similiter non requiritur, quod forma essentialis subiecti influat aliqua efficientia in ipsam formalitatem, quæ est eius passio (vt dictum est, & patet in exemplis allatis) sed sufficit connexio per se inter duas formalitates modo explicato in notabilibus: Sed in Sacramentis reperitur cõnexio similis inter significationem, & causalitatem, ergo hæc se habet vt passio respectu illius. Minor patet, nam causalitas ita pendet à significatione Sacramentali, quod neutiquam Sacramentis cõueniret supposita diuina institutione, nisi mediante illa (vt probatum est in probatione secũdę partis tertiæ sententię) ergo se habet vt passio respectu Sacramentorum eo modo, quo in entibus ex institutione habentibus essentiam potest designari aliqua passio. Vnde ita intelligendus est Magister Soto, cum docet causalitatem esse propriam passionem Sacramentorum, quibus superaddendum est, quod sicut non est æqualitas in perfectionibus essentialibus rerum, adhuc inter res non pendentes ex placito, ita neque est æqualitas in ratione radicis, quam essentia habet respectu passionum, aliquæ enim essentiæ, quia in esse entis sunt perfectiores simpliciter suis proprietatibus, & aliàs non includuntur transcendentaliter in illis sunt radices effectiuę: alię vero quia solum sunt perfectiores respectu rei constitutæ per illas non influunt efficienter, sed solùm formaliter, ad istum sensum, quod sunt rationes formales conueniendi alijs, quia illis modis formaliter constituuntur res capaces constitutæ per illas, vt in se recipiant alias rationes, & licet illæ secundæ proprietates, non sint cum tanto rigore passiones, sicut aliæ conuenientes subiectis per emanationem effectiuam à formis essentialibus, sunt tamen simpliciter passiones (vt in exẽplis de secundis intentionibus, & de ente, & suis proprietatibus liquido constat.)

TERTIA CONCLVSIO.

TERTIA sententia licet sit probabilis in eo, quod secundo dicit: quatenus tamen in prima parte impugnat sententiam Magistri Soto, non placet mihi. Ratio est, nam argumenta habent facillimam solutionem ex doctrina explicata in præcedẽti conclusione. Et deinde sapientissimus Magister, qui forte in illo sensu potest explicari, in re dicit idem, quod illi Authores loquuntur.

Deinde, quia ipsi in secunda parte dicunt, quod hæc propositio: Sacramenta nouæ legis causant gratiam, est propositio per se, & in secundo modo perfectatis, saltim reductiuè: Hoc autem dicunt, quia propter rationes factas, non valent intelligere, quod in rigore sit passio, ergo si iuxta nostram expositionem est latitudo inter proprias passiones, non est cur negetur causalitatem Sacramentorum esse propriam passionem simpliciter illorũ, licet non cum tanta proprietate, sicut passiones entis naturalis.

Confirmatur: nam istam cõnexionem ponere inter significationem, & causalitatem maximè extollit ex-

cellentiam Sacramentorum, & melius intelligitur differentia assignata à Concilijs inter illa, & Sacramenta, antiqua ergo, nam differentia essentialis optimè à posteriori colligitur per diuersas proprietates debitas diuersis essentijs: non autem sic colligitur per formalitates, quæ non sunt simpliciter passiones: ergo licet aliquo modo possit id saluari in secunda sententia, cum melius saluetur sustinendo sententiam Magistri, & illa clara appareat in exemplis explicatis, vt probabilior, & commendans magis excellentiam Sacramentorum est tenenda.

Confirmatur secundo. Propria & essentialis significatio cuiuscũque Sacraméti ex sua quidditatiua ratione petit particularem virtutem causatiuam specialis gratiæ, vt patet discurrendo per singula Sacramenta, ergo ratio causatiui est propria eorum passio. Antecedens patet, nam quodlibet Sacramentum ideò est causatiuum gratiæ, & talis gratiæ, quia signum est illius practicum significans gratiam vt dandam per ipsum, ergo ex vi talis significationis petit rationem causatiui. Consequentia vero probatur, quia in hoc cognoscimus aliquam rationem esse passionẽ alterius, quando ex propria quidditate illius ipsi est debita, vt diuisibilitatem cognoscimus esse passionem quantitatis, quia eius essentia quæ consistit in ratione extensionis, diuisibilitatem proximam petit, & per illam cognoscitur, & idem est in alijs rebus, ergo esse causatiuum gratię est debitum Sacramentis nouę legis ex vi suæ naturæ, & formæ essentialis erit propria passio illorum. Præterea probatur: nam esse generatiuum scientiæ (vt in exemplo illius sententiæ persistamus) est propria passio syllogismi demonstratiui, sicut esse generatiuum opinionis est proprietas syllogismi opinatiui, nõ solum reductiuè, sed simpliciter, ergo ita dicendum est in Sacramentis de causalitate eorum. Antecedẽs probatur, nam illa est propria passio, quæ per aliquã demonstrationem demonstratur de suo subiecto, demonstratione à priori; sed de illis syllogismis demonstrãtur illæ duæ rationes demonstratione à priori: istæ namque sunt verè demonstrationes, vt aiunt logici cum Magistro Soto, quæst. 2. proemialium suæ logicę: omnis syllogismus regulatus per dici de omni, & dici de nullo prioristicè, & posterioristicè, est generatiuus scientiæ, sed talis est syllogismus demonstratiuus, ergo est generatiuus scientiæ: omnis syllogismus procedens ex probabilibus, & non necessarijs generat opinionem talis est syllogismus opinatiuus, ergo, &c. Ergo cum in istis demonstrationibus concludantur de suis subiectis illæ proprietates, sequitur quod sint passiones. Nec valet dicere, quod dispositio syllogistica est conditio, & non ratio formalis respectu huius, quod est generare scientiam, vel opinionem, & ita non est passio rigorosè. Non (inquam) valet: nã ratio formalis est duplex, altera conferens actualitatem, & actiuitatem, altera tãtum conferens actualitatem, quæ est ratio quare altera actualitas, & actiuitas conuenit. Primò modo non est ratio formalis illa dispositio, quia est ens rationis. Secundò modo est ratio formalis, sicut dicitur à logicis de ratione vniuersalis respectu prædicabilitatis, & de ratione veri respectu boni: ita similiter dicendum est in Sacramentis se habere significationem vt rationem formalem, qua mediante conuenit ratio causatiui gratiæ: verũ tamen est, quod respectu actualis operationis, & productionis, sicut dispositio in syllogismo est cõditio operandi, & non ratio formalis, ita similiter in Sacramẽtis significatio est cõditio, & non ratio formalis actualis productionis gratiæ: nam Sacramentum non causat in actu secundo per virtu-

virtutem diuinam absolutè consideratam, sed consideratam in tali materiali, quod est signum gratiæ. Hęc dicta sint in confirmationem sententiæ Magistri Soto, quam regulariter alij Thomistæ reijciunt.

QVARTA CONCLVSIO.

QVARTA sentẽtia quantũ ad illud, quod addit supra tertiam sentẽtiã, scilicet quantũ ad secundã cõnexionẽ, secundũquã significatio Sacramẽtalis pendet ab eorum causalitate est verisima, & compatitur cum secunda sententia à nobis explicata, sicut compatitur cum tertia. Ratio huius est, nam supponendo quæ, istæ duæ sententię docent compatitur id quod quarta superaddit vt patebit legenti, & studenti.

Ad argumenta primę sententiæ respondetur. Ad primum respondetur, per accidens, vt opponitur perse primo concedo, per accidens omnino, vt excludit omnem perfeitatem, nego minorem. Et enim mouere visum respectu sui significati conuenit perse signo instrumentali, tanquam aliquid prærequisitum essentialiter ad exercitam significationem: sicut dicunt Summulistę de immissione specierum, quando explicant diffinitionem August. sic diffinientis signũ, quod est illud quod præter species, quas ingerit sensibus aliud facit in cognitionem, &c. efficere ergo quod conuenit signis humanis perse antecedenter, in signis Sacramentalibus, & diuinis conuenit perse consequenter (vt dictũ est.) Secũdo potest cõcedi minor, & negatur cõsequẽtia, discriminis ratio est, quia signa ad placitum humana, non sunt signa practica ex sua institutione, sed speculatiua concurrentia ex parte sui obiecti ingenere causę formalis; at vero Sacramenta sunt signa practica significantia gratiam, vt conferendam per ipsa Sacramenta, & ideò petunt perse, & ab intrinseco rationem causæ, & virtutem ad causandum.

Ad secundum respondetur probare, quod causalitas non sit de essentia signi Sacramentalis, non tamen probat, non connecti perse cum significatione Sacramentorum secundum duplicem connexionem illam explicatam, secundum quarum primã in nostra opinione cum Magistro Soto dicimus, esse propriam passionem, & secundum alteram, modum complectiuum.

Ad argumenta tertiæ sententiæ, quatenus duo priora militant contra sententiam Magistri Soto à nobis explicatam. Respondetur ad primũ dupliciter. Primo distinguendo maiorem: entitas realis nõ potest esse propria passio entis rationis secundum connexionem ex natura rei; concedo maiorem, secundum connexionẽ petitam ex diuina institutione, nego maiorem; & eodem modo distinguitur consequens. Secundo distinguo aliter maiorem, non potest esse propria passio secundum illum rigorem quo passiones entis naturalis sunt proprię passiones, concedo maiorẽ; absolutè nego, vt patet in exemplis positis de syllogismis.

Ad secundum argumentum dico primo, maiorem esse falsam absolutè, vt patet in exemplo de quãtitate, quæ est subiectũ à quo dimanat ratio diuisibilitatis, & tamẽ ratio extẽsionis, nõ est dignior diuisibilitate in esse entis, licet dignior sit cõparatione ad ipsam quantitatẽ constitutam per illam. Secundò, distinguo maiorem, quando passio verè dimanat ingenere causæ efficientis metaphysicè, cõcedo maiorem, quando non ita dimanat, sed tantum secundum rationem causæ formalis, vel rationis formalis, nego maiorem, & admissa minori loquendo de dignitate in esse entis, distinguo consequens eo modo, non potest esse ratio dimanationis secun-

dum rationem efficientiæ metaphysicæ, concedo consequentiam, secundum rationem medij formalis, id est, non est ratio formalis, quare conuenit causalitas Sacramentis, nego consequentiam, & ita non sequitur, non esse passionem absolutè, sed non esse passionem eum illo rigore, & proprietate, cum quo passiones perfectæ entis naturalis, sic dicuntur, & sunt, quod nos optimè concedimus, neque sapientissimus Soto voluit causalitatem esse in isto rigore proprietatem, sed secundū proportionē à nobis explicatam. Sed contra sic arguitur significatio gratiæ, & causalitas gratiæ ex natura rei, & secundum se consideratæ, non habet connexionem per se à nobis explicatam, ergo non possunt habere illam etiam ex diuina ordinatione. Antecedens videtur certum, & consequentia probatur: nam cum, duæ formę secundum se non habent connexionem naturalem, Deus non potest facere, quod naturaliter sint connexæ, licet possit facere, quod in separabiliter se habeant, ergo licet Deus possit in separabiliter coniungere in aliqua re sensibili significationem, & causationem gratię: non tamen faciet illas esse connexas per se, consequentia videtur bona ex paritate rationis, & antecedens explicatur exemplo (v.g.) essentia corui ex natura rei, non habet connexionem, cū nigredine, & ita licet Deus coniungat de facto, cum corui in individuo in separabiliter tale accidens, non tamen potest facere, quod nigredo habeat connexionem naturalem propriæ passionis cum tali essentia corui, & ratio huius est, quia hoc esset naturas rerum inuertere, & immutare, ergo antecedens illud est verum, & consequentia est bona. Respondetur ad hoc argumentum illud, antecedens esse verum in formis, & in alijs rebus habentibus esse ex natura rei: nam illæ etiam ex natura rei, & ex suis principijs essentialibus à natura perscriptis habent connexionē, vt patet in exēplo allato, & in alijs, possent adduci: Falsum verò est si loquamur de formis habentibus esse, & cōnexionem præcisè ex diuina ordinatione, & institutione. Ratio est, nam illæ sicut in suo esse non pendent immediatè, & proximè ex natura rei, ità in sua connexione etiam non pēdent ex natura rei, sed sicut in vno, scilicet in esse pendent ex pura institutione, & ordinatione voluntaria Dei, ita & in connexione. Vnde si aliqua res à principio instituatur in ratione signi practici gratię causandę per ipsum, & consequenter in ratione causæ, talis connexio inter illas duas rationes signi, & causę est per se, qua in illis non est, aut potest esse perfectas alia, nisi ex institutione voluntaria Dei. Vnde si primaria ratio signi ex sua propria ratione, vt talis significatio est, sit practica modo à nobis explicato, quantum est ex parte suę essentię, sic se habet, quod petit necessario rationem causatiui, & sic naturaliter connectitur cum tali ratione per modum essentiæ, & passionis, eo modo quo ratio naturæ, & connexionis naturalis reperitur in rebus habētibus esse ea institutione, sicut dicunt Dialectici, quod signum ad placitum supposita institutione ex natura sua significat, & est significatiuus in potentia proxima, quæ ratio significatiui in potentia proxima est propria passio talis signi, quia ergo istæ rationes signi, & causæ in Sacramentis pēdent ex institutione, & ex illa sic cōnectuntur, ideò argumentum in illis non currit, neque sequitur immutatio essentiarum rerum.

Pro complemento huius aduertere debetis, quod hoc argumentum etiam potest fieri sub alijs terminis contra tertiam, & quartam sententiā, quatenus vtraque ponit connexionē per se inter significationem Sacramē-talem, & causalitatem, cum tamen secundum se nullam connexionem habeant.

beant. Vndè sicut illi necessario recurrere debent ad principium institutionis diuinæ, vt saluent connexionem per se, & maximè in quarta sententia, ad idem principium recurrèdo, saluamus nos connexionem propriæ passionis. Contra secundam cõnexionem inter significationem Sacramentorum, & eorum causalitatẽ aliqua possem obijcere, sed tamen quia ex eodem principio habent facillimam solutionem ad secundum articulum transiens illa libenter omitto.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omne signum rei sacræ sit Sacramentum?

CONCLVSIO. Proprie dicitur Sacramentum, secundumquod nunc loquimur de Sacramentis, illud quod est signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines.

Circa istam conclusionem aduertẽdum est, quod postquã D. Thom. articulo præcedẽti proprium genus Sacramentorum explicuit, illudquè dixit esse signum, modo vltimam differentiam ipsorum explicat, quam desumit ex particulari modo determinandi rationem signi, tam ex parte rei significatæ, quàm ex parte modi significandi, vt constat ex illis verbis rei sacrę, in qua res significata per signũ tale, quod est Sacramentum explicatur, & in illis verbis, in quantum sanctificans homines, modus specialis significandi talem rem sacram manifestatur, & ita Doctor Sanctus diffinitionem quidditatiuam metaphysicã Sacramenti integrè in præsenti articulo tradit.

Hoc suppositò probatur conclusio à D. Thom. primo, in argumento sed contra, sic. Diffinitio conuertitur cũ definito, sed quiddam diffiniunt Sacramentum per hoc, quod est esse sacrę rei signum, ergo videtur, quod signum rei sacræ sit Sacramentum. Præterea in corpore, signa propriè dantur hominibus, quorum propriũ est per nota ad ignota deuenire, ergo illud erit propriè Sacramentum, quod est signum alicuius rei sacræ ad homines pertinentis: ergo illud erit Sacramentum propriè, sicut modo loquimur de Sacramentis, quod est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines. Hæc consequentia probatur: nam res sacra sanctificans homines pertinet ad illos, sed Sacramentum debèt esse signum rei sacrę ad homines pertinentis: ergo illud erit propriè Sacramentum, quod est signum rei sacrę vt sanctificantis homines.

CIRCA ISTAM CONCLVsionem D. Thom. primum dubium est.

Circa id quod supponit, scilicet, Sacramentum esse diffinibile. An id sit verum.

IN hoc dubio fuit sententia aliquorum dicentium, nõ esse diffinibile, huius sententiæ fundamentum pa rcipuum est, quia ens per accidens, non potest diffiniri, sed Sacramentum est ens per accidens, ergo nequit diffiniri. Maior probatur: nam ens per accidens constat ex pluribus entibus in actu, & ita non habet vnicam essentiam, ergo non est diffinibile vnicà diffinitione: nam vnica diffinitio tantum vnicam essentiam potest explicare. Minor verò probatur: nam Sacramentum constat ex pluribus entibus in actu, scilicet ex ente reali, & ente rationis, cum componatur ex re sensibili, & ex significatione ad placitum. Etsi dicatur ad hoc argumentum, quod licet Sacramentum sit ens per accidẽs in esse entis, & in tali genere, propter rationem positam in argumento, tamen in genere Sacramenti, & signi est vnum

vnum perse, sicut soletdici de domo, quod scilicet in genere substantię est plura: tamen in genere qualitatis est vnum: quia scilet est vna figura.

Contra sic arguitur: nam Sacramẽtum etiam in genere signi, quod est proprium eius genus est multiplex: ergo etiam in esse Sacramenti. Antecedens probatur, in Saaramentis nouæ legis, quia ista componuntur ex rebus, & ex Verbis, significatio conuenit illis ex parte rerum, & similiter ex parte Verborum, quæ sunt forma: ergo habent duas significationes alteram conueniẽtem ex parte materiæ, scilicet rei sensibilis, alteram conuenientem ex parte formæ, scilicet ex parte verborum.

Secunda sententia opposita est cõmunis inter omnes Doctores, qui omnes consentiunt in hoc, quod est Sacramentum habere vnam essentiã vnica diffinitione explicabilem. Pro cuius sententię explicatione est notandum primo, quod quęlibet res habens aliquam essentiam mente cognoscibilem est diffinibilis. Ratio est, nam intellectus quidquid concipit secundum eius quidditatem, potest aliqua ratione exprimere, & declarare, sed illa oratio est diffinitio, cum sit oratio naturam, & essentiam rei explicans, ergo. Ex quo sequitur, quod omne ens, etiamsi sit imperfectum est diffinibile, & ita diffiniuntur omnia entia accidentalia, imò omnia entia rationis, & etiam Chymera, vt docet sapientissimus Soto in 4. dist. 1. quæstion. 1. art. 2. infine solutionis secundi argumenti, & rationem à nobis positam assignat.

Secundo est notandum, quod composita accidentalia, & similiter artificialia, non sunt entia per accidẽs simpliciter, & omnibus modis: nam licet constent ex pluribus entibus in actu, non tamen illa entia in actu se habent in compositione eorum æque primo, & sine aliquo ordine, sicut se habent multi lapides, in à cerui compositione, propterquod à ceruus lapidum est omnino ens per accidens, non diffinibile vnica diffinitione, sed plura entia in actu, quando componunt compositum accidentale habent interse ordinem materiæ, & formę, & ideò resultat vnum ens perse, & vna essentia saltim secundum quid vna, atque ita erit explicabilis vna diffinitione quidditatiua, siue illa diffinitio sit propriè, & in rigore quidditatiua, siue secundumquid, nam nos de hoc in præsenti non curamus, sed solum dicimus, quod illa essentia eo modo, quo est essentia est quidditatiua diffinitione manifestabilis, quæ diffinitio erit quidditatiua eo modo, quo quidditas explicata est quidditas, quia ergo Sacramentum est compositum artificiale, in quo partes secundum ordinem materię, & formæ concurrunt, ideò est diffinibile.

Tertiò est notandum, quod ex eo, quod ex tali compositione, non resultar vna essentia totalis perse vna, neque vnum compositum perse vnum perfecte, sicut ex materia, & forma substantialibus resultat, ideò nomen significans illam essentiam, non supponit pro aliquo tertiò resultante, sicut accipitur ly homo pro composito resultante ex materia prima, & anima rationali, sed supponit pro materiali, vt connotante, seù includente formam in concreto, sicut de omni termino connotatiuo aiunt Dialectici. Vndè sicut hoc nomen statua non significat aliquod compositum exmateria, & forma artificiata, nec supponit pro illo, sed pro ligno connotante talem formam, ita dicẽdum est de Sacramento (vt articulo præcedenti dixi dubio primo, & dicetur dum de singulis Sacramentis id discutiatur.)

His ergo suppositis respondetur ad argumentum, quod illa maior est vera loquendo de ente per accidens, quod omnibus modis est tale, non vero de ente per accidens, quod est aliquo modo eus perse, & tunc potest

diffin-

distingui minor: Sacramentū est ens per accidens primo modo, nego minorem. Secundo modo, concedo minorem, & nego consequentiam, & solutio data inter arguendum est optima ad istam explicandam.

Ad replicam ibi factam respondetur. Sacramentum habere duas significationes partiales, & inadæquatas, ex quibus resultat vna totalis, quæ est simpliciter vna significatio, quæ est forma cōstitutiua adæquate Sacramenti. Ratio huius est: nam quemadmodum res (v.g.) ablutio in Sacramento Baptismi se habent vt materia, & verba vt forma, ita significatio quæ se tenet ex parte materiç, scilicet ex parte rerum se habet vt materia, quæ per significationem formæ determinatur formaliter, vt per formam propriam: nam res in Sacramētis significant iuxta determinationē verborum, & ita ex illis duabus significationibus, tanquam ex significationibus inadæquatis resultat vna significatio totalis, & adęquata constituēs res, & verba simul sumpta in ratione vnius signi significantis ex diuina institutione integrum, & adæquatum effectum Sacramenti. Exemplum huius est habitum in Dialectica in signo complexo vt est oratio, propositio, & terminus complexus, ex quibus vnumquodque est vnum signum simpliciter, quia significationes partium se habent ordinatę per modum materiæ, & formæ, ex quibus coalescit significatio complexa, quæ est in suo ordine vna significatio simpliciter constituens vnum signum simpliciter. Et si dicas tale Sacramentum esse absolutè compositum ex pluribus entibus in actu: ergo absolutè continet plures essentias completas, ergo pluribus diffinitionibus tantum potest explicari, adhoc distinguo primum consequens, inordinatas, & ex æquo, nego consequentiam, ordinatas in ordine ad constitutionem signi Sacramentalis, concedo consequentiam, & distinguo secundum consequens, si diffiniatur in illo genere, in quo partes sunt entia completa, concedo consequentiam: Sic enim oportet diffiniri quidditas materialis rei sensibilis, & quidditas formæ, quia sunt duæ quidditates completæ, quarum quælibet habet suam diffinitionem: si verò diffiniatur in ratione Sacramenti, secundumquod in tali genere ex omnibus componentibus fit vnum signū gratiæ, nego consequentiam.

Etsi rursus inquiras, an illud quod diffinitur sit compositum resultans, vt ratione distinctum à partibus (v.g.) vtrùm Sacramentum diffiniatur secundumquod est compositum ex rebus verbis, & significatione, quatenus distinguitur ratione à suis partibus, vt aliquid vnum perse secūdumquid: an vero aliqua ratio ex pertinētibus ad Sacramenti constitutionem, non primum, quia illud simpliciter est plura, cum non sit aliquid tertium simpliciter vnum resultans, vt resultat ex compositione materiæ, & formæ in composito substantiali, ergo non est diffinibile vnica diffinitione, non secundum: nam illud non est Sacramentum, ergo nihil est in Sacramēto, quod sit vnica diffinitione diffinibile.

Ad hæc ex prædictis videtur dicendum, quod compositum resultās diffinitur, quia habet sufficientem vnitatem saltem secundumquid ratione cuius potest diffiniri, & hoc videtur significare D. Thom. infra art. 6. huius quæstionis in corpore, & expressius in solutione ad secundum, vbi ait, quòd ex rebus, & verbis fit vnum in ratione significandi, sicut ex forma & materia, inquātū scilicet per verba determinatur, & perficitur significatio indifferens rerum.

Ex hac ergo doctrina colligitur, quod illud vnum signum resultās est, quod diffinitur sub illa vnitate, quam habet, licet eius diffinitio, non sit tam perfecta diffinitio, sicut diffinitio substantię,

stantiæ: non enim digladiamur in præsenti an sit diffinibile vnica diffinitione quidditatiua, tam perfecta, sicut est diffinitio quidditatis substantialis, vt benè notauit in loco citato supra sapientissimus Soto. Sed adhuc restat difficultas: nã diffinitio tradita explicat vnicam essentiã signi Sacramẽtalis, vt posteà videbimus: compositum resultans non solum est signum, sed est etiam materiale reale, quod substat significationi, ergo diffinitio non explicat naturam illius resultantis, patet consequentia: nam illa natura nõ est vna tertia natura, neque signi, neque entis absoluti aliàs esset simpliciter vna, sed est signum Sacramẽtale, quod dicit formam, & materiã, quæ ens reale est.

Ad hoc primo potest dici, quod compositum resultans sub illa ratione formali subqua aliquo modo intelligitur vt vnum perse resultans, tantum est signum: nam licet sit non tantum significatio, sed materia ad aliud genus entis pertinens, tamẽ quatenus formaliter pertinet ad illud totum resultans, iam est in genere signi, nam pertinet vt in facto est eleuatum ad rationem signi, quod est dicere, quod est pars materialis formaliter loquendo illius tertij resultantis, quatenus iam est denominatum à formali significatione sibi vnita, signum, quod in genere signi Sacramẽtalis est simpliciter vnum, quia non est capax alterius vnitatis, licet absolutè, & cõparatione facta ad alia entia simplicia, & ad composita substantialia non sit simpliciter vnum, & ita illud sic vnum signum est cuius essentia explicatur in diffinitione, quam tradit D. Sanctus præsenti articulo.

Secundo respondetur istud vltimum argumentum probare, quod multi doctissimi Magistri docent, scilicet, Sacramentum non esse diffinibile ratione vtriusque partis, neque perse ipsum, quatenus est illud tertiũ compositum explicatum: non tamen probat nõ esse diffinibile ratione suæ formę in concreto consideratæ: nam sic vnicam essentiam importat, licet non vtcumque, sed applicatam, & copulatam subiecto.

Hanc insinuat doctissimus Soto, vbi supra, dum ait: Quod homo albus non diffinitur perse, sed ratione albedinis, ad hoc explicandum, quod intellectu facilius est, quam id quod in prima solutione dicitur videndus est D. Thom. 7. cap. de ente, & essentia, vbi explicat, quommodo accidentia in concreto diffiniuntur per substractum, in recto, & ibi videatur etiam Caiet. Videatur etiam cap. de genere, vbi explicat diffinitionẽ generis, & qualiter secunda intentio in concreto sit diffinitum, vbi communiter omnes docent compositum ex intentione, & natura non esse diffinitum propter rationem à nobis factã in ista vltima replica, quæ me mouit loco citato ad dicendum cum Caiet. secundam intentionem in concreto esse diffinitum, quod, illius diffinitionis: eadem enim doctrina tradenda est in præsenti, quam quidam ex Modernis Magistris nostris tradunt. Et hæc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM.

Vtrùm hæc diffinitio: Sacramentum est rei sacræ signum, sit bona?

PRO parte negatiua arguitur primo. Verba Christi apud Lucam, cap. 7. *Remittuntur tibi peccata*, sunt signa rei sacræ, scilicet, remissionis peccatorum, & tamen non sunt Sacramentum, neque vnquam fuerunt, ergo illa diffinitio non est bona. Confirmatur, hęc verba. *Ego te baptizo*, sunt sacræ rei signum, vtpotè ablutionis interioris animæ, & gratiæ sanctificantis nos per modum regenerationis, & tamen non sunt Sacramentum, sed forma Sacramenti Baptismi. De formis *Luc. 7.*

mis autem Sacramentorum, non verificatur, quod sint Sacramenta, ergo, &c.

Secundò. Sacrificium Abel non fuit Sacramentum, & tamen fuit signũ rei sacræ, scilicet, sacrificij, quod Christus in Cruce obtulit, & illius, quod nos in alteri offerimus, imò id docet Aug. de omnibus hostijs veteris legis lib. 10 de Ciuit. Dei, cap. 2. ergo diffinitio non est bona.

Tertiò. Sacramentum Eucharistiæ est perfectissimum inter omnia Sacramenta nouæ legis vtpotè finis omnium, & tamen illud non est signum rei sacræ in quantum sanctificans homines, ergo illa diffinitio nõ cõuertitur cũ diffinito, & consequenter non est bona. Minor probatur: nam Sacramentum illud perficitur in consecratione materiæ, quæ conuertitur in corpus, & sanguinem Domini: ergo significat primò, & perse corpus, & sanguinem Domini, tanquam terminum conuersionis. Probatur consequentia, nam omne Sacramentum significat iuxta determinationem suæ formæ, sed forma huius Sacramenti significat id quod efficit, ergo significat corpus Christi, quod efficit esse in hoc Sacramento. Minor ipsis verbis formæ videtur manifesta: *Hoc est enim corpus meum.* Hęc namque verba ex se ipsis videntur significare coporis Christi prętentiam Sacramentalem.

Confirmatur: nam corpus Christi sub speciebus panis contentum, est Sacramentum, & tamen non est signum rei sacræ sanctificantis nos, ergo diffinitio non est bona. Minor probatur: nam ipsum corpus est res significata, ergo non habet rationem signi gratiæ. Alia argumenta, quæ possunt adduci, ex expositione diffinitionis tradenda à nobis, facile soluentur, vt apparebit, & ideò illa omitto.

Pro resolutione dubij primo est notandum, quod authore Cicerone lib. 4. rethoricorum diffinitio debet esse breuis, & circunscripta quædam naturæ rei explicatio, debet etiã esse communis animi conceptio, propter quam rationem Arist 6. Topic. cap. 1. ait diffinitionem non debere constare, ex partibus, quę versantur in opinione, neque aliquid superfluum, quod resecari possit debet continere, est namque diffinitio primum principium, quod tantum debet explicari in scientia, & nullo modo probari, quia semper vt notissimum prępponitur: Si autem non esset breuis rei explicatio, etsi non constaret ex partibus notis omnibus, etsi non esset intra terminos generis, & differentiæ constituta, sed pluribus alijs constaret, non esset notissimum principiũ, quod omnes supponerent.

Ex quo sequitur, quod inter omnes diffinitiones Sacramenti, quas Doctores assignant, & possunt videri in Magistro Soto in 4. distin. 1. quęst. 1. artic. 2. melior est illa quam hic tradit D. Thom. quia habet omnes istas conditiones explicatas, quibus carẽt aliæ diffitiones, quia in illis inculcantur multa, quæ non sunt communia omnibus Sacramentis, neque sunt apud omnes indubitata, vt apparebit videnti illos loco citato: continent namque multas particulas, quam sit necessarium, & in illis explicantur multa pertinentia ad causalitatem Sacramentorum, quæ nequeunt conuenire omnibus Sacramentis, cum autem diffinitio, quæ hic tradditur à D. Thom. explicet rationem, & essentiam Sacramenti, quæ communis est omnibus, sequitur quod sit legitima, & optima. Secundo est notandum, quod ad istam diffinitionem reduci debet alia, quæ communiter solet adduci, in qua sic diffinitur Sacramentum, scilicet, quod sit inuisibilis gratiæ visibilis forma.

Ratio huius est, quia hæc diffinitio non explicat adæquatam, & integram

gram significationem Sacramenti, sed in adæquatam, scilicet respectu gratiæ, cum tamen significet, vt ait Doctor Sanctus articul. sequenti, nõ solum gratiam, sed etiam Passionem Christi, & gloriam futuram: prima autem diffinitio hanc adæquatam significationem exprimit: nam omnia illa tria significata clauduntur, & continentur sub nomine rei sacræ, & propterea ad illam reducenda est altera diffinitio, tanquam pars ad totum; ideòque standum est diffinitioni, quam hic traddit Doctor Sanctus, & secundum communem doctrinam Thomistarum explicanda.

Vt ergo singulas eius particulas explicemus opere præcium duxi illam in medium proponere: sic ergo habet forma diffinitionis. Sacramentum est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines. Circa primam particulam aduertendum est id, quod supra dixi articulo præcedenti dub. 1. conclusion. 2. 4. & quinta, scilicet, quod non omne signum pertinet ad rationem Sacramenti. Sed tantum signum ad placitum institutum ab habente authoritatem in Republica sancta.

Secundo requiritur, quod eius significatio sit permanens, & stabilis in illa Religione, in qua est institutum.

Tertio requiritur, quod habeat significationem occultam, propterquã rationem, cum verba habeãt expressum modum significandi, idcirco nullum Sacramentum fuit institutum in solis verbis, sed vel in rebus solum, vt videre est in Sacramentis veteris legis, aut in verbis, & rebus simul, vt apparet in Sacramentis nouæ legis.

Quarto requiritur, quod tale signum sit cæremoniã sacra instituta ad cultum Dei.

Quinto requiritur, quod res denominata à significatione pendente ex institutione diuina sit res sensibilis. Vtrum autem possit institui aliquod Sacramẽtum in re pure spirituali forte disputabitur à nobis circa articulũ quartum, vbi Doct. Sanctus resoluit ad Sacramenta requiri res sensibiles. Circa secundam particulam, scilicet, rei sacræ.

Primo est aduertendum, quod sicut in diffinitione potentiæ, aut habitus ponitur obiectum, quia ab illo specificatur, & per illud explicatur habitudo essentialis potentiæ, vel habitus, quam dicit ad tale obiectum, quæ habitudo est differentia essentialis, & intrinseca ipsius, ita in diffinitione Sacramenti ponitur res sacra, ad quam ipsum Sacramentum dicit essentialẽ ordinem, eo modo, quo signum quod cumque essentialiter respicit suum signatum. Vnde per illam particulam explicatur ordo ille quem Sacramentum dicit ad rem sacram, tanquam ad suum signatum, in quo consistit essentialis differentia Sacramenti.

Secundo est notandum, quod ille terminus rei sacrę non significat rem sacram passiuè tãtum, id est rem, quę in se est sacra, sed actiuè, & passiuè simul, id est rem, quę in se sacra est quatenus sacrat, seu sanctificat nos; ita colligitur ex D. Thom. præsenti articulo in solutione argumentorum, in quibus excludit à ratione Sacramenti signa significantia rem sacram, & sanctam, quatenus in se sancta est, & non quatenus nos sanctificans est.

Tertio est notandum, quod sanctificatio importata per Sacramentum debet esse perfecta, qualis fit per gratiam iustificantem, ita colligitur ex D. Thom. hic ad tertium, vbi excludit aquam benedictam, & reliqua Sacramentalia instituta ad delenda peccata venialia, à ratione Sacramenti: quia tantum significant dispositionem ad sanctitatem, & non sanctitatem perfectam.

Circa vltimam particulam, scilicet, in quantum sanctificans est nos, est aduertendum, quod illa reduplicatio, in quantum sanctificans, determinat rationem signi rei sacræ ad

ad particularem modum significandi, per modum signi practici, & sensus est, non quod ipsum Sacramentum sit signum sanctificans virtute sua: nam sic tantum conueniret diffinitio Sacramentis nouæ legis, sed sic debet intelligi, id est, quod scilicet sit signum significans rem sacram, quatenus ipsa est sanctificans nos in exercitio, vt modo dicebamus explicando illam particulam rei sacræ, & isto modo diffinitio conuenit omnibus Sacramentis; vtrùm autem saluetur ratio signi practici rei sacræ, per hoc solum, quod significet rem sacram, vt sanctificantem in tempore futuro, an requiratur, quod significet rem sacram, vt sanctificantem ingenere causæ formalis in ipso actu recipiendi Sacramentum, ita vt Sacramentum exhibeatur, tanquam signum sanctitatis, quæ in ipso exercitio Sacramenti datur postea explicabitur: nam de hoc est varietas opinionum etiam inter discipulos D. Tho. pro nunc autem sufficiat nobis scire, quantum sufficit ad intelligentiam illius particulæ, & dicamus, quod ad rationem Sacramenti requiritur, quod sit signum practicum, quia significat rem sacram, vt sanctificantem, siue de præsenti, quando adhibetur Sacramentum, siue de futuro: postea vero partem probabiliorem eligam.

Ex dictis sequitur multa excludenda esse à ratione Sacramenti. Primo enim ex defectu secundi requisiti, sicut serpens æneus, qui vt dicitur Ioann. 3. fuit signum Christi Domini Crucifixi, vt indicant illa verba: *Et sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis.* Similiter columba descendens in Iordane super Christum significans Spiritum Sanctum. Linguæ igneæ, quæ in die Pentechostes apparuerunt in significationem venturi Spiritus Sancti super corda Apostolorum, etsi quæ sunt alia huiusmodi excluduntur à ratione Sacramenti per primam particulam diffinitionis intellectam modo explicato: quia non fuerunt instituta à Deo ad significandum rem sacram permanenter in Religione, sed tantum pro certo tempore determinato. Similiter excluduntur, propter eandem rationē à ratione Sacramenti, illa verba relata Lucę, in primo argumento, per quod patet ad illud. Ex defectu quarti requisiti excluditur à ratione Sacramenti matrimonium primorum Parentum, quamuis vt vult Paul. ad Ephes. 5. significauerit matrimonium spirituale Christi cum Ecclesia: quia non fuit institutum per modum sacrę cæremoniæ, & Religiosę ordinatæ ad cultum Dei, sed in officium naturæ, & bonum eius fuit ordinatum, vt docet sapientissimus Soto in 4. vbi supra. Etsi dicat aliquis, quod Paulus in illo loco vocat illud Sacramentum, dicens: *Sacramentum hoc magnum est, &c.* Ephes. 5

Respōdetur, quod ibi sumit Paul. Sacramentū in lata acceptione pro vt est idem, quod sacrum Dei secretum, quod verificatur de illo matrimonio propter significationem sacram occultam, quam habuit respectu coniugij Christi cum Ecclesia. Propter eundem defectum mannà descendens in deserto, non fuit Sacramentum, quia licet significaret Sacramentum Eucharistiæ: vel etiā ipsum Christum, qui est panis de cęlo viuus, vt colligitur ex Ioann. cap. 6. non tamē fuit sacra cæremonia instituta ad cultum Dei, sed tantum fuit illud mannà ordinatum ad cibandum corporaliter homines illo tempore, quo datum est eis, vt patet ex illis verbis Ioan. c. citato: *Nō Moyses dedit vobis panem de Cœlo, &c.* Vbi loquitur de mannà dato Patribus per contrapositionem ad se ipsum, de quo dicit Christus esse panem de Cœlo verum. Similiter possunt excludi omnia hæc à ratione Sacramēti: quia nō sunt instituta, & data vt significarent rem sa-

cram, vt ſanctificantem nos. Vndè per illam particulam rei ſacræ, vt à nobis explicatam etiam excludun-tur à ratione Sacramenti, omnia iam excluſſa: verum tamen eſt, quod iam per aliam particulam manent excluſſa. Solum poteſt eſſe difficultas de illis verbis Lucæ. *Remittuntur, &c.* an per dictam particulam excludantur á ratione Sacramenti, quia ſignificare videntur rem ſacram ſanctificantem, vt ſanctificantem.

Sed reſpondetur, quod etiam excluduntur per illam particulam rei ſacræ: nam illa debet intelligi ſuppoſita intelligentia aliarum, quod, ſcilicet, Sacramentum ſignificet rem ſacram, tanquam ſignum ſtabile in Religione, & ordinatum, tanquam ſacra cæremonia ad cultum Dei: fateor tamen, quod ſi illa particula perſe ſola ſumeretur, & non vt ſupponit aliam, vt à nobis explicatam; illa verba non excluderentur à ratione Sacramenti per illam, ſicut omnia alia excluſſa poſſunt per dictam particulam ſolam excludi. Per vltimam particulam, vt à nobis expoſitam excluduntur à ratione Sacramenti verba ſignificantia gratiam, & imagines ſacrarum rerum, quia non ſunt ſigna practica ſanctitatis, vt expoſuimus, ſed tantum ſpeculatiua.

His ergo ſuppoſitis ſit concluſio. Diffinitio Sacramenti aſsignata à D. Thom. eſt optima, & quidditatiua metaphyſica. Pro huius concluſionis intelligentia eſt notandum, quod cum Sacramentum ex parte formæ conſtitutiuæ ſit in genere ſigni, & hic diffiniatur ex parte illius in concreto ſumptæ, etiam genus diffinitionis, quod eſt ſignum ſumitur concretiuè, & includit ſubiectum.

Quo ſuppoſito. Probatur concluſio: Hæc diffinitio datur per proprium genus, & per propriam differentiam, ergo eſt quidditatiua, & metaphyſica. Antecedens patet ex dictis in notabilibus, in quibus explicantur particulæ diffinitionis (vbi dictum eſt, quod proprium genus Sacramenti eſt ſignum, intelligendo nomine ſigni ſignum ſenſibile ad placitum ſacrum, & ſecretum, ordinatum ad Dei cultum, habens ſtabilem, & firmam ſignificationem. Dictum eſt etiam, quod illa particula rei ſacræ cum alia ſequente habent rationem vltimæ differentiæ: cum ergo melior diffinitio omnibus ſit, quæ datur per proprium genus, & per propriam differentiam, ſequitur quod iſta quam aſsignat Doct. Sanctus ſit melior omnibus alijs, quas alij Doctores tradunt. Sed dicet quis. Hæc diffinitio non explicat adequatè eſſentiam Sacramenti, ergo non eſt bona, ſiquidem erit diminuta. Antecedens probatur: nam non explicat omnia requiſita ad hoc, vt aliquid ſit ſignum eo modo, quo requiritur ad rationem Sacramenti.

Ad hoc dico, quod ſaltem implicitè continet omnia ad eſſentiam Sacramenti ſpectantia, neque eſt neceſſarium quod in diffinitione rei ponantur omnes termini neceſſarij ad expoſitionem eius, ſed ſufficit quod ponantur duo termini, quorum vnus ſignificet proprium genus, & alter propriam differentiam, in quibus omnia, quę ſe tenent ex parte generis, & ex parte differentiæ includuntur ad minus implicitè.

Et ratio eſt, quia ſi tot termini ponerentur, diffinitio non eſſet artificioſa, nec ita breuis, ſicut expoſcit Ariſtotel. loco ſupra citato. Vndè cum in noſtra diffinitione genus, & differentia vltima Sacramenti ponantur: ſufficientiſsimè, & adequatè explicat eſſentiam Sacramenti. Idem reperitur in omnibus alijs diffinitionibus artificioſsis, in quibus ſolum ponitur genus, & differentia, & ſub illis clauduntur implicitè omnes gradus, & omnes conditiones neceſſa-

riæ,

rię, vt patet in diffinitione hominis, quæ ſolum datur per animal, & rationale, & non ponuntur in tali diffinitione termini neceſſarij ad explicandum completè, & perfectè ſignificatum per terminum genericum, & ſignificatum per terminum differẽtialẽ. Quõmodo autẽ in particulis diffinitionis Sacramenti contineantur omnia requiſita ad eius eſſentiam optimè explicat Cabrera in præſenti articulo diſputation. vnica à numer. 15. vſque ad 19. incluſiuè.

Ad argumenta: Ad primum; præterquam quod patet ex dictis ſupra, dum aliqua à ratione Sacramenti excluſimus: Reſpondetur modo, quod illa verba ſignificabant gratiam, non ſignificatione occulta, ſed manifeſta, & clara, & præterea: quia non pertinebant ad cultum Religioſum, tanquam cæremonia ſacra. Tùm etiam quia non eſt certum Chriſtum Dominum adhibuiſſe illa verba, tanquã inſtrumentum ſanctificationis, quod erat neceſſarium, vt eſſent Sacramentum legis gratię. Vndè, quia Chriſtus non inſtituit aliquod Sacramentum imperfectum, ſicut erant Sacramenta veteris legis, reſtat, quod nullo modo illa verba ſunt, nec fuerunt Sacramenta: ſolum ergo conſtat Chriſtum vſum fuiſſe illis verbis ad ſignificandum diuinam poteſtatem ipſi conuenientem, ratione cuius, ſine Sacramentis poterat remittere peccata, & cauſare gratiam, ſicut vſus fuit in alijs occaſionibus ſimili forma verborum, vt cum dixit alteri: *Surge, & ambula, fides tua te ſaluum fecit.*

Ad confirmationem reſpondetur, quod illa verba: *Ego te baptizo*, ſunt ſignum incompletum, & inadęquatum gratiæ regenerantis, non tamen completum, & adæquatum; & ideò ſunt pars formalis Sacramenti, non integrum Sacramentum, quia hoc in noua lege conſtat ex rebus, & ex verbis, tanquam ex materia, & forma (& iam ſupra dictum eſt) quod cum Sacramentum ſit quoddam compoſitum artificioſſum, nullo modo ſupponit pro forma, ſed pro materia vt connante formam, quod amplius explicatur in tractatu de ſingulis Sacramentis in ſpeciali.

Ad ſecundum, concedo maiorem, & diſtinguo minorem: ſuit ſignum rei ſacræ vt ſanctificantis nos, nego minorem, abſolutè, & inſe, concedo minorem, & nego conſequentiam: nam diffinitio vt explicata eſt à nobis nullo modo conuenit ſacrificio Abel, quia non fuit inſtitutum à Deo ad ſignificandum ſanctitatem hominum, nec per modum ſigni practici, in cuius vſu gratia datur, vel in cuius vſu danda poſtea deſignatur: imò per ipſum genus excluditur: quia non ſignificauit exinſtitutione Dei, ſed tantum fuit munus quoddam naturæ oblatum Deo, ſicut fuit ſacrificium Cain. Hic tamen obiter eſt aduertendum, quod de nullo ſacrificio veteris legis verificatur, quod ſub ratione formali ſacrificij ſit Sacramentum: quia vtriuſque eſt diuerſa ratio formalis: ratio namque ſacrificij ſumitur immediatè per ordinem ad diuinum cultum: nã eſt ſymbolum inſtitutum ad proteſtandam diuinam excellentiam. Ratio verò Sacramenti ſumitur immediatè per ordinem ad ſanctitatem hominum colentium Deum, quos mediante ſanctificatione diſponit, & ordinat ad cultum Dei, tanquam ad finem mediatum, & vltimum: tamen in eadem re materiali poteſt coniungi vtraque ratio, vt ait D. S. hic ſolutione ad 2. vbi docet, quod ſacrifitia antiqua, quæ ſignificabant ſanctitatem Chriſti, quatenus per illam ſanctificamur fuerunt Sacramenta. Et in Euchariſtia apparet hoc eſſe veriſsimum: nam ſimul eſt Sacramentum, & ſacrificium ſub duplici ratione formali, vt in propria materia dicitur.

Ad tertium concessa maiori, nego minorem, ad probationem concesso antecedenti distinguo consequens, significat primo, & perse corpus, & sanguinem Domini per modum termini conuersionis sistendo in hac ratione, nego consequentiam sub ratione principij gratiæ, quæ in vsu talis Sacramenti datur, concedo consequentiam, & ad probationem consequentiæ distinguitur consequens eodem modo.

Ratio huius est, quia ipsa forma satis indicat corpus Christi in Sacramento illo esse, non absolutè, sed vt sanctificator hominum: Nam Christus instituens hoc Sacramentum, dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traddetur*, & verba consecrationis Calicis magis clare hoc demõstrant, dum dicitur: *Hic est sanguis, qui pro vobis fundetur in remissionẽ peccatorum.*

Secundo respondetur, quod Sacramentum Eucharistiæ adæquate sumptum secundum significationem totalem, & integram significat gratiam cibantem, vt cibantem: nam est institutum per modum cuiusdam cõuiuij spiritualis animæ, & ita significat ex parte formæ Christum, vt cibum spiritualem reficientem in exercitio animam mediante gratia, & charitate, & ex parte adæquatæ, & integræ significationis significat ipsam gratiam cibantem, tanquam effectũ ipsius Sacramenti; ita colligitur ex illis verbis, quæ habentur Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Hoc autem, quod est manere animam in Christo, & Christum in anima est effectus gratiæ Sacramẽtalis illius Sacramenti.

Ioan. 6.

Ad confirmationem ex his, quæ in propria materia dicũtur, quod corpus Christi contentum sub speciebus non est simpliciter Sacramentum, sed res, & Sacramentum simul, quia in primis non est res sensibilis instituta ad significandum, sed potius est res significata, & effectus ipsius Sacramentis: tamen eo modo, quo est Sacramentum secundum quid, eo modo est signũ rei sacrę, significat enim ipsam vnitatem mysticam Ecclesiæ, quæ est effectus proprius, & particularis gratię Sacramenti Eucharistiæ. Hæc de hoc dubio.

TERTIVM DVBIVM EST.

Vtrùm de ratione Sacramenti sit esse signum practicum gratiæ, quæ necessariò datur in ipso actuali vsu Sacramenti. An sufficiat significare gratiam dandam tempore futuro?

PRO huius dubij tituli intelligentia notandum est, quod illud non mouetur, propter Sacramenta nouæ legis, nã de illis certum est apud omnes, quod significant sanctitatem, quæ datur, & confertur in actuali vsu eorum, sed tota difficultas consistit in explicando an sit de ratione Sacramenti significare gratiam, prout in ipso vsu eorum exercetur, & mouetur hoc dubium, propter Sacramenta veteris legis, circa quorum significationem est varietas opinantium.

Prima opinio asserit, quod de ratione Sacramenti tantum est significare gratiam, seu sacram actionem iustificandi, siue quæ tunc fit in anima, siue quæ futuro tempore danda est per Christum. Primo modo dicit hæc opinio, quod nostra Sacramenta significant gratiam, quia illam causant quando exercẽtur in illo cui applicatur Sacramentum. Secundo modo docet hæc sententia, quod Sacramenta veteris legis significabant gratiam futuram per Christum. Hanc sententiam tenet sapientissimus Soto in 4. distin. 1. quæst. 1. art. 1. circa solutionem ad primum D. Thom. & etiam art. 2. magis diffusè id explicat,

cat, concedit tamen de Sacramento circuncisionis, quod significabat gratiam, quæ virtute fidei Christi per ipsam circuncisionem applicatã conferebatur, licet ipsum Sacramentum ipsam non conferret. Hanc eandẽ sententiam amplectitur Magister Suar. hic art. 8. disputat. 1. sect. 2. dicto 3. & magis clare in solutione secundæ obiectionis, post illud dictum constitutæ. Ex quo infert, quod non est de ratione Sacramenti, vt sic, quod sit signum demonstratiuum gratiæ, quæ in ipso datur, sed abstrahit secundum cõmunem rationem à signo demonstratiuo gratiæ præsentis, vel promissiuo, & prognostico gratiæ futuræ per Christum. Secundo infert, quod si signum practicum sumatur secundũ quod dicit determinate illud in quo exercendo, vel per quod confertur gratia non est de ratione Sacramenti, sic esse signum practicum, sed solũ ait esse de ratione illius esse signum practicum, secundum quod dicit illud, quod conferendo in ipso exercendo aliquam sanctitatem externã, & imperfectã significat gratiam conferendam, eo modo quo coferenda est, vel tunc, vel postea, quia sic omne Sacramentum est signum practicum significans gratiam, non secundum se, sed in ordine ad opus, seu per modum actualis sanctificationis.

Hæc sententia fundatur in doctrina D. Thom. primo articulo præcedenti solutione ad primum. Vbi ait Doct. Sanctus, quod sanctitas à qua denominatur Sacramentum significatur per modum causæ formalis, vel finalis, quod ait Magister Soto dictum fuisse ad explicandam significationẽ Sacramentorum nouæ legis, & antiquæ, nam ista significabant gratiã per modum causæ finalis: quia significabant illam, vt conferendam per Christum: Sacramenta autem nouæ legis significant gratiam ingenere causæ formalis sanctificantem in ipso vsu Sacramentorum, ergo secundum istam doctriuam ad rationem Sacramenti sufficit significare gratiam dandam, & futuram: Hoc enim est significare illam ingenere causæ finalis. Secundo in præsenti art. solutione ad 2. loquens de immolatione agni paschalis ait illam fuisse Sacramentum: quia significabat immolationem Christi futuram, qua sanctificati sumus. Ergo ex D. Thom, habetur, quod illa immolatio fuit Sacramentum, quia significabat gratiam futuram per passionem Christi.

Secundum fundamentum huius sententiæ desumitur ex Concilio Florẽtino supracitato, vbi habetur, quod Sacramenta antiquę legis non causabant gratiam, sed eam solum dadam per passionem Christi figurabant, ergo secundum Concilium sufficit ad rationem Sacramenti significare gratiam futuram. Probatur consequentia, quia illa dictio exclusiua, *solum*, designat, quod illa Sacramenta, non significabant aliam gratiam præter illam, quę erat danda per Christi passionem in statu legis gratię. Etsi dicat aliquis, quod illa Sacramenta significabant gratiam dandam tunc temporis, quando Sacramentum applicabatur alicui propter passionem, Christi venturam, non ex vi causalitatis ipsorum, sed à Deo ipsam causante in ipso actuali vsu Sacramẽtorũ ex quodam diuino pacto. Contra sic arguitur, nam gratia tunc collata improprie dicitur collata per Christi passionem futuram, ergo cum illa Sacramenta significabant gratiam propriè dandam per Christum, non est explicandum Concilio illo modo. Antecedens probatur: nam illa dictio per denotat causalitatem effectiuam, quę non poterat esse tunc respectu gratię datę ante passionem Christi, ergo ratio Sacramenti illis antiquis conueniebat: quia significant gratiã, quæ danda erat per Christum passum in ipsa lege gratiæ. Cõfirmatur, nã licet Sacramẽta antiqua significarẽt gra-

tiam datam in eorũ actuali vsu, respectu tamen illius gratiæ, non potest dici, quod illa figurabant, ergo stando in proprietate illius verbi Concilij dicendum est, quod intelligitur respectu gratię postea dandæ. Antecedens probatur, nam ratio figurę conueniebat Sacramentis antiquis respectu eorum, quæ modo gerũtur in noua lege, vt colligit D. Thom. in 2. argumento ex illo Paul. ad Corinth. 1. cap. 10. *Omnia in figura contingebant illis*, non vero respectu eorum, quę gerebantur in illo statu antiquo, ergo ratio Sacramenti conueniebat antiquis, quia figurabant noua, & gratiam illorum.

Ad Corint. 10.

Secunda sentẽtia huic opposita docet, quod de ratione Sacramenti est significare gratiam, quę conferatur in actuali vsu ipsorum, & ita aiunt significare gratiam omnia Sacramenta veteris legis.

Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quia de ratione Sacramenti, est quod sit signum practicum, sed hæc ratio non potest saluari, nisi ad minus significet gratiam provt datur in actuali vsu ipsorum, ergo talis significatio est de ratione Sacramenti. Discursus est legitimus, & minor probatur: nam Sacramentum est signum practicum institutum ad hominum sanctificationem, ergo si sanctificatio non fit, quando ipsum Sacramentum exhibetur non verificatur ratio signi practici. Et confirmatur, nam illa particula vltima diffinitionis Sacramenti, scilicet, in quantũ sanctificans est, designare videtur, quod Sacramentum est signum rei sacræ, quatenus in ipso exercitio sanctificat ingenere causæ formalis, ergo ita debet illam significare quodlibet Sacramentum.

Secundum fundamentum est desumptum ab inconuenienti, quia aliàs sequeretur, quod omnia sacrificia veteris legis fuissent vera sacramenta: Consequens autem est falsum, vt hic docet D. Thom. ad 2. & 1. 2. quæst. 101. art. 4. ergo. Probatur sequela, quia omnia illa sacrificia significabãt gratiã per Christi passionẽ.

Tertium fundamentum desumitur ex eo, quod de facto in sacramẽtis veteris legis conferebatur sanctitas perfecta animæ, quod certissimũ est de sacramento circũcisionis (vt Magistri tenentes oppositam sententiam fatentur) & de alijs sacramentis maximè de agno Paschali immolato est satis probabile, ergo de ratione sacramenti est significare gratiam de facto ingenere causę formalis sanctificantem. Confirmatur, nam sacramentũ, vt docet D. Thom. infra art. 3. huius quęstionis est signum ordinatum ad nostram sanctificationem significandam, ergo si in actuali vsu sacramentorum antiquæ legis conferebatur sanctitas dicendum est, quod illã significabant, nulla enim apparet ratio, propterquam id negetur.

Hanc sententiam his fundamentis corroboratam tenet Magister Cabrera hic disp. vnica n. 27. & n. 28. soluit argumenta oppositę sentẽtię, huic sententię adhærent multi alij Thomistę, illamque tenet Magister Nuñio hic dub. 1. solut. ad 1. & dub. 2. solut. ad 2. & videtur esse de mente Caiet. hic in fine commentarij, dum ait illã particulam sanctificantis intelligi in actu exercito, vt scilicet, res sacra actualiter exercet sanctificationem hominis.

Tertia sentẽtia media asserit duo, primum est, quod sacramenta vetera non solum significabant gratiã Christi dandam per Christum passum in lege Euangelica, sed etiam gratiam, quæ conferebatur in actuali vsu eorum. Secundum est, quod quamuis sacramenta illa, non significassent gratiam collatam in actuali vsu eorum, sed solum gratiam conferendam in statu Euangelico per Christum, adhuc essent simpliciter sacramenta, ex quo colligitur, quod de ratione sacramenti,

menti, vt sic tantum est significare veram animę sanctitatem, siue datam in vsu actuali Sacramenti, siue dandam postea.

Hæc sententia pro primo dicto fundatur in fundamentis vtriusque sententię, & secunda pars eius speciliter probatur fundamento tertio secundę sententiæ, quod ad minus illā videtur probare. Secundum dictum fundatur in præcipuo fundamento primæ sententię, & in loco Concilij Florentini ibi citati. Vnde non habet specialia fundamenta quibus probetur.

Pro huius dubij resolutione prius reijcienda est sententia Bellarm. lib. 1. de Sacramentis, cap. 12. propositione 2. vbi docet ad rationem Sacramēti, non esse necessarium, quod signū significet gratiam, & veram animæ sanctitatē, sed sufficit significare quācūque sanctitatem, siue sit perfecta, & interior, siue sit imperfecta, & exterior, vt erat sanctitas legalis, quæ conferebatur in omnibus Sacramentis veteris legis, & prętera affirmat, quod Sacramenta illa non fuerunt Sacramenta, quia significabant gratiam legis Euangelicæ, sed quia significabant sanctitatem legalem, quam conferebant.

Hæc enim sententia falsa est, & vt talis reijcitur ab omnibus Doctoribus, quia in primis pugnat cum diffinitione Sacramenti, dubio præcedenti explicata, quam communiter admittunt, tanquam diffinitionē D. Augustin. vt hic aduertit D. Thom. in argumen. sed contra, & supponunt nomine rei sacræ significari veram animę sanctitatem, quia ita docet Cathechismus Pij V. vbi asseritur hanc illius particulæ interpretationē, ex communi consensu Doctorum, qui sacras litteras interpretati sunt, desumptam fuisse. Deinde conuincitur falsitatis illa sententia, quia ex illa sequeretur posse institui Sacramenta ab Ecclesia, & non esse necessarium, quod ab ipso Deo instituantur: consequens est falsum, ergo. Sequela patet: nam Ecclesia bene potest instituere aliquod signum sacrum significans sanctitatem aliquam imperfectam, imò defacto instituit multas cæremonias sacras, ita significantes sanctitatem, vt patet de aspersione à quæ benedictæ, consecratione altaris, & benedictione Episcopali, ergo si ad rationem Sacramenti sufficit significare sanctitatem imperfectam poterit Ecclesia instituere Sacramenta, quæ simpliciter sint Sacramenta, quod autem consequens sit falsum, infra ostenditur ab omnibus, quæst. 64. vbi ex eo, quod solus Deus est author gratiæ ostendunt solum ipsum posse esse authorem Sacramentorum.

Præterea probatur, nam falsum est, quod Sacramēta veteris legis essent Sacramenta, quia significabant sanctitatem legalem, & exteriorem, ergo tota sententia est falsa. Antecedens probatur: nam Sacramentum dicitur ab occulta, & recondita significatione, vt communiter docēt Theologi, & art. 1. probauimus, sed significatio, qua Sacramenta veteris legis significabāt sanctitatem legalem, non erat occulta, sed omnibus manifesta, ergo ab illa non denominabantur Sacramenta. Minor patet, nam illa sanctitas non erat recondita, sed vulgaris, & omnibus manifesta: nam erat quędā mūditia corporea, & visibilis ergo nō poterat esse inuisum, & occultum quid. Et confirmatur, nam in isto art. solut. ad 3. Doct. Sanctus, excludit à ratione Sacramēti omnia illa signa, quæ non significāt perfectam animæ sanctitatem, ergo hęc significatio est necessaria ad rationē Sacramenti.

Hac ergo sententia omissa tanquam falsa, & aliena à communi Doctorum sententia, vt quid de tribus, sententijs relatis sententiam, explicem. Præmittendum est primo ex D. Thom. 1. 2. quæst. 101. art. 4. in corpore;

pore, quod hæc est differentia inter sacrificium, & Sacramentum, quod sacrificium specialiter, & immediatè respicit cultum Dei in cuius reuerentiam aliquid offertur. Ex quo colligunt, quod ratio sacrificij consistit in aliqua actione, seu oblatione, quæ in Dei reuerentiam offertur, Sacramentum autem immediatè respicit quandam consecrationem recipientium ipsa sacramenta, per quam consecrationem, quasi instituuntur, seu deputantur ad cultum diuinum: Hoc autem, quod D. Thom. vocat consecrationem loco citato interpretatur Magister Medina ibidem, quod est idem quod sanctificatio: nam loquēs de tertia specie cæremoniarum sacrarum, quæ erant in lege scripta, quę erant sacramenta docet cum D. Thom. esse cæremonias institutas ad sanctificationem hominum, siue omnium, vt circuncisio, siue singularium, vt ordinatio Sacerdotum, & consecratio Pōtificum, ex quo colligunt Doctores, quod ratio sacramenti consistit in receptione, seu quasi passione in Dei cultoribus recepta.

Ex hac differentia colligitur alia, quod sacrificium, in quantum sacrificium, non significat sanctificationem nostram, quam tamen significant sacramenta, vt ait Doct. sanctus art. sequenti in principio corporis, vbi ait, quod sacramentum propriè dicitur, quod ordinatur ad significandam nostram sanctitatem. Secundo est notādum ex D. Thom. 1. 2. quæst. 100. artic. 12. quod licet præcepta moralia veteris legis non iustificarent illos, qui adimplebant illa, tanquam habentia virtutem causatiuam habitus iustitiæ, & gratię infusæ: Iustificabant tamen ex fide, & obedientia, atque ex deuotione facientium.

Hanc eandem doctrinam docet sanctus Doct. 3. part. quæst. 70. art. 4. circa finem corporis, loquens de circuncisione, de qua dicit, quod in illa causabatur gratia, non ex virtute illius, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cuius signum erat circuncisio, idem docet quæst. 62. artic. 6. de omnibus sacramentis veteris legis, vbi inter omnes Doctores, maximè Thomistæ docent, quod omnia illa sacramenta iustificabant ex opere operantis, & ex pacto, & ordinatione diuina, qua Deus statuit conferre gratiam recipientibus illa, quia erant signa Passionis Christi futuræ, vt ait Doctor sanctus loco modo citato in solutione ad vltimum. Itaque, quia illa sacramenta erant signa protestationis fidei Christi venturi, & accedentes ad illa cum debita dispositione protestabantur exterius talem fidem in vsu illorum, accedentes ad illa iustificabantur ex illa fide, & obedientia, in cuius confirmationem adducit D. Sanctus illum locum Paul. ad Rom. 4. vbi ait: *Apostolus, quod Abraham accepit signum circuncisionis signaculum iustitiæ fidei:* Quia scilicet iustitia data in illo sacramento erat ex fide significata, & non ex circuncisione significante. *Ad Roman. 4.*

Ratio omnium istorum est, quia vt ait D. Thom. in illo art. 6. quæst. 62. passio Christi in illis sacramentis veteris legis applicabatur mediante actu fidei, & sic medio illo causabant gratiam illius actus ingenere causæ finalis tantum, secundumquod est proprium causæ finalis mouere secūdumquod est in apprehensione; & ideò non communicabatur illis sacramentis virtus causatiua gratiæ, vt suo loco ex professo dicemus Deo dante.

His ergo suppositis sit prima conclusio: Certum mihi apparet, quod sacramenta veteris legis significabāt gratiam, quam ad præsentiam illorū Deus cōferebat ex merito fidei protestatę in vsu eorum. Hæc conclusio est conformis primo dicto tertiæ sententiæ, & contra primam, quatenus vt ex suis fundamentis videtur colligi, supponit talia sacramenta, nō significare

nificare aliam gratiam præter illam, quæ datur in lege Euangelica. Probatur primo, ex loco Pauli, iam allegato 4. ad Rom. vbi dicitur: *Quod Abraham accepit signum circuncisionis signaculum iustitiæ fidei*, quem locũ exponens D. T hom. super Paul. lect. 2. ait, quod circuncisio fuit signum iustitiæ Abraham, & nõ causa, & quod supponens hanc veritatem Paulus profert sententiam relatam ad ostendendum circuncisionẽ Abrahæ fuisse signum iustitię acceptæ, propter fidẽ antequam circuncideretur, & idem dicit in alijs locis citatis, vbi illam authoritatem Pauli affert: ergo dicendum est, quod cum significatio Sacramenti respectu sui signati, est eadem in quocumque subiecto, quod tale Sacramentem significabat iustitiam, quam recipiebant fideles recipiendo ipsum. Patet consequentia, aliàs eius significatio esset mutabilis, & variabilis, adhuc supposita institutione, & permanente Religione, pro qua est institutum Sacramentum; quod est contra supra dicta. Secundo probatur authoritate Concilij Trident. Sess. 7. Can. 6. de Sacramentis in genere, vbi damnatur, qui dixerit Sacramẽta nouæ legis non continere gratiam, quã significant, aut ipsam non ponẽtibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem iustitię, vel gratiæ. Ecce Concilium docet de omnibus Sacramentis antiquę legis illa significare gratiam, & iustitiam acceptam per fidem recipientis illa.

Ad Roman. 4.

Adhoc enim alludit in illis vltimis verbis relatis, vt ponat differentiam inter illa Sacramenta, & Sacramenta gratiæ, quod illa tantum significabant gratiam, & iustitiam, quæ ex merito fidei dabatur in vsu illorum. Hęc vero, & significant, & continent & non ponentibus obicem conferũt. Neque ex hac doctrina licet inferre, quod actus fidei, qui in receptione illorum Sacramentorum exercebatur esset causa meritoria gratiæ, quæ tũc temporibus dabatur, sed solum conditio, qua media applicabatur Passio Christi, & eius meritũ in genere causæ finalis, ad quam sic applicatam aspiciens Deus causabat gratiam significatam per Sacramenta in animabus recipientium illa.

Confirmatur, nam in hoc modo dicendi perfectius saluatur, quod illis Sacramentis conueniat diffinitio Sacramẽti, quatenus in illa dicitur, quod est signum rei sacræ in quantum sanctificans: ergo cum non sit ratio vrgens ad oppositum asserendum (vt in confirmatione vltimi fundamenti secundę sententiæ ponderaui) ita asserendum est. Tertiò: Omnia illa Sacramenta fuerũt instituta, vt essent quędam medicinæ contra morbos spirituales, ergo in applicatione illorum dabatur aliqua salus spiritualis: ergo cum illa non daretur ex virtute ipsorum Sacramentorum, ad minus debebat significari ab illis, eo modo quo in eorum applicatione dabatur. Vtrũ autem ad saluandam istam rationem necessarium sit ponere, quod causarent illa Sacramenta aliquam salutẽ animæ ex opere operato, non est præsentis loci examinare, sed pertinet ad quæst. 62. art. 6. & ad quæst. 70. art. 4. vbi videndi sunt Interpretes.

Secunda conclusio. Probabile est, quod ad rationem Sacramenti vt sic, quatenus abstrahit ab omnibus Sacramentis in particulari sufficit significatio gratiæ dandæ in futuro tempore. Hanc damus primæ sententiæ, & tertiæ pro secundo dicto, ad cuius probabilitatem sufficiunt fundamenta desumpta in prima sententia ex authoritate D. Thom. & Concilij Florentini, & authoritas tenentium illas.

Sit tamen nobis tertia conclusio. Probabilius, & mihi certum videtur, quod ad rationem Sacramenti, secundumquod hic agit D. Thom. de Sacramentis sit necessarium significare gratiam, quę datur in exercitio ipsius Sa-

cra-

cramenti, siue id fiat ex virtute ipsius signi, siue fiat immediatè à Deo ad præsentiam ipsius Sacramenti.

In hac conclusione conuenio cum secunda sententia, quæ communior est inter Doctores, & inter discipulos D. Thom. Hæc conclusio præter fundamenta posita in relatione secundæ sententiæ, probatur à me. Primo, nã ex fundamentis prælibatis constat, quod Sacramentum, in quantum distinguitur ab alijs sacris cæremonijs, quæ non sunt Sacramentum, ordinatur ad sanctificationem suscipientiũ illa, ergo debet significare gratiã præsentem, quæ datur in exhibitione ipsius. Probatur ista consequentia, nam Sacramentum secundumquod est signum gratiæ sanctificantis ordinatur ad sanctificationem illius, qui vtitur Sacramento, ergo debet significare sanctitatem illi collatam aliàs impertinenter ordinaretur ad sanctificationem suscipientis. Antecedens verò præterquam quod ex prehabitis fundamentis videtur inferri. Probatur, nam sacramenta instituuntur, vt cæremoniæ sanctificatiuæ, saltim secundum significationem illorũ pro quibus instituuntur, vt medijs illis colãt Deum, & suam salutem quærãt in statu Religionis, pro qua dantur à Deo, sed hęc institutio frustranea, & impertinens esset, nisi saltem significarent gratiam, & salutem dandam quandò ipsa exercentur, & recipiuntur, ergo. Minor patet, nam alia gratia dãda in alio tempore alijs hominibus, nõ pertinet in ratione gratiæ, & sanctitatis ad illos homines, qui vtuntur sacramentis pro illo tempore in quo non datur gratia eis, ergo.

Confirmatur ex ratione D. Tho. in corpore huius articuli, nam sacramenta ideò sunt signa, quia danturhominibus, quibus proprium est per nota ad ignota deuenire, ergo significatio sacramẽtorum debet ordinari ad homines, quibus dantur, ergo debent significare gratiam ad illos pertinentem in ratione formæ sanctificantis. Patet ista consequentia, nam aliàs per significationem talium sacramentorum non cognoscent homines suam sanctitatem, cum non significetur per illa, ergo frustra dantur illis talia signa, secundumquod sunt signa sanctitatis, & aduertendum est, quod consulto dico, secundumquod sunt signa sanctitatis: nam ad aliũ finem bene possunt saluari, scilicet ad profitendam exterius fidem Christi Redemptoris, & gratiæ dandæ ab ipso in genere causę efficientis. Cęterũ cũ finis proprius, & formalissimus sacramẽti in quãtũ tale signum est, sit significare gratiam vt sanctificantem, si vt sic, nõ ducũt in cognitionẽ sanctitatis, & gratiæ præsentis, & pertinẽtis ad homines vtentes illo, adquid datur tale signũ sanctificatiuũ illis: nam gratia futura cũ nõ sit dãda illis, sed alijs, impertinens est respectu illorum adhunc finẽ, qui est sanctitatẽ suã per talia signa cognoscere. Et certè cum D. Thom. art. sequenti, & omnes cum illo docent, quod sacramenta ordinantur ad significandam sanctificationem nostram, hoc videtur manifestarè, scilicet, quod omne Sacramentum in quantum tale debet significare sanctificationem vtentium ipso, pro illo tempore pro quo instituuntur sacramenta. Vndè ratio illa determinatur per particularem modum significandi talem sanctitatem: Nostra enim sacramẽta significant sanctitatem nostrã, tanquam signa practica perfecta, quę efficiunt sanctitatem, quam significant. Sacramenta vetera significabãt sanctitatem, quę in præsentia ipsorũ causabatur à Deo ex fide, & deuotione recipientium, & sic vt signa practica imperfecta. Et idem dicendum est de Sacramentis legis naturæ, quod scilicet, ad istum modum significabãt gratiam pertinentem ad homines vtentes illis, pro illo statu.

Ex hac doctrina colligitur secũda ratio pro conclusione, nam essentialis

lis ratio alicuius superioris ex differē tijs cōtrahentibus illā optimè indaga tur: sed differētiæ cognitę à nobis per quas contrahitur ratio signi rei sacræ sanctificantis consistūt in particulari modo significandi gratiā sanctificantē illos homines, qui vtuntur Sacrāmētis, ergo ratio superior consistit in significatione practica gratiæ præsentis abstrahendo ab illis modis specialibus signi practici. Præterea potest probari conclusio rationibus positis in confirmatione secundæ rationis positæ pro prima conclusione.

QVARTA CONCLVSIO.

NON videtur mihi verū dicere, quod Sacramenta legis scriptæ habebāt rationem Sacrāmēti ex vi significationis, qua significabant gratiam dandam in lege Euangelica per Christum. Hæc potest optimè probari rationibus positis pro precedenti conclusione: nā talis significationō pertinebat ad vtētes illis Sacramē tis, secūdūquod erat significatio sanctitatis, ergo cum Sacramentum, secundumquod est signū sanctificatiuum debeat pertinere ad homines, quibus datur Sacramentū, sequitur, quod sacramenta antiqua ratione illius significationis, non erant sacramenta. Secūdo probatur speciali argumento: Illa sacramenta manserunt vera sacramenta, sine significatione gratiæ futuræ per Christum, ergo per illam significationem non cōstituebantur essentialiter in ratione Sacramenti, consequentia est euidēs, nam sublato, & deficiente constitutiuo essentiali alicuius rei necessariò res illa destruenda est. Antecedēs vero probatur: nam post resurrectionē Christi ante sufficientem promulgationem Euangelij non significabant Redemptionem futuram: siquidem iam facta fuerat, & tamen manserunt vera sacramenta, ergo. Maior est certa: nam præterquam docetur expressè ab August. lib. 19. contra Faustum cap. 17. illa sacramenta licet eo tempore essent mortua; non tamen erant mortifera, si autem assumerentur cū tali significatione essent mortifera: nam assumerentur cum significatione falsa, & præberent testimonium erroris contra fidem passionis præteritæ, ergo non habebant talem significationem. Minor vero probatur, nam August. vbicunque vocat ea toto illo tempore sacramenta, vt constat ex omnibus Epistolis, quas scripsit de hac re ad Hyeronim. & ex toto lib. 19. contra Faustum, & præterea, quia illo tempore sanctè, & Religiosè Hæbræi, quibus non erat sufficienter promulgatum Euangelium assumebant illa, ergo signum est, quod dabant in ratione propria Sacramentorum. De hac quæstione videndi sunt Doctores in materia de Baptismo, quando de obligatione illius Sacramenti disputant.

Ad argumēta primæ sententię, quæ militant contra nostram tertiam conclusionē respondetur: ad primam authoritatē D. Th. respondetur ibi non loqui de sanctitate vtcunque, sed de sanctitate sacramentali, quam verum est non esse necessarium, quod significetur per modū causæ formalis determinatè, neque per modum causæ finalis, sed indifferēter vno, aut altero modo, & ad manifestandum, quod sacramenta vetera sanctitatem sacramentalem significabant vt finem, nostra verò vt formam, ideò fortè D. S. posuit illam disiunctiuam: cum hoc tamen stat, quod sit de ratione Sacrāmēti, vt sic figuificare sanctitatem absolutè per modum formę sanctificātis in vsu legitimo ipsius Sacramēti propter rationes suprafactas. Et si interroges, quid significetur nomine sanctitatis Sacramentalis, quid vero nomine sanctitatis absolutè. Respond. quod sanctitas Sacramentalis est sanctitas data ex opere operato per Christum passū, sāctitas verò absolutè designat sanctitatē abstrahētē à sāctitate data

ex opere operato, vel ex opere operãtis, quæ datur in ordine ad Christũ, tãquam ad causam finalem illius, non vero tanquam ad causam efficientẽ, illa prima sanctitas vocatur Sacramẽtalis: quia datur ex vi Sacramenti, & addit ad gratiã seù sanctitatẽ absolutè, quandam specialem perfectionẽ, quę consistit in quodam diuino auxilio superaddito necessariò ad assequendum effectum ipsius Sacramenti perfectè, & absolutè. Ita docet D. Thom. infrà quæst. 62. art. 2. sed dices: D. Tho. ibi loquitur de sanctitate significata per Sacramẽtum, à qua denominatur Sacramentum propter habitudinem quam dicit ad illam in ratione signi: ergo loquitur de sanctitate absolutè, nam ab illa sufficienter denominatur aliquid Sacramentum.

Ad hoc respõd. pręmittẽdo, quod in omni lege dabatur gratia, & sanctitas ex meritis Christi præuisis saltẽ ingenere causę finalis. Et ita illa gratia respiciebat gratiam dandam postea per ipsum Christum efficienter in ipsis Sacramentis nouæ legis: quia talis gratia propter sui maiorem perfectionem erat quasi finis, & consumatio alterius gratię; quare significatio adæquate constituens Sacramentum, in omni debebat respicere vtrãque gratiam.

Quo supposito dico, quod D. Sanctus ibi loquitur de sanctitate, à qua denominatur aliquid Sacramentum non adæquatè, & simpliciter, sed inadæquatè, & quasi magis principaliter, & hæc erat gratia Sacramentalis: quia erat (vt dictum est) finis & scopus alterius, quod autem D. Sanctus, sic loquatur colligimus ex illa propositione disiunctiua, quæ in eius doctrina sic solum potest verificari, nam ex articul. oræsenti in corpore colligimus: Tùm ex diffinitione Sacramenti: Tùm ex eo, quod in ratione ait, quod Sacramentum debet significare rem sacram ad homines pertinentẽ, scilicet ad illos ad quos pertinet ipsum Sacramentum. Ex his, inquam, colligimus, quod de ratione Sacramenti est significare aliquam gratiam in genere causæ formalis: nam sola ista pertinet propriè ad homines ad quos pertinet Sacramentum, sicut supra dixi probando nostram tertiam conclusionem.

Colligo prętera eam istam expositionem esse legitimam ex eo, quod in argumento fit sermo implicitus saltim de gratia, quæ causatur ab ipso Sacramento, quod patet ex illa maiori: Sacramentum dicitur à sacrando, sicut medicamentum à medicãdo. Ex quo infertur, quod Sacramentum essentialiter debet pertinere ad rationẽ causæ: Illa etenim cõparatio solũ currit de Sacramẽto respectu gratiæ causatę ab illo. De ista ergo loquẽs in solutione admisso antecedẽti, negat cõsequẽtiam D. Th. cuius rationem assignat, quia non significatur à Sacramento per modum causæ efficientis, sed magis per modũ causæ formalis, vel finalis, & hanc particulam addit D. Sanctus propter Sacramenta veteris legis, & legis naturę, quę gratiam talem tantũ in genere causæ finalis significabant, & ita concludit nõ oportere, quod semper Sacramentum importet causalitatem, in quibus verbis satis clare indicat, quod Sacramentũ nouæ legis importat causalitatẽ respectu gratiæ, quę per ipsum significatur; non vero alia, etiamsi eandẽ gratiam quæ in lege Euãgelica datur significarent. Ex his ergo patet ad secundam authoritatem, dico enim quod D. Thom. in illa solutione non explicuit adæquatam significationẽ Sacramentorum antiquæ legis, sed inadæquatam, & magis principalem, in qua conueniunt illa Sacramenta cũ nostris. Neque D. Thom. ponit in illa solutione causalẽ, quã ponunt oppositũ opinantes, sed solum ait quod illa, quæ in lege veteri significabant sanctitatem Christi, secundum quod per illam sanctificamur, erant vera Sacramenta,

menta, non tamen dicit, quod per illam solam significationem constituta sunt in ratione Sacramenti, sicut neque affirmat solam illam significationem habuisse, sed potius ex ratione corporis, & ex diffinitione Sacramenti: sequitur aliam à nobis expositam habuisse. Vndè illam supponens D. Thom. aliam in illa solutione explicat, quia illud sufficit ad soluendum argumentum, & in alijs locis à me adductis expressè docet illa Sacramenta significasse gratiam datam per fidem Christi venturi, & ipsam fidē Christi.

Secundo respondetur ad illum primum locum, quod D. Thom. ibi solū dicit id quod sufficit ad assignandum genus Sacramenti, & ad explicandū quommodo non sit in genere causæ, ad id autem concludendum sufficit excludere à Sacramento significationem gratiæ per modum causę efficiētis, siuè significet illam per modū causæ formalis, vel finalis. Vndè signanter dixit non absolutè ita significare, *sed potius*: In hac namque aduersatiua manifestè patet, quommodo solū illam primam significationem voluit excludere ex qua inferebatur genus causæ, & solum voluit in affirmatiua exponere significationem, quę ad eius rationem genericam pertinet, nō explicando modum particularem significandi, qui est differentia constitutiua Sacramenti: nam istum exponit articulo præsenti, ex quo nos inferimus, quod est modus particularis significandi gratiam per modum causæ formalis modo explicato, ad rationē autem genericam sufficit significatio gratiæ quocumque modo ex illis, siuè vt melius dicam significare gratiā absolutè abstrahendo à quolibet modo ex illis: Quando autem descendit ad rationem Sacramenti vt sic, intelligitur determinari per significationē practicam gratiæ per modum formæ sanctificantis. Hęc expositio videtur mihi magis clara, & proprijssima vt consona intento illius articuli.

Ad secundum fundamentum (relicta solutione data inter arguendum, quam hic adhibet Cabrer. quia sufficienter ibi impugnatur) respondetur dupliciter. Primò, quod ibi Concilium comparat vtriusque legis Sacramenta respectu gratiæ Sacramētalis, in ordine ad quam rectè dixit Sacramenta nouæ legis continere, significare, & causare. Vetera verò tātum significare dandam per Christū: nam gratiam Sacramentalem illa sacramenta, neque conferebant, neque præsentē designabant, sed futuram tantum præfigurabant, eo quod erat gratia huius temporis legis Euangelicæ. Vndè illa dictio exclusiua, *solum*, non excludit ab illis Sacramentis omnem aliam significationem præter significationem gratiæ Sacramentalis, sed solum omnem causalitatem respectu talis gratiæ, & omnem significationem eius præter illam, qua significabant eam vt futuram per Christi passionē, itaque excludit significationē illius gratię vt præsentis, & causalitatem respectu illius: nam talia Sacramenta significasse fidem Christi, & iustitiā causatam ex tali fide docuimus supra ex mente D. Thom. Secundo respondetur, Concilium in illo loco non intendere ex professo omnem significationem Sacramentorum veteris legis, sed eam duntaxat, quæ sufficiens erat ad manifestandam potissimam differentiam illorum à Sacramentis nouæ legis, quæ significatio considerandā erat respectu gratię dandæ per Christi passionem in lege Euangelica. Et ita dictio exclusiua, *solū*, tollit causalitatē ab illis Sacramentis, & non aliā significationem, qui voluerit defendere sententiā mediā non verò, sed ita mē studeat soluere argumēta posita pro tertia nostra conclusione, quæ me conuincunt ad illam tenendam: licet enim aliquam apparentē solutionē possint habere dicēdo, quod ex vi significationis gratiæ futuræ cognoscerent

cerent homines suã sanctitatẽ, nõ secundum suam substantiam, sed secũdum consummationem eius faciendam postea per illam gratiam Euangelicam, & quod secundum talem rationem pertinet ad illos, quibus darentur Sacramenta: quia in ratione finis per quem omnia erant consummanda simpliciter ad illos pertinebat: Vndè consequenter dicendum est, quod sanctitas significata per sacramenta sufficit sic pertinere ad homines quibus dantur sacramenta, & non per modum formæ sanctificantis ipsos. Cæterum hoc mihi durum videtur, & in materia morali nimis metaphysicum, & non saluans in rigore institutionem Sacramenti, quatenus ordinatur ad sanctificationem hominum quibus dantur sacramenta, vt constabit attentè hæc omnia considerãti: quare in mea sententia confirmor.

QVARTVM DVBIVM.

Vtrùm Sacramentum sit genus ad Sacramenta vetera, & noua?

IN hoc dubio varia Doctorum placita ad duas sententias breuitati consulens reducere opportet. Prima asserit, rationem Sacramenti analogicè prædicari de omnibus Sacramentis, & principale analogatum docet esse sacramenta legis Euangelicæ. Hanc tenet Mag. sent. in 4. dist. 1. quia putauit de ratione Sacramenti vt sic esse, quod causet sanctitatem. Eandem tenere debent omnes illi, qui censent cum Bellarm. (vbi supra) de ratione Sacramẽti esse, quod conferat aliquam sanctitatem saltim imperfectam.

Ratio est, quia sanctitas analogicè dicitur de sanctitate perfecta animæ, & de sanctitate imperfecta, & exteriori vt postea explicabo. Probatur modo hæc sententia. Ratio signi practici per prius dicitur de Sacramentis nouæ legis, & per posterius de alijs, sed ratio signi practici est essentia Sacramenti vt sic, ergo illa dicitur analogicè de omnibus. Maior probatur, quia de ratione signi practici est, quod efficiat illud quod significat, sed sacramenta antiqua, non efficiebant gratiam, quam significabant, ergo nõ conueniebat illis ratio signi practici simpliciter. Maior probatur, nam in hoc distinguitur signum practicũ ab speculatiuo, quod istud non efficit, quod significat, illud verò efficit, quod significat vt est videre in nostris Sacramentis.

Secundo ratio Saeramenti dicitur de Sacramentis veteris legis per ordinem ad nostra, ergo analogicè. Cõsequentia ex eo probatur, quia quando aliqua ratio superior dicitur de vno perse, & de alio membro per ordinem, & habitudinem ad aliud dicitur analogicè de vtroque, vt patet in ente dicto de Deo, & creaturis de substantia, & accidenti. Antecedens veto probatur: Sacramenta illa intrinsecè, & quidditatiuè erant vmbræ nostrorum Sacramentorum, vt patet ex illo Pauli 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis*, & quia erant vmbræ illorum dicebantur, & erant vera sacramenta, ergo per ordinẽ ad nostra dicebatur de illis ratio Sacramenti. 1. Corin. 10. 11.

Tertiò de ratione Sacramenti saltim ex parte materiæ est sanctitatem causare: Sed hæc ratio analogicè dicitur de nostris Sacramentis, & antiquis, quia ista non causabant verã, & simpliciter sanctitatem, sed tantum significabant, quam tamen nostra causant, ergo. Discursus videtur legitimus, loquendo de Sacramento considerato adæquatè secũdũ omnia, quæ essẽtialiter includit ex parte materiæ, & formæ: nã iam in tali modo datur aliquid, quod descẽdit simpliciter ad vnũ mẽbrũ, nõ tamẽ ad aliud: maior autẽ à multis Thomistis conceditur dũ asserũt nostra Sacramenta ratione materiæ essentialiter includere causali-

salitatem ex quibus ascendunt ad rationem Sacramenti vt sic, & dicunt etiam de ratione illius ex parte materię esse causare aliquam sanctitatem. Secunda sententia asserit, quod Sacramentum prædicatur vniuocè, tanquã genus de omnibus Sacramentis. Ita tenet Magist. Sot. in 4. dist. 1. q. 1. art. 1. quem sequuntur omnes Thomistæ. Eandem tenet Suar. in præsenti sect. 3. §. *Atque hinc*. Eandem iam communiter alij Doctores sequuntur.

Pro huius sententiæ intelligentia notandum est, quod maior, vel minor perfectio reperta in aliqua ratione superiori quatenus cõtracta est ad nobiliorem, vel ignobiliorem speciem, non causat analogiam logicã, sed solum physicam, quæ consistit in quadam inæqualitate proueniẽte ex inęqualibus differentijs. Vt patet in animali, quod in quantum est contractum per rationalitatem ad speciem humanam maiorem perfectionẽ habet, quam vt est participatum in bruto, & tamen animal vniuocum genus est ad hominem, & ad equũ, & ad omnia alia animalia, vt communiter docent logici cum Caiet. in suo opusc. de nominum analogia, ita similiter dicendum est in præsenti, quod licet Sacramentum perfectius reperiatur in Sacramentis nouæ legis, quam in Sacramentis naturæ, & legis scriptæ, tamẽ quia illa perfectio prouenit, non ex ratione ipsa communi Sacramẽti, sed ex differentia magis perfecta, per quã contrahitur ad Sacramentum Euangelicum; ideò non tollit vniuocationem logicam. Idem docet D. Thom. in 1. lib. Perhierm. cap. de diuisione propositionis in affirmatiuam, & negatiuam, quod scilicet non obstante inęqualitate, & prioritate reperta in propositione affirmatiua respectu negatiuæ, adhuc dicitur vniuocè propositio de illis. Eadem doctrina solet tradi de numeris inter se, & tradditur ibi à D. Thom.

SIT PRIMA CONCLVSIO.

ABSQVE dubio est dicẽdũ, quod ratio Sacramenti dicitur vniuocè de omnibus. Hæc conclusio ex supra dictis huius quæstionis potest probari, quia Concilium Florent. & Trident. vbi supra, simpliciter, & propriè docẽt esse Sacramẽta, Sacramẽta vetera, licet nostra habeãt aliquam maiorẽ perfectionẽ, sed hoc vt patet ex notabili, non tollit vniuocationẽ, ergo.

Præterea. Probatur ex D. August. lib. 19. contra Faustũ, c. 11. & in alijs capitibus, vbi affirmat Sacramẽta antiqua fuisse verè, & propriè sacramẽta, & tãtũ differre à nostris penes magis, vel minus perfectũ, & in illo, c. 11 vniuersaliter affirmat Religionẽ, sine Sacramentis cõstare non posse, cõparatque sacramenta vetera cum nostris, sicut legem veterẽ cũ noua, ergo sicut de lege nullus dicit, quod nõ dicatur vniuocè de lege antiqua, & Euangelica, ita neque dicere potest, quod Sacramentũ nõ dicatur vniuocè de omnibus. Vltimo id prob. ratione à priori desumpta ex dictis in præcedẽtibus. Ratio Sacramẽti vt sic consistit in significatione gratię, vt sanctificãtis, sed in hac ratione vniuocè cõueniũt omnia sacramẽta, ergo. Probatur minor, nã vt iam dictũ est, omne Sacramẽtũ propriè, & simpliciter significat gratiã, vt sanctificantem secũdum particularem modum significandi, scilicet antiqua, tanquam signa in quorum exhibitione conferebatur gratia. Nostra verò tanquam signa efficientia quantum est de se gratiã illam, quam significãt, ergo cum ratio Sacramenti, vt sic abstrahat ab istis modis particularibus, & per quẽlibet determinetur, & contrahatur ad esse simpliciter Sacramenti, sequitur quod vniuocè dicatur de omnibus Sacramentis ratio Sacramenti, vt sic. Vndè hęc diuisio est Sacramenti tanquam generis subalterni in treś species subalternas, scilicet in Sacra-

mentum legis naturæ, & Sacramentum legis scriptę, & Sacramentum legis Euangelicæ.

SECVNDA CONCLVSIO.

PARVM consequenter loquuntur Theologi, qui ex vna parte afferunt, quod de ratione Sacramenti, vt sic est aliquam sanctitatem conferre, & veram animæ sanctitatem significare, & ex alia parte dicunt, quod Sacramentum est genus ad omnia sacramenta. Hanc conclusionem statuo contra Suarez loco citato, in relatione secundæ sententiæ: Ad huius probationem omitto, quod in eadem essentia ponit rationem causæ effectiuę, & rationem signi, quæ rationes non videntur posse vniri per modum vnius rationis formalis constitutiuæ alicuius essentiæ: Cum sint rationes subdiuersis generibus constitutę, omitto, inquam, hoc impugnare: Quia non pertinet ad præsens dubium. Et probatur nostra conclusio. Primò in essentiali ratione Sacramenti, non solum clauditur significatio, sed ratio causæ alicuius sanctitatis: ergo vt talis ratio descendat vniuocè debet æqualiter participari secundum omnia, quæ sunt de sua essentia: nam secundum omnia est ratio superior.

Rursus, secundum illam rationem causæ, non descendit æqualiter: ergo non descendit vniuocè. Minor probatur, nam sacramenta antiqua nō causabant sanctitatem simpliciter, sed solum secundumquid, quia solum causabant sanctitatem corporalem, & exteriorem, ergo ratio causę sanctitatis non cōueniebat illis simpliciter. Probatur consequentia: nam tota ratio causę desumitur ex habitudine ad effectum, sed sanctitas, quę erat effectus Sacramentorum veteris legis tantū erat secundumquid sanctitas, ergo illa sacramenta, non erant simpliciter causa sanctitatis. Cum ergo nostra Sacramenta sint causæ sanctitatis simpliciter, quia causant gratiam, in qua consistit vera sanctitas animæ, sequitur, quod ratio causæ sanctitatis simpliciter illis conueniat, aliis autem secundumquid, & per habitudinem ad illa.

Confirmatur, & explicatur ratio facta, Sacramentum in opinione authoris citati essentialem rationem sacramenti accipit à sanctitate, quā efficit, & quam significat, ergo ex ea parte, qua sacramenta antiquæ legis causabant sanctitatem secundūquid, solum essentiam Sacramenti secundumquid participant. Vndè licet in ratione signi gratiæ esset conuenientia vniuoca, in ratione causæ erat analogia: cum ergo talis ratio sit de actualitate essentiali Sacramenti vt sic, sequitur, quod aliquid essentiale descēdat analogicè. Vndè non consequenter loquitur, qui sustinendo talem sententiam dixerit, quod absolute est vniuocatio in omnibus Sacramentis. Vndè merito P. Vazquez 3. part. disput. 128. cap. 5. impugnat talem sententiam, vt difficilem, & non consequentem, quia sicut ratio sanctitatis analogicè dicitur de corporali per ordinem ad veram animæ sanctitatem, ita ratio causæ debet dici analogicè de causa sanctitatis simpliciter, & de causa sanctitatis secundumquid, quare magis consequenter loquitur Magist. Sentent. dicens analogam esse rationem Sacramenti, quia putauit illā principaliter consistere in ratione causæ,

Ad argumenta. Ad primum, nego maiorem, ad probationem nego maiorem, ad cuius probationem, nego quod differentia inter signum practicum, & speculatiuum consistat in illo, quod ponit Suarez, sed in hoc quod signum practicum dicitur illud per ordinem ad operationem, siue faciendam ab ipso, siue ab alio dummodo respiciat ipsam operationem vt executioni mandandam, est signum practicum,

ticum, in quo differt à speculatiuo, quod nullo modo respicit operationem vt talem, scilicet vt executioni mandandam. Hæc autem ratio signi practici vniuocè participatur ab omnibus Sacramentis, vt ex supra dictis patet; maximè dubio immediatè præcedenti, maximè in relatione primæ sententiæ. Verum tamè est, quod perfectiori modo sunt signa practica nostra Sacramenta, quam alia quia respiciunt sanctificationem, vt faciendam ab ipsis. Cæterum id non constituit analogia in logicam, vt patet ex notabili ante conclusionem.

Ad secundum, negatur antecedēs, ad cuius probationem respondetur, distinguendo antecedens: erant vmbræ nostrorum Sacramentorum primò, & perse, nego antecedens. Secundariò concedo antecedens, quod est dicere, quod ratio conueniens perse primo Sacramentis antiquis, per quam constituta sunt in ratione essentiali Sacramenti, erat significatio gratiæ sanctificantis, quia tamen significabant gratiam, quæ dabatur ex ordine ad merita Christi venturi, consequenter significabant, & figurabant ipsum Christum, & Sacramenta legis gratiæ: Hoc autem non causat analogiam, vt patet in duabus imaginibus, quarum vna est deducta ad similitudinem alterius, de vtraque enim dicitur vniuocè ratio imaginis, quia in primaria repræsentatione, non est dependentia, vtraquè enim perse primò est imago sui prototypi, licet secunda, secundariò sit imago primæ: Quia est imago prototypi cui assimilatur prima, & quia est deducta ab illa, ita dicendum est in præsenti.

Secundo respondetur, quod Sacramenta antiqua dicuntur Sacramenta per habitudinem ad nostra, tanquam ad signatum inadæquatum ipsorum, & minus principale. Vndè non dicūcuntur Sacramenta, quia illa significant nostra Sacramenta, sed quia significant gratiam, vel quæ in illis dabatur iuxta nostram sententiam, vel dādam in lege gratiæ iuxta sententiam Magistri Soto: Iste autem ordo non causat analogiam, vt patet in concepto directo, & reflexo, etenim reflexus est conceptus per ordinem ad directum, tanquam ad rem significatā; & ideò ratio conceptus vniuocè dicitur de vtroque conceptu: nam vt esset analogia erat necessariū, quod vnum penderet ab alio, tanquam à signo, & conceptu, quod erat dependentia in propria ratione signi. Et eo modo dicitur accidens ens per ordinem ad substantiam, quia in esse entis pendet accidens ab illa, tanquam ab ente simpliciter in quo sustentari debet entitas accidentalis: ita in præsentiarū, quia Sacramenta antiqua, non dicuntur talia per ordinem ad nostra considerando ea in ratione Sacramenti, & signi gratiæ, sed tantum considerādo ea, in quantum habent rationem rei significatæ per illa; ideò ratio signi gratiæ sanctificantis, non dicitur de illis cum dependentia, sed æqualiter descendit ad omnia Sacramenta, modo supra explicato.

Ad tertium argumentum patet, quid dicendum sit ex secunda conclusione. Respondetur enim, quod in illa opinione valde difficile potest sustineri, rationem Sacramenti dici vniuocè de nostris, & antiquis, vt argumentum probat, & nos probauimus in secunda conclusione. Nos autem supra art. 1. explicuimus quommodo causare gratiam, non sit de essentia Sacramenti vt sic; imò neque Sacramētorum nouæ legis, sed tantum conuenire illis ad modum propriæ passionis. Et hæc de hoc dubio, & art. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramentum sit signum vnius rei tantum?

PRIMA conclusio. Sacramentum significat tria, scilicet passionem Christi, gratiam iustificantem, & gloriam. Hæc conclusio probatur in corpore tali ratione: Sacramentum ordinatur ad sanctificationē nostrā significandam, sed in hac sanctificatione reperiuntur tria, nempè causa efficiens, quæ est passio Christi, formalis quæ est gratia, & vltimo finalis, quæ est gloria, ergo Sacramentū significat hæc tria.

SECVNDA CONCLVSIO.

QVAE sequitur ex priori. Sacramentum est rememoratiuum eius quod præcessit nempè passionis Christi, demonstratiuum illius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratię, & pronosticum, idest prænunciatiuum futurę glorię. Hanc non probat D. Thom. Tùm, quia est præcedentis explicatio: Tùm etiam quia hęc sunt clara, & ab omnibus accipiuntur absque controuersia, vt admittit Caiet. in præsenti.

Circa primam conclusionem est notandum, quod potest intelligi de Sacramentis nouæ legis, & de antiquis, & de omnibus illis est verum, quod asseritur in illis: Hac differentia existente inter noua, & vetera sacramenta, quod noua expressius, & magis explicitè significant mortem Christi, gratiam iustificantem, & gloriam, quę tamen antiqua imperfectè significabant, vt patet ex illo Paul. ad Hæbræos 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, quibus verbis indicat sacramenta antiqua, significata commemorata, adumbrasse potius quam exposuisse, sacramenta vero legis gratiæ imaginem expressissimam continere. *Hæbr. 10.*

Secundo est aduertendum, quod inter nostra sacramenta, est etiā magnum discrimem: Nam Baptismus, & Eucharistia multo magis expressè illa significant, quam alia sacramenta, ita enim expressè colligitur ex sacris litteris, de Baptismo, etenim Paul. ad Rom. 6. sic ait: *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus, &c.* Ecce ponit illud Sacramentum commemoratiuum, & expressium passionis, & mortis Christi. Vt autē doceat, quod significat gratiam, etiam, & gloriam, subdit: *Vt quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c.* Ecce renouationem interiorem animæ factam per gratiam illius sacramenti, & statim: *Si enim cōplātati facti sumus similitudini mortis eius simul & resurrectionis erimus.* Ecce ponit illud sacramentū prænūciatiuū gloriæ, quę prænūciatur vt finis similitudinis mortis Christi impressæ in animabus nostris per Baptismū de sacramento Eucharistiæ, Lucæ 22. dicitur: *Hoc facite in meā cōmemorationem.* Et 1. Chorinth. 11. dicitur idem multoties, & specialiter, dum sic sermo instituitur: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &c. Mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Ecce ponitur illud sacramentū signum mortis Domini. Et Ioan. 6. dicitur: Quod est demōstratiuum gratię, dum dicitur: De illo pane, *qui mā ducat meam carnem in me manet, & ego in eo*: Nam manere in Christo fit per gratiam, & charitatem, quod autem significet gloriam in eodem capite dicitur in illis verbis: *Qui manducat meam carnem, viuet in æternum.* *Rom. 6.* *Luc. 22.* *1. Corinth. 11.* *Ioann. 6.*

Hanc triplicem significationem explicat D. Thom. in officio Corpo-

ris

ris Christi, in illa Antiphona: *O sacrũ conuiuium, in quo Christus sumitur, & recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Vndè de istis duobus Sacramentis non potest hæc veritas negari, absque magno erroris periculo.

De reliquis autem Sacramentis, non est ita manifesta conclusio D. Thom. est tamen probabilissima, & cõmuniter recepta ab omnibus. Vndè sigillatim Cabr. in præsenti, de omnibus explicat quommodo passionem, & gratiam, & gloriam significent. Et sapientissimus Mag. Nuño id explicat de Sacramento pœnitentiæ. Videantur isti Authores, & etiam Magister Soto in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. in quibus curiosa ad sacras cõciones de Sacramentis inuenientur, quæ tamen breuitati consulens libenter omitto.

Circa secundam conclusionem est notandum, quod illa tantum habet verum in Sacramentis nouæ legis, quæ habent virtutem à passione Christi, iam præterita. Vndè sunt commoratiua illius: proprièenim rei præteritæ datur signum commemoratiuum, quod sic dicitur, quia in memoriam reuocat rem iam transactã. Vndè sacramenta antiqua, non fuerunt signa commemoratiua passionis Christi, sed tantum pronostica, quia illam futuram præfigurabant.

Sed contra conclusionẽ D. Thom. sic explicatam primò arguitur Sacramentum significat rem sacram in quãtum sanctificat nos, ergo solum significat gratiam. Probatur consequentia, quia tantum gratia sanctificat formaliter animam: Passio autem Christi, & gloria solum extrinsecè se habent respectu illius effectus, scilicet per modum causæ efficientis, & finalis, quæ semper extrinsecè se habent. Secundò. Et impugnatur solutio D. Thom. ad primum. Ex tribus rebus quas significat Sacramentum non potest fieri vnum, ergo non potest Sacramentum illas significans esse vniuocum. Antecedens probatur, nam gloria, & gratia sunt ens reale: mors autem Christi est ens rationis, sed ex ente reali, & rationis non potest fieri vnum perse, ergo.

Confirmatur, signum quod significat aliquam formam, & causam eius est analogum, vt patet in isto termino sanum, sed Sacramentum est signum significans causam effectiuã gratiæ, scilicet passionem Christi, & ipsum Christum, & significat ipsam formam gratiæ intrinsecè inhærentem animæ, ergo est signum ambiguum, & analogum. Ad hęc immediatè respondetur, notando prius, quod tria significata commemorata conueniũt simpliciter in ratione rei sacræ sanctificantis absolutè, cõsiderando talem rationem abstrahendo á rationibus particularibus: nam quodcumque illorũ siuè gratia, siuè gloria, siuè Christi passio formaliter continet inse rationem rei sacræ, vndè ex omnibus illis quasi efficitur vnum, scilicet res sacra sanctificãs, vndè benè possunt sub illa vnitate per vnũ signũ significari, sicut ait D. Th. quod ly homo significat animã, & corpus secũdũquod ex eis fit vna natura humana; & ideò est vniuocum signum: ita Sacramentum significat illa tria, secundũquod quodam ordine sunt vnum quorum verborum sensus est, quod in ordine huius effectus qui est sanctificatio habent vnitatem, quia omnia simul per modum vnius adæquati principij cõcurrunt ad talem effectum, vel sensus est, quod secundum ordinem, & rationem rei sacræ sanctificantis sunt aliquo modo vnũ, quia in tali ratione conueniunt omnia tria, & sub tali conuenientia significantur, atque ita Sacramentum non est signum ambiguum, aut æquiuocum, sed certum & vniuocum.

Ad primum, nego consequentiam, ad cuius probationem conceſſo ante-

antecedenti, nego iterum consequentiam, quia licet extrinsecè iustificent finis, & efficiens, intrinsecè possunt respici à insigno, quatenus cõueniunt in ratione rei sacræ sanctificantis abstrahendo ab hoc, quod est sanctificare intrinsecè, vel extrinsecè, etenim Sacramentum est signum rei sacrę, in quantum sanctificat nos absolutè, & non determinando, quod sanctificet intrinsecè, vel extrinsecè. Et ob id dixi art. præcedenti dub. 2. diffinitionẽ D. Thom. esse meliorem omnibus, quia comprehendit omnem rem sacram sanctificantem; at verò istam: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, non esse ita optimã, quia non explicat, nisi in adæquatum signatum, ac propterea esse clausam in priori diffinitione.

Ad secundum dico, quod licet ex ente naturali, & rationis non possit fieri vnum in esse entis, potest tamen fieri vnum in esse significabilis per aliquod signum, si inter se aliquam habitudinem includant, secundumquam per modum vnius possunt concipi, vt patet in isto termino genus, & in isto album, qui termini vniuocè significant sua significata, licet vnus significet ens rationis, & ens reale; alter verò substantiam, & accidens, quia illa per modum vnius significãtur, quia importantur, vt in aliqua ratione vniuntur: ita similiter in præsenti gloria, gratia Christus, & eius passio propter vnitatem, quam includunt in ordine rei sacræ sanctificãtis, possunt per modum vnius signati vniuocè significari per signum, quod est Sacramentum.

Ad confirmationem, distinguo maiorem, si significet causam sub ratione causæ determinat, & formam sub ratione formæ, transeat maior, quia tunc significat illa sub diuersis rationibus, & ex æquo, vt contingit in termino sanum, qui sanitatem animalis significat per modum formæ intrinsecæ denominantis, medicinam verò sub ratione causæ efficientis, & ita diuersis significationibus, & rationibus illa significat, ac propterea est analogum plurium conceptuum, si vero significet illa secundum rationem aliquam intrinsecè repertam in eis, nego maiorem: & quia Sacramentũ significat omnia illa, non secundum illas diuersas rationes repertas in eis, sed secundumquod omnia intrinsecè conueniunt in ratione rei sacrę, propterea vniuocè illa significat.

Sed dices contra: Illa conuenientia non est vniuoca, ergo non sufficit denominare Sacramentum signũ vniuocum. Antecedens probatur: nam illa conuenientia attenditur secundumquod omnes tres illæ causæ concurrunt ad eandem sanctificationem, sed ad illam concurrunt conuenientia analogica tantum, ergo. Probatur minor, nam concurrunt vna quæque in suo particulari genere causæ, sed ratio causæ non prædicatur vniuocè de causa efficienti formali, & finali, vt dicunt Physici, ergo.

Ad hoc respõd. primo, quod in opinione probabili, quod ratio causę vniuocè dicitur de omnibus quator generibus causarum clara est solutio, videlicet, quod cum illa tria significentur, non secundum rationes particulares, & ex æquò, sed secundumquod in ratione causæ sanctitatis conueniunt, significantur sub conuenientia vniuoca, tamen suppositra opinione contraria, quæ etiam probabilis est, aduertendum est, quod analogia non datur respectu causæ finalis, formalis, & efficientis, sed omnes istæ sunt vnum principale analogatum respectu causæ materialis, quę est minus principale, vndè eodem modo potest dici ad argumentum adhuc in illa opinione.

Secundo respondetur, negando primum antecedens, ad eius probationem distinguo maiorem, attenditur secundumquod concurrunt secundũ suas particulares rationes causandi absolutè,

absolutè, & vtcunque, nego maiorem, secundum quod inadæquatè se habent in constitutione vnius rei sacræ sanctificantis adæquatè, quæ est signatum adæquatum Sacramenti, cõcedo maiorẽ, & negatur minor, vel distinguo claritatis gratia, si considerentur veluti infieri, & ex parte modi causandi, concedo minorem, si cõsiderentũr in facto esse, vt sunt vnum resultans, nego minorem, & nego cõsequentiam. Exemplum sit in composito substantiali, & eius partibus: etenim si materia prima, & forma substantialis considerentur ex parte cõcursus, quo infieri concurrunt ad cõstituendum hominem (verbi gratia) analogicè concurrunt: quia concurrunt in genere causæ materialis, & formalis, imò vt verius, & formalius loquar potius disconueniunt, quam conueniunt: cæterum in facto esse cõsiderata sunt vnum compositum. Vnde iste terminus *homo* significat tales partes vniuocè, quia significat illas, quatenus in facto esse componũt vnum totum, quod est adæquatũ signatum, ita in præsenti Sacramentum quia significat gloriam, gratiam, & Christum, quatenus ex eis resultat vna res sacra sanctificans adæquatè habent vnitatem, non in aliqua ratione superiori abstracta, sed in aliquo vno ex eis resultante, & propterea vniuoco signo talis res significatur.

Tertiò potest dici, quod etiam admissa illa minori consequentia, nihil valet: nam Sacramentum significat illa secundum illam vnitatem, quam inse habent, & non explicat diuersitatem vnde est signum vniuocum, & non analogum: quia vt esset analogũ debebat significare aliqua secundũ quod conueniunt, & disconueniũt simul: quibus omnibus superaddendũ censeo, quod in his signis diuinis, non est necessarium assignare vniuocationem strictam repertam in signis humanis, sed sufficit ab illis tollere ambiguam, & dubiam significationem, esto non tantum vnam rem, sed plures significent, quod optimè tollitur à Sacramentis: quia res, quas significant certò, & determinato modo significant, tanquam signa practica, in quorum vsu exercetur totum illud, quod significant: quia vt hic aiunt cõmuniter Theologi omnia illa tria significant copulatiuè vt vnum facientia, & non diuisiuè. Sed contra secundam solutionem sic arguitur. Sequitur ex illa, quod Sacramentum explicitè significet tantum vnam rem scilicet illam, quæ resultat in ratione signati ex omnibus tribus, & quod singula inadæquata significata tantum significet implicitè, sicut *Iy homo* animam, & corpus tantum implicitè significat, & hominem tantum explicitè, consequens videtur falsum, & cõtradicta, in quibus dixi ex scripturis colligi, quod Sacramenta explicitè significant omnia illa.

Ad hoc respondetur, quod si sermo fiat de significato adęquato, quod in diffinitione Sacramenti exprimitur, ita verum est: nam in tali diffinitione solum dicitur, quod Sacramentum est signum rei sacrę, in qua re nõ explicatur, nisi quod sit sanctificans, non autem explicatur omne illud, quod in tali significato includitur, licet in illo includantur illa tria. Vndè sub appellatione proprij conceptus, quam includit hoc verbum *significo* dicendum est, quod Sacramentũ significat rem sacram, non sub ratione gloriæ, aut gratiæ, aut passionis Christi, sed sub ratione sanctificantis. Tamen attendendo ad ea, quæ in adęquatè significantur, eo modo quo significata in adęquata possunt exprimi explicantur illa tria per omne Sacramentum (vt dictum est) neque aliud intendunt Scripturę, nisi explicare, quod in significato adæquato cuiuscũque Sacramenti includũtur illa tria, & quod in exercitio ipsorum Sacramentorum hęc triplex significatio reperitur. Alia, quæ minoris momen

ti sunt videantur in Cabrer. & Magistro Nuño hic.

DVBIVM TAMEN SIT.

Vtrùm Sacramentum significet principalius gratiam, an verò gloriam, aut Christi passionem?

RATIO dubitandi est: nam ex vna parte videtur gratiã esse principalius significatum: quia intimius significat. Ex alia verò parte videtur quod gloria, & Christus habeant rationẽ magis principalis significati, quia principalius cõcurrunt ad sanctificationem, siquidẽ concurrunt tanquam causa efficiens, & finalis, quæ principaliores causæ sunt quam formalis.

In hoc dubio sapientissimus Mag. Nuño in præsenti artic. dub. 2. tenet, quod in Sacramẽto Eucharistiæ principalius significatum est ipse Christus, in alijs verò Sacramentis est gratia. Fundamentum eius est, quia illud principalius significatur, quod expressius & formaliùs significatur. Nec in hoc attenditur ratio rei excellentioris; sed in Sacramento Eucharistię expressius, & formaliùs sigficatur corpus Christi, vt constat ex verbis consecrationis. *Hoc est corpus meum*, in alijs verò gratia, vt ex proprijs formis constat, ergo ita est, quod in Sacramẽto Eucharistiæ principalius significatur Christus in alijs vero gratia.

Secunda sententia affirmat vniuersaliter in omnibus sacramentis principalius significatum esse gratiã, ita Cabr. in præsenti art. disput. 2. habentque istam opinionem multi alij Thomistæ. Fundamentum præcipuũ eius est, quia sacramentum ex institutione sua principaliter institutum est ad significandam nostram sanctificationem, sed respectu nostræ sanctificationis principalius concurrit gratia, quia concurrit intrinsecè formaliter sanctificãs: ergo principalius significatur. Ex quo inferunt authores huius sententię, quod passionẽ Christi, & futuram gloriam significant sacramenta cum ordine ad gratiam, tãquam ad primarium significatum.

Sit conclusio. Probabilior mihi apparet hæc secunda sententia. Probatur primo, quia illud est principalius significatum in sacramẽto, à quo primo, & perse sumitur ratio, & essentia sacramenti, sed à gratia sumitur ratio sacramenti in quantum signũ est, ergo principalius significatur. Maior est certa, quia illud quod primo, & perse terminat relationem signi alicuius est principalius significatum respectu illius, quod non primo, & perse illam terminat, vt patet discurrendo per omnia signa habentia plura signata interquæ primum locum obtinet terminus connotatiuus, vt ly album, quod principalius significat formã, quã subtracti, quia perse primo terminat suam significationem, & subtractum terminat ratione alterius. Minor vero probatur: nam illud se habet primò, & perse respectu alicuius rei, quod necessariò pertinet ad essentiam rei, tanquam ratio, qua posita ponitur res, & qua sublata tollitur, sed ita se habet gratia respectu sacramenti, ergo. Minor probatur, ex D. Thom. hic ad tertium, vbi asserit, quod ad rationem sacramenti sufficit, quod significet perfectionẽ, quę est forma, & non oportet, quod solum significet perfectionem, quæ est finis, ergo gratia, quæ est perfectio formalis principalius significatur, tãquam significatum sufficiens, & necessarium ad constituendum sacramentum. Confirmatur, nam respectu omnium sacramentorum est verisimum, quod gratia est significatum, tanquam forma intrinsecè causans nostram sanctificationem, sed propter istam rationem conceditur de alijs sacramentis præter Eucharistiã, quod principalius significant gratiã, ergo idem dicendum est de Eucharistia.

ristia. Discursus est optimus, & minor in qua est difficultas probatur, quia propter illam rationem gratia principalius concurrit ad finem immediatè intentum à Sacramentis, qui est nostra sanctificatio, sed Sacramentum significat rem sacram, vt ad nostram sanctificationem ordinatur, ergo illa res sacra, quæ principalius concurrit ad illius effectum principalius significatur: Quod autem gratia principalius concurrat. Probatur, quia licet comparando causam formalem cum efficienti, & finali secundum se principem locum obtineant finis, & efficiens, tamen respectu effectus intimius concurrit forma: Quia concurrit, tanquam causa intrinsecè necessaria, aliæ vero solum extrinsecè se habent, vndè forma est de essentia effectus, non vero efficiens, vel finis; ita similiter respectu huius effectus particularis, qui est sanctificatio animæ gratia concurrit, tanquam causa intrinseca, quæ proinde est de essentia illius effectus, aliæ vero causæ extrinsecè tantum, vndè non intrant conceptum quidditatiuum sanctificationis, quatenus habet esse mutationem passiuam animæ in ipsaque permanentem, nisi multum extrinsecè, & remotè, vt in Physica docetur, & in exemplo hominis patet: Nam respectu eius constitutionis principalius concurrunt materia prima, & anima, quam generans, & finis, & quia causa intrinsecè concurrens ad constitutionem alicuius rei principalius concurrit, quam quæ extrinsecè tantum concurrit; ideò gratia principalius concurrit ad sanctificationem, quam passio Christi, & gloria.

Confirmatur, quia ita expresse docet D. Thom. in 4. distinction. 1. quæstion. 1. artic. 1. quæstiuncula 1. ad quartum argumentum vbi air, quod Sacramenta nouæ legis significant causam primam sanctificantem scilicet mortem Christi, & quantum ad hoc ait esse signa rememoratiua, & significant effectum sanctificationis quam faciunt, & hæc significatio est eis principalis, & sic docet esse signa demonstratiua, & vltimo docet significari finem sanctitatis, qui est æterna gloria, & quantum ad hoc sunt signa pronostica. Hæc D. Thom. vbi expresse docet gratiam, & sanctificationem intrinsecè receptam in anima esse principalius significatum Sacramentorum, quæ doctrina applicanda est omnibus Sacramentis etiam veteris legis: Quia in fine solutionis ait Doctor Sanctus, quod Sacramenta veteris legis totaliter erãt signa pronostica, in quibus verbis supponit Doctor Sanctus, quod conuenit illis significare illa tria eodem modo quo Sacramenta nouę legis, differentia existente in hoc, quod respectu omnium erant signa pronostica, & non demonstratiua, & rememoratiua, sicut sunt Sacramenta nostra.

Nec valet dicere, quod D. Thom. ibi non ponit gratiam esse significatum principalius, sed sanctificationem, quæ est effectus, non inquam id valet: Nam cum talis sanctificatio sit effectus formalis gratiæ, & in bona Physica forma, & eius effectus formalis maximè primarius non ponnant in numero, imò sint idem formaliter, quia effectus immediatus alicuius formę nihil aliud est quam ipsa forma vt actualiter communicata subiecto, ideò ponendo sanctificationem, quæ est effectus principalius significatum, cum illa sit idem quod gratia communicata animæ necessario posuit gratiam tanquam principale significatum: imò crediderim, quod propter rationem assignatam pro eodem accepit formam, & effectum formalem eius.

Cõfirmatur ex quadam doctrina Caiet. 1.p.q. 34.art. 1. vbi docet quod nomẽ significãs plura prius significat illud à quo cętera dependent, sed gloria, & Christi passio in ratione signatorum per Sacramenta pendẽt à gratia, ergo, &c. Probatur minor, illa significantur per Sacramentum, quatenus ordinantur ad nostram sanctificationem, sed ad illam ordinantur mediante gratia, & non aliter, cum nostra sanctificatio, & iustificatio non fiat, nisi per intrinsecam formam inhærentem animabus nostris, ergo in ratione signati dependent à gratia.

Ad argumentum, ergo sapientissimi Magistri respondetur, concessa maiori, negatur minor, neque verba consecrationis illud designant. nam illud pronomen *hoc*, positum in forma panis significat corpus Christi cõstitui sub speciebus panis, non absolutè, sed vt cibum animę spiritualem, & in forma calicis pronomen *hic*, significat sanguinem constitui sub speciebus vim per modum spiritualis potus animæ, & consequenter cum hoc fiat mediante gratia illius Sacramenti dicendum est, quod expresse significat gratiam ciuantem ratione cuius ipsa substantia corporis, & sanguinis Christi significatur per tale Sacramentum.

Ad rationem autem dubitandi positam à principio, respondetur: Quod gratia est principalius significatum, quia respectu ipsius effectus, qui est sanctificatio nostra principalius concurrit: quia se habet vt causa intrinseca, & essentialis, gloria vero, & Christi passio extrinsecè concurrunt, & ideò minus principaliter. Vnde negatur illas concurrere magis principaliter.

Et ratio est, quia licet causa efficiens, & finalis secundum se sint principaliores, quam formalis, tamen respectu effectus, qui ex propria ratione, & essentia est formalis principalius se habet forma, quia magis intrinsecè, & essentialiter: & quia sic se habet sanctificatio respectu gratiæ, & aliarum causarum; ideò gratia respectu illius se habet vt quid principalius quamuis in esse entis, & in ratione causæ absolutè considerata sit minus principalis.

Sed contra dicta est vnum argumentum. Sacramentum Eucharistiæ consistit in consecratione materiæ, & non in vsu illius, ergo eius principale significatum est Corpus Christi, quod manet in materia consecrata. Hæc consequentia communiter non probatur, sed probatur à me, quia Sacramentum quando exercetur efficit, quod significat, sed Sacramentum Eucharistiæ, quia consistit in consecratione materię non efficit gratiam quando exercetur, scilicet, quando existit Sacramentum, ergo non significat principaliter gratiam, sed corpus Christi, quod manet quasi effectum in materia consecrata per formam consecrationis.

Ad hoc argumentum respondetur, distinguo primum consequens, iuxta dicta ad argumentum Magistri Nuño, est corpus Christi absolutè. nego consequentiam per modum cibi spiritualis, quod potest reficere animam mediante gratia, concedo consequentiam; atque adeò principalius significat gratiam, quia in tantum significat Corpus Christi in quantum respicit gratiam, vt formam, qua mediante intrinsecè debet reficere, & alere animam. Vndè, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis, si Corpus Christi contentum significatur, propter gratiam, principalius significatur ipsa gratia.

Ad probationem consequentiæ respondetur illo argumento probari, quod nullo modo significet gratiam tale Sacramentum: Vndè, quia ad id probãdum nullam vim habet,

habet, multo minus ad probãdum intentum, solum enim probat, quod nõ significet gratiam, vt actu effectam in subiecto adhuc ex parte Sacramenti, propterea quod non consistit in actuali vsu recipientis, non tamẽ probat, quod non significet gratiam, vt formam sanctificatiuam in actu primo, ad quam causandam ordinatur.

Pro quo debetis aduertere ex propria materia, quod licet Sacramentum Eucharistiæ, non consistat in recto, in vsu, & sumptione ipsius, sicut alia Sacramenta, tamen consistit in consecratione materiæ in ordine ad sumptionem; tanquam ad proprium finem; & ideò vsus pertinet in obliquo ad essentiam eius: Vndè significat gratiam, tanquam formam causandam vltimatè in applicatione ipsius, & consequenter tanquam principale signatum.

In forma ergo dico, quod illa maior est intelligenda iuxta naturam cuiusque Sacramenti, & ad minorem dico, quod hoc Sacramẽtũ iuxta propriam ipsius naturam efficit gratiam: quando exercetur, nam quando substantialiter exercetur in se efficit gratiam in actu primo, ideſt efficit corpus Christi, vt est sanctificatiuum mediante gratia, vel est effectiuum gratiæ, & in facto esse manet, cum eadem efficientia in actu primo, & cum eadem significatione quando autem exercetur secundum actum accidentalem, & si essentialiter inspectũ vt immediatum finem, causat, & efficit gratiam, quam significat, scilicet gratiam cibantem, & hoc sufficit, vt sit suum principale signatum, quia significatur ratione sui vt finis immediatus, ratione cuius ipse Christus sub speciebus existens significatur. Hæc de hoc dubio.

(?)

SIT DVBIOLVM PRAEcedenti annexum.

An Sacramenta veteris legis significauerint principaliter gratiam Euangelicam, an vero gratiam, quæ dabatur in vsu legitimo eorum?

QVidam tenet, quod principaliter significabant gratiam dandã tẽpore legis Euangelicæ. Fundamentum eius est bipartitum, seu bimẽbre, scilicet quia Concilium Florentinum, vbi supra rationem Sacramenti in illis explicuit per ordinem ad gratiam conferẽdam per Christi passionem, quod signum est talem gratiam esse principalius significatum per illa Sacramenta, aliàs non recte processisset Cõcilium explicando minus principale signatum, & tacendo magis principale, ex alia parte ratio id suadet, quæ est secunda pars sui fundamenti, & talis est. Significare gratiam conferendam per se conueniebat Sacramentis antiquis, significare vero alteram gratiam, quæ in illis dabatur, tantum cõueniebat ex priuilegio, ergo principalius conueniebat prima significatio, quam secunda. Consequentia ex eo probatur: quia principalius conuenit alicui rei id, quod per se competit: quã illud quod ex priuilegio conuenit. Antecedens vero probatur, quia omnis gratia sanans pertinet per se solum ad statum Euangelicum, in quo Christum Authorem gratiæ confitemur. Vndè omnis gratia est per Christum, ergo non per se pertinebat gratia ad Sacramenta veteris legis.

Vincẽtius in manu scriptis.

Ex hac ratione infert iste doctissimus Magister, quod ideò Paul. ad Hæbræos 11. vocat legem antiquam cum suis Sacramentis vmbram futurorum bonorum. Et D. Augustin. lib. de Cathechizandis rudibus, c. 19.

& lib. 3. contra duas Epistolas Pelagij, cap. 4. dicit propter istam rationē iustos veteris testamenti, licet non professione, re tamen ipsa pertinere ad nouum Testamentum, & Eusebius lib. 1. Ecclesiast. historiæ, cap. 1. dicit iustos illius legis re ipsa fuisse Christianos, licet non nomine, & ideò lex Euangelica absolutè dicitur lex gratiæ, ergo ad illam solam pertinet gratia.

Sit conclusio. Sacramenta antiquæ legis principalius significabant ex parte signi gratiam, quæ in legitimo vsu ipsorum conferebatur. Hæc conclusio videtur colligi ex dictis supra dub. 3. art. præcedenti conclusione tertia, & conclusione 4. vbi dixi: Quod ad rationem Sacramenti, sicut modo cum D. Thom. loquimur de Sacramentis necessarium esse, quod significetur per illa aliqua gratia præsens, & quod Sacramenta antiqua non fuerunt Sacramenta per ordinem ad gratiā Euāgelicā, sed ratione significationis, qua significabāt gratiā, quæ in vsu illorū dabatur, qua supposita doctrina, sic probatur conclusio illud est principalius significatum per aliquod signum, quod se habet vt constitutiuum, & terminatiuum relationis essentialis illius signi, vt tale signum est, sed gratia quæ dabatur in vsu Sacramentorū legis antiquæ terminabat relationē essentialem illorum Sacramentorum per quam constituebantur in ratione Sacramentorum: gratia vero legis Euangelicæ, non terminabat talem significationē essentialē, ergo prima gratia erat signatum principalius per illa Sacramēta. Discursus est legitimus, & maior certa: minor vero, in qua poterat esse difficultas iā loco citato manet probata. Vndè quando ibi dixi soluendo argumentum desumptum ex secunda authoritate D. Thom. quod significatio gratiæ Euangelicæ erat magis principalis in illis Sacramentis intelligendum est loquendo de illis duabus significationibus interse comparatis, non vero comparando eas respectu Sacramenti constituti: nam ita cum significatio gratiæ Euangelicę, non constitueret illa Sacramēta, nec esset sufficiens constituere se sola, vt ibi manet probatum, & explicatum, non potest esse principalis significatio, sed minus principalis, non constituens essentiam, sed cōplens, & perficiens intrinsecè, ex eo quod gratia significata per primam significationē essentialiter ordinatur, tanquam ad formam perfectiorē, ad gratiam Euāgelicam, quam figurabat Sacramētū antiquū, modo vero in præsenti loquimur in sensu formali de istis significationibus cōparatis ad signum Sacramentale. Vndè licet in prima consideratione significatio gratię Euangelicæ esset magis principalis, quia erat per ordinem ad terminū principaliorē, à quo specificabatur, non vero vt in præsenti loquimur de illa, & altera significatione. In opinione autem media, quā doctissimus Magister tenuit in illo dubio citato, optimè, & consequenter loquitur ponendo gratiam Euangelicam, tanquam principale signatum respectu illorum Sacramentorū, quia per illam constituebātur saltem in adæquatè, & magis principaliter, & se sola sufficiēs erat cōstituere Sacramenta: imò de facto cōstituit, & altera significatio se habet concomittanter tantum, vt ibi explicui ex mente ipsius Magistri, & aliorū, cū quibus in hoc puncto cōuenit: nos vero sicut ab illa opinione tūc recessimus validis rationibus conuicti, ita & modo à præsenti resolutione, quam habet circa principalitatē significationis recedere necessariū est, vt consequenter loquamur. *Vincēt.*

Vndè ad fundamentum eius, ad primam partem respondetur, quod Conciliū explicat illam significationē, & non aliam: quia erat principalior in se ipsa, non verò respectu Sacramentorum, & quia in modo significan-

nificandi gratiam Euangelicam in cuius significatione conueniebant Sacramenta antiqua, cum nostris oportebat ponere differentiam, non verò in significatione alterius gratiæ, quæ non conuenit nostris Sacramentis.

Ad secundam partem fundamenti, respondetur negando, antecedens rationis, ad cuius probationem, distinguo antecedens: Omnis gratia sanans perse pertinet ad statum Euangelicum, tanquam ad finem, & ad rem figuratam, concedo antecedēs, tanquam ad proprium, & immediatum statum, nego antecedent: itaque gratia illius status pertinebat ad nostrum statum legis nouæ, quia respiciebat Christum, vt causam finalem illius; non verò vt causam efficientem, neque est de ratione gratiæ sanantis respicere Christum, & eius passionem, vt causam efficientem, sed solum vt finem propter cuius merita præuisa dabatur à Patre AEterno gratia iustis legis antiquæ, & propter istam rationem verificantur illa, quæ Sancti Patres docent, & referuntur in fine fundamenti, non vero, quia non detur alia gratia perse præter Euangelicam, quod patet ex eo, quod ille status perse poterat sanare, & homines ad illum pertinentes poterant iustificari, ergo aliqua gratia perse pertinebat ad illum, cum sola illa sit forma iustificans: quod autem lex Euangelica vocetur lex gratiæ, quasi per excellentiam, non est quia ad solam illam pertineat gratia, sed quia gratia, quæ ad illam pertinet est excellentior multo, quam gratia antiquę legis, quia datur modo per Christum iam passum ex cuius virtute participat maiorem perfectionem.

VLTIMVM DVBIVM SIT.

Vtrùm ad essentialem rationem Sacramenti pertineat, triplex significatio explicata à D. Thom. in art.?

IN hoc dubio ante omnia præmittendum est pro tituli intelligentia, quod non loquimur in præsenti de Sacramento per ordinem ad potentiam Dei absolutam: nam sic certum est, quod Deus potuit instituere Sacramentum, quod tantum significaret gratiam sanctificantem. Pro quo est aduertēdum, quod sanctificatio ex natura sua tripliciter potest contingere, primo modo per gratiam iustificantem tantum, & nō sanantem à culpa, sicut facta fuit iustificatio Angelorum, & primorum Parentum in statu innocentiæ. Secūdo modo potest fieri iustificatio per gratiam sanantem animam à culpa, & hoc dupliciter: Vno modo remissione fundata tantum in liberali, & gratuita voluntate Dei, ita vt non supponat aliqua ex parte satisfactionem rigurosam, & meritum ex iustitia, quæ iustificatio, & sanctificatio licet de facto non fuerit, potuit tamen esset de potentia Dei absoluta, cum in hoc nulla sit impossibilitas: Secundo modo potest fieri sancti ficatio per gratiam sanantem, ita vt salus, & iustificatio talis fundetur in rigurosa satisfactione propeccato, & in rigurosso merito.

Conformiter ad istam diuersitatem sanctificationis possumus intelligere tria genera subalternata Sacramentorum clausa sub ratione generalissima Sacramenti, vt sic explicata per diffinitionem iam assignatam, in qua dicitur, quod Sacramentum est rei sacrę signum. Primū genus Sacramentorum pertinet ad primā sanctificationē, & ad significationem essentialem taliū certū est, quod nō perti-

net significatio passionis Christi, quia illa gratia correspondens prædictis Sacramentis non esset per Christum data: nam talis gratia non supponeret infirmitatem; omnis autem gratia data per Christum supponit infirmitatem. Vndè est gratia sanans. Secundum genus Sacramentorum correspondet sanctificationi, quæ potest fieri à Deo secundo modo, & ad significationem essentialem horum Sacramentorum manifestum est etiã, quod non pertinet significatio passionis Christi, quia illa sanctificatio non fundatur in rigurosa satisfactione Christi. Vndè non daretur per Christum, & consequenter ad essentiam signi significantis illam gratiam, non pertineret ordo ad Christum. Tertium genus Sacramentorum correspondet sanctificationi, tertio modo. Vndè quia talis sanctificatio est fundata in Christi satisfactione, siue iam executioni mandata, siue tantum in mente diuina præuisa; ideò de Sacramentis constitutis in isto tertio genere, qualiter sunt sacramenta omnia, quæ de facto instituta sunt, tam noua, quam antiqua est difficultas, an significare Christum passum sit de essentia talium Sacramentorum: an vero solum de integritate, & perfectione connaturali ipsorum: non vero est difficultas de prioribus generibus sacramentorum: nam illa absque dubio non respicerent Christi mortem, vt M. Nuño hic dub. 1. in suo notabili, tanquam certum supponit. De his ergo sacramentis, quę de facto instituta sunt à Deo est diuersitas opinionum.

Prima opinio asserit, quod est de essentia illorum significare Christi passionem prout est actio satisfactoria in qua sanctificatio talium sacramentorũ fundatur. Et probatur hæc opinio aliquibus rationibus. Prima sit: Ad essentiam sacramenti de facto instituti pertinet significare sanctificationem nostram prout est propriè ipsorum sacramentorum; sed talis sanctificatio essentialiter secundum talem rationem prouenit à Christi passione, ergo non possunt significare sacramenta talem sanctitatem, nisi significando Christi passionem. Cõsequentia probatur, nam talis sanctitas essentialiter respicit Christi passionem ex cuius virtute communicatur nobis medijs sacramentis, ergo non potest intelligi, nisi cointelligamus passionem Christi, & consequẽter, nec poterit significari, nisi simul significetur Christi passio. Secundo probatur eadem sententia. Sacramenta vetera, & noua in hoc differunt essentialiter: quia illa significabant gratiam conferendam per Christum in genere causæ finalis: At verò sacramenta nostra significant gratiam conferendam per Christum passum in genere causę efficiẽtis, ergo ad essentiam sacramentorum pertinet significare Christum, & eius mortem, siue vt præsentem, siue vt futurã. Tertiò. Sacramenta sunt cęremoniæ religiosę pertinentes ad eam legem, in quą sunt instituta, ergo significatio illorum debet esse proportionata statui Religionis, pro quo sunt instituta. Rursus, ergo omnia sacramẽta siue antiqua, siue nostra ex sui ratione essentiali habent significare Christi passionem. Probatur ista consequentia, quia lex antiqua ex sua propria ratione significabat, & figurabat passionem Christi venturam, & lex gratiæ ex sua propria ratione habet significare passionem Christi præsentem, & iam exhibitam in re, ergo vt significatio sacramentorum sit proportionata cum significatione legis vtriusque, debet etiam essentialiter respicere Christi passionem.

Secunda sententia docet, quod non est de essentia Sacramentorum significare Christi passionem, & futuram gloriam, sed sufficit ad rationẽ essentialem Sacramenti significare gratiam, & solum hoc est petitum necessariò ad essentiam Sacramenti.

Docent

Docent tamen authores huius sentẽ tiæ, quod significare passionem Christi, & æternam vitã pertinet ad perfectionem, & integritatem significationis Sacramẽtorũ vtriusque legis.

Prima pars huius sententiæ probatur primo ex D. Thom. hic ad 3. vbi docet, quod ad rationem sacramẽti sufficit significare perfectionem, quę est forma, scilicet gratia, ergo sufficit significatio ista ad constituendam essentiam Sacramenti. Secundo probatur: nam ex his tribus, scilicet gratia, Christi passione, & vita æterna, sola gratia concurrit ad nostram sanctificationem intrinsecè (vt ex dictis dub. præcedenti patet) ergo ad rationem essentialem sacramenti sufficit, quod significet gratiam, quæ est totalis causa intrinseca nostrę sanctitatis.

Secunda pars huius sententię probatur primo: nam sacramenta sunt signa indubitata diuini amoris erga nos, & gratiæ qua sanctificamur, sed vt essẽt signa certa, & indubitata diui amoris, & nostrę salutis, fuit maximè conueniens, vt significarent nobis omnes causas sanctificationis nostrę, vt sic à priori nobis manifestarẽt diuinã beneuolẽtiã erga nos, ergo ad integritatẽ significationis illorũ pertinet significare passionẽ, & gloriã. Secundo specialiter id probatur de vita æterna: gratia qua ratione nos sanctificat essentialiter ordinatur ad vitam æternam in qua consistit sanctitas cõsummata, ergo ad integritatem, & perfectionem significationis sacramentorum pertinet, quod se extendat ad significandam sanctitatem cõsummatam. Tertiò probatur idem specialiter de passione Christi, si sacramenta non significant passionẽ Christi, quæ est causa efficiens nostræ sanctificationis, non significarent propriam rationem sanctificationis, & gratiæ Sacramentalis, ergo ad integritatem significationis Sacramentalis pertinet, quod Sacramentum significet passionem Christi. Antecedẽs probatur, nam sanctificatio, quam cõsequimur medijs Sacramentis est medicinalis, sed gratia non præstat sanctitatem istam, nisi quatenus confertur ex virtute passionis Christi, quæ fuit medicina totius generis humani, ergo vt Sacramenta significẽt perfecte sanctificationem propriam ipsorum non sufficit absolutè significare gratiam, sed requiritur, quod significent illam, vt procedẽtem à passione Christi.

Pro resolutione brebiter est notandum, quod significatio alicuius signi potest esse explicita, & clara, & potest esse implicita, & veluti virtualis, significatio explicita est illa secundũ quam signum immediatè refertur ad aliquam rem manifestandam secundum aliquam rationem particularem & propriam, vt iste terminus homo significat explicite hominem, & ly album albedinem, secundum quod est copulata subiecto. Significatio implicita est secundum quam signum refertur ad aliquam rem ratione immediati significati propter aliquam habitudinem, aut connexionem, quam habet cum immediato significato, vt in eisdem exemplis patet, nam ly homo, implicitè, & virtualiter, significat individua: quia in illis reperitur natura humana, & album significat subiectum, quia forma albedinis provt significatur per talem terminum habet connexionem cum illo, vt inhærens actualiter illi: inter ista duo autẽ significata est differentia, quod vnum dicitur propriè significatum, nempè immediatum non verò aliud. Ratio est, appellatio proprij conceptus, quã includit hoc verbum *significo*, supra terminũ, in quem fertur. Vndè, quia solum immediatum significatum sub proprio conceptu explicatur, non verò mediatum, & implicitum, ideò nõ propriè dicitur signatum. Similiter potest præmitti ad rem, quod signum significans aliquam rem immediatè

secundum quod connectitur essentialiter cum altera, licet in recto solum significet primam rem, tamen in obliquo necessarium est, quod significet illam alteram cum qua connectitur, vt in termino albedo patet, qui quia significat formam accidentalem secundum suam essentialem rationem secundum quam essentialiter respicit subiectum in obliquo significat illud, & clarius id patet in conceptu, quem formo alicuius imaginis, vt imago est in actu signato, qui propter rationem assignatam licet in recto, & immediatè significet imaginem, in obliquo significat imaginatum, & in termino significante vnum relatiuum idem patet: nam in obliquo significat correlatiuum propter connexionem, quæ essentialiter reperitur inter duo correlatiua.

HOC SVPPOSITO SIT prima conclusio.

SIGNIFICARE explicitè, & immediatè Christi passionē, & gloriam, non pertinet ad essentiam Sacramenti, sed hæc sufficienter saluatur si Sacramētum significet gratiam secundūquod est forma sanctificatiua hominum vtentium Sacramentis.

Hæc conclusio probatur vnica ratione. Ad essentiam Sacramenti (vt modo loquimur de illis) sufficit, quod significet sanctificationem nostram, vt nostram, sed ad hoc non est necessarium significare Christi passionem, & gloriam in recto, & explicitè: ergo conclusio est vera. Maior est certa, & conceditur ab Authoribus primæ opinionis, & patet ex diffinitione Sacramenti, in qua solum dicitur, quod sit *signum rei sacræ, in quantum sanctificat nos.* Minor verò probatur, sufficit significare passionem Christi implicitè, & in obliquo, vt significetur sanctificatio nostra, vt nostra, ergo: patet, nam vt aliqua ratio significetur secundum connexionem, quā habet cum alterare tantum sufficit, & requiritur, quod alterum extremū connexionis significetur implicitè, & velnti in obliquo, vt patet in omnibus exemplis constitutis in notabili, ergo vt sanctificatio nostra, quam important Sacramenta significetur, vt propria sanctitas hominis infirmi sufficit quod Christi passio à qua participat rationem sanctitatis medicinalis significetur in obliquo, & implicitè.

Hæc conclusio probatur etiam primo, fundamento secundæ sententiæ, maximè authoritate citata D. Thom. in præsenti, vbi ita intelligendus est, iusta nostram conclusionem: nam absolutè negare, quod in essentiali significatione Sacramentorum, quæ de facto sunt instituta intrāt Christi passio, & gloria, non videtur mihi verū propter argumenta primæ opinionis, maximè primum, & secundum, quæ saltem id probant licet non conuincent significari in recto, & explicitè pertinere ad essentiam Sacramentorum.

SECVNDA CONCLVSIO.

SIGNIFICARE in recto, & explicitè Christi passionem, & gloriam, pertinet ad completam, & perfectam significationem Sacramentorum, seù ad eius integritatem, vt ait secunda opinio, cui damus istam conclusionem propter fundamenta secundæ partis, quæ fortiter vtramque cōclusionem probant, maximè secundum, & tertium, nam primum solum probat esse rem congruam, & maximè conuenientē, quod Sacramenta sanctificationem nostram per tria genera causarum, quę se tenet ex parte Dei nobis manifestent, vt sic in illis, & per illa perfectè diuinum amorem erga nos cognoscamus.

Ex his ad argumenta primæ sententiæ, quatenus militant contra nostram

ſtram reſolutionem vnico verbo poteſt reſponderi, illis probari ad eſſentiam Sacramenti pertinere ſignificationem paſsionis implicitè, & in obliquo non vero explicitè, & in recto, & iſto modo ſpecialiter ſoluetur primum argumentum diſtinguendo primum conſequens iuxta diſtinctionē aſsignatam.

Ad ſecundum argumentum in forma primo poteſt reſponderi, tranſeat antecedens, & diſtinguo conſequēs, in obliquo, & implicitè tranſeat conſequens, in recto, & explicitè, nego conſequentiam.

Secundo reſpondetur, negando antecedens, itaque Sacramenta antiqua non ſignificabant ſignificatione eſſentiali gratiam ſub illa ratione conferēdæ per Chriſtum venturū, nec noſtra ſignificant, vt conferendā per Chriſtū præſentem, ſed illa ſignificabant gratiam ſanctificātem ſub illa perfectione, quam tunc conferebat vtentibus Sacramentis, noſtra verò eodem modo ſignificant gratiam, vt ſanctificantem ſub illa perfectione, quam confert recipientibus illa; verumtamen eſt, quod quia talis perfectio ſumebatur in gratia antiqua per ordinem ad Chriſtum venturum, & in gratia Euāgelica ſumitur per ordinem ad Chriſtum præſentem; ideò aliquando differentia iſtorum Sacramentorum ab illis circunloquitur, & explicatur per hoc quod eſt ſignificare gratiam ſub illis modis poſitis in antecedenti argumento, cū tamen non in illis cōſiſtat, ſed in hoc quod prima Sacramenta ſignificabant gratiam ſanctificantem cum minori perfectione, noſtra vero ſignificant gratiam ſanctificantem cum maiori perfectione: nam ſanant perfectius à culpa, tùm præbendo efficatiores vires ad operandum operationes ſpirituales, tùm etiam quia apperit ianuam Regni cœleſtis, quod tamen non faciebat gratia, quæ dabatur antiquis Patribus in vſu legitimo Sacramentorum ad ipſos pertinentium, quia tantum hoc prouenit noſtris Sacramētis ex præſentia Chriſti; alijs vero illa minor perfectio cōueniret ex abſentia; ideò vt diximus in prima ſolutione ſaltim implicitè, & in obliquo in illa ſignificatione eſſentiali includitur ſignificatio paſsionis Chriſti.

Ad tertium reſpondetur, concedo antedens, & diſtinguendo conſequens, quantum ad omnia, nego conſequentiam, quantum ad aliquid, cōcedo conſequentiam, ad probationē conſequentiæ, quatenus contra iſtam ſolutionem poteſt obiici, diſtinguo conſequens, debet eſſentialiter reſpicere Chriſti paſsionem in recto, & explicitè nego cōſequentiā, in obliquo, & implicitè, concedo conſequentiam. Ratio eſt, nam licet lex antiqua eſſentialiter, & in recto reſpiceret Chriſtum venturum, & noſtra lex gratiæ eſſentialiter reſpiciat Chriſtum præſentem, non inde efficaciter poteſt probari, quod omnes cæremoniæ talium legum id habeāt, ſed ſufficit, quod in aliquibus id ſaluetur, in alijs vero ſaluetur, quod ſignificent in recto, & explicitè aliquid pertinēs ad Chriſtum.

Ex quo ſequitur, quod in obliquo, vel radicaliter, & implicitè ſignificēt ipſum Chriſtum, & hoc ſufficit vt ſit proportio inter tales cęremonias, & Religionem ad quam pertinet, quod optimè ſaluatur in noſtro modo dicē di: nam vt explicuimus, Sacramenta antiqua ſignificabant gratiam cū imperfectione expoſita, ratione cuius pertinebat ad Chriſtum vt venturū, noſtra verò Sacramenta ſignificant gratiam cum perfectione pertinente ad Chriſtum præſentem.

Sed quęret aliquis vtrū Sacramenta omnia ſignificent ſuā gratiā explicitè ſub ratione gratię medicinalis: nam ſi ſic ſignificant illā neceſſario videtur dicendum, quod explicitè ſignificent Chriſti paſsionem ſub ratione medicinæ vniuerſalis propter rationem poſitam

sitam in primo argumento, & sic videtur contra nostram resolutionem. Si autem non significant illam sic non videtur, quod significent eam sub propria ratione talis gratiæ Sacramentalis, quod videtur non posse dici, quia Sacramentū ex propria sui institutione debet significare propriā sanctificationem, vt propriam: nam illā respicere debet modo determinato, & consequenter, vt talem.

Vincēt. nostri. Ad hoc posset dici iuxta sententiā cuiusdam sapientissimi Thomistæ, quod Sacramenta explicitè significāt gratiam, & sanctitatem Sacramentalem, vt conferendam homini infirmo vtenti, & recipienti ipsa: quia tamen talis gratia necessariò est medicinalis, cum ad hominem infirmum, in natura lapsa cōstitutum pertineat, virtualiter, & implicitè significant ipsam gratiam medicinalem, vt medicinalem, ad quod non est necessariū significare Christi passionem, & talis implicita significatio sanctitatis medicinalis sufficit ad rationem essentialem Sacramenti.

Hæc solutio satis probabilis est, secundumquam in forma est dicendū, quod Sacramenta de facto instituta significant propriam sanctitatem ad ipsa pertinentem: non tamen explicitè important illam rationem subqua est propria, sed tantum implicitè, & hoc sufficit, vt determinato modo significent suam sanctitatem: nam illam significant explicitè vt conferendam recipientibus ipsa. Tamen in hac solutione eodem modo, quo implicitè, & veluti in actu exercito ex parte ipsius gratiæ significatæ significatur gratia, vt medicinalis, videtur necessariò dicēdum, quod significetur Christi passio, vt principium à quo prouenit talis gratia, & sanctitas: quia sub tali ratione medicinalis, non potest intelligi, nisi cointelligatur alterum extremum, à quo sibi communicatur, quod est passio Christi, vndè nec potest significari vnum, sine alio, quod fortè noluit negare sapientissimus ille Magister, sed solum significationem expressam.

Secundo modo potest adquęsitum dici, quod Sacramenta significant gratiam, & sanctitatem explicitè sub ratione sanctitatis medicinalis, nego tamen ex hoc sequi, quod significetur explicitè Christi passio sub illa ratione, vt patet in exemplis allatis in notabili ante conclusionem. Ex hoc enim, quod ego cognoscam explicitè imaginem D. Thom. sub ratione imaginis non sequitur, quod cognoscam ipsum D. Thom. explicitè, & clarè, sed solum implicitè, & quoad an est, quatenus requiritur, vt explicitè cognoscam eius imaginē, & ita vt meus conceptus significet illam imaginem sub illa ratione, non est necessarium, quod significet ipsum imaginatum, eodem modo vt cognoscam Sacramentum significare gratiam, vt medicinalem, nō est necessarium cognoscere principium à quo habet talem rationem cognitione explicitè, & immediata, sed implicitè, & quoad an est. Ratio à priori huius est, quia illud principium, quod est Christi passio tātum extrinsecè se habet ad talem gratiam, & non intrinsecè vt constituēs illam in tali ratione, & ideò non opus est, quod concipiens gratiam vt medicinalem cognoscat explicitè Christi passionem, vndè nec ad significationem explicitam illius sub tali ratione est necessariū significari passionē explicitè. Si autem importune vrgeas, quod saltim quo ad an est, & secūdū illā rationē principij debet significari explicitè aliàs non poterit gratia vt medicinalis explicitè significari, sicut nec cognosci. Dico, quod id non verebor concedere, cæterum hoc nō est propriè significare passionem Christi explicitè: nam vt in notabili præmissi nomine significationis explicitę ratione appellationis proprij conceptus huius verbi *significo*, supra terminum immediatum in

quem

quem fertur intelligere debemus significationē immediatam rei sub proprio conceptu illius, quod non datur, quando res solum quo ad an est, & in ordine ad aliam immediatè significatam importatur, & hunc modum significationis explicitè negamus nos Sacramentis in nostra resolutione; in qua fatemur quod ad perfectam, & ad exactam significationem Sacramētorum propter rationem sæpius insinuatam, & in argumento primo primæ opinionis tactam, pertinet significatio explicita passionis Christi, tāquam modus connaturalis complens significationem essentialem illorum, nec intendimus in nostra resolutione ostendere improbabilitatem primæ opinionis, sed maiorem esse in secunda manifestare. Hæc de hoc dubio, & articulo.

ARTIGVLVS IV.

Vtrùm Sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?

COnclusio D. Thom. est affirmatiua, quæ desumitur ex vltimis verbis corporis articuli. Ad Sacramentum requiritur res sensibilis. Probatur in argumento sed contra, ex illo August. super Ioann. celebri dicto in schola: D. Aug. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, vbi loquitur de elemento sensibili, quod est à qua: ergo res sensibilis requiritur ad Sacramentum. Deinde probatur ratione in corpor. art. desumpta ex ordine diuinæ sapientiæ secundum quem Deus vnicuique rei prouidet de rebus necessarijs secundum suum modum propriū, Sap. 8. propter quod dicitur Sapiēt. 8. *Quod suauiter disponit omnia*, & Matth. 25. Mat. 25 *Vnicuique dedit secundum suam virtutem*, quo posito fundamento sic formatur ratio. Connaturale est homini, vt per sensibilia perueniat in cognitionem intelligibilium, sed res significatæ per Sacramenta sunt res spirituales, & bona intelligibilia, quibus homo sanctificatur, ergo debet significatio Sacramentorum impleri, & exerceri per res sensibiles. Probatur ista consequentia ex illo principio præsupposito: nam Deus prouidet vnicuique secundum modum suum, ergo debet prouidere de Sacramentis, quę sint signa sensibilia, alias non prouideret de signo accomodato proprio, & cōnaturali modo cognoscendi hominū, qui per signa alia cognoscunt: cum signum sit id per quod in cognitionem aliarum rerum peruenitur.

Circa istam conclusionem est aduertendum, quod nomine rei sensibilis intelligit D. Thom. res, & verba, & omnia, quæ aliquo modo percipiūtur sensu. Secundo est notandū, quod conclusio D. Thom. intelligenda est de eo, quod est proprie, & simpliciter Sacramentum, non vero de eo, quod non est simpliciter, & perse Sacramentum, sed dicitur tale, vt ait D. Thom. in solutione ad primū, in quātum per aliqua signa sensibilia manifestatur. Vnde cum in omni Sacramēto reperiatur aliquid, quod est res, & Sacramentum simul, vt in Baptismo est charather, in Eucharistia corpus Christi in pœnitētia contritio, de omnibus istis idem dicendum est, scilicet, quod non sunt simpliciter, & per se Sacramenta, vt in propriis locis docetur, & consequenter de eis non intelligitur conclusio D. Thom. Tertio est notandum, quod conclusio D. Thom. potest intelligi de facto, scilicet de Sacramentis institutis, & de possibili, scilicet de Sacramentis, quę potest Deus instituere. Si intelligatur de facto communiter docent Theologi, quod est veritas fidei, quæ colligitur ex doctrina Concilij Florentini in tractatu de Sacramentis, vbi diffinitur Sacramenta instituta fuisse in rebus corporalibus, & sensibilibus, quæ veritas etiam habetur ex communi

muni consensu Ecclesiæ, & ex traditione Apostolorum, quam optimè confirmant in præsenti Interpretes D. Thom. multis authoritatibus Sanctorum, præcipuè D. August. & Chrisostomi. Videantur specialiter Cabrera, nobis autem solum, quandam congruentiam huius diuinæ institutionis breuitati consulentes adducere placet, sitque desumpta ex comparatione ad Christum Authorem Sacramẽtorum ad eius passionem, cuius sunt instrumenta, & ad Ecclesiam cuius sunt cæremoniæ religiosę in ordine ad Christum; congruentia consistit in hoc, quod quemadmodum ipse constat duplici natura scilicet humana, & diuina, ita Sacramẽta decuit, quod instituerentur ab ipso constantia ex rebus sensibilibus, & diuina virtute, & eodem modo desumitur congruẽtia respectu passionis, sicut enim ipsa fuit sensibilis, & apparens, & recondita, atque spiritualem virtutem habens, ita instrumenta ipsius, scilicet Sacramenta decuit, quod essent sensibilia, & reconditam, atque spiritualem virtutem haberent. Respectu Ecclesiæ congruentia consistit in hoc, quod ipsa est Respublica visibilis, & ex alia parte spiritualis, ergo cum Sacramenta sint cæremoniæ Religionis ipsius Ecclesiæ debent esse sensibilia, & spiritualia, quod habent constando, vt de facto cõstãt rebus, & verbis sensibilibus, vt dicetur articulo sequẽti. Qui plures rationes congruẽtię voluerit videre legat Cabr. & Suar. in præsenti.

De conclusione autem intellecta de possibili postea dicam. Modo contra illam aliqua argumenta constituere placet. Primum sit. Media ordinata ad aliquem finem debent esse proportionata illi fini, sed Sacramenta sunt media ordinata ad nostram salutem, & sanctificationem, ergo cum talis finis sit spiritualis Sacramenta debent esse purè spiritualia, & consequenter non congrua fuit institutio Sacramentorum. Secundum sit, ratio quare congruum fuit Sacramenta esse sensibiles res est, vt per similitudinem rerum materialium deueniamus in cognitionem effectus spiritualis, scilicet gratiæ vt in fine corporis articuli docet D. Sanctus, sed hæc ratio est nulla, ergo. Probatur minor: nam Sacramentum est signum ad placitũ, ergo non significat secundum rationem similitudinis, & consequenter sicut Deus instituit, quod ablutio à quæ significaret remissionem peccati originalis, & aliorum præcedentiũ Baptismum, potuit efficere, quod vnctio olei, idem significaret, ergo ratio D. Thom. non est efficax. Tertio. Matrimonium modo in lege noua celebratur absque aliqua re sẽsibili per solum consensum interiorem, ita videtur docere Nicolaus Ponti. in cap. sufficiat 27. quæstion. 2. & cap. cum locum de sponsalibus idem videtur diffiniri, sed matrimonium est verè Sacramentum, ergo datur Sacramentum, quod non est res sensibilis. Confirmatur: nam vinculum matrimonij appellatur Sacramentum, & tamen illud nõest sensibile, ergo. Quarto: nam incongruum videtur, quod creatura rationalis subiiciatur rebus sensibilibus, ergo non fuit congrua institutio sacramentorũ in signis sensibilibus. Antedens probatur, nam in tali subiectione imitamur Gentiles, qui suis Diis signis externis placere conabãtur, quod prohibitum est. Deuteronom. 3. vbi sic dicitur. *Caue ne imiteris gentes, & requiras cæremonias eorum*, ergo istæ cęremonię sensibiles in congruè sunt sacramenta, quibus homines subiici debent. Deut. 3.

Hoc enim est, quod olim Porphirius hereticus irridebat, vt videre est apud Eusebium lib. 3. de præparatione Euangelica, cap. 5. *Dicens inuersum esse ordinem in tali subiectione propter nobilitatem creaturæ rationalis*, & Brenrius Hęreticus Ecclesiam accusabat propter istum ordinem dicens: Euseb.

cens: *Quod in illo cogebant fideles redire ad infirma, & egena elementa.*

Ad hęc argumenta immediatè respondetur, nam conclusio D. Th. sufficienter probata est eius ratione, & congruentia iã explicata, ex qua doctrina originem duxit illa communis diffinitio Sacramenti in qua dicitur: *Quod est inuisibilis gratiæ visibilis forma*, idest sensibilis aliquo sensu: nã ibi ponitur visus loco omnium sensuum, tanquam præstantior omnibus.

Ad primum ergo respondetur dupliciter, primo, cõcedẽdo maiorẽ, & minorem distinguendo; finis præcipuus, & principaliter intentus, nego minorem, finis minus principalis; cõcedo minorem, & nego cõsequentiam, quia mediũ non debet esse proportionatum fini minus principali, sed magis principali, qui in Sacramentis (vt art. 1. dixi) nõ est nostra sanctificatio, sed diuinus honor, & cultus religiosus, quo Deus est reuerẽdus, & colendus, huic autem cultui Sacramẽta proportionata sunt, quia ille non tantum internus, sed externus debet esse, & sensibilis, cum ad Ecclesiam visibilem pertineat. Secundo respondetur, quod maior illa debet intelligi de proportione cum fine, non absolutè, & in se, sed vt consequibili ab eligente illa media, & tunc concessa maiori, negatur consequentia pro secunda parte, quia prima pars illius cõsequentis non est vera absolutè, scilicet, quod gratia in ratione finis consequibilis sit pure spiritualis, imò aliquo modo est sensibilis ratione subiecti, à quo debet consequi, & cui est communicanda, atque ita cum homo sit constans ex corpore, & anima, & ratione corporis sit sensibilis non potuit commodius gratia danda homini significari respectu eius, quam per signa sensibilia habentia spiritualem virtutem.

Ad secundũ argumentum communis solutio inter Thomistas solet esse, quod signum ad placitũ est duplex aliud significans ex solo placito instituentis, sine aliquâ similitudine præsuppositâ cum re significata, qualiter sunt omnia nomina, & signa vocalia, vt homo, leo, & equus, & sic de alijs, alterũ est, quod significat ex placito, habet tamen aliquã similitudinẽ imperfectã saltẽ cum re significata, vndè non esset sufficiens se solo ad significationẽ; atque ita necessario essentialiter est institutio, & impositio, qualiter sunt omnia nomina dicta secundũ aliquã figurã, vt tarantara, & crocitare, quod est vocabulũ dictum à voce corui, vndè supponentes maiorẽ argumenti esse verã dicunt, quod Sacramenta sunt signa ad placitum secundi generis, vnde si Deus institueret, quod homines mũdarentur à peccatis per conspersionem luti, vel olei illa conspersio esset signũ primo modo non secundo; & ideò non mereretur nomen Sacramenti, huic consonat illud, quod artic. 1. adduximus ex August. quod si Sacramenta nõ haberent similitudinẽ rerũ quas significãt non essent Sacramenta, quę doctrina cõmunis intelligẽda est de Sacramẽtis secundũ institutionẽ à Deo pręordinatã de facto, secundum quã in instituit Deus Sacramenta, vt aliquam similitudinẽ rerũ haberent. Cęterũ si aliam rem sensibilẽ, quæ nõ esset ablutio à quâ Deus institueret ad mũdandũ à peccatis, non video rationẽ cur non esset Sacramentũ simpliciter cum esset signũ rei sacræ sanctificãtis & significaret ex institutione, cũ alijs omnibus cõditionibus supra indiffinitione Sacramenti explicatis. Secundo respond. quod ratio D. Th. nõ est illa, sed quę à nobis explicata est, quã D. S. per cõparationẽ ad similitudinẽ rerũ sensibiliũ quibus vtitur sacra Scriptura ad significandas res spirituales vult nobis cõprobare, & confirmare. Vndè postquã D. Th. intulit in sua ratione istãcõsequẽtiã, ergo significatio Sacramẽti debuit impleri per res sẽsibiles addidit. *Sicut per similitudinẽ rerum*

rum sensibilium in Scriptura res spirituales describuntur, quod nihil aliud fuit, quam consequentiam illam confirmare per dictam comparationem. Vnde tota vis argumenti defuit in ista solutione, quæ verisimè attingit mentem D. Thom. ex cuius propositione possumus principalē rationem confirmare sic, Deus author sacræ Scripturæ, vt se acōmodet modo proprio cognoscendi hominū vtitur similitudine rerum materialium ad res spirituales manifestandas, ergo propter eandem rationem debuit vti Sacramentis sensibilibus ad manifestandum nobis effectum spiritualem ipsorum.

Ad tertium, negatur antecedens: nam matrimonium non potest celebrari, nisi per mutuum consensum vtriusque coniugis explicatum, & manifestatum. Hæc autem manifestatio inter homines non potest fieri, nisi per aliquod signum sensibile, siue verba sint, siue nutus.

Ad probationem autem ex illis capitibus Iuris Canonici respondetur, quod in illis Sumi Pōtifices non intēdunt excludere manifestationem cō sensus, sed copulam carnalem, aut benedictionem, vel iuramētum, aut cōsensum parentum, quod autem sit legitima expositio patet, ex cap. licet de sponsalibus, & ex cap. cum apud sedē de sponsal. Vnde falsa est sentētia Durādi in 4. dist. 1. q. 3. dicētis, quod matrimoniū aliquando non requirit rem sensibilem.

Ad confirmationem respondetur, quod illud vinculū nō est simpliciter Sacramentum, sed res, & Sacramētū simul; & ideò sufficit, quod sit sensibile per aliud, sicut supra dixi in 2. notabili, circa intelligentiam conclusionis D. Thom.

Ad quartum respondetur, distinguendo antecedens, in congruū est, quod creatura rationalis subiiciatur rebus sensibilibus absolutè, & inse cōsideratis fateor antecedens, consideratis, quatenus ex diuina institutione sunt signa gratię, & diuini amoris erga nos, vel quatenus sunt nobis a Deo præceptę, tanquam cęremonię ad cultum Dei ordinatæ, nego antecedens, ad cuius probationem, nego antecēdēs: nā Gētiles venerabātur res sensibiles propter propriā perfectionē earū ac si essent Deus, licet creatam Deitatē haberēt, quod autem heretici irrideant hoc genus venerationis, quod nos Christiani exhibemus Sacramētis sensibilibus prouenit ex peruersitate illorū, vel ex eo, quod sumūt illū cultū in alieno sensu, ac si nos subiiceremur rebus istis materialibus, quę sunt eleuatæ ad esse Sacramentorum, vt Diis ratione suę proprię perfectionis, quod nos nullatenus facimus.

CIRCA CONCLVSIONEM intellectam de possibili est dubium breue.

Vtrùm res sensibilis ita sit de essentia Sacramenti, vt Deus non potuerit instituere aliquam rem spiritualē, quæ esset simpliciter Sacramentū?

IN quo dubio partem affirmatiuam tenuerunt aliqui antiqui Theologi, ita Ocham in 4. dist. 1. quæst. 1. colum. 2. & Aliaco in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. & alij nominales. Fundamentum eorum est, quia Deus potest instituere aliquam rem spiritualem, vtpotè actum intellectus aut voluntatis, vt significaret, & efficeret gratiam ex opere operato, sed talis actus esset Sacramētum: ergo nō est de essentia Sacramenti, quod sit res sensibilis. Minor probatur: nā de ratione Sacramenti nihil aliud est, quam significatio gratię sanctificantis, vt sanctificantis.

Confirmatur hoc argumentum à nobis, supponendo quod Deus potuit & modo potest instituere actum internum, vt significet gratiam regenerantem, & illam conferat, & idem est

est de gratia Sacramenti pœnitentiæ, & aliorum, tunc sic arguitur. Illud Sacramẽtum in ratione essentiali signi, & in ratione causę esset eiusdem rationis essentialis cum Sacramentis de facto institutis: ergo nõ est de ratione essentiali Sacramentorum esse res sensibiles. Antecedens probatur: nã relatio signi in illis specificaretur ab eadem gratia sanante, seù regenerãte, & ratio causæ, etiam esset respectu eiusdem effectus, ergo cum ratio essentialis signi sumatur ex signato illa duo sacramenta essent eiusdem rationis essentialis.

His tamen non obstantibus cõmunis opinio Thomistarum, quam etiã tenent omnes alij Doctores asserit, quod loquendo de Sacramentis humanis, & pertinentibus ad Ecclesiam visibilem, tanquam cæremoniæ, vt homines ad vnam Ecclesiã pertinẽtes illis vno cõmuni ritu colant Deũ, ita essentiale est Sacramẽtis esse res sensibiles, quod si Deus institueret aliquem actum internum, vt gratiam conferret, & significaret non esset simpliciter Sacramentum, ità Bellarm. lib. 1. de Sacramentis, cap. 19. Cabrer. hic disput. vnica, num. 12. Suar. disputat. 1. sect. 3. 2. tom. 3. part. per totam sectionem specialiter, §. sed obiiciunt quidam Scholast. & Nuño in præsenti resolutione, ex quorum doctrina talis potest formari ratio pro prædicta resolutione. Licet Deus possit instituere Sacramentum in quacunque materia voluerit, tamen non potest efficere, quod Sacramentum hominum, & Ecclesiæ visibilis non sit signum humanum respectu ipsius visibilis Ecclesiæ, sed tale signum necessario est res sensibilis, ergo non potest esse, quod Deus faciat Sacramentum, quod non sit res sensibilis, maior patet. Tùm, quia Sacramentũ ratione suæ significationis est cæremonia sacra deseruiens Ecclesiæ visibili, qua homines vniti in tali Ecclesia Deum colunt. Vndè necessario debet esse signum humanum, & accommodatum naturæ ipsorum hominum, & suo proprio modo cognoscendi: Minor vero etiam est euidens: nam vt ait D. Thom. in solutione ad primum, illud dicitur per se primò signum respectu hominum, cui conuenit diffinitio assignata D. Augustin. dum ait: *Signum esse illud, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, &c.* Cuius ratio est, quia omnis cognitio nostra ortum habet à sensu, sed solum res sensibilis habet ducere incognitionem rei spiritualis mouendo sensum, seù immittendo speciem in illum, ergo solum tale signum est primò, & per se signum humanum. Vndè solum tale signum est propriè Sacramẽtum hominum, quo pacto modo loquimur de Sacramentis. *D. Augustin.*

Nec contra hoc valet dicere, quod conceptus est etiam signum humanum, nam in eadem solutione docet D. Thom. quod ratio signi humani solum secundariò, & per aliud conuenit rei intelligibili, scilicet in quantum per rem sensibilem manifestatur, quando vero D. Thom. quæstion. 4. de veritate art. 1. ad septimũ, ait, quod ratio signi per prius cõuenit cõceptui mentis, quã verbo vocali, & sensibili, non loquitur de signo humano, vt humano, sed de signo absolutè, prout tantum rem aliam dicit manifestare, siue modo accõmodato hominibus, siue Angelis, signum autem humanum habet ducere in cognitionem rei modo humano, scilicet mouendo sensum, vt homo ex vi significationis signi perueniat in cognitionem signati: Explicare vero ex professo an ratio signi humani dicatur simpliciter de conceptu mentis pertinet ad Summulistas. Vndè ab istis næniis super sedendum puto. Videantur tamen Magister Nuño, & Cabrera in præsenti, qui aliqua dicũt ad id explicandum, & dicunt, quod non est propriè signum, sed significa-

tio, seù ratio signi sensibilis, & instrumentalis.

Ex his ad argumentum respondetur concessa maiori distinguendo minorem, esset Sacramentum humanũ, provt nunc loquimur de illis, nego minorem: esset Sacramentũ quasi Angelicum, concedo minorem. Et si dicas, quod posset illud signũ rei sacræ instituere Deus respectu hominum, & non Angelorum, ergo esset Sacramentum respectu hominũ, negamus consequentiam, quia vt dictum est non esset simpliciter, & perse primò signum humanum pertinens ad Ecclesiam visibilem, si tamen Deus institueret talem actum, vt iustificaret Angelos, & ipsis significaret gratiam iustificantem certè non dubito, quod respectu illorũ esset simpliciter Sacramentum, cęterum nos non sic loquimur de Sacramentis in præsenti.

Ad confirmationem concesso supposito, negatur antecedens.

Ad probationem respondetur distinguendo antecedens specificaretur ab eadem gratia eodẽ modo manifestata, & significata hominibus, nego antecedens, diuersò modo, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ratio signi essentialis, non consistit in ordine ad rem, vtcũque, sed tali, vel tali modo significabilem per ipsum signum. Vndè conceptus hominis eiusdẽ, qui respectu mei intellectus est signum formale respectu Angeli est instrumentale propter diuersum modum significandi. Ita in præsenti, ille actus significaret gratiã modo accommodato Angelis, & ita esset diuersę rationis essentialis à Sacramento visibili de facto instituto, quod significat eandẽ gratiam modo accommodato hominibus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm requirantur determinatæ res ad Sacramenta?

COnclusio est affirmatiua, quæ deducitur ex fine corporis articuli, in Sacramentis nouæ legis oportet vti rebus ex diuina institutione ordinatis. Probatur primo in argumento, sed contra, ex illo Ioanni 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, nõ potest introire in Regnum Dei.* Vbi loquitur Christus Dominus de Sacramento Baptismi, & determinat aquã pro tali Sacramento, ergo. Deinde in corpore sic. In vsu Sacramentorum consideratur sanctificatio hominis, sed talis sanctificatio est solum in potestate Dei, ergo ex diuina institutione debet determinari res pertinens ad sanctificationem hominum, consequentia probatur: nam non pertinet ad aliquem determinare id, quod est in potestate alterius, sed solũ id, quod est in sua potestate, ergo cum sanctificatio hominum solum sit in potestate Dei, non est iudicio hominum determinandum illud medium in cuius vsu est sanctificandum. Ioann. 3.

Circa istam conclusionem est notandum, quod induplici sensu potest intelligi. Primo consequenter ad Dei institutionem, ita vt necessitas vtendi rebus determinatis in Sacramẽtis cõsequatur Dei institutionem, quod est dicere, quod supposita Dei institutione, ita sunt per scriptę, & determinatæ res, quibus est vtendum in Sacramentis, vel secundum genus, vel secũdum speciẽ, quod nullo modo licet illas immutare, aut vti loco illarum alijs. Isto modo intendit D. Thom. principaliter suam conclusionem in corpore arculi, vt patet ex eius ratione.

Secũdo modo potest intelligi cõclusio eius antecedẽter ad Dei institutionẽ, ita vt necessitas vtẽdi rebus determinatis

minatis in Sacramẽtis præcedat institutionem, & sensus est, quod vt conueniens sit Sacramentorum institutio debuit fieri in rebus determinatis & præfinitis ab ipso instituente, & in hoc sensu intenditur etiam conclusio à D. Thom. in solutione ad primum, vt clare constat ex littera, & in vtroque sensu verificatur.

DVBIVM EST DE VERITATE, conclusionis, & rationis D. Thom.

PRobatur, quod sit falsa. Pœnitentia, & matrimonium in lege noua sunt vera Sacramenta, & tamen non habent res determinatas, ergo. Probatur minor, quia vtrũque Sacramentũ perficitur indifferẽter verbis aut nutibus, aut quibuscunque inditijs, quę proarbitrio assumit qui suscipit Sacramentũ: ergo nõ habent res determinatas. Secundo arguitur. Ante Concilĩu Trid. consensus expressus vtriusque coniugis erãt sufficiens materia ad verum Sacramẽtum matrimonij cõficiendũ, sed hoc mutabit Ecclesia (vt patet ex ipso Cõcilio Trident. Sess. 24. c. 1.) vbi diffinitur matrimoniũ in occulto celebratũ non esse matrimoniũ, ergo nõ habet istud Sacramentũ res determinatas, cum possint variari. Tertio. Id quod est de iure naturali, & diuino statutũ, & diffinitũ Ecclesia, nõ potest immutare, sed consensus vtriusque coniugis expressus in occulto erat de iure naturali, & diuino sufficiens materia ad matrimoniũ, ergo si ad Sacramentum requirũtur res determinatæ Ecclesia, nõ potuit rẽ istam sacramenti matrimonij immutare, sed immutauit in Concil. Trid. Sess. 24. decreto de reformat. matrimonij, c. 1. vbi statuitur, quod cõsensus vtriusque cõiugis expressus, nõ fit matrimoniũ, nisi exprimatur corã Parrocho, & duobus testibus, ergo non pertinet ad Deum determinare res pro materia Sacramentorũ. Quarto arguitur impugnãdo specialiter rationẽ D. Th. tota vis illius cõsistit in hoc, quod cũ sanctificatio hominũ sit solũ in potestate Dei ideò ad illũ solum pertinet determinare res in sacramẽtis, quibus homines sanctificentur, sed ex hac ratione nõ sequitur, quod homo tanquã Dei minister non possit determinarè res in sacramẽtis, ergo nõ sequitur necessario, quod res in sacramentis determinandæ sint à solo Deo. Probatur minor, nã licet propter rationẽ istam solus Deus virtute propria, & vt causa principalis, atq; authoritatiuè gratiã, & sanctitatẽ causet; tamẽ ministerialiter causant homines illã, ergo licet illius tãtũ sit determinare res propria virtute, & authoritatiuè; tamen ministerialiter poterunt determinari ab hominibus. Quinto, argumẽto Durãdi, qui in 4. dist. 1. q. 43. affirmat nõ omnia sacramẽta nouæ legis habere res determinatas. Sacramentũ pœnitẽtiæ, non cõstat rebus determinatis, ergo. Probatur antecedens. Sacramẽtũ istud ex parte materiæ, & formæ cõstat verbis tantũ cũ cõstet confessione pœnitẽtis, & absolutione Sacerdotis, quę solis verbis cõficiuntur, ergo. Cõfirmatur: nã in casu, quod materia remota huius sacramenti sit peccatũ solo verbo cõmissum, tũc nec ex parte materię remotæ, aut proximæ erunt res determinatæ, sed solũ verba, ergo nõ omnia sacramẽta nouæ legis hares bẽt determinatas. Cõf. secũdo: nã in matrimonio potest cõtingere, quod cõsensus vtriusq; cõiugis exprimatur tantũ verbis, & non rebus alijs, ergo.

Pro resolutione dubij prẽmittendũ est primo, quod vt D. Th. tradat nobis in art. seqq. diffinitionẽ physicam Sacramentorũ constantẽ materia, & forma, in præsenti articulo explicat, quænã sit materia determinata in Sacramẽtis, & ait quod sunt res determinatę, & nomine rei sensibilis determinatæ intelligit, non tantum res ipsas elementares, sed mixtas, vt (verbi gratia) aquam, vinum, oleum,

aut panem, &c. Sed etiam actiones ipsas sensibiles, vt sunt ablutio, vnctio, & confessio exterior, & alia huiusmodi: nã omnia ista, ait D. Thom. articulo sequenti ad 2. sunt materia Sacramentorũ: quia in his actionibus sensibilibus est eadẽ ratio significãdi, & in rebus elemẽtaribus, aut mixtis.

Secundo est notandum, quod determinatio materiæ in Sacramentis est duplex, altera imperfecta, altera verò perfecta: determinatio imperfecta est talis conditionis, vt si aliquis vtatur materia distincta ab illa conficiet verum Sacramentum, licet peccet mortaliter: perfecta determinatio est, quando taliter determinatur materia, vt sit de necessitate substantiali Sacramenti, & tunc in nulla alia materia conficitur verũ Sacramentũ.

Tertio est notandum, quod licet in tractatu de singulis Sacramentis explicetur determinatio materiæ cuiuscunque Sacramenti, & qualis sit, an secundum genus, aut speciem athomam materiæ, tamen in præsenti cum solum doceat D. Tho. in communi determinationem materiæ requiri in Sacramentis, ita à nobis solũ in communi, & in generali explicandum est. Vndè ad dignoscendum determinationem materiæ in quolibet Sacramento hac regula vtendum est. Illa determinatio rei requiritur in quolibet Sacramento, quę sufficit, & necessaria est ad propriam eius significationem, & ad proprium Sacramenti effectum manifestãdum (verbi gratia) Sacramentũ Pœnitentiæ ex Christi institutione ex parte materiæ significat internum dolorem peccatoris, quo dolet de suis peccatis, & ex parte formæ significat gratiam sanantem, seù resuscitantem.

Ex hoc colligitur, quod illa materia determinata requiratur in tali Sacramento, quæ sufficiens, & necessaria est ad exprimendum talem internum dolorem. Vndè, quia iste internus dolor sufficienter manifestatur per confessionem peccatorum, siue fiat verbis, vel nutibus, quia tam verba quam nutus internum animæ affectum sufficienter declarant. Vndè absolutio cadens super peccata sic manifesta, sufficiẽter significat determinatè gratiam remittentem peccata; ita similiter dicendum est in Sacramento matrimonij, quod in illo illa res, quæ sufficienter declarauerit internum vtriusque coniugis consensum erit sufficiens, & necessaria materia pro tali Sacramento, quia autem talis internus consensus sufficienter explicatur per vocem, seù per nutus, aut per scripturam propriam, idest proprio contrahentium nomine firmatam, ideò quodlibet istorum erit sufficiens materia Sacramenti matrimonij.

Sit conclusio. Cõclusio D. Thom. intellecta de Sacramentis legis gratiæ, & legis scriptæ est vera secundũ fidem. Ità docent omnes Catholici Doctores in præsenti. Ratio huius cõclusionis est, quia illa veritas est de fide, quę sufficienter colligitur ex sacra Scriptura, sed hęc veritas est huiusmodi: ergo est veritas fidei. Discursus est legitimus, & minor satis diffusè probatur à Magistro Suarez disputat. 2. sect. 3. & etiam à Magistro Cabreta in præsenti articulo in commẽtario illius, quia tamen illam probare de singulis Sacramẽtis ad aliã pertinet sedem, ideò solum à nobis probatur ex illo Ioann. 3. vbi Christus D. materiam remotam Baptismi determinauit, dicens: *Nisi quis regnatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Ioan. 3. Materiam vero proximam, nẽpè ablutionem ponit Matthęi vltimo, vbi simul determinauit formam dicens: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* Matth. vltimo. & hoc idem constat fuisse determinatũ à Christo Domino ex multis alijs locis sacrę Scripturæ, in quibus habetur institutio singulorum Sacramentorũ secundum communem traditionẽ Eccle-

Ecclesiæ, & Sanctorum expositionē, ergo de fide est, quod res pertinētes ad materias Sacramentorum nouæ legis sunt determinatæ à Deo. De Sacramentis legis scriptæ probant illā minorem, Magister Nuño in præsenti ex quinque libris Moysi, id est, ex Pentateucho, vbi habentur determinatæ respro singulis Sacramentis illius legis, & in præsenti Magister Cabrera probat hoc de aliquibus Sacramentis illius legis particularibus testimonijs sacræ paginæ. Exodi enim 12. præscribit Deus materiam agni Paschalis, qui fuit sacramentū illius legis, & ait debere esse agnum absque macula masculum aniculum, vbi etiā determinat omnes ritus qui debebant obseruari in illius commexione, idemque patet in omnibus alijs Sacramentis, quæ colliguntur ex aliquibus capitibus Leuitici, & alijs capitibus Exodi. Estque specialis ratio pro determinatione istorum Sacramentorum: quia erant figurę Sacramentorum nouæ legis, vt explicat sigillatim eleganter de omnibus sacramentis D. Thom. 1. 2. quęstion. 102. art. 5. ergo quemadmodum nostra sacramenta habent res determinatas à Deo, ità & illa habuerunt res determinatas à Deo. Deinde ratio D. Thom. in corpore articuli, idem probat de præfatis Sacramentis, quia in illis dabatur gratia (vt supra dixi) dabatur etiam sanctitas legalis, & munditia quæddam exterior, quam nulla res creata ex sua propria natura poterat conferre: ergo à solo Deo qui est author totius sanctitatis erat determinandum, & instituendū, quibus rebus determinatis erat vtendū in illis sacramentis.

SECVNDA CONCLVSIO.

EAdem certitudine tenendū de aliquibus Sacramentis legis naturæ, quod in illis res fuerunt determinatæ à solo Deo. Sēsus conclusionis huius est, quod licet de omnibus sacramentis legis naturæ suo modo habuisse res determinatas sit certū, vt colligitur ex D. Thom. ad 3. non tamen talis veritas colligitur expressè ex sacra scriptura, nisi tantum de aliquibus illius legis sacramentis. Probatur conclusio sic intellecta: nam Circuncisio fuit sacramētum legis naturæ, quia antequā Moyses daret legem scriptam fuit institutum Genesis 17. sed in illo loco omnia, quæ erant seruanda in vsu illius sacramenti habentur expressè determinata à Deo, ergo saltem de hoc sacramento certum est secundum fidē habuisse à Deo res determinatas: de alijs vero sacramentis sancti expressè docent fuisse à Deo traddita speciali instinctu, quo modo tunc à Deo gubernabantur. Ita in præsenti docet D. Thom. ad 3. & D. August. lib. 13. de Ciuit. cap. 17. & libr. 5. contra Iulianum, cap. 9.

TERTIA CONCLVSIO.

DEterminare perfectè res pertinentes ad materiam sacramentorum solū pertinet ad Deum. Ratio huius conclusionis est: nam determinatio perfecta rei sacramentalis pertinet ad substantiam sacramenti, taliter quod si mutetur non conficitur verum sacramentum, sed sic determinarè materias sacramentorum solum pertinet ad Deum, vt dicitur infra quæst. 64. ergo conclusio est vera.

Ex hoc sequitur differentia inter legem gratiæ, & legem status naturæ, quod in statu naturæ determinatio materiæ sacramentorum non erat perfecta in omnibus sacramētis. Vndè poterat Respublica ex particulari instinctu Spiritus Sancti materiā sacramentorum instituere, qua quidem qui vteretur à Domino sanctitatem consequeretur: tamen poterat homo vti alia materia, & conficeret

verum Sacramentum, licet peccaret mortaliter; at vero in nostra lege determinatio materiæ sensibilis Sacramentorum omnium est perfecta, taliter quod in nulla alia verum potest confici Sacramentum. Ex quo sequitur, quod ad solum Deum pertinet determinare res, quæ se habent vt materia in nostris Sacramentis. Sed inquiret quis, an determinatio rei in singulis Sacramentis sit æqualis, & eiusdem rationis. Respõdetur, quod in aliquibus est determinata res materialis secundum speciem athomã, vt est aqua in baptismo, & oleum in Extrema vnctione, in alijs vero sufficit determinatio secundum speciem subalternam, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, in quo materia est confessio dolorosa, siue procedens ex dolore, qui est attritio, siue ex dolore, qui est contritio, & tamen attritio, & contritio specie differunt. Similiter materia remota scilicet peccatũ potest esse mortale, aut veniale: itaque confessio dolorosa cuiuscũque peccati, siue venialis, siue mortalis est sufficiens materia talis sacramẽti, siue verbo, siue nutibus explicetur (vt dixi in vltimo notabili, in alijs vero Sacramentis res est dubia, an materia sit determinata secundum genus, aut secundum speciem athomam, vt in proprijs locis dicitur.

Ad argumenta respondetur: Ad primũ negatur minor, ad cuius probationem dico, quod omnia illa faciunt materiam sufficienter determinatam, vt patet ex notabili vltimo. Vnde distinguo, non habẽt res determinatas pro materia determinatione, quasi entitatiua, ita vt sit hæc res, & non illa, scilicet vox, & nõ nutus, concedo consequentiam, determinatione formali, in quantum exposcitur ad significationem Sacramenti, nego consequentiam: nam omnia illa, vt sic sũt res determinata, eo quod conueniunt in manifestatione, & significatione determinata doloris suorum peccatorum, vt dictum est supra.

Secundo respondetur, quod res determinata, quę est materia Sacramenti pœnitentiæ est confessio dolorosa peccatorum, quod autem talis confessio sic, vel sic fiat, verbo (verbi gratia) aut nutibus, siue alijs inditijs, ideſt per accidens, dummodo fiat aliquo signo sensibili manifestante dolorem internum, & D. Thom. in præsenti non accipit rem, vt distinguitur ab actione, seu passione sensibili, vt constat ex primo notabili: in Sacramento autem matrimonij, res determinata à Deo, tãquam materia illius est consensus expressus vtriusque cõiugis inter legitimas personas, siue talis consensus exprimatur hoc, aut illo signo sensibili, vt dixi in vltimo notabili: Est autem differentia inter vtrunque Sacramentum in determinatione formæ: nam in pœnitẽtia forma semper requirit verba determinata, licet ex parte materiæ possit fieri verbis, aut nutibus, in quo conuenit cum Sacramento matrimonij. Cæterum in Sacramento matrimonij ex parte formæ, etiam potest celebrari nutibus, aut inditijs, aut verbis.

Ad secundum, nego minorem, vel distinguo, vt erat materia Sacramenti, nego minorem, quantum ad quandam conditionem personarum necessariam ad valorem matrimonij concedo minorem, & nego consequentiam. Ratio est, quia ex institutione diuina consensus expressus inter legitimas personas est vera materia, & sufficiens ad Sacramentum matrimonij, & Ecclesia in Concilio hãc materiam non mutauit, sed eadem perseuerante determinauit, quenam personæ sint legitimæ ad contrahendum, quę vero non sint legitimæ, & ita factum est in illo decreto, quod personæ, quę ante Concilium erant legitimè contrahentes modo reputentur, & sint illegitimæ, quod optimè potest facere Ecclesia; nam id

non

non est mutare materiam, aut formã Sacramenti, sed solum illigitimare personas ad contractum repertum in matrimonio, quod nihil aliud est, quã contractus quiddam elevatus ad gratiam significandam, & causandam, sicut optimè potest Ecclesia decernere in Sacramento pœnitentiæ, qui sint legitimi iudices in illo foro nullam mutationem faciendo in propria materia illius Sacramenti, quæ consistit in confessione facta coram proprio iudice.

Ad tertium concessa maiori, distinguo minorem, erat sufficiens materia, tanquam matęria statuta ita quod esset in præcepto, nego minorem, erat sufficiẽs materia ex permissione iuris naturalis, concedo minorem, & distinguo consequens, nõ potest illam immutare secundumquod est res determinata, & statuta per modum materiæ ex iure diuino Christi, concedo consequentiam, secundumquod erat permissa, nego consequentiam. Ratio huius est, nam ea quę sunt permissa per ius, & non præcepta nõ sunt de ratione essẽtiali iuris, & ideò licet illa immutentur non immutatur ius ipsum, quod idẽ sonat, quod præceptũ, & statutum superioris, quod non potest inferiori potestate mutari, quia id esset mutare ipsum ius superioris potestatis, in præsenti autẽ, quod contractus matrimonij celebratus in occulto esset validus ante Concilium Tridentinum non erat de iure naturalis per modum præcepti, aut statuti, sed erat quasi ex priuilegio cõcessum, & permissum ipso iure: quia in illo non erat præceptum de contrario ad ea autem, quæ tãtum sunt permissa per ius diuinum, authoritatem habẽt Ecclesia, vt immutet, sicut Respublica ciuilis habet similem authoritatem, quia id pertinet iustis de causis ad bonum regimen ipsius Reipublicę, & ita licet iure naturali ante diuisionem rerum omnia erant communia, quasi ex quadam permissione, & tamen facta diuisione rerũ per Rempublicam, iam non sunt omnia communia, & illud mutatum est. De quo videatur Soto lib. de iust. & iur. quæst. 3. art. vnico, & quæst 5. art. 1. quid autem effectum sit per decretũ Concilij circa matrimonium, iam dictum est solutione ad 2.

Et modo secundò dicitur, ad idem punctum, quod Ecclesia non mutauit materiam Sacramenti matrimonij, sed solum fecit, quod in exercitio, & in singulari, non inueniatur talis materia in entitate contractus celebrati, & explicati per coniuges in occulto, quia illa explicatio non fit conueniẽti modo. Ita dicit hic, satis diffusè sapientissimus Nuño.

Tertio dico, quod Ecclesia in illo decreto fecit mutationem in aliquo prędambulo, & antecedenter requisito ad rationem essentialem matrimonij; non vero in eo, quod sit substantiale in tali Sacramento. Etenim legitimatio, seù habilitas personarum ad contrahendum antecedenter se habet respectu contractus cuiuscunque, & ita cum Christus contractum naturalem inter virum, & fœminam eleuauerit ad rationem Sacramenti supponendo cõtractum factum inter habiles, & legitimas personas, hoc totũ se habet antecedenter, in quo optimè potest Sumus Pontifex aliqua mutare, vt conueniens fuerit, vt matrimonia, sine aliquo magno inconuenienti fiant; & tunc eadem materia, & eadem forma manent in matrimonio, scilicet, consensus vtriusque coniugis explicatus, & manifestatus modo conuenienti, quod autem Ecclesia habeat hanc potestatem patet ex vsu ipsius in multis alijs: nam etiam limitauit modum faciendi professionem, videlicet, prędicpiẽdo ne fiat ante sextum decimum annum, & in matrimonio etiam prohibuit ne celebretur inter consanguineos, aut affines intra quartum gradum, & tamen hoc erat permissum iure naturali. Similiter

liter Respublica ciuilis irritauit donationem factam ab aliquo ante vigesimum quintum annum, & tamen talis donatio iure naturali erat valida.

Ad quartum respondetur, rationem D. Thom. esse optimam.

Ad cuius impugnationem respondetur communiter, quod probat rationem D. Thom. non demonstrare, quod pertineat ad Deum immediatè perse ipsum instituere Sacramẽta, sed solum, quod pertineat ad Deum tanquam ad principalem causam, & tãquam ad habentem authoritatem ad instituendum perse Sacramenta; non tamen demonstrat, quod Deus non possit hanc potestatem communicare alicui homini, vel ipsi Ecclesiæ in Concilio Generali Congregatæ, ita vt tunc non immediatè perse ipsum, sed mediatè institueret Sacramenta, est tamen optima congruentia ad manifestandum, quod in Sacramentis legis gratiæ, & legis scriptæ solus Deus immediatè perse ipsum illa instituit, & eorũ materias determinauit propter maiorem perfectionem horum Sacramentorum, propterquam nõ fuit conueniens talem authoritatem alteri communicare, vt hic docent sapiẽtissimus Nuño, & Cabrera.

Ad quintum, quod est fundamentum Durandi respondetur, negando antecedens, ad cuius probationẽ distinguo antecedens, constat ex parte materiæ, & formæ, verbis eodem modo consideratis, nego antecedens, diuerso modo, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia verba pœnitentis habent vicem rei, quia se habent, vt materia determinanda postea per absolutionẽ Sacerdotis, & in præsenti (vt diximus in notabili) nomine rerum, non tantum intelliguntur res, quasi elementares, sed quidquid se tenet ex parte actionis sensibilis, vel passionis, quæ est materia determinanda per verba, quæ se habent vt forma, & quia in Sacramento pœnitentiæ verba pœnitentis se tenent ex parte confessionis, & manifestationis peccatorum, cuius significatio postea determinatur per absolutionem Sacerdotis, & per verba Sacerdotis, quatenus se tenent ex parte formæ; ideò fundamentum Durandi nullam habet vim.

Ad confirmationem respõdetur, quod in illo casu verba pœnitentis habent vicem rei, non quatenus verba sunt absolutè sumpta, sed quatenus se tenent ex parte actus pœnitentis, scilicet confessiõnis, quia vt sic sunt materia proxima determinabilis per absolutionem Sacerdotis, & tũc ipsum peccatum commissum ore, quatenus peccatum est habet rationẽ rei, quia est materia remota expelléda per virtutem Sacramenti, & vt sic dicit immediatum ordinem ad ipsam confessionem; & dolorem, tanquam aliquid delebile virtute formæ absolutionis. Et enim in præsenti non sumitur materialissimè nomen rei, vt videtur significari, vt distinguitur à verbo materialiter considerato, sed tam verbũ in articulo sequenti, quam res in isto sumitur formaliter in ratione materiæ determinabilis, & formę determinãtis, vt dictũ est. Vndè vt puerilis reiicienda est sententia Durandi, & parũ consona doctrinæ Conciliorum Florentini, & Tridentini Session. 14.

Ad confirmationem secundam, de matrimonio simili modo dicitur, quod consensus ille qui prius explicatur habet vicem rei, quia habet rationem materiæ determinabilis per cõsensum alterius cõiugis posterius explicatum, qui habet rationem formę, sicut solet dici in Logica, quod vltima vnitas est forma numeri, aliæ verò vnitates habent rationem materiæ. De hoc autem videatur Magister Ledesma in suo tomo de matrimonio, & forte articulo sequenti redibit sermo, & hæc de hoc dubio, & articulo.

ARTI-

ARTICVLVS VI.

Vtrùm requirantur determinata verba in Sacramentorum significatione?

PRima conclusio in corpore. Necesse fuit ad perfectionē significationis Sacrāmentalis, quod significatio rerum sensibiliū per aliqua verba determinetur. Secūda conclusio in solutione ad 2. Ex rebus, & verbis ex quibus constat Sacramentum fit quodammodo vnum, sicut ex materia, & forma. Prima conclusio probatur à D. Thom. in argumento, sed contra ex Apost. ad Ephesios, cap. 5. vbi Christus dicitur mundans Ecclesiam lauacro à quæ in verbo vitę, & etiam probatur ex Aug. super Ioann. vbi ait: *Accedit verbū ad elementum, & fit Sacramentum.* Sed in istis locis fit sermo de Sacramento Baptismi, ergo cum in omnibus Sacramentis sit eadem ratio, sicut aqua accedente verbo determinato à Christo fit Sacramentum: ita etiam alia Sacramenta ex verbis aduenientibus, rebus constare debent.

D. Aug.

Deinde in corpore probatur tali ratione. Sacramenta tripliciter considerari possunt, scilicet, ex parte causæ sanctificātis, ex parte hominis, qui sanctificatur, & ex parte ipsius significationis Sacramentalis, sed quocunque modo considerentur cōgruit eis, quod res determinentur verbis, ergo conclusio est vera. Maior est euidēs, nam cum Sacramentum sit instrumētum Dei principaliter sanctificantis, cum sit signum, considerari potest, vt se tenet ex parte Dei agentis, & ex parte hominis, in quo recipitur, tanquam instrumentum sanctificatiuum eius, & etiam secundum rationē signi: minor vero clare probatur à D. Thom. quoad singulas considerationes, sed tamen quia in vltima, non ita facile percipitur, in forma à nobis probatur sic Verba inter homines, vt patet ex D. Augustin. in 2. de doctrina Christiana principatum significandi obtinent, quia verba magis expressè, & determinatè exprimunt, quod mēte concipitur: ergo ad perfectam, & expressam, atque determinatam significationem Sacramentorum necessarium est, quod res determinentur per verba. Probatur consequentia: rēs habent significationem indifferētem ad hunc, & illum effectum significandum, vt patet in aqua, quæ significare potest, & ablutionem corporalē propter suam humiditatem, & refrigerium propter suam frigiditatē, ergo vt determinetur ad significandum effectum ablutionis spiritualis debet determinari per verba: *Ego te baptizo.* Eadem ratio potest formari de re, quæ est materia cuiuscunque Sacramenti.

Secunda conclusio probatur: nam quando aliqua se habent, vt perfectibile, & perficiens ex illis fit quoddāmodo vnum, vt patet in corpore, & albedine, ex quibus fit vnum compositum accidentale, quod est albū, sed in Sacramentis comparantur verba ad res, vt perfectio ad suum perfectibile: ergo ex illis fit quoddammodo vnum in ratione Sacramenti. Minor probatur: nam significatio rerum perficitur, & determinatur per verba, ergo comparantur vt perfectibile, & perfectio, & cum perfectio se habeat vt forma respectu perfectibilis, & perfectibile, vt materia, de primo ad vltimū sequitur, quod ex rebus tanquam ex materia, & ex verbis, tanquam ex forma, fit quoddammodo vnum in Sacramentis.

VER-

DVBIVM PRIMVM EST.

Vtrùm secunda conclusio D. Thom. sit vera vniuersaliter de omni Sacramento legis gratiæ?

IN hoc dubio communiter refertur sententia Durandi in 4. dist. 1. quæst. 2. specialiter num. 6. & num. 8. vbi asserit, quod non omnia Sacramenta consistunt in rebus, & verbis simul, sed quæddam sic, & quęddam non, quod probat de duobus Sacramentis, scilicet de pœnitentia, & matrimonio, sed tamen quia nos articulo præcedēti explicuimus, quomodo in his Sacramentis reperiātur res, & verba; ideò in pręsenti solum placet ponere fundamentū Durandi, quatenus præfert difficultatem nouam, quę sita est in explicādo, quomodo saluetur in matrimonio cōpositio ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma. Fundamentum eius est: nam Sacramentum matrimonii consistit in verbis exprimentibus consensum de præsenti: ergo istud Sacramentum non constat ex rebus, & verbis. Probatur consequentia, quia ex parte vtriusque coniugis solū assignantur verba exprimentia consensum internum, ergo nihil est, quod habeat rationem rei in tali Sacramēto, Nec valet (ait Durandus) si dicatur, quod verba vnius coniugis se habent vt materia, & verba alterius se habent vt forma. Non (inquit) id valet: nam ipse non intēdit præfato fundamento tollere ab omnibus Sacramentis compositionem materiæ, & formæ, quamuis hoc sit difficile assignare in Sacramento matrimonij, sed solum, quod in tali Sacramento non sit res, quatenus distinguitur, & separatur à verbo, quo pacto sumitur res, & sumitur verbum, cū dicitur quod Sacramentum constat rebus, & verbis, quod in isto Sacramento, & in Sacramento pœnitentiæ non saluatur, quia in illis nulla res distincta à verbo assignabilis est, vt ipse probat, & videtur manifestū, quod autē sit difficile in matrimonio assignare aliquid, quod sit materia, & aliquid quod sit forma sic probat: Nam quilibet coniugum æqualiter se habet ad matrimonium, ergo verba vnius censenda sunt verba, sicut verba alterius. Tūc nos inferimus, ergo non est maior ratio quare verba exprimentia consensum vnius habeant rationem formæ, aut materiæ quam verba exprimentia consensum alterius. Antecedens primum supponitur ab ipso: potest tamen facile probari: quia vir, & fœmina æqualiter obligantur ad leges cōtractus matrimonialis.

Si ad hoc dicatur cum solutione magis vera, quod vterque consensus seu expressio vtriusque consensus ad inuicem se determinant, atque adeò mutuo habent se sicut materia, & forma: nam quatenus expressio consensus vnius est determinabilis per alterum habet rationem materiæ, quatenus vero determinat illam habet rationem formæ.

Contra sic arguitur. Impossibile est, quod vna & eadem res respectu eiusdem, & secundum eandem rationem formalem habeat rationem determinabilis, & determinantis, ergo impossibile est, quod vna, & eadem expressio consensus viri (verbi gratia) habeat se vt determinabilis, & determinans respectu expressionis consensus fœminæ antecedens probatur. Impossibile est, quod idem respectu eiusdem sit in actu, & impotentia secundum eandem rationem, sed id quod est determinabile dicit potentialitatem; determinans vero, vt sic dicit actualitatē, ergo implicat, quod idem respectu eiusdem sub eadem ratione sit determinans, & determinabilis.

Confirmatur: nam ex tali solutione sequitur, quod in eodem genere causæ aliquid sit causa, & effectus; hoc

hoc autē est impossibile: ergo sequela probatur: nā in dicta solutione expressio consensus viri se habet, vt materia, & vt forma respectu expressionis consensus feminæ, & similiter verba feminæ se habent vt materia, & forma respectu alterius: ergo qua parte vna expressio est forma alterius est causa, & qua parte est materia est effectus alterius; minor verò prob. nā id est dari circulū in eodē genere causę, quod omnes Philosophi negant esse possibile. ¶ Secūdo arguitur, illud habet rationē materiæ in sacramentis, quod est indifferens ad multa, & determinatur per formam (vt dicit D. Th. in fine corp. art.) sed consensus vtriusque coniugis, & expressio eius non est indifferens ad multa, sed determinationē habet solū ad contrahendū maritaliter: ergo nullus eorū se habet, vt materia respectu alterius.

Tertio in Cōcilio Floren. determinantur materiæ, & formę omniū Sacramentorū nouæ legis, & tamen nō determinatur materia, & forma matrimonij: ergo signū est, quod Concilū sentit, tale Sacramentū non constare materia, & forma, neque rebus, & verbis. Quarto sequitur, quod sacramentū non sit vnicū simplex signū consequens est falsum: ergo. Sequela probatur: nam sacramentum constat vt ait D. Th. in secunda conclusione rebus vt materia, & verbis vt forma; sed tam res, quā verba significant sua particulari significatione: ergo sacramentū est compositum signum constans ex significatione materiæ, & significatione formæ: Minor verò probatur: nam forma sacramenti est significatio: ergo vnum sacramentum debet habere vnam simplicem significationem: aliàs nullum Sacramentū erit simpliciter vnum vnitate formali. Confirmatur: nam in quolibet sacramento res, & verba se habent, vt materia: ergo falsa est conclusio D. Th. probatur antecedens: nam ratio formalis cuiuscunque sacramenti est significatio gratiæ ex institutione Christi proueniens; sed talis significatio cōperit rebus, & verbis assumptis in sacramento; tanquā forma constituens illa in ratione sacramenti: ergo non tantū res, sed etiā verba habent se vt materia in sacramento.

Pro resolutione istius dubij reuocā dū est inmemoriam, id quod diximus art. prędeđri, circa acceptionē rei, & verbi, scilicet quod quādo dicūt Theologi, quod sacramēta constant rebus, & verbis, non est sumendū hoc materialiter, & stricto sermone, ita vt res non sint verba, & verba non sint res, sed in sensu formali; ideſt, ex aliquo quod gerit vicem rei, & ex aliquo, quod gerit vicē verbi, quod saluatur si assigneturaliquid, quod se habeat vt materia; ideſt quod habeat significationē indeterminatā: nam iste modus significandi est proprius rerum, vt asserit D. Th. in corpore art. & ita omne illud habens in sacramēto modū indeterminatū significandi habet vicē rei, & si entitatiuè sit verbū, & quia verbū habet magis expressam, & determinatam significationē, omne illud quod in sacramento se habet, vt determinans aliam partem, se habet vt verbū, vt loco citato dixi, tū in notabili 1. tū in solutione argumētorū.

PRIMA CONCLVSIO.

OMnia sacramenta nouæ legis constant ex rebus, & verbis, & oppositum est error in fide. Hęc conclusio prob. ex perpetua traditione Ecclesiæ, & ex Cōcilio Flor. indecreto fidei agens de septē nouæ legis sacramentis, vbi postquam omnia sigillatim numerauit, statim ait: *Hæc omnia sacramēta tribus perficiūtur, videlicet, rebus tāquā materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conficientis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Secundo probatur: nam ex sacris literis colligitur apertè aliqua Sacramenta constare verbis, & rebus: nam in primis de Sacramēto Baptismi hec

veritas colligitur ex illo Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ex quo loco Ecclesia semper intellegit in illo Sacramento vtendum esse illa forma verborũ exprimendo personas Trinitatis. Et Ioan. 3. determinatur res, dum dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Similiter ex loco Apostoli adducto à D. Tho. in argumento sed contra: *Mundans eã lauachro aquæ in verbo vitæ*, colligitur tale Sacramẽtum constare re significata per *ly lauachrũ aquæ*, vbi materia proxima, & remota talis Sacramenti determinatur: illud autem verbum *in verbo vitæ*, significat formam verborũ, qua vtimur in tali Sacramento, ita exponit D. Thom, super locum citatũ dicens: *Talia verba vocari verbum vitæ, quia illa forma aduenientes dat aquæ virtutẽ conferendi vitã in virtute passionis Christi*, quam expositionem desumpsit ex Chrisost. & Theophil. de Sacramento Eucharistiæ, idem patet ex Matthæi, c. 26. vbi dicitur: *Quod accepit Iesus panẽ* (ecce rẽ) & statim, *& dixit, hoc est Corpus meum*, quæ verba sunt forma, qua vsus est Christus, & qua modo vtimur Sacerdotes in consecratione talis Sacramẽti. De Sacramento pœnitentiæ constare rebus, & verbis colligitur ex illo Ioan. 20. *Quorũ remiseritis peccata, remittuntur eis*: nã in istis verbis Christus Dominus authoritatẽ, contulit Apostolis, suisq; successoribus, vt tanquã iudices ordinarij circa peccata hominum, sententiam proferant retentionis, seu remissionis; sententię autẽ prolatio perfici debet verbis, nec vllũ signũ potest explicare authoritatẽ iurisdictionis, per quã Sacerdotes peccata remittũt ita benè sicut verba propria iudicũ: *Ego te absoluo*. De Extrema vnctione, idẽ colligitur ex Iacob c. 5. vbi postquã Apostolus hortatus est, vt ęgrotos vngerẽt oleo sancto, hoc est sacramentũ vnctionis illis ministrarent, statim subdit: *Et oratio alleuiabit infirmũ*. Ex quo loco desumpta sunt verba formę pro hoc sacramẽto, quæ explicantur per modũ deprecationis, & orationis, vt docet D. Th. in additionibus q. 29. art. 3. De confirmatione, etiã colligitur ex c. 8. actuũ vbi legitur manus impositio, & oratio, quæ fit verbis. nã Apostoli manus imponentes super baptizatos etiã orabant. Vndè Cyprianus in Epist. ad Louinianũ dicit: *In impositione manus inuocatur, & infunditur Spiritus Sanctus*. De alijs Sacramẽtis, non tã apertè colligitur hæc veritas ex sacra Scriptura: est tamen cõmunis tradditio Ecclesiæ, vt dixi, & cõmunis cõsensus Sanctorũ Patrũ, & omniũ Catholicorũ Theologorũ, qui illud dictũ Aug. adductũ à D. Th. in argumento sed cõtra: *Accedit verbũ ad elementũ, & fit Sacramẽtũ*, de omnibus Sacramẽtis nouę legis intelligunt. quia in omnibus est eadẽ ratio cõgruentiæ, quã D. Th. incorpore art. explicat, & nos in cõmẽtario exposuimus in forma.

Ioan. 3.

Mat. 26

Ioan. 20.

Iacob, c. 5.

Cypria.

SECVNDA CONCLVSIO.

VErba quæ in Sacramentis perse sunt necessaria ex institutione diuina non sunt cõcionatoria, sed consecratoria elementi, & suscipiẽtis sacramentũ. Hæc est contra hæreticos modernos nostri tẽporis, qui sequentes Caluinum dicunt, verbum quod requiritur in Sacramentis, non esse consecratiuũ elementi, neq; suscipientis sacramẽtũ, sed tãtũ verbũ doctrinę ordinatũ ad instructionẽ, & doctrinã suscipientis sacramẽta. De quo vidẽdus est Bellarm. lib. 1. de Sacram. c. 13. & omnes Interptetes D. Th. in præsenti referunt istũ errorẽ, & improbant. Videatur Cabr. disp. 1. cõcl. 1. Suar. hic disp. 2. sect. 3. probatur nostra conclusio. Primo ex omnibus locis ex quibus cõclusione præcedente probaui omnia sacramenta nouæ legis cõstare ex verbis: nã ex omnibus sequitur, quod verba quibus vsus est Christus, tanquam forma sacramentorũ, nõ sunt verba ad docendũ, sicut

sunt

sunt verba quæ in contione dicuntur, sed sunt verba efficatia ad conficiendam materiam Sacramẽti eo modo quo ad veritatem talium verborũ fuit necessarium, ergo. &c. Explicatur hoc: nam in Sacramento Eucharistię, illa verba: *Hoc est corpus meũ*, & verba quę dicuntur supra calicem de fide est, quod sunt consecratoria, quia sunt potentia consecrare species panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. Et ita Paul. 1. Corint. cap. 10. vocat hoc Sacramentum calicem cui benedicimus, ideſt quem verbis consecramus dicens: *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus nonne participatio corporis Domini est?* Si autem verba benedictionis non essent consecratoria panis, & vini, communicatio panis, & Calicis non esset communicatio corporis, & sanguinis Christi, atque ita non diceret verum Apostolus: ergo de fide est talia verba esse consecratoria panis, & vini, & non verba concionatoria. Deinde in Sacramento Baptismi, idem explicatur: nam verba formæ in illo adhibentur per modum inuocationis Sanctissimę Trinitatis, vt patet ex illo Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Huiusmodi inuocatio non adhibetur ad instructionem, & doctrinam, sed ad consecrationem baptizati, vt communiter docent Sancti Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium, D. Augustin. libr. 3. de Baptismo contra Donatistas, c. 5. & lib. 5. c. 20. ergo verba, quibus perficitur Baptismus non sunt concionatoria, sed consecratoria. Deinde confirmatur: nam ante verba formæ Baptismi pręmisit Dominus verba ordinata ad doctrinam, & instructionem omnium, dum dixit: *Docete omnes gẽtes*, ergo cum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Non ad doctrinam baptizandorum hæc verba dixit, sed ad consecrationem baptizandi propriam formam, qua illud Sacramentum perfici debebat, quod optimè annotauit Hieronymus.

1. Corin. 10.

Vltimo probatur conclusio hac ratione. Verbum concionatorium, non est necessarium in Sacramentis, nec propter suscipientes, neque propter circunstantes: ergo impertinenter ponitur ab hęreticis. Probatur antecedens: nam illud verbum tantum deseruit ad instructionẽ fidei, sed qui suscipit Sacramentum sępe sæpius est incapax concionis, vt sunt paruuli, aut phrenetici, vel etiam si sint capaces, non egent tali doctrina: quia sunt sufficienter instructi iam: ergo inutiliter daretur Sacramentum huiusmodi hominibus, vel si vtiliter datur verba formę sunt consecratoria, & non cõcionatoria. Si dicat hæreticus esse necessarium tale verbum propter circunstantes. Contra est primo: nam Sacramentum non causat effectum in circunstantibus, sed in suscipiente: ergo otiosum esset in Sacramento vti verbis ordinatis ad instructionem circunstantium. Secundo: nam etiam potest contingere, quod circunstantes, non sint capaces concionis, vel non egeant illa, sicut contingit in suscipiẽtibus. Tum etiam tertio: quia accidẽtariũ est in multis Sacramentis, quod adsint testes, & in Sacramento pœnitentiæ regulariter necessariũ nõ est, quod nullus adsit testis: ergo verbum concionis non est necessarium in Sacramentis. Videatur Magister Cabrera hic disput. 1. concl. 1. vbi satis eruditè, & diffusè hæreticos impugnat, & nostrã conclusionẽ probat, & obiectionibus cõtra illã satisfacit. Videatur etiam Magister Suar. sect. 3. citata.

Tertia conclusio. In omnibus Sacramentis nouæ legis res habent rationem materiæ, verba vero rationem formæ. Hæc conclusio expressè docetur à Concilio Floren. loco citato, & in Concilio Trid. Sess. 14. c. 3. vbi agitur de partibus Sacramenti pœnitentiæ expressè docetur, quod ver-

ba ministri habent rationē formæ, & actus pœnitentis habent rationem materiæ: ergo eodem modo loquendū est de omnibus alijs Sacramētis. Probatur deinde ratione: nā inquolibet composito ex pluribus, illud habet rationem materię, quod se habet vt determinabile; illud vero habet rationē formæ, quod habet rationē actus determinantis, vt patet inductiuè in omnibus, sed sic se habent res, & verba in Sacramentis: ergo se habent vt materia, & forma. Discursus est optimus, & minor probata, & explicata est à nobis, dum secundam conclusionem D. Thom. probauimus.

Si autem inquirat quis, an hæc cōpositio sit appellanda propriè, & in rigore compositio ex materia, & forma, ac proinde sit compositio physica & realis. Ad hoc dico, quod communior, & verior sententia est, quod res in Sacramentis, non se habēt propriè, & in rigore vt materia, neque verba se habent propriè, & in rigore, vt forma, sed se habent ad modum materiæ, & ad modum formæ, quatenus habent res modum determinabilis, qui est proprius materię, & verba se habent, vt determinantia indifferentiam rerum, qui est proprius modus formæ. Et hoc solum vult docere Cōcilium Florentinum, quando docet Sacramenta nouæ legis constare ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma, ideſt ad modum materię, & formæ; & ideò non dixit absolutè in Sacramento nouæ legis res esse materiam, & verba formam, quod etiam vult docere Tridentinum, vbi supra dum ait, quod actus pœnitentis se habent quasi materia in Sacramento pœnitentiæ, & ad saluandam doctrinam D. Thom. hic ad 2. idem sufficit: nā non dicit, quod in Sacramentis res sunt materia, & verba forma, sed quod ex illis resultat quodammodo vnū, sicut ex materia, & forma; sicut enim vnum resultans est quodammodo vnum, ita sufficit quod partes ex quibus resultat se habeant quodammodo vt materia, & forma propter analogicam proportionē, quæ reperitur inter habitudinem quam adinuicem habent, & habitudinē quam habent in compositis physicis materia, & forma, quæ consistit in habitudine determinabilis, & determinantis, perfectibilis, & perficientis, & ratio huius resolutionis est: nā vt docēt Physici, dum de causa materiali, & formali agunt, de conceptu istarum causarū est vnio realis inter se, ita vt materia vniatur formæ per modum subiecti potentialis recipientis inse intrinsecè formam, & eius perfectionem, & forma actuat per intrinsecam vnionē & informationem ipsam materiam; hæc autem intrinseca vnio nō est assignabilis inter res, & verba, nec est necessarium inuenire modum aliquē realem causatum ex verbis in re quæ est materia Sacramenti, vt vice verborum intrinsecam vnionem habeat cum materia (vt docet Magister sapientissimus Nuño hic difficult. 2.) & probo hoc. Primo, nam verba neque secundum se, neque vt institura à Christo per modum formę habent vim actiuam ad causandum talē modū realē: ergo superfluè ponitur. Antecedens prob. & inprimis secundū se clarū est, quod nō habeant talem virtutē, cum voces solum habeant mouere auditū, siuè ad sui cognitionem, siuè ad cognitionē sui signati, aut prolatoris, quod autē ex institutione diuina illā virtutē nō habeant, probatur: nam ex illa solum habent significationem proprij effectus Sacramentalis, & si aliquam virtutē habēt est inquātum sunt forma Sacramenti respectu gratiæ causandæ per ipsum Sacramētum: ergo omnis alia virtus videtur imaginaria. Tùm secundo: nam verba ex Christi Domini institutione determinant rem per propriam significationem, vt docet D. Thom. & iam supra explicui; & ideò habent rationem formę, sed hanc determina-

minationem optimè intelligimus, sine aliqua virtute actiua, & sine aliquo modo reali causato in re determinata: ergo sine fundamento solido totū illud superadditur. Confirmatur: nā hęc determinatio est in propria ratione signi: ergo non est determinatio realis per realem modū causatū, sed solum erit determinatio secundū rationem relationis signi, sed hæc relatio in verbis est relatio rationis: ergo solum est determinatio secundum rationem ex diuina eleuatione, vt resultet quoddam totum artificiatum, quod licet ex parte entitatū materialiū sit reale; tamen secundū propriam rationē Sacramenti, qua ratione art. 1. huius quæstion. esse signum ad placitū diximus, aliquid rationis, & morale est. Ad istam rationē possunt reduci aliq, quæ possent fieri cōtra illū modum opinandi, videlicet, quod relatio etiam realis nullius modi realis est operatiua; similiter quod forma, quæ tantum in genere causę formalis & determinantis concurrit, etiamsi inhæreat subiecto quod determinat, nihil efficit in illo; sed solū communicat suam intrinsecam perfectionem.

Ex his patet ad secūdū quęsitū. Dico ergo, quod hæc cōpositio nō est propriè loquēdo physica; imò neque realis; sed tantū moralis, & artificiosa, ex qua resultat vnū morale artificiatū, quatenus partes cōponentis se habēt, vt determinās, & determinabile secūdum ordinem diuinę institutionis, & non secundum ordinem realē conuenientem ipsis secundum se.

QVARTA CONCLVSIO.

VErba, & res licet interse cōparentur per modum materiæ, & formæ Sacramenti; tamen respectu significationis Sacramentalis, tā res, quā verba se habent per modū materiæ. Ratio huius conclusionis est: quia significatio ineſt toti cōposito ex rebus, & verbis, & habet se quasi vltima forma determinās alia: ergo cōparatur ad illa, tanquam forma ad materiā, quod autē non sit inconueniens assignare in quolibet Sacramento duplicē quasi formā, ita explicatur à Doctoribus: nā quidam dicunt, quod verba sunt, quasi forma partialis, relatio autē signi determinās immediatè totū cōpositū est quasi forma totalis. Exemplū est in cōposito naturali, & incōposito artificiali, & enim anima rationalis est forma partialis hominis; humanitas autē est forma totalis. Similiter in domo figura totius domus est forma totalis, & tamen tecta se habent vt forma respectu aliarum partiū, quæ se habent vt fundamenta, & consequenter vt imperfecta determinabilia. Vndè sicut non est inconueniens, quod in homine anima sit forma partialis ipsum cōstituens partialiter, & tamen quod simul cum materia quatenus sunt ipsum compositum humanum, se habeant, vt materia determinabilis per humanitatem, tanquam per formam totalem, & idem est de domo, ita nō inconuenit, quod in Sacramentis verba sint forma partialis partialiter cōstituens Sacramētū, & quod simul cū re quatenus sunt ipsum cōpositū resultans, se habeāt vt materia. Vndè concedendū est iuxta modū familiarē loquēdi Cōciliorū, quod verba sunt forma Sacramenti formaliter sumpti, & non solū materialiter sumpti, cū Concilia absolutè dicant Sacramenta cōstare rebus, vt materia, & verbis vt forma. Ratio huius est, quia quēadmodū anima, vt actuat materiam, & illā constituit in specie humana vocatur, & simpliciter est forma partialis hominis, & non tātum corporis, esto vt simul cū corpore est actuabilis vltimo per formā totalē: ita similiter in Sacramentis, quatenūs verba constituunt elementū in specie signi sacri sūt forma Sacramēti formaliter, licet sub alia cōsideratione respectu significationis se habeāt vt materia, quatenus simul cū rebus sunt ipsum cōpositū, quod est subiectū immediatū de-

nominabile per talẽ relationẽ signi.

Ad argumenta respondetur. Ad primum dico, quod solutio, quam ipse Durandus refert assignata à nobis inter arguendum est optima: nã vt patet ex nostro notabili nomine rei in Sacramẽtis intelligitur aliquid se habẽs ad modũ rei propter indeterminatã significationẽ, & nomine verbi intelligitur quidquid se habet ad modum verbi propter determinatam, & expressam significationem, quæ est propria verbi. Vndè consensus explicitus vnius coniugis, quatenus in ratione signi spiritualis vnionis Christi cum Ecclesia, & gratiæ collatæ in illo Sacramento determinat aliũ habet rationem verbi, quatenus verò est determinabilis habet rationẽ rei, & rationem materiæ.

Ad illud verò, quod obiicit Durãdus, patet ex dictis in notabili, quod res non sumuntur materialissimè, vt distinguntur entitatiuè à verbo, sed modo à nobis explicato, quo pacto in Sacramento pœnitentiæ saluatur, quod cõfessio dolorosa habet rationem rei, quatenus vt supponitur absolutioni est quid in forme, & in determinatum determinabile per verba absolutionis, quæ proinde habẽt propriè rationem verborum, sicut habẽt rationem formæ illius Sacramenti, vt patet ex Concilio Trident. vbi supra.

Similiter saluatur in præfata acceptione, quod in Sacramento matrimonij saluatur, quod sit compositum ex rebus, & verbis, sicut ex materia, & forma. Ad id verò, quod obiicitur in contrarium in materia optimè ibi dictum est, & colligitur illa solutio ex D. Thom. in additionib. 3. part. q. 42. art. 1. solutione ad primum, & secundum: nam in solutione ad primũ docet, quod verba: *Quibus cõsensus matrimonialis exprimitur habent rationem formæ Sacramenti matrimonij*, & in solutione ad 2. ait: *Quod quemadmodum pœnitentia, non habet aliam materiam, nisi actus pœnitentis sensui subiectos, qui sunt loco materialis elementi, ita matrimoniũ habet pro materia actus ipsos contrahentium sensui subiectos* (quod est dicere) quod consensus expressi, vt expressi per verba sunt materia, ipsa verò expressio vtriusq; quasi formaliter cõsiderata, vt aliquid distinctũ ab ipsis cõsensibus explicatis habet rationẽ formæ. Ex hac ergo doctrina D. Th. colligũt homistæ solutionẽ datam inter arguendum, quem assignat sapientissimus Soto in 4. distin. 1. q. 1. art. 6. §. ad dubium ergo, & distin. 26. art. 1. & secundum istam solutionem intelligit citatus Magister doctrinam D. Thom. citatam, cui consentiunt omnes alij. In forma ergo ad rationẽ Durandi respondetur, cõcedẽdo antecedens, cõcedẽdo cõsequẽtiam, si considerẽtur verba vnius sub ratione determinantis, & quia verba cuiuscunque possunt sic considerari; ideò possunt habere rationẽ formæ & verborum respectu alterius, & ita (vt aduertit optimè Mag. Soto) argumentum probat nostram solutionẽ, scilicet, quod neutra explicatio, neque viri, aut mulieris determinatè est forma respectu alterius, sed quod ad inuicem sunt, sibi materia, & forma, & adinuicem se habent vt res, & verba: quia in Sacramentis (vt dictũ est) id quod se habet, vt materia habet rationem rei sub illa ratione, & id quod se habet, vt forma sub illa ratione habet rationem verborum cuius doctrinæ duplex exemplum potest adhiberi, primum in numeris, quod adducit sapientiss. Soto. Et enim in numeris vltima vnitas est forma dans speciem numero, tamen quia in numero, siue ternario, siue quaternario quælibet vnitas potest habere rationem vltimę: quia quęlibet in tali specie pendet ab alia; ideò quælibet potest habere rationem formę respectu alterius, & quælibet rationẽ materię: non enim est maior ratio vnius

D. Tho.

quam

quam alterius, vt patet si Deus omnes vnitates simul poneret, atque ita quælibet adinuicem habent rationē formæ, & materię. Sit secundum exēplum in relatiuis, in quibus vnum terminat aliud, & consequenter specificat illud ad illum modum, quo obiectum per modum termini specificat suam potentiam: similiter è conuerso illud relatiuum specificatur ab altero correlatiuo, vt patet in paternitate, & filiatione; etenim paternitas specificatur à filiatione, & è contra etiam filiatio specificatura Paternitate. Sed dices, ergo non assignatur in matrimonio determinata materia, & determinata forma, quia quælibet expressio cuiuscunque coniugis potest esse materia, & potest esse forma.

Respondetur, quod non est in hoc Sacramento, tam exacta determinatio in materia, & in forma, sicut in alijs Sacramentis. Vnde non est determinatio secundum entitatē, ita quod detur entitas, quę taliter sit materia, quod nullo modo sit forma, & ita quod detur entitas, quæ taliter sit forma, quod nullo modo sit materia; est tamen determinatio sufficiens ad rationem talis Sacramēti, videlicet determinatio formalis secundum rationem formalem, siquidē assignamus, quod expressio vnius consensus sub ratione perfectibilis per alium est materia, & altera expressio, vt perficiēs est forma, & è conuerso. Ratio verò quare hæc determinatio est sufficiēs in isto Sacramento est: quia est quiddam contractus eleuatus ad rationē Sacramenti ex Domini institutione; in contractu autem humano actus cōtrahentium sunt sibi inuicem materia, & forma.

Ad replicam factam inter arguendum: respondetur concedendo antecedens, distinguendo consequēs sub eadem ratione formali, concedo sequelam, sub diuersa, nego sequelam.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo sequelam in eodem genere causæ, & sub eadem ratione formali, nego sequelam, sub diuersa, cōcedo consequentiam, & nego minorem: nam hoc non est inconueniēs, vt patet in exemplis adductis, & in essentia respectu propriæ passionis, idem patet; etenim essentia comparatur ad propriam passionem, tanquā causa formalis extrinseca, aqua specificatur, & in eodem genere causę formalis est effectus passionis, quatenus actuatur per actualitatē propriæ passionis. Similiter in principio actionis vitalis idem patet: nam tale principium in genere causæ formalis comparatur ad actionem vitalem, & in eodem genere est effectus actionis vitalis, quatenus recipit in se talē actionem, & denominatur, atque constituitur operans vitaliter in actu per illam, quod verissimum est maximè quando forma non intrinsecè recipitur in materia, neque materia est subiectum intrinsecè recipiens formam, sed solum extrinsecè se habent, qualiter se habent expressiones contrahentium, quatenus extrinsecè se determinant ad significandum effectū Sacramenti, vt annotauit sapientissimus Ledesma, tom. de matrim. art. 1. quæst. 42. addictionum difficult. 4. solutione ad 4. argumentum.

Sed inquiret quis, quę diuersitas rationum reperiatur in expressionibus contrahentium, siquidem de se æqualitatem habent in explicando consensum cuiuscunque coniugis.

Ad hoc respondetur notādo, quod expressio vnius coniugis (v. g.) viri, per considerari, vt exit à viro cōsentiente per modum inchoantis contractum matrimonij, qua ratione nō includit essentialiter simultatem consensus feminę iam exhibiti in re, sed potius præsupponitur ad illum: ita quod accidentaliter se habet, quod forte simul femina consentiat, & explicet suum consensum, & sub ista ra-

tione consideratum per modum inchoationis contractus coniugij, & se habet vt determinabilis per expressionem consensus feminæ, & tunc talis expressio feminæ cõsideratur per modum consumationis contractus, & ita sub ratione formæ determinantis.

Præterea potest considerari expressio consensus viri, quatenus iam præsupponit expressionem consensus feminæ iam exhibiti in re, & sub ista ratione habet rationem vltimæ formæ consummantis, & determinãtis contractum in ratione contractus matrimonialis, & eodem modo dicẽdum est de consensu feminæ respectu consensus viri. Vbi aduertendũ est, quod hæc multiplex considerato familiaris, & communis est in omnibus contractibus emptionis, & venditionis, seu permutationis: nam consensus ementis inchoat contractum, & consumat, & similiter consensus vendentis sub rationibus cõsideratis.

Secundo potest dici, cũ quibusdam doctissimis Theologis, quod cõsensus viri consideratus in ratione traditionis habet rationem determinabilis, & consequenter materię respectu consensus feminæ considerati in ratione acceptationis, & eodẽ modo loquendum est de consensu feminæ respectu consensus viri expressi. Ratio huius est, quia cum istud Sacramentum sit quiddam contractus, qui perficitur inter coniuges eo modo, quo in alio quolibet contractu, & est traditio rei ab vno, & acceptatio eiusdem rei ab alio, & in contractu ementis, & vendentis est mutua traditio, & mutua acceptatio inter contrahentes, ita similiter in isto contractu matrimonij celebrato per externam consensus vtriusque cõiugis expressionem est mutua traditio, & mutua acceptatio: nam vir tradit se feminæ, & femina tradit se viro, & quælibet traditio ab altero coniuge acceptatur; traditio autem, & acceptatio, ita cõparantur, quod traditio præsupponitur acceptationi, & in illa cõtractus incipit, qui tamẽ per acceptationẽ cõsũmatur. Ex quo sequitur clare, quod expressiones consensuũ vtriusq; coniugis sub istis rationibus explicatis mutuo se determinãt; atq; adeò mutuo se habent per modũ materiæ, & formæ.

Hęc dicta sunt in expositionẽ solutionis communis. Nobis tamen placet aliter soluere argumentum principale aliter intelligendo doctrinam D. Thom. in illis solutionibus citatis, videlicet, quod quãdo D. Sãctus ait, quod forma in matrimonio sunt verba, quibus consensus exprimitur, intelligit ipsas expressiones consensus, quasi formaliter, quatenus sunt quid distinctũ ab ipsis cõsensibus explicatis, quod est considerare illas veluti actiuè, tanquam causam manifestantem omnem rationem repertam in consensibus interis contrahentiũ, tam rationem traditionis, quam acceptationis corporum, quando verò ait, quod actus contrahentium sensui subiecti sunt materia, sensus est quod ipsi consensus, quatenus per accidens sunt sensibiles, scilicet per ipsam expressionem sunt materia; neque mirum, quod materia huius Sacramenti sit sensibilis per accidens: nam etiam aliqua pars materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, vtpotè contritio, est sensibilis per accidẽs: quia ad rationẽ Sacramenti, etiam loquendo de eo quod est Sacramentum tantùm sufficit, quod totum ipsum Sacramentum cõtineat aliquod signum, quod sit perse sensibile, ratione cuius dicatur simpliciter sensibile, licet ad eius constitutionẽ cõcurrat aliqua pars, quæ tantũ sit sensibilis per accidẽs. Sicut homo absolutè dicitur sensibilis, & corporeus, quamuis constet anima rationali, quæ est simpliciter spiritualis, & tãtum per accidens sensibilis, quatenus per actiones corporis manifestatur. De quo videndi sunt Doctores supr-

art. 4. & Suar. disp. 1. sect. 3. ante dictum 2.

In hoc ergo modo soluendi argumentum à nobis meditato, dicendū est in forma, quod vterque coniugū æqualiter se habet in matrimonio, & ita consensus vtriusque vt sensui subiectus per manifestationē sui est materia talis Sacramenti, & signum per se sensibile vt per se sensibile, siue nutus, siue verba (iuxta dict. art. præcedente) vt se tenet ex parte vtriusque, scilicet expressio vtriusque cōiugis, vt est signum sensibile per se manifestans consensum vtriusque, habet rationem verbi, & formæ. Et contra istam solutionem, non currunt argumenta facta inter arguendum, quod scilicet idem sit materia, & forma, actus, & potentia: nam expressio actiua est forma, & actus; expressio autē passiua consensuum, vt est denominatio extrinseca in ipsis consensibus est materia, vel vt melius dicam est cōditio intrinseca materiæ; vel ratio propter quam consensus interni, iam aliquo modo sensibiles effecti sunt materia.

Ad secundum respondetur, concedo maiorem, & distinguo minorē habet istam determinationem ratione sui absolutè sumpti, nego minorē, ratione sui vt dicentis ordinem ad alterum consensum, à quo dependet in actu exercito, concedo minorem, & nego consequentiam, quia sufficit vt se habeant per modum materiæ, & formę, quod dependeant ab inuicem in ratione completa contractus per modum traditionis, & acceptationis, siue inchoationis, & consummationis: fateor tamen, quod in isto Sacramento, non est in materia illa ampla indeterminatio, quę reperitur in Sacramentis alijs, quod prouenit ex eo quod (vt iam dictum est) est contractus eleuatus ad rationem Sacramenti. Vndè non requirit aliā indeterminationem in materia præter illam, quæ reperitur in materia cuiuscunque alterius similis cōtractus, quæ consistit in hoc, quod sine cōsensu alterius partis est tantum inchoatiuè, & initiatiuè, & ita est indifferēs, ideſt non determinatus, & completus in propria ratione contractus.

Secundo respondetur, quod id quod habet rationem materiæ in matrimonio habet indifferentiam in ratione signi ad significandum vinculū coniugale, prout ante Christi institutionem erat tantum ordinatū in officium naturæ, & ad significandum illud prout ex Christi institutione ordinatur ad effectum Sacramentalem significandum, & secundum istam indifferentiam determinatur per expressionem vtriusque coniugis, tanquam per formam eleuatam ex Domini institutione ad vinculum Sacramentale, & ad gratiam Sacramenti significandam. Vndè in forma distinguo minorem: habet determinationē ad contrahendum Sacramentaliter, nego minorem, naturaliter concedo minorem, & nego cōsequentiam: nā secundum quod in ratione contractus naturalis, non est determinatus vt sit tantum in officium naturæ, neque vt sit in finem Sacramentalem, determinabilis est consensus vnius per consensum alterius iuxta modum iam explicatum in solutione ad præcedens argumentum.

Ad tertium respondetur, quod Concilium Florent. consultò nō determinauit expressè materiam, & formam Sacramenti matrimonij, quia circa hanc difficultatem semper fuerunt in Ecclesia variæ Doctorum opiniones, omnesque probabiles. Et ideò vt nulli præiudicaret omisit hanc determinationem volens omnes opiniones in sua probabilitate manere; tamen virtualiter, & implicitè hanc determinationem apposuit, dū dixit omnia Sacramenta nouæ legis constare ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, vndè negatur consequentia. imò etiamsi in illa vniuersa-

uersali, non contineretur hæc particularis: Sacramentum matrimonij constat ex rebus vt materia, & verbis vt forma, argumentum nihil valet: nam est argumentum negatiuũ, ex quo solum posset inferri non esse contra fidem talem determinationẽ negare; non verò quod de facto tale Sacramentum, non sit compositum ex materia, & forma: qui autem modo hanc veritatem negaret, absque dubio esset hæreticus, & loqueretur contra Concilia: Sententia verò Durandi: quia sumit res, & verba materialissimè, non est contra fidem, est tamen aliena à modo familiari loquẽdi Conciliorum, & omnium Theologorum: vndè quia in re graui à communi placito recedere temerarium est, tanquam temeraria reiicienda est talis sententia.

Ad quartum respondetur, quod aliqui graues Theologi, ita tenent, sicut argumentum probat, videlicet significationem totalem Sacramenti esse compositã ex significatione materię, & significatione formæ, taliter quod res cum sua significatione se habeat vt materia respectu verborum, cum sua significatione, & vtraque significatio resplendeat in significatione totali ipsius Sacramenti, & non reputant inconueniens, quod significatio Sacraméti provt est compositum ex rebus, & ex verbis sit significatio composita ex duplici partiali. Ita Suarez hic disp. cit. sect. 1. §. secundo est difficultas resp. 2. & Bellarmin. libr. 1. de Sacram. cap. 18. Quidquid tamẽ sit de probabilitate istius solutionis, quæ mihi non improbabilis apparet; Secundo dico ad argumentum, quod in Sacramentis, vt hic ait Cabrer. circa solutionem ad 2. D. Thom. nõ est significatio composita resultãs ex duplici significatione partiali, sed vnica tantum simplex significatio denominans immediatè totum compositum resultans ex rebus vt materia, & verbis vt forma.

Ratio huius est, quia præter significationem naturalem, quam habẽt res, & prẽter significationem ad placitum, quam habent verba exprimaria hominum impositione datur noua quędã significatio ex Christi Domini institutione correspondens rebus, & verbis simul sumptis, quatenus in composito Sacramentali se habent, vt determinabile, & determinãs respectu significationis spiritualis effectus Sacramentalis; quando autẽ aliqua simul vnica institutione imponũtur ad significandum aliquid, taliter quod nullum illorum, sine consortio alterius illud perse manifestat, necessarium est relationem signi vtrunque denominantem esse vnam, & simplicem: quia illa denominat illa per modum vnius subiecti indiuisibilis; Sic ergo se habent ablutio, & verba formæ in Baptismo: nam neque ablutio se sola significat ablutionẽ spiritualem animæ, neque illa verba: *Ego te Baptizo*, illam significant seorsum sumpta, sed simul sumpta illa duo, quatenus vniunturper modum determinabilis, & determinantis significant effectum spiritualis ablutionis.

Vndè informa. Ad argumẽtũ, nego sequelã, ad cuius probationẽ concessa maiore, distinguo minorẽ, significãt sua particulari significatione loquendo de significatione propria ipsorum præsupposita ad significationem Sacramentalem, concedo minorem, loquendo de significatione formali sacramenti, nego minorem: quia hæc superuenit rebus, & verbis simul sumptis ratione nouæ institutionis Christi Domini. Vndè negatur consequẽtia, cuius rei potest adduci exẽplum in nomine compositæ figuræ, quod habet vnicam simplicem relationem signi prouenientem ex noua impositione, licet antecedenter præsupponatur significatio propria cuiuscunque partis, vt dicit D. Thom. lib. 1. Perhiermeniarum, quem sequuntur omnes Dialectici.

Ad

Ad confirmationem respondetur, iuxta dicta in 4. conclusione distinguendo consequens, respectu significationis, quæ est forma totalis, concedo consequentiam, adinuicem, nego consequentiam. Hæc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM EST.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis constent ex rebus, & verbis, tanquam ex partibus essentialiter, & intrinsecè componentibus singula Sacramenta?

IN hoc dubio quiddam Theologi absolutè negant sacramentũ esse ens essentialiter compositũ ex rebus, vt materia, & ex verbis vt forma, & probant suum placitum primo authoritate Arist. 7. Physicorum text. 17. Vbi postquam docuit nomẽ artificiati supponere pro materia, addidit: perficitur autem per formam. In quibus verbis significat (vt ipsi dicunt) euidenter, quod forma non est de substantia, & essentia rei artificiatæ, sed tantum de perfectione: ergo cum sacramentum sit res artificiata, sequitur quod forma non sit de eius essentia, &c. Adducunt etiam D. Th. in 4. distin. 3. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 3. vbi asserit, quod sicut artificialia, non ponuntur ingenere ex forma simpliciter, sed ex materia, vt domus nõ est ingenere qualitatis, sed dicitur esse ingenere substãtię, ita similiter dicendum est de sacramẽtis, vndè subiungit, quod baptismus est simpliciter ingenere ablutionis, & secundumquid ingenere relationis signi. Si autem forma pertineret ad essentiam sacramenti, & artificiatorũ, cum res ponantur in prædicamento tatione suæ essentiæ simpliciter ponerentur huiusmodi res in prædicamento ratione suæ formæ simpliciter. Cõfirmatur hoc ex D. Thom. 3. part. q. 84. art. 1. solutione ad 2. vbi ait, quod sacerdos dum absoluit pœnitentem exhibet complementum sacramenti, sed complementum rei supponit rẽ iam factam: ergo cum sacerdos absoluit ponat formam illius sacramenti, sequitur quod forma non sit de essentia sacramenti, sed tantum de complemento.

Secundo probatur hæc sententia ratione desumpta ex eodem principio, quę sic formatur; sacramentum est res artificiosa, & concretũ quoddam accidentale, sed in omni compõsito artificiali sola materia est tota essentia, & forma tantum est de perfectione rei: ergo sacramentum non cõponitur. &c. Minor probatur exemplis: album enim quod est compositũ accidentale non est ipsum compositum, aliàs esset ens per accidens, quia esset corpus, & albedo, & consequenter plura entia in actu: ergo tantum est corpus habens albedinem. Similiter Cathedra non est lignum, & figura, sed lignum habens figuram propter eandem rationem: ergo in eodẽ principio sistendo, sacramentum non est aliud, quam res materialis connotans formam.

Hanc sententiam tribuunt aliqui Doctores extra scholam D. Thom. Mag. Sot. in 4. dist. 3. art. 1. & distin. 14. art. 1. sed tamen vt postea videbimus immeritò attribuitur hæc opinio tanto Doctori.

Secunda sententia asserit materiam, & formam sacramentorum interdum esse partes intrinsecas sacramentorum: interdum verò non esse, sed aliquando materiã esse solam, in qua consistit tota essentia sacramẽti: quia in illa inest tota significatio; aliquandò verò formam esse totum sacramentum propter eandem rationem, vt contingit in Pœnitentia, in cuius forma inest tota significatio illius sacramenti, & tunc materia solũ se habet, vt quid prærequisitum: quando autem tota significatio est in sola materia dicit ista sententia, quod forma se habet solum vt afficiens respectu materiæ, & nullo modo est pars intrin-

intrinseca Sacramenti, vt videtur cõtingere in Eucharistia, tunc autem, asserunt sequentes istam sententiã, materia, & forma sunt partes intrinsecè, componentes Sacramentum, quãdo significatio inest in toto composito, vt contingit in Baptismo, Confirmatione, & Extrema-Vnctione.

Hęc sententia colligitur ex Scoto in 4. dist. 3. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 1. & 2. §. respondeo in principio; & dist. 14. quæst. 4. §. hic sunt tria. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex doctrina contenta in eius relatione. Illud est essentialiter sacramẽtum, quod est impositum ad significãdum effectum sacramenti, sed aliquãdo illud quod est impositum ad significandum effectum sacramenti est cõpositum ex materia, & forma, aliquãdo vero est sola forma: ergo non semper sacramentum intrinsecè componitur ex materia, & forma.

Discursus est legitimus, & minor probatur exemplis positis supra. Cõfirmatur, quia Concilium Florent. nõ dixit sacramenta nouæ legis constare ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, sed quod perficiuntur tribus, rebus, & verbo, & persona ministri cum debita intentione quorũ si aliquid desit, non potest substantia sacramenti consistere, sed iste modus communis est, non solũ ad partes intrinsecas, sed etiam ad causam efficiẽtem, & ad causam ministerialem extrinsecè tantum concurrentem ad sacramentum: ergo ex Concilio nõ potest colligi, quod vniuersaliter in omnibus sacramentis materia, & forma sint partes intrinsecè componentes, sed solum, quod necessariò concurrant. Probatur consequentia: nam ex illo loco non colligitur, quod persona ministri sit pars intrinseca: ergo cũ eodem tenore verborum, quo dicitur materiam, & formam concurrere ad sacramenta, dicatur etiam, quod concurrit persona ministri, non potest colligi, quod magis res, & verba componant intrinsecè, quam persona ministri: cum ergo de hac, id non inferatur, nec de alijs.

Tertia sententia affirmat, quod in omnibus sacramentis, quorum essentia consistit in vsu, materia, & forma concurrunt intrinsecè vt partes essentialiter componentes, qualia sunt omnia sacramenta præter Eucharistiam. At, hoc Sacramentũ, quia non consistit in vsu, sed est res permanens, non componitur intrinsecè ex materia, & forma, sed proximum subiectum cui inest tota significatio sunt species panis, & vini, vt continentes subsse corpus, & sanguinẽ Domini. Vnde verba, quę se habẽt, vt forma, nõ se habẽt, vt forma intrinsecè cõponẽs tale Sacramẽtum, sed se tenent ex parte causæ efficientis ipsum sacramentũ.

Hanc sententiam tenet Vazquez 3. part. disput. 129. cap. 3. vbi sacramentum Eucharistiæ ab alijs distinguit in hoc. Probaturque primo exdecreto Eugenij IV. in Concil. Florẽt. post vltimam Sessionem vbi supra, quo loco de sacramento Eucharistiæ sermonem instituens ait: *Quod materia eius est panis, & vinum, forma autem verba*, sed constat, quod panis, & vinum non sunt pars intrinseca sacramenti, & in facto esse, sed solum se habent ex parte termini à quo, vt materia, quæ quasi reiicitur: ergo similiter verba possunt dici forma inferi, & quasi extrinsecè: non verò quia constituant intrinsecè sacramentum in facto esse. Secundo; nã verba sunt causa efficiens sacramentum: ergo non sunt pars essentialis illius. Consequentia patet, quia causa efficiens licet causet essentiam effectus, nõ tamen est intrinsecè componens, sed potius præsupponitur ante effectum: Antecedens verò probatur ex eodẽ decreto Concil. Florent. vbi postquam dixit formam Eucharistiæ esse verba Saluatoris hanc rationem assignat: *Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*, ecce

ecce Concilium taliter assignat verba pro forma illius Sacramenti, quod causam effectiuã illius ea[illegible] cõstituit.

Tertiò. Hoc Sacramentum in quãtum differt ab alijs consistit in esse permanenti: ergo non sunt forma eius verba. Probatur consequentia, quia res permanens requirit partes permanentes; verba autem sunt ens successiuum. Vndè modo seruatur Eucharistiæ Sacramentum in sacrario, & populo ostẽditur, infirmisque defertur, & tamẽ modo nõ sunt verba ergo nõ sunt forma essentialis illius.

Quartò. Illud est Sacramentum nouæ legis, quod primariò, & immediatè significat gratiam Sacramentalem; sed tantum species Sacramentales consecratæ primariò, & immediatè significant, & efficiunt gratiam ciuantem, & non verba: ergo verba nõ sunt forma intrinseca illius sacramenti. Probatur minor, quia verba immediatè significant (vt videtur clarum) conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, ergo non gratiam ciuantem.

Ante resolutionẽ huius dubij prẽmittere licet, quod prima sententia in illo sensu in quo refertur, falso attribuitur sapientissimo Mag. Sot. nã ipse expressè in illis duobus locis, in quibus citatur à Mag. Suar. & ab alijs in prẽsenti, expressè docet, omnia sacramenta nõ consistere in sola materia, neque in sola forma: nam in dist. 3. docet, quod sublata verborum forma in baptismo non manet sacramentum, neque significatio sacramẽti, sed mera ablutio corporalis. Vndè fatetur ipsam verborũ formam pertinere ad essentiã illius sacramenti. Similiter in dist. 14. q. 1. art. 1. expressè asserit contra Scotũ, quod sacramentum pœnitentiæ non consistit in sola forma Sacerdotis, sed in actibus pœnitẽtis, & forma simul, cuius rationẽ assignat, quia Florẽtina Synodus affirmat omne sacramentũ constare ex materia, & forma. Ex quo infert, quod sola forma non est tota substantia, ideſt tota essentia sacramenti: quia non remaneret materia, quę esset illius sacramenti pars, quod esset cõtra Conciliũ, ex quo euidenter patet, quod sapientissimus Mag. conformiter ad Cõciliũ Florentinũ, tenet omne sacramẽtũ constare, tanquam ex partibus essentialibus ex materia, & forma. Neque sibi contradicit, cũ ait sacramẽtũ supponere pro materiali parte connotando formã: nã Dialectici, qui dicunt nomẽ cõpositi accidentalis, aut artificialis supponere pro materia connotando formam nolunt dicere, quod forma non sit pars essentialiter cõponens totũ illud, sed solũ, quod quia nõ significatur in recto, & directè, sicut significatur forma substãtialis per nomen substantiuũ; ideò nomen significans illud compositũ, supponit pro materia vt includẽte intrinsecè formã. Fateor tamen, quod sapientissimus Mag. docet, quod subiectũ immediatũ, cui inest proxima significatio Sacramenti non est agregatũ resultans, sed materia vt includens formã, vt in baptismo est ablutio sub tali verborũ forma, & sic de alijs, tamen in hoc licet dissentiat in modo loquendi ab alijs Theologis; non tamen asserit, quod ipsi falso imputatur, vt iã patet. Similiter cũ ait, quod in cõpositis artificialibus tota substãtia rei est materia, nõ accipit nomẽ *substãtia* pro vt significat essentiã rei, sed tantũ pro vt significat ens substantiale, vel quod se habet vt substantia in cõposito illo, vt optimè hic annotauit sapient. Nuño. diffic. 2.

Hoc supposito est notandũ, quod in præsenti dub. nõ loquimur de materia remota sacramẽtorũ, vt sunt peccata, in pœnitẽtia, aqua, in baptismo, panis & vinũ in Eucharistia: nam ista materia remota prẽsupponitur ex parte termini aquo in sacramentis, & in multis abiicitur, & expellitur, sed loquimur de materia proxima, de qua simul cũ forma inquiritur an intrinsecè constituant Sacramentum.

SIT PRIMA CONCLVSIO.

IN omnibus Sacramentis, quæ consistunt in vsu, & actione, qualia sunt omnia præter Eucharistiam dicendum est, quod intrinsecè se habent materia, & forma, tanquam partes intrinsecè componentes Sacramentum. Ex hac conclusione sequitur, quod proximum, & immediatum subiectum, cui conuenit significatio propria Sacramenti est compositum resultans ex materia, & forma. Hęc conclusio videtur expressa D. Th. hic ad 2. & art. 7. in corpore, vbi docet, quod Sacramẽta sunt cõposita ex materia, & forma, & loquitur de illis, sicut de alijs cõpositis ex similibus partibus. Vndè de verbis, & rebus, vt concurrunt ad Sacramentorum compositionem loquitur eodem modo, atque de alijs partibus: ergo sicut in alijs compositis materia, & forma intrinsecè, & essentialiter se habent, ita in Sacramentis.

Confirmatur ex D. Thom. infra quæstion. 86. articul. 6. in corpore, vbi ait, quod Sacramentum producit suum effectum non solum virtute formæ, sed etiam virtute materiæ: quia ex vtroque est vnum Sacramentum, & remittit se ad id, quod dictum est in præsenti articulo, ergo ex mente D. Th. est, quod Sacramentum omne non consistit in sola materia, neq; in sola forma, sed in aliquo resultante vt vnum aliquo modo ex materia, & forma: cum autem aliquod compositum resultãs sub ista formalitate intrinsecè, & essentialiter includat suas partes eo modo quo sunt partes, euidenter colligitur in sententia D. Th. asserendam esse nostram cõclusionẽ.

Confirmatur hoc, ex doctrina Cõcilij florentini: nam ille modus loquendi, quo docet res, & verba concurrere in Sacramentis per modũ materiæ, & formæ non obscurè conclusionẽ aperit: quia nomina materiæ, & formę sunt nomina partiũ intrinsecè cõponentiũ. Vndè cum dixit personã ministri esse necessariã non dixit concurrere tanquam materiam, aut formã, in qua diuersitate satis significat priora concurrere tanquã partes essentiales: ministrum verò tantum extrinsecè ex parte causę efficientis.

Et probatur vltimo hac vnica ratione desumpta ex D. Th. omnibus locis citatis, & ex Cai. hic ad 2. significatio rei sacrę sanctificantis, quæ est forma totalis, & metaphysica Sacramẽti nõ conuenit soli materiæ, neque soli formæ, sed illis simul sumptis, vt sunt cõpositum resultans, sicut docuimus dubio præcedenti ex mente Caiet. ergo tam res, quam verba componunt intrinsecè subiectum totale, & materiã proximã denominabilem à tali significatione, quod concedit Mag. Sot. in dist. 14. citata. Eodem modo potest conclusio probari respectu causalitatis, quę non solum conuenit materię, neque solum formæ, sed illis simul sumptis, quatenus in ratione determinabilis, & determinantis efficiunt vnum Sacramentum.

Ex hac conclusione colligitur, malè Cabr. hic disp. 2. concl. 1. attribuere oppositã sententiã D. Th. & omnibus eius discipulis, cum nostra cõclusio expressè doceatur à D. Th. locis citatis, & ferè ab omnibus eius discipulis, ex quibus aliqui solum in modo loquendi circa suppositionem huius nominis Sacramentum dissentiunt ab alijs, vt prænotaui, dum Magistrum Soto ab impositione illius primæ sententiæ vindicaui. Vndè malè prędictus Mag. Cabr. reprehendit Magistrum Nuño explicantẽ Soto, & eius sententiam ad communẽ Thomistarum reducentem. Neque fundamenta istius authoris aliquit valent: nam omnia probant quod forma accidentalis naturalis, seù artificialis, non est pars intrinseca respectu substracti, quod se habet vt materia in compositio accidentali, vel artificiali, quod nos optimè concedimus, non autem probant

bant, quod non sint de essentia ipsius compositi: nam si compositum essentialiter est quid compositū essentialiter in eo quod compositum debet includere plura componentia, in qua compositione semper principalius se habet forma, quā materia, cum se habeat vt actus determinans, & constituens speciem.

SECVNDA CONCLVSIO.

SEcunda sententia Scoti falsa est. Hæc conclusio eisdē rationibus, & authoritatibus probatur, quibus præcedens probata est, quam diffusè manifestat in 4. distin. 14. iam citata sapientis. Sot. & omnes Thomistę infra in materia de pœnitentia, nobis tamen sufficiant rationes factę pro precedenti conclusione, quæ in singulis sacramentis cōsistentibus in vsu habent equalē vim.

Ad argumenta ergo prioris, & secundę sententiæ respondetur.

Ad primum fundamentum primæ sententiæ desumptū ex doctrina Aristotelis. Respondetur, quod Arist. in illis locis solum intendit docere, quod in artificialibus, & alijs compositis accidentalibus forma est perfectio accidētalis respectu illius, quod se habet vt materia in illis. Et ratio est, quia respectu eius comparatur, vt actus aduenies enti in actu, vndè debet esse accidentalis perfectio: non vero loquitur Phylosophus de forma comparata, & relata ad ipsum cōpositum: nam cum illud formaliter constituat in suo esse specifico, siue quasi specifico, implicat, quod non sit de essentia eius tanquam pars magis principalis, aliàs illud totum non esset secundum totam suam essentiam cōpositū, sed tātum esset eius essentia simplex includens tantū simplicitatē rei materialis; vndè nullus mediocriter instructus in Physica disciplina potest de hoc dubitare quantum ad substantiam, licet in modo loquendi possit esse aliqua varietas, quatenus vno, aut altero nomine significatur.

Ad doctrinam D. Thom. quiddam sapientissimus Thomista per solutionem datam putat se satisfecisse; nihilominus meo videri aliquid superaddere necessariū est. Vndè dico, quod ibi D. Thom. tradidit illam doctrinam attendendo ad modum significandi nominum concretorum accidentalium, & artificialium, & quia secundum illum directè, & in recto significant materiam, & in obliquo formam, vt patet in diffinitione quid nominis illorum nominum in qua primo, & in recto ponitur subiectum; ideò dixit D. Thom. quod artificialia ponuntur in prædicamento simpliciter ex materia. & secundum quid ex forma, & considerando Sacramenta secundum eandem rationem subiungit de baptismo idem. Cæterum attendendo ad rem ipsam significatam dicendum est quod absolutè sunt in genere ratione formæ, & ita considerando sacramenta ex parte rei significatæ in art. 1. huius quæst. absolutè, & sine aliquo addito dixit ea esse in genere signi, & idem dicendum de quolibet sacramento in particulari. Secundo potest dici, quod D. Thom. intelligendus est attendendo ad illud à quo nomen imponitur, non verò ad illud ad quod significandum imponitur: quia ergo primo modo considerando nomine Sacramentorum, sicut & nomina aliorum compositorum artificialium imponuntur à materiali parte, & non à formali, licet non sumantur ab eadem materia omnia: nam aliqua imponuntur à materia proxima, vt vnctio, aliqua à materia remota vt Chrisma; ideò quia Baptismus sumitur à materia proxima, quæ est ablutio; ideò ex hac parte dixit, quod Baptismus est in genere ablutionis; si verò consideretur ex parte illius ad quod significandum imponitur, cum significet signum gratiæ regenerantis de-

nominans aliquod compositum ex rebus, & verbis simpliciter dicendum est, quod est in genere signi.

Ad illud autem ex quæst. 84. dico, quod nomine complementi sumit complementum essentiale rei, quod est forma constituens essentiã rei. De quo videatur sapiẽtissim. Nunio 2. tom. quæst. citata, & articul. dub. 4. circa finem primę conclusionis.

Ad argumentum desumptum ex ratione: quia fundatur in principio Dialectico, quod videlicet nomina adiectiua, seu concreta artificialia supponunt non pro composito, sed pro substracto, & materia connotando formam. Respõd. explicãdo prius istam regulã; debet enim intelligi de materia adęquata, & tali, quæ est subiectum totale denominationis respectu formæ totalis; non verò de materia partiali respectu formæ partialis, quæ simul cum altera comparte efficit materiale adæquatum respectu formę totalis, vt patet in exemplo domus: Etenim domus non supponit pro vna parte materiæ provt subest figuræ partiali alicuius alterius partis, vt non supponit pro tecto vt distincto à fundamento, & pariete, & subest fundamento, & figuræ particulari eius, sed pro illis omnibus quatenus faciunt vnum subiectum adæquatũ, vnius figuræ totalis, quæ constituit domum. Ita similiter dicendum est de Sacramenti nomine, quod licet sequatur regulam adiectiuorum non debet supponere pro rebus, vt distinctis à verbis, sed pro omnibus simul quatenus faciunt vnum subiectum adæquatum, cui ineſt, vel quod denominat significatio sacra gratiæ Sacramentalis. Hoc ergo suppositio.

Respondetur in forma, admissa maiori, negatur minor. Ad probationem dico, quod attendendo ad rem significatam, album est compositum ex corpore, & albedine, quod proinde, quia constat ex pluribus entibus in actu solum est vnum secundumquid, & simpliciter ens per accidens. Idem dicendum est ad exẽplum de Cathedra, neque dicenda sunt talia composita simpliciter entia per accidens in omni rigore: quia constant ex illis entibus cum aliquo ordine, attendendo autem ad modum significandi sunt subiectum addæquatum formę totalis, quod in arte factis est aliquid compositũ ex pluribus, in quibus quædam se habent adinuicem vt materia, & forma, & omnia simul sumpta vt materia adequata respectu formæ totalis: in alio verò composito accidẽtali naturali, quia solum corpus est subiectum addæquatum formæ accidentalis, neq; est alia forma totalis solum nomen supponit pro illo. Ex quo sequitur cõsequentiam nullam esse: quia subiectum totale formę Sacramenti est compositum ex rebus, & verbis, vt hic ait Caiet. circa solutionem ad 2. Vndè etiam quoadmodum significãdi, non est res distincta à verbis, sed vtrunque simul vt faciunt quoddam compositum immediatè denominabile ex significatione sacra gratiæ.

Sed contra nostram resolutionẽ, & solutionem argumentorum est argumentum commune, quod fit tam hic quam in materia cuiuscunque Sacramenti in particulari, & tale est. Partes alicuius cõpositi simul debent cõcurrere ad constitutionem illius, sed res & verba in Sacramentis sæpe nõ sunt simul, imò aliquando prius est actio, quam proferantur verba, & è conuerso vt patet in Sacramẽto Baptismi, & Pœnitentiæ, & magis regulare hoc est in Sacramento matrimonij: ergo non sunt partes essentiales talium Sacramentorum.

Ad hoc multa possent dici: illis tamen breuitatis causa omissis dico, quod ad cõstitutionẽ Sacramenti aliqua simultas, siue cõiunctio partiũ inter

ter se necessaria est: quia aliàs vna pars, non posset determinare aliam, nec vnum tertium cum illa componere. Cæterum cum ratio materiæ, & formæ non conueniat partibus Sacramentorum, cum omni rigore physico (vt dub. præcedenti cum magis Thomistarum communi sententia dixi) sed solum secundum quandam proportionem, non oportet, vt habeant illam simultatem, & coniunctionem, quam habent partes compositi physici, sed aliquam proportionalem consistentē in debita propinquitate, & subordinatione vnius partis ad aliam, vt se possint habere in ratione determinabilis, & determinantis.

Etsi inquiras quanta sit hæc simultas, & coniunctio, dico eam sufficere & requisitam esse, in qua iuxta communem modum loquendi hominum saluatur veritas verborum formæ, & in qua attenta qualitate actionis, per quam fit Sacramētum saluatur, quod moraliter cadat forma super talem materiam, vt cum illa constituat vnum signum: nam cum adhunc finem constituendi vnum signum coniungantur, illa coniunctio, quæ ad veritatem significationis sufficit necessaria est, & non maior, nec minor. Ex quo sequitur, quod non est necessarium materiam, & formam Sacramētorum esse simul simultate physica, ita vt sint in eodem instanti, vel in eodem tempore physico, sed sufficit simultas moralis, ad quam parū refert, quod materia finiatur paulò ante formam: imò in Sacramento pœnitentiæ id est necessarium: nam forma absolutionis supponit iudicium de conscientia pœnitentis: Hoc autem præsupponit necessariò manifestationem ipsius, quę fit per confessionem. Similiter parum refert, quod dum baptizans profert verba, nondum summerserit infantem, vel infuderit aquam; dum tamen parum antea, vel postea id faciat, quia hæc simultas moralis sufficit vt forma verificetur secundum communem modum loquendi hominum. Hæc autem determinatio simultatis magis ex professo tractatur in materia singulorum Sacramentorum in particulari. Ita plures Thomistæ sapientissimi, & Magist. Suar. disp. 2. sect. 3.

Ad fundamentū secundæ sentētię cōcessa maiori, negatur minor, & ad probationem ex exemplis positis in relatione sententiæ negatur ita esse, vt patet ex dictis in nostra resolutione. Ad illud autem de Eucharistia in sequenti conclusione dicetur.

Ad confirmationem patet ex secunda confirmatione primæ conclusionis, ex qua constat, quod Concilium non eodem modo loquitur de persona Ministri, & de verbis, & rebus: non enim solum dixit Concilium Sacramēta illis tribus perfici, sed de verbis, & de rebus docet, quod se habent tanquam materia, & forma; quod autem non dixit de persona Ministri. Vndè satis clarè indicat illa cōcurrere per modum partium componentium, non verò ministrum.

Tertia conclusio absolutè dicendum est, quod Sacramentum Eucharistiæ constat ex speciebus, tanquam ex materia, & ex verbis consecrationis, tanquam ex forma non solum in fieri, sed etiam in facto esse. Hęc conclusio in primis colligitur ex D. Tho. præsenti articulo, vbi de omnibus Sacramentis nouæ legis, sine aliqua exceptione docet, quod constāt ex verbis, tāquam ex forma, & rebus vt materia: ergo sicut in alijs Sacramentis verba sunt forma Sacramenti in facto esse, ita & in hoc Sacramento. Similiter infra q. 78. art. 1. vbi absolutè docet hæc verba: *Hoc est Corpus meum*; & hæc: *Hic est Calix sanguinis mei*, esse formam Sacramēti Eucharistię, sine aliqua distinctione. Et probatur primo authoritate Concilij Florent. loco citato, vbi absolutè, & sine aliqua distinctione diffinitur, quod omnia Sacramenta nouæ legis

constant ex rebus vt materia, & verbis, vt forma: ergo sicut in alijs Sacramentis verba sunt forma in fieri, & in facto esse, ita in Eucharistia: aliàs non erit vniuocè sacramentum, cum alijs, vtpotè non habens formam eiusdem rationis, & eodem modo. Et præterea: quia non est cur limitetur illa doctrina generalis Concilij ad quædam Sacramenta: nam id non est defendere illam propositionem de fide, vt habetur in Concilio sacro: ergo non est tuta talis limitatio, neque consona doctrinæ fidei.

Secundò probatur. In alijs sacramentis illud habet rationem formæ, quod efficit rem, & sacramentum simul, sed verba consecrationis efficiunt corpus, & sanguinem Christi, vt realiter cõtentũ in speciebus, qua ratione est res, & Sacramentũ simul: ergo sunt formá talis Sacramenti.

Discursus est optimus, & maior certa: nã materia non efficit rẽ, & sacramentũ simul, nisi ratione formæ, quæ primo & perse habet illum effectum, & ratione ipsius attribuitur toti sacramento, quod est sacramentum tantum: minor verò docetur à D. Thom. infrà loco citato vbi ait, quod forma illius sacramenti, in quantum distinguitur ab aliorum sacramentorum formis importantibus vsum materiæ importat tantum consecrationẽ materiæ, quæ in transubstantiatione cõsistit per quam Corpus, & sanguis Christi sub speciebus cõtinẽtur, quatenus terminant conuersionem panis, & vini in ipsa.

In hac conclusione vt iacet omnes Thomistę conueniunt, & ferè omnes alij Doctores; est tamen distinctio, & differentia etiã inter Thomistas: an verba sint forma intrinseca Eucharistiæ in facto esse an tantum in fieri: nam quiddam doctissimi asserunt quod verba consecrationis sunt quidem absolutè forma illius sacramenti; tamen quia Sacramentum permanet postquam totaliter verba præcesserũt vt tactum est in argumẽtis tertiæ sententiæ, dicunt quod tantum sunt forma extrinseca, licet ordo ad illa in speciebus cõsecratis manens sit intrinsecè pertinens ad essentiam permanentem illius sacramenti, & ponunt exemplum in rosa, quæ etiam non existens dicitur forma extrinseca scientiæ specificatæ ab ipsa, licet ordo ad ipsam sit forma intrinseca ad essentiã scientiæ intrinsecè pertinens. Hunc modum tenuit Magist. Vincent. in proprio loco citato, & in quęst. 73. art. 1. quem sequitur in præsenti Magist. Cabr. disp. 2. num. 21. & secundum istam doctrinam tantum potest dici, quod hoc sacramentum constat ex verbis, tanquam ex forma ipsius intrinseca infieri, & ita possunt aliquo modo defendere diffinitionẽ Concilij, & doctrinam vniuersalem D. Thom. in præsenti articulo, licet (vt verum fatear) ipsi nullo modo dicant verba esse formam intrinsecam subistis terminis, tamen cum dicant esse formam necessariam ad Eucharistiam in fieri, non tamẽ in facto esse, idẽ implicite dicunt: nã vt forma extrinseca, etiã verba concurrunt ad illud Sacramẽtũ in facto esse. Alij verò dicũt verba cõsecrationis esse formã illius Sacramenti, etiã in facto esse intrinsecam, atque adeò, sicut in alijs sacramentis forma est pars intrinsecè componens, ita dicũt, quod verba consecrationis in illo inefabili sacramento, etiam sunt forma intrinsecè componens. Inter hos modos dicẽdi iste vltimus videtur verior, licet non ita facilis appareat sicut primus, & cõuincitur maior veritas ipsius ex rationibus factis pro conclusione. Vndè licet primus sit satis probabilis, iste secundus à nobis eligitur, quem tenent etiam doctissimi Magistri ex familia nostra, inter quos est Magister Nuño tam hic, dum de omnibus sacramentis nouę legis, sine exceptione docet res, & verba esse partes intrinsecè componentes sacramẽtum,

quam

quam etiam infra quæst. 78. art. 1. dubio 1. concl. 3. vbi videndus est. Probatur tamen a nobis hac ratione nostra conclusio in isto sensu. Illud habet in alijs sacramentis rationem formæ intrinsecè constituentis ipsa, quod determinat materiam in ratione signi, vt significet rem ipsius sacramenti; sed verba consecrationis determinant species sensibiles ad significandum Christum per modum cibi spiritualis, & gratiam ciuantem medio Christo conferendam: ergo illa sunt forma intrinsecè constitutiua Sacramenti.

Discursus est optimus, & maior asseritur à D. Thom. præsenti articulo solutione ad 2. quam accipiunt cõmuniter omnes Theologi, & Concilium Florent. approbauit: Minor verò videtur perse nota, cum cõstet species per verba determinari, & compleri ad significãdum effectum sacramenti, quem antea talem determinationem, nullo modo significabant, & probatur: nam Eucharistia est signum gratię reficientis animam medio corpore Christi, sed verba consecrationis significant expressè, & clarè Corpus Christi cõtineri sub speciebus ad refectionem spiritualem animarum: ergo talia verba complent, & determinant significationem specierum, quæ ex se tantum significabant refectionem corporalem, vt significãt refectionem spiritualem, & consequenter ex illis vt materia, & ex verbis, vt forma resultabit vnum Sacramentum, & vnum signum totale rei sacrę sicut resultat in alijs sacramentis. Vnde sicut in illis propter istam rationẽ verba sunt forma illorum etiam in facto esse, ita etiam dicendum est de sacramento Eucharistiæ. Confirmatur hoc, Sacramentum est compositum ex materia, & forma, sicut & alia sacramenta: ergo ea se habent vt materia, & forma intrinsecè componentes illud, ex quibus resultat forma metaphysica, seù totalis, sed hæc forma est significatio gratiæ ciuãtis, quę principaliter resultat ex verbis propter rationem præcedentem; ergo.

Ex his infertur, quod si Deus (vt potest) sine verbis consecraret panẽ, & vinum ad eundẽ effectum, ad quẽ sacerdos consecrat, non esset idem Sacramentum: quia deficeret ei forma physica, & partialis constitutiua essentialiter Sacramenti Eucharistiæ, & consequenter non esset idem signum sacrum, sicut si Deus, aut Angelus speciali Dei priuilegio baptizaret aliquem, sine verbis non esset idem Sacramentum Baptismi propter eandem rationem.

Ad primum argumentum illius sententiæ tertię, respondetur negando consequentiam, & instatur in alijs Sacramentis, quoniam etiam Concilium assignat pro materia Baptismi aquam naturalem, & pro materia cõfirmationis chrisma, quę sunt materia remota illorum Sacramentorum, ex quo tamen non sequitur quod verba in dictis Sacramentis, non sint forma intrinseca eorum, ita dicendum est in præsenti, & ratio est: Quia ex parte materię inuenitur distinctio proximæ, & remotæ, ex parte verò formæ nulla est distinctio, sed omnis forma, quæ vera forma est proximè, & intrinsecè constituit, atque adeò cum Concilium assignauerit pro forma Eucharistiæ verba cõsecrationis, sicut aliæ formæ intrinsecè constituunt; ita de forma Eucharistiæ dicẽdum est, quamuis constiterat tale Sacramentum in facto esse. Nec valet dicere, quod saluatur ratio formę proximæ, sine eo, quod sit forma intrinseca illius sacramenti in facto esse: ergo saluatur sufficiẽter doctrina Concilij, neque alio modo potest saluari propter rationem particularem talis Sacramenti: Non inquam valet, quia non saluatur, quod sit forma componens totum Sacramentum, quod est intentum Concilij in decreto citato in quo deficit exemplum Thomistarum,

rum, qui primo modo intelligunt nostram conclusionem: quia obiectum nō cōponit habitum, aut potentiā, sicut componunt res, & verba omnia Sacramēta nouę legis, quod optimè ponderauit doctissimus Nuño concl. 3. citata supra.

Ad secundum respondetur, distinguendo antecedens, verba sunt causa efficiens propriè, & in rigore, nego antecedens, secundum quid, & impropriè quatenus vnitiuè, & compositiuè causant, seù conficiunt Sacramentū, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam etiam in alijs Sacramentis consistentibus in vsu, verba sunt causa Sacramenti in eodem sensu; & tamen sunt pars intrinseca cuiuscunque Sacramenti. Certum enim est, quod minister Baptismi proferendo verba formæ conficit illud Sacramentum, sicut Sacerdos proferendo verba consecrationis conficit Eucharistiam: tamen quia hoc nō fit media propria causalitate physica effectiua, sed solum morali modo, quatenus determinando materiam vnitur ipsi, & componit cum ipsa ens artificiosum morale; ideò talis efficiētia, seù vt melius dicam determinatio, & compositio non tollit, quod forma intrinsecè componat Sacramē tum, sed potius iubat ad cognoscendam talem intrinsecam compositionem. Etsi dicas, quod id est speciale in hoc Sacramento, quod verba verè, & propriè efficiunt Sacramentum effectiuè consecrando materiam, quod non reperitur in verbis aliorum Sacramentorum.

Respondetur, quod si nomine Sacramenti intelligatur id quod est Sacramentum tantum, falsum est, quod verba consecrationis propriè efficiēter conficiunt illud. Ratio est, quia cum illud non sit compositum physicum, sed solum morale, & formaliter sit aliquid rationis: quia est signū ad placitum, non est capax efficientiæ physicæ, sed solum moralis explicatiæ, scilicet, causalitatis vnitiuæ, & cō positiuę mediante determinatione per significationem formæ. Si vero fiat sermo de illo, quod est res, & Sacramentum simul sic verba consecrationis efficienter attingunt illud media conuersione materię in Corpus, & sanguinem Christi, quod est res, & Sacramentum simul, id autem nō est Sacramentum simpliciter, nec pars essentialis Sacramenti, vt dicitur infra quæst. 73. art. 1. Ex quo relinquitur, quod species solum formaliter consecrantur per verba: nam hęc cōsecratio provt procedit à verbis immediatè, tantū fit determinando earum significationem, & sacram reddendo, quod est munus formæ Sacramentalis vt sic. Itaque Sacerdos per verba non efficit propriè Sacramenta, aut aliquam partem Sacramenti, sed solum vt Concilium loquitur cōficit Sacramentum conuertendo panem in Corpus Christi, & vniendo moraliter species panis cum verbis, vt ex eis resultet integrum Sacramē tum constitutum. Et ne aliquis scrupulus maneat, aduerte quod consecrationis verba possunt considerari dupliciter, primo vt habent vim ad conuertendum panem, & vinum in Corpus, & sanguinem Christi, sic efficienter concurrunt attingendo panem, & vinum secundum suam substantiam, tanquam terminum à quo, & Corpus Christi, tanquam terminū adquē, & isto modo non sunt forma Sacramēti, alio modo provt sunt cōsecratiua specierum remanentium, & ita se habent tantum formaliter, vt forma determinans significationē illarum, & sacram reddendo (vt dictum est) & isto modo sunt forma intrinseca Eucharistiæ etiam in facto esse.

Ad tertium, concedo antecēdens, & nego consequentiam.

Ad probationem, distinguo antecedens, requirit partes permanētes, ita vt quælibet permaneat formaliter

ter, & in se ipsa, nego antecedens, ita vt permaneant aliquo modo, concedo antecedens, quia ergo verba licet formaliter transierint post consecrationem materiæ manent tamen virtualiter in ipsa consecratione passiua, & determinatione specierum, vt continentium Corpus Christi; ideò sufficit hoc vt dicatur totum Sacramentum manere: illa autem determinatio, & consecratio passiua semper remanet in speciebus quandiù ipsæ species durant: quia semper durat habitudo, & ordo ad ipsa verba.

Secundo, distinguo antecedens. Res permanens requirit partes permanentes iuxta naturam ipsius, concedo antecedens, absolutè & cũ omni rigore, nego antecedens, quia ergo Sacramentum istud est ens morale, sufficit quod eius partes moraliter permaneant vnitæ, licet physicè non maneant omnes dummodo maneat materia physica, vnita tamen moraliter formæ, vt dicatur totum Sacramentum esse permanens: hæc autem moralis vnio manet semper quandiù durant ipsæ species, propter rationẽ positam in solutione præcedenti. Ratio à priori vtriusque solutionis est: quia cum hęc compositio Sacramentorum, non sit physica, & per intrinsecam informationem, sed solũ moralis ingenere cuiusdam artificiosi signi sacri, non oportet, quod informatio specierum per verba fit intrinseca, & propria, sed per quandam denominationem extrinsecã, atquè adeo nõ requiritur in hoc Sacramẽto, quod partes sint eodem modo permanentes, sicut in alijs non requiritur, quod partes sint eodem modo transeũtes, & simultatem physicam inter illas: sed sicut dicitur aliquid formaliter cognitum à cognitione, quę prętertiit propter habitudinẽ ad illam, ita dicuntur species consecratæ non solum pro tempore, quo verba proferũtur, sed etiam postea propter habitudinem ad illa.

Et si dicat quis, quod hoc non est saluare verba esse formam huius Sacramenti in facto esse, sed solum illa habitudo consecrationis passiuæ. Nego antecedẽs, quia hęc habitudo est informatio, & moralis coniũctio formæ Sacramentalis cum materia, adquam sicut in alijs sacramentis nõ requiritur simultas physica existentiæ vtriusque partis, ita dicendum est in pręsenti, sed sufficit moralis, quæ manet virtualiter in suo proprio effectu formali manente in speciebus, vt dictum est. Et hoc sufficit vt ipsa verba modo dicantur manere cum existentia morali, & cõsequenter, vt sint forma illius Sacramẽti etiã in facto esse. Sed dices: ergo non est maior ratio, quare hoc sacramentum dicatur permanens, quam successiuum, siquidẽ præcipua pars, formalis videlicet, absolutè, & formaliter trãsit, & est successiua.

Respondetur, negando consequẽtiam. Ratio huius est, quia hæc denominatio sumitur à parte essentiali permanente, quæ est materia, scilicet ab speciebus, vt continentibus Christum, in quibus etiã dicitur permanere ipsam formam modo explicato, & ita cum vtraque pars permaneat, absolutè debet dici permanens, quod non reperitur in alijs sacramẽtis, quæ nullo modo permanẽt: quia ex parte vtriusque partis sunt entia successiua simpliciter: iubat autem adhoc, quod in esse rei materialis pars est perfectior, & propter eam his cõpositis artificialibus tribuit absolutã denominationem: imò etiam in compositis substantialibus absoluta denominatio cõmunicatur à materia, quæ omnibus modis est imperfectior forma, vt homo ratione materię dicitur absolutè corporeus. Vtrum autem nomen istius sacramenti supponat pro toto composito morali, vel pro speciebus tantum, non est pręsentis loci examinare, & ad propositum parum refert, siuè vnum, siuè aliud dicatur.

dicatur: nam in quōcunque modo dicendi verificatur absolutè, quod est res permanens formaliter in ratione sacramenti.

Ad quartum, concessa maiori, nego minorem, sed totum compositum ex speciebus, & verbis est, quod denominatur à relatione signi, sicut dictum est de alijs Sacramentis, dubio præcedenti, & etiam in isto dub. solutione ad argumenta secundæ sententiæ. Vnde negatur consequentia, tantum enim infertur, quod non sunt ipsum Sacramentum; non tamē quod non sint pars intrinseca illius. Eodem modo dicendum est de causalitate.

Probatio minoris petit difficultatem. An hoc sacramentum significet immediatè Christum; an verò gratiam ciuantem: hoc autem non pertinet ad præsens institutum: nam illo dato nihil sequitur contra nostram conclusionem: nam de verbis non dicimus, quod significant perse sola, neque Corpus Christi, neque gratiam ciuantem, sed simul cum speciebus, vt ex eis fit vnum significant gratiam ciuantem, siue mediatè medio corpore Christi, quod est res, & sacramētum simul, siue immediatè: modo do enim de hoc non disputamus; nā proprium locum obtinet infra, q. 73 art. 1. hęc de hoc dubio.

In fine huius articuli circa solutionem ad 3. D. Th. aduertendū est, quod verba, quibus vtebantur, tam Sacerdotes, quam illi qui vtebantur sacramentis in sacramentis veteris legis, vt ait D. Sanctus probans ex dupli ci loco sacræ Scripturæ, aduertendū inquam est, quod illa verba, non pertinebant ad essentiam Sacramentorū illius legis, sed tantum ad ritum quē dam cæremonialem, sicut pertinent aliqua verba, quæ in administratione Sacramentorum nouæ legis admiscentur præter verba formarum illorum, ita communiter omnes Doctores: quia habere determinatam verborum formam est proprium Sacramentorum nouæ legis: quia significant expresse Christum præsentem vt D. Thom. docet in hac eadem solutione, & propter eandē rationē in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. in corpore docet, quod omnibus sacramentis est commune, quod consistant in rebus sensibilibus inuisibilem gratiam significātibus, quod autem rebus verba addātur est speciale Sacramentis nouæ legis, quod intelligendum est de additione alicuius pertinentis ad essentiā sacramentorum: nam in alio sensu cō tradiceret, sibi D. Sanctus in præsenti solutione ad 3. circa quam hoc notabile ponere placuit ad complementum articuli præsentis, & hæc de illo.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm requirantur determinata verba in Sacramentis?

PRIMA conclusio in corpore est affirmatiua, & probatur primo in argumento sed contra. Ex eo, quod Christus Dominus in Sacramento Eucharistiæ vsus est determinatis verbis, vt patex ex Matthæi 26. vbi habentur talia verba scilicer. *Hoc est corpus meum.* Similiter ex eo, quod in forma Baptismi mandauit Dominus discipulis, vt vterentur illis verbis determinatis. *In nomine Patris, &c.* Quæ habentur Matth. vltim. Ergo ex sacris litteris colligitur, quod in sacramentis requiruntur determinata verba. Deinde in corpore tali ratione. Sacramenta sunt composita ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, sed in omnibus compositis ex materia, & forma, principium determinationis est ex parte formę, quæ est finis, & terminus materię: ergo principalius requiritur determinatio verborū in sacramentis, quam determinatio materiæ. Probatur consequentia: quia ex eo quod forma est principium de-

ter-

terminationis rei principaliter requiritur ad esse rei determinata forma, quã determinata materia: ergo. Probatur antecedens, quia in tantum requiritur determinata materia in quãtum debet proportionari determinatæ formæ: Consequentia vero probatur: nam in Sacramentis requiruntur determinatæ res sensibiles, quæ se habent vt materia: ergo multo magis requiruntur determinata verba, quę se habent vt forma.

SECVNDA CONCCTVSIO ad primum.

DEterminatio verborum nõ est accipienda secundum exteriorem sonum vocis, sed secũdũ sensũ, & significationẽ verborum. Vndè in cuiuscunque linguæ verbis eundem sensum efficientibus perficitur idem Sacramentum. Ratio est, quia tunc est eadem forma verborum: quia est idem sensus eorũ apud omnes, licet non sint eædem voces quantum ad sonum.

TERTIA CONCLVSIO AD secundum.

ILLA vox debet assumi in significatione Sacramenti, qua principalius, & communius homines illius linguæ vtuntur ad significãdum id, quod in Sacramento agitur. Ratio est, quia inter formam, & materiam debet esse proportio, sed in Sacramentis semper assumitur vt materia illa res, qua communius vtuntur homines ad actum per quem significatur effectus Sacramenti, vt in Baptismo assumitur aqua: quia est, qua communius vtuntur homines ad ablutionem corporalem per quam significatur ablutio interior, quę est effectus Baptismi: ergo eodem modo dicendum est de verbis.

QVARTA CONCLVSIO AD tertium.

QVI ex industria profert verba Sacramentalia corruptè non videtur conficere Sacramentum. Ratio est, quia non videtur intendere facere, quod facit Ecclesia, sed ad perficiendum Sacramentum requiritur habere intẽtionem faciendi, quod facit Ecclesia: ergo in casu posito, non videtur confici Sacramentũ à tali ministro.

QVINTA CONCLVSIO IN eadem solutione.

QVI autem ex ignorantia, vel errore, aut lapsu linguæ profert verba corruptè, si corruptio auferat sensum locutionis omnino, nõ perficitur Sacramẽtum: si verò non totaliter auferatur sensus locutionis, perficitur Sacramẽtum. Circa primam conclusionem huius articuli aduertendum est illã esse de fide: quia ita diffinita est in Concilio Florentino in tractatu de Sacramẽtis, & habetur ex perpetua traditione Ecclesiæ ab Apostolis deriuata, vt adnotat sapiẽtissimus Nuño hic post expositionem articuli octaui, habetque fundamentum in sacris litteris, ex quibus desumuntur verba determinata pro multis Sacramentis, licet non pro omnibus.

Vtrùm autem omnia verba, quibus vtitur Ecclesia in formis Sacramentorum fuerint instituta immediatè à Christo Domino, aliqui Doctores dicunt hoc non constare expressè in sacra Scriptura, quamuis ita tenendum sit secundum fidem: hoc autem ex professo examinare pertinet ad quæst. 64. Circa secundam conclusionem aduertendum est, ex illa sequi, quod si minister mutet verba consueta Sacramentorum in alia eiusdẽ significationis, vt si dicat in Baptismo loco

co illius verbi, *Baptizo*, ego te abluo, verum cõficit sacramentum, & non est aliquod periculum non conficiendi. Circa quam est aduertẽdum secundo ex Domino Caiet. hic, quod regula generalis ad dignoscendum, quando mutatio alicuius verbi, non tollit substantiam sacramenti est hęc. Quotiescũque tota oratio habet perfectam significationem respectu effectus sacramenti ex acommodatione vsus in alijs locutionibus sufficit ad perfectionem sacramenti, si applicetur ad veram materiam sacramenti. Ratio est, quia operatio spiritualis in sacramentis sequitur significationem perfectam orationis sacramentalis: ergo vbicunque oratio habet suam significationem perfectam verum sacramentum perficitur, sed quælibet oratio, quæ in qualibet materia communiter habet suam significationẽ perfectam non perdit illam, per hoc quod applicetur ad materiam sacramentalem: igitur sicut oratio perfecta sufficit in alijs rebus, ita sufficit in sacramentis ad eorum consistentiam. Ex hac ratione colligitur nostra prima aduertentia à Caiet. in præsenti, qui videndus est, quia optimè totum articulum declarat.

SED EST DVBIVM.

Vtràm mutatio alicuius verbi in Sacramentis in casu in quo perficitur Sacramentum fiat, sine peccato?

EXplicatur titulus. Si aliquis loco illius verbi, *Baptizo*, pro sua libertate ponat verbum *abluo*, & loco illius pronominis, *hoc*, ponat in forma Eucharistiæ, *istud*, & sic de alijs mutationibus similibus, cum quibus saluatur idem sensus verborum, & eadem significatio totius orationis, tunc est dubium, vtrum hoc possit fieri, sine peccato. Et ratio dubitandi est, quia verba quibus vtitur Ecclesia non sunt de necessitate sacramẽti, vt patet, sed illa vel alia eiusdem significationis: ergo quãuis minister pro sua libertate vtatur alijs eiusdem significationis loco illarum, quibus vtitur communiter Ecclesia nullum committet peccatum.

Ad hoc breuiter dico, quod licet secundum se, & ex genere suo sit peccatum mortale, tamen in individuo non semper erit peccatum mortale, sed aliquando erit mortale, aliquando veniale. Prima pars huius dicti patet, quoniam discedere à formis consuetis sacramentorum est peccatum irreligionis, & sacrilegij contra præceptum Ecclesiæ in re graui, sed sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale: ergo. Secunda pars manifestatur exemplis. Potest contingere in individuo, quod verbũ, quod aliquis ponit loco verbi consueti ab Ecclesia habeat significationem dubiam: quia de illa dubitant sapientes an sit eiusdem rationis cum significatione verbi consueti. Tunc talis mutatio erit peccatum mortale irreligionis. Ratio est, quia posita tali dubitatione, est dubium circa substantiam sacramenti, an fuerit validum, vel non, ergo qui ita conficit sacramentum tali dubio proferendo formã, exponit se periculo non conficiendi sacramẽtum, sed sic ministrare est grauissimũ peccatum: ergo est peccatum mortale cõtra substantiam sacramenti. Ex quo sequitur, quod sacramentum sub tali dubio ministratum sub eodem dubio est iterandum subcõditione. Deinde potest etiam contingere, quod conficiens sacramentum sub alio verbo cõsueto sciat certo, quod tale verbum habeat eándem significationem, quia est ita cognitum apud sapientes, tunc in tali casu non erit peccatum mortale in inuiduo, erit tamen peccatũ veniale, & grauissimum. Ratio primæ partis est, quia in tali casu non se exponit homo alicui periculo non cõficiendi sacramentum: ergo non est ratio

tio propterquam talis actio sit peccatum mortale, & hoc verisimum est si talis mutatio fiat absque scandalo circunstantium: nam si fiat cum scandalo fortè ratione scãdali poterit esse peccatum mortale, si scandalũ fuerit magnum, secus autem si scandalũ sit leuissimum, quod relinquendum est arbitrio hominis sapientis, quod autem talis actio sit semper peccatũ veniale in indiuiduo, patet: nam ille minister peccat contra religionẽ, & contra præceptum Ecclesiæ in materia religionis: ergo esto licet ratione facta, & propter paruitatem materię, quia est mutatio leuis solum quantũ ad sonum materialem vocis non sit peccatum mortale semper tamen erit peccatum veniale. Ita communiter docent sapientissimi Thomistæ inter quos est magister Nuño hic art. 8. dub. 2.

Etsi adducas contra istã resolutionem tertiam cõclusionem D. Thom. in qua docet, quod in formis Sacramentorum debemus vti illa voce qua communius, & principalius vtuntur homines illius linguæ ad significãdum: ergo secundum D. Thom. non potest fieri mutatio illius vocis. Respondetur, quod D. Thom. non intendit docere, quod vti tali voce determinatè, sit de necessitate substantię Sacramenti, sed solum, quod non sit licitum vti alia voce, etiam si habeat eãdem significationem, vndè non potest fieri hoc absque aliquo peccato saltim veniali, non vero si fiat, est inualidum Sacramẽtum, vt optimè aduertit hic Caiet. Vndè ad rationẽ dubitandi, negatur consequentia, quia licet illa verba quibus communiter vtitur Ecclesia in formis sacramentorũ, nõ sint de necessitate Sacraméti, sunt tamẽ de necessitate præcepti, vt docet Caiet. hic. Vndè non potest omitti aliquod verbũ sine peccato, si talis omissio, vel mutatio in aliud, fiat aduertenter. Etsi quęras vbi habeatur hoc præceptum. Resp. quod illud sufficiẽter colligitur ex locis sacræ Scripturæ ex quibus desumũtur verba formarũ omniũ Sacramẽtorũ, & ex perpetua consuetudine Ecclesiæ fundata in traditione Apostolorũ. Ex dictis in hoc dubio sequitur, quod sacramenta sic confecta, quæ apud sapientes valida sunt, nullo modo sunt iteranda.

Circa tertiam conclusionẽ notandum, quod dupliciter aliqua vox potest reputari in aliqua lingua communis ad rẽ aliquã significandũ; vno modo, ratione primariæ institutionis ipsius vocis. Secundo modo, ex cõmuni vsus hominum accomodatione, quo modo aliqua vox, quæ non propriè, sed per figurã significet aliquid potest esse cõmunis, vt patet in voce qua vtitur Ecclesia latina in consecratione sanguinis dicens: *Hic est calix sanguinis*, vbi illa vox calix reputatur vt communis, quia licet non accipiatur secundũ propriam significationẽ in tali forma, sed secundũ metaforicã, aut perfiguratã sumendo continens pro contento, tamen quia ex cõmuni vsu hominũ accõmodata est illa vox ad significandũ secundũ talem rationẽ, quæ requiritur ad veritatẽ sacramenti, vt hic ait Caiet. ideò tota oratio reputatur cõmunis, & ex eadẽ vsus accommodatione, idẽ sensus efficitur cõmuniter ac si diceretur, *hic est sanguis meus*. Simileter ex eadem vsus accõmodatione vox alterius linguę potest reputari cõmunis in alia, v. g. istæ voces *Baptizo, & Chrisma*, sunt voces linguæ Græcæ, & tamen in Ecclesia Latina, propter vsus accommodationem accipiuntur vt communes ad effectum Sacramentorum significandum, quod totum reducendum est ad diuinam prouidentiam, qua statuit Spiritus Sanctus, vt talis vsus accommodatio sufficeret ad eundem sensum exprimendum per totam orationem.

Circa eandem conclusionem vidẽdi sunt sapientissimus Nuño loco cit.

cit. art. 8. huius quæst. ante dubia, vbi explicat quot modis contingat variare ministrum verba vnius idiomatis in alia alterius, vel verba eiusdē linguæ in verba alia eiusdem, & explicat in quibus casibus Sacramenta sint valida, vel non. Similiter Suar. eodem artic. sect. 4.

CIRCA QVARTAM CONclusionem dubium est.

Vtrùm cum quis ex industria profert corruptè verba Sacramenti conficiat verum Sacramentum etiamsi peccet mortaliter?

ET videtur, quod non conficiat Sacramentum: nam in tali casu ille minister nō videtur intendere facere, quod facit Ecclesia: ergo non conficit Sacramentū. Consequentia patet, quia ad substantiam Sacramenti pertinet intētio debita ministri, quæ debet esse conformis intentioni Ecclesiæ. Antecedens vero probatur: nam talis minister voluntariè discedit à forma Sacramenti proferendo verba corruptè, sed huiusmodi prolatio corruptè est pręter intentionem: imò contra intentionē Ecclesiæ: ergo non videtur iste talis habere rectam intentionem.

Confirmatur ex D. Thom. ad 3. vbi illud docet, & ita infert quod talis minister non videtur conficere Sacramentum.

Cōfirmatur secūdo, quia de necessitate Sacramēti, vt dictū est articulo præcedēti; est determinata forma, & determinata materia: ergo si fiat mutatio in forma, illā corruptè proferēdo, nō cōficitur verū Sacramētū. Pro resolutione brebiter est notandū, quod forma verborū, potest corruptè proferri dupliciter, primo modo, ita vt corruptio sit tanta quod auferat sensum verborum formæ secundum cōmunem modum intelligendi hominum. Secundo modo ita vt non auferat sensum legitimum illorum, & loquimur in præsenti de ministro, qui licet ex certa scientia corruptè profe rat verba formæ, non tamen habet aliam pessimam intentionem, qualis est intentio introducendi nouum ritum in Ecclesia: nam de hoc articulo sequenti disputabimus.

PRIMA CONCLVSIO.

SI corruptio fiat primo modo absque dubio non conficitur verum Sacramentum. Ratio est, quia tunc non ponitur legitima forma Sacramenti, quia talis forma consistit in verbis secundum significationem: vt dictum est iam: sed tunc significatio totius propositionis ex vi corruptionis totaliter aufertur; ergo aufertur forma Sacramenti, sed ablata forma essentiali cuiuscunque rei aufertur ipsa res: ergo in præsenti aufertur essentia, & substantia Sacramenti.

SECVNDA CONCLVSIO.

SI corruptio fiat secundo modo verum conficitur sacramē tum si adsit intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Ratio huius est oppositа pręcedenti: nam in tali casu adest eadem forma substantialis sacramenti, & debita intentio ministri: ergo talis corruptio est tātū mutatio accidentalis formæ, & consequēter manet eadem substantia formæ, & Sacramenti. Antecedens patet, quia manet idem sensus locutionis.

Confirmatur, nam ita docet D. Thom. hic ad 3. & ponit exemplum in Baptismo dato sub hac verborū forma. *In nomine Patrias, & filias, &c.* qui fuit verus Baptismus, vt habetur difinitum de consecratione in cap. re tulerunt à Zacharia Summo Pontifice: quia adhuc stante illa corruptione vocum, tota oratio iudicata est habere eundem sensum, atque si nō corruptè pronunciaretur, vt hic aduertit

Caiet.

Caiet. Et si dicat quis, quod ibi diffinitum est, quod illa variatio non est cõtra substantiam Sacramenti si ex ignorantia facta fuit, non autem dicitur illud de illa, si fit facta ex industria, & in hoc sensu adducitur à D. Thom. relatum exemplum, vt patet ex contextu in quo loquitur de corruptione, quę fit ex errore, vel lapsu linguæ & de illa docet nostram conclusionem, ergo non est vera in sensu à nobis intento.

Respondetur admisso antecedenti, nego consequentiam, nam ratio propter quam iudicatum est illud sacramentum fuisse validum ęque procedit etiamsi corruptio fiat ex industria dummodo non fiat intentione introducendi nouum ritum, cum qua conditione debitæ intentionis, diffinuit ille Pontifex Sacramentum illud fuisse legitimũ, & nos in conclusione loquimur cum eadem limitatione, cum qua communiter ab omnibus docetur cum Caiet. hic, §. in responsione ad tertium.

TERTIA CONCLVSIO.

QVandiù non constiterit de legitima intentione ministri rationabiliter præsumitur, quod non conficitur sacramentũ si corruptio fiat notabilis. Hæc etiam est communis, & intelligitur in casu in quo corruptio etiam si sit notabilis, non tamen est ita magna, vt auferat sensum totius propositionis. Ratio huius est, quia rationabiliter præsumitur, quod sic ministrans, non habet legitimam intentionem, ergo eodem modo præsumitur non conficere sacramentum. In hoc sensu intelligendus est D. Thom. in 4. conclusione à nobis deducta ex solutione ad tertium.

Ad cognoscendum autem, quando corruptio auferat sensum totius locutionis, quãdo verò nõ, non est consideranda vox corruptè prolata secũdum se, sed inquantum est pars totius orationis, nam illa vox *patrias*, secundum se considerata certum est, quod non significat idem, quod *pater*, tamẽ quia ex acommodatione vsus inter sapientes, vt est pars totius orationis accipitur secundum eandem significationem, quã habet vox, *Patris*, ideò docet D. Thom. quamuis mutetur sonus sensibilis manet idem sensus. Et propterea conficitur idẽ sacramentũ.

Circa hoc idem est aduertenda doctrina D. Thom. in solutione ad tertium, vbi docet, quod quando corruptio fit ex parte principij orationis, tũc totaliter auferrur sensus locutionis, vt si quis dicat in Baptismo loco, *Patris*, in nomine matris, quando verò corruptio contingit ex parte finis nõ mutatur idem sensus, vt in exemplo allato ex capite retulerunt patet. Hãc autem doctrinam intelligunt communiter eius discipuli regulariter loquẽdo, quia in multis vocibus latinis principaliter, & pluries contingit totũ sensum propositionis mutari si fiat mutatio in principio, non autẽ si fiat in fine. Et præterea si sit mutatio magna, & sufficiens, vt est quando totaliter vox est diuersa: nam potest esse mutatio ita paruaper additionẽ, vel diminutionẽ alicuius litteræ, vt etiam si fiat ex parte finis, aut ex parte principij maneat idem sensus, vt si quis ex defectu linguæ dicat loco *Baptizo*, *aptizo*, vel loco illius verbi *absoluo*, dicat *assoluo*, ob imperitiam linguæ latinæ; è conuerso autẽ potest ex parte finis esse tã magna corruptio, vt totaliter auferatur sensus totius locutionis.

QVARTA CONCLVSIO.

QVi corruptè profert verba formæ alicuius sacramẽti licet conficiat verum sacramentum iuxta dicta in secunda cõclusione mortaliter peccat peccatum sacrilegij. Ratio huius est, quia sic ministrare cedit in irrisionem Sacramenti: ergo est sacrilegium mortale. Et confirmatur, nam qui vo-

luntaria sic corrumpit formam Sacramenti videtur potius per iocum, aut contemptum proferre formam Sacramenti, quam vt faciat Sacramẽtum: ergo cedit in maximam iniuriam Sacramenti, & apud audientes generabitur maximum scandalum: ergo semper est peccatum mortale.

Ex hoc inferunt aliqui viri doctissimi, quod Sacerdos, qui patitur linguę notabilem defectum non potest absque mortali culpa Sacramenta ministrare, nisi in casu grauissimæ necessitatis. Ratio est, quia talis non potest ministrare absque notabili verborum corruptione, sed talis ministratio est peccatum mortale: quia cedit in irrisionem Sacramenti: ergo est peccatum mortale. Inferunt etiam, quod Episcopus ordinans huiusmodi homines defectuosos absque magna necessitate ministrorum, peccat mortaliter, quia admittit ad ordinem sacrum, illos qui non possunt esse debiti ministri Sacramentorum.

Ad rationem dubitandi. Respondetur distinguendo antecedens: Videtur non intendere facere, quod intendit Ecclesia ex fundamento certo, & sufficienti ad hoc iudicium certum habendum, nego antecedẽs. Ex aliquo probabili, & coniecturali fundamento, concedo antecedens, & nego consequentiam: nam potest optimè minister retenta intentione operandi quod facit Ecclesia, ex alio motiuo sic operari.

Ad probationem antecedentis ex D. Th. desumptam. Respondetur intelligendum esse non quod affirmet ita esse, sed quod secundũ præsumptionem rationabilem, ita iudicandũ est, vt dixi in tertia conclusione, & hoc insinuat ipse modus loquendi D. Th. nam non dixit illum non conficere Sacramentum, sed quod non videtur conficere Sacramentum, quæ propositio sensum expositũ adũbrat.

Ad probationem de ratione; Respõdetur illud hominem facere cõtra intentionem Ecclesię in aliquõ accidẽtali; non verò in aliquo substantiali: nam non facit contra sensum verborum substantialiter, sed solum contra sonum materialem, circa quem non est intentio Ecclesiæ per se, sed circa substantialem significationem totius locutionis, & ex alia parte retinere potest ille minister intentionem essentialem proferendi illa verba, quæ est vt faciat Sacramentum illud cuius sunt forma.

Ad confirmationem respondetur explicando antecedens iuxta dicta in expositione secundæ cõclusionis D. Thom. & distinguo consequẽs; si corruptio sit talis, vt mutet sensum verborum formę, concedo consequentiam, si autem non mutet, nego consequẽtiã. Et hæc de hoc dubio, & art.

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm liceat aliquid addere verbis, in quibus consistit forma Sacramẽtorum?

ANtequam quæsito respondeat D. Th. prẹmittit quod circa omnes mutationes, quæ possunt in formis sacramentorũ contingere, duo sunt cõsideranda, vnum ex parte ejusqui profert verba, scilicet ministri, cuius intentio requiritur ad Sacramentum, aliud vero ex parte significationis verborum.

Hoc suppositio prima cõclusio corporis est. Si minister per additionẽ, vel diminutionem verborum intendat alium ritum introducere, qui nõ sit ab Ecclesia receptus non videtur ab ipso perfici sacramentum. Ratio est, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit Ecclesia.

SECVNDA CONCLVSIO EX parte significationis verborum procedit.

SI mutatio per diminutionem verborum tollat debitum sensum verborum certum est, quod non

non perficitur Sacramentum: si autem non tollatur talis sensus verum conficitur Sacramentum. Ratio prioris partis est, quia in tali casu deficit aliquid quod est de substantia formæ Sacramentalis, vt si aliquis baptizaret omittendo nomen proprium alicuius personæ dicendo, *in nomine filij, & Spiritus Sancti*, tunc non conficeret Sacramentum. Ratio secundæ partis est, quia tunc non tollitur aliquid, quod sit de substantia formæ: ergo cõsequenter nec tollitur perfectio Sacramenti, vt si aliquis in forma Sacramenti altaris prętermittat illud ad verbium *enim* verum conficit Sacramentum: quia illa substratio non tollit debitum sensum verborum formæ.

TERTIA CONCLVSIO.

SI additio alicuius verbi corrumpat debitum sensum verborum formę tollit veritatẽ Sacramenti, si verò non tollat debitũ sensum, non tollitur Sacramenti veritas. Rationes huius conclusionis sunt eædem, atque præcedentis. Exempla autem clara. Exemplum primę partis est, vt si quis dicat in forma Baptismi. *Ego te Baptizo in nomine Patris maioris, & filij minoris*, sicut Arriani baptizabant. Exemplũ secũdæ partis est, vt si quis dicat: *In nomine Dei Patris omnipotentis, & filij eius vnigeniti, & Spiritus Sancti Pæracleti.*

QVARTA CONCLVSIO ad tertium.

SI interruptio verborum sit tanta, quod intercipiatur intentio ministri non conficitur verum Sacramentum; si autem interruptio sit parua non tollitur intentio ministri proferentis, & consequenter, neque veritas Sacramenti.

QVINTA CONCLVSIO IN eadem solutione.

IDem dicendum est de transpositione verborũ, quod si sit talis, quod tollat sensum verborum, non perficitur verum Sacramentum. Exemplum est in negatione præposita, vel post posita signo. Si autem trãspositio non auferat sensum locutionis non variat Sacramentum.

Circa istum articulum explicant Doctores, omnes modos, quibus potest contingere variatio, & mutatio verborum formæ Sacramẽtalis, quod etiam iuuat ad plenam intelligentiã articuli præcedentis, tamen quia omnes clare possunt colligi ex doctrina D. Tho. in istis duobus articulis, ideò libenter omitto numerare: qui autẽ voluerit illos videre legat Magistrũ Nuño in pręsenti, & Suar. sect. 4. Nobis tamen ad intelligentiam completam doctrinæ D. Thom. præmittendum est primo, quod quando fuerit dubium an mutatio verborum tollat sensum substantialem eorum, vel nõ consulendi sunt sapientes, & consulendus est communis intelligendi modus, quod si adhuc res vertatur in dubium an maneat sensus substantialis, vel non iterandum est Sacramentum subconditione, siue sacramẽtum fuerit iterabile ex natura sua, siue nõ dummodo dubium fuerit rationabile, in quare maximè attendendũ est ad necessitatem sacramenti: nam aliquod dubium erit sufficiens ad iterãdum baptisma, propter maximã eius necessitatem, maximè respectu pueri, cui non ad est aliud remediũ, quod tamen non erit sufficiens ad iterandã formam sacramenti Pœnitentiæ super eandem materiam.

Secundo est notandum, quod ex doctrina D. Thom. in omnibus conclusionibus deductis à nobis colligitur, quod si minister addat, vel subtrahat aliqua verba in formis sacramen-

torum, quæ secundum rei veritatem & proprium iuditium accidentaliter tantum se habent ad formam sacramenti sacramentum erit validum absque dubio: cum accidentia nō possint rei essentiam variare: verum tamen est, quod minister tantum peccabit venialiter ad minus.

Vtrūm autem si id faciat ex contemptu peccet mortaliter, aliqui viri grauissimi dicunt, quod si contemptus sit intra limites illius materię, quia solum est variatio leuis cum sit in aliquo accidenti formæ, etiam erit tantum peccatum veniale propter leuitatem materiæ: quia etiam contemptus diuinę legis determinatus ad materiam peccati venialis, est tantum veniale, quod reputat sapientissimus Soto in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 8. non esse improbabile, & aliqui sentiūt esse verum, nisi in casu in quo mutatio esset adeò notabilis, vt graue scandalū generaret in videntibus, & audientibus; & sapientissimus Sot. vbi supra addit, quod si fieret ex negligentia talis corruptio, & quælibet similis si esset parua, nō esset nisi venialis, & quod quāuis non fiat diligentia proferendi in consecratione panis litteram, *m.* in *lymeum*, & similiter omittatur *t.* in verbo *est* nullum committetur peccatū. Similiter quiddam doctissimi dicunt; quod qui in sacramento Eucharistiæ subticeret particulam *enim* non peccaret mortaliter; alij autem non audent hoc tanquam certum affirmare maximè si id fiat ex industria: qui autem in eadem consecratione adderet illa verba, *quod pro vobis traddetur*, non peccaret absque dubio mortaliter, quod magis communiter asseritur ab omnibus. Ex quo sequitur, quod etiā si superaddat quis, hæc verba, *quod pro vobis traddetur*, putans secundum suam existimationem esse essentialia in forma cōsecrationis, dū tamen non sint, verum conficeret sacramentum, quidquid asserant aliqui sequentes Scotum in 4. distin. 3. quæst. 2. oppositum tenentem.

Ad huius corollarij intelligentiā notandum est, quod in eo loquimur supponendo, quod talis minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, in quo casu cōmunis est nostra doctrina inter Doctores Magistros. Et probatur: nam in isto casu minister profert omnia verba essentialia formæ (quod etiam supponendum est) & habet rectam intentionē legitimi ministri Ecclesiæ, ergo saluatur substantialis significatio formæ illius sacramenti: ergo nō est ratio propterquam illud sacramentum, non sit legitimum sacramentum.

Sed arguit quis in contra; forma sacramenti, sicut cuiuslibet rei consistit in indiuisibili: ergo quidquid addatur ei tanquam essentiale mutat ipsam: ergo in casu posito forma Eucharistiæ mutatur, & consequenter non erit verum sacramentum.

Confirmatur. Ille minister non habet legitimam Ecclesiæ intentionem: ergo. Probatur antecedens. Intentio Ecclesiæ est conficere sacramentum cum sola, & legitima forma ab ipsa vsitata secundum ordinē Christi instituentis, sed in illo casu talis minister non habet istam intentionem: ergo. Probatur minor habet intentionem faciendi Sacramentum mediante alia forma essentiali: ergo, &c.

Secundo. Sequitur quod si quis baptizet aliquem *in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis*, putans illam inuocationem Virginis esse de essentia formæ conficiat verum baptismum: consequens autem est falsum, quia contra D. Thom. hic, & contra communem sententiam: ergo. Probatur sequela, nam illud verbum additum, procedit ex particulari iudicio ministri putantis pertinere ad formam, sicut in alio casu, & alias profert omnia verba, quæ in re pertinent ad formam essentialem illius sacramenti: ergo eodem modo dicendum est in vtroque casu.

Ad

Ad horum solutionem præmittendum est, quod intentio ministri, quæ pertinet ad substantiã sacramenti est intentio communis Ecclesiæ, quæ cõsistit in hoc, quod est intendere facere, quod Christus cepit sub forma ab ipso perscripta, & quod intendit Ecclesia facere sub eadem forma. Ratio est; quia ab hac intentione habet quis rationem ministri Ecclesiæ, & Christi; vndè per hanc intẽtionem debet regulari totum ministerium ministri sacramentorum quantum ad totam substantiam illorum, intentio autem particularis, quæ in ministro consequitur priuatam opinionem, & proprium iuditium non pertinet ad essentiam Sacramenti. Vndè non debet per illam regulari substantia Sacramenti, sed per aliam communem: nã per illam tanquam per substantialem est limitanda, & corrigenda intentio particularis.

Hoc supposito respondetur ad primum argumentum concesso antecedenti distinguendo consequens, si addatur secundum communem intentionem Ecclesiæ, concedo consequẽtiam, si verò addatur secundum particularem ministri tantum, nego cõsequentiam: nam sicut hæc intentio solum concommittanter se habet, & quasi per accidens ad rationem sacramenti, ita illud quod additur ex illa in re ipsa non se habet, vt essentiale, sed vt accidentale ad ipsum sacramẽtum: imò crediderim, quod adhuc ex parte illius particularis intẽtionis saltim implicitè in casu posito intendit talis minister non addere verba, quæ addit, tanquam essentialia in re propter rationem notabilis: quia scilicet per intentionem communem consequtam ad cognitionem communem fidei de formis sacramentorum, quã talis homo habet, corrigit, & determinat suam particularem intentionem: quia per illam nullo modo intendit inuertere, neque mutare formam essentialem sacramenti. Vndè iudico, quod verba, quę addit ex sua peculiari intentione, cum hac subordinatione, & limitatione addit conditionaliter, si forte ita est, vt ipse iudicat. Nec valet dicere, quod ipse non apponit hanc conditionalem, nam licet expressè eam non ponat, tamen virtualiter, & implicitè eam subintelligit ratione intentionis cõmunis rectæ, quã habet. Quẽadmodũ dicitur, quod quando quis profert verba absolutionis circa peccata iam confessa, de quibus non est nouus dolor, vel absoluit aliquem, qui non est in re sufficienter dispositus sub hac conditione implicitè absoluit licet nõ ponat eã: quia in virtute intentionis communis Ecclesiæ, cũ qua debet absoluere, intelligitur illam habere.

Ad confirmationem patet ex dictis modo.

Ad secundum argumentum vt respondeam aduertendum est ex D. Tho. in corpore huius articuli; quod dupliciter potest aliquis baptizare sub illo addito, vno modo ita vt inuocatio Beatæ Virginis iudicetur à ministro necessaria ad Baptismum eo modo, quo requiritur inuocatio sanctissimæ Trinitatis scilicet, vt auctoris, in cuius vnica, & simplicissima virtute Baptismus consecratur, & si isto modo proferatur illa forma cum addito illo, sacramentum nullum est: nam talis sensus, quem facit tota illa oratio est hęreticus: quia verba propria formæ, quatenus determinantur per significationem additamenti sub eadem dictione, & forma inuocationis cum eodem iudicio practico ministri iudicantis illam inuocationem esse modo exposito necessariam, trahuntur ad significationem falsam. Vndè etiã si id fiat ex ignorantia ministri, siuè alia praua intentione, vel ex affectu deuotionis Virginis, nullum conficitur sacramentum. Secundo modo potest illud additamentum *& Beatæ Virginis*, poni non intelligendo eam in vocari, vt authorem Baptismi, aut

causam operantem aliquid in illo, sed vt intercessione eius, Deus conseruet gratiam baptizato, vt si dicat quis *& in nomine Virginis*, tunc ait D. S. verum Sacramentum perficitur; quia tunc est idem sensus, atque si aliquis diceret, & Beata Virgo te adiuuet: sicut ergo Baptismus datus cũ hoc addito est legitimus, quia illud verum continet, & non trahit aliam partem orationis ad significationem fallam, neque destruit suam propriã significationem ita si detur sub alio addito erit legitimum sacramentum.

Hoc ergo supposito: in forma ad argumentum, nego antecedens, vel si placet, distinguatur iuxta doctrinã datam. Cæterum quia non ponendo aliud in *nomine* in addito, prẽter illud, quod cadit super Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctũ videtur sem per applicari ad omnes terminos sequentes sub eadẽ significatione, sem per videtur sensus falsus, & hęreticus, & cõsequẽter sacramẽtũ nullũ: tamẽ quia continet inse duplicem sensum explicatum á D. Thom. ideò ipse D. Sanctus absolutè non dixit esse nullũ, sed quod forte non esset sacramentũ, & ita dicendum est, quod est ambiguum sacramentum si sub vna dictione, *in nomine*, tantum detur, addendo postea *Beatæ Virginis*, propter quod melius est in forma semper negare se quelam.

Ad probationem, nego maiorẽ, quia in altero casu minister, non profert verba continentia significationẽ falsam, per quam falsificetur significa tio totius orationis, sicut contingit in casu argumenti. Et si dicas, quod hæc falsitas non prouenit ex verbis subsiã tialibus formæ, sed tãtum ex additis, ergo accidentaliter se habent, sicut se habent in altero casu.

Respondetur, admisso antecedẽ ti, nego consequentiã, quia propter determinationem, ad quam trahunt verba essentialia formę, illa falsitas cõ municatur verbis formæ, & in illis re dundat, & fit sensus, quod virtus in qua datur Baptismus, sicut est vna, & eadem in personis Trinitatis, ita in Beata Virgine, quod est hęreticum, quod nullo modo datur in alio casu. Secundo distinguo antecedens, non prouenit ex illis secundumse concedo, vt applicatis ad verba addita, & determinatis per ipsa, nego antecedens: quia illa dictio *in nomine*, applicata illi addito *& Beatæ Virginis*, denotat vnitatem virtutis explicatũ inter Deum, & Beatam Virginẽ, qui est sensus hęreticus, & contrarius ve ro sensui. Ex quo sequitur quod si quis adderet ad verba formę Eucharistiæ hæc verba, *quod pro vobis non traddetur*, quocunque modo id faceret, non conficeret Sacramentũ, quia falsificaretur forma essentialis sacramenti, quia corpus quod nõ est traditum pro nobis, non est corpus Christi, quod consecratur. Ratio huius est determinatio præcedentium verborum per additamentum falsum.

Sed contra doctrinam D. Thom. à nobis expositam arguit Vazq. contendens sacramentum datum illo secundo modo semper esse inualidum, & ratio illius est, quia dictio illa *in no mine* semper denotat authoritatem, & virtutem, ergo corrumpit verum sensum formæ. Consequentia pater, & antecedens probatur, quia nemo dicitur facere aliquid in nomine alte rius, nisi vt authoris.

Sed respondetur ad hoc facile, nego antecedens, cuius probatio friuola est, quia iuxta vsitatum modum loquendi facere aliquid in nomine alicuius, idem est atque facere auxilio, & fauere eius, siue auxilium præstet authoritate, siue intercedendo; sæpe enim dicimus maximè in negotijs arduis, in nomine Beatæ Virginis, S. Thom. aut alterius sancti hoc negotium aggredior: non quia putemus ab illa, aut ab alio sancto bonum finem negotij impetrare, tanquam ab autho re, sed quia confidimus, quod eius me

ritis

fitis gratiam impetrabit ad negotiũ optimè perficiendum, sicut fit in salutationibus sermonum, & in lectionibus publicis scholarum. Ex quo quã friuolum sit fundamentum illius Doctoris apparet.

Secundo, gratis respondetur admittendo antecedens, negando consequentiam, si dictio *in nomine* cadẽs supra illud additum *Beatæ Virginis*, sit dictio distincta: nam tunc dictio *in nomine*, quæ se tenet ex parte formæ solum cadit supra tres personas nominatas. Vndè quãdo aduenit additum totum, *& in nomine Beatæ Virginis*, iam potest moraliter loquendo esse confectum Sacramentum, & ita licet illud additum faciat sensum, quem vult author citatus tota illa falsitas sistit in addito ipso, & non redundat in verba formæ. Vndè licet addere illa verba sit grauissimum peccatum mortale suppositio quod necessario faciant illum sensum falsum (quod nõ est verum vt patet ex dictis) nihilominus verum conficeretur Sacramẽtum.

POTISSIMVM DVBIVM IN hoc articulo est.

Vtrùm minister intendens per mutationem verborum formæ introducere nouum ritum, aut aliquem errorem in Ecclesia conficiat verum Sacramentum, aut sit semper nullum ex defectu debitæ intentionis?

IN hoc dubio sapientissimus Soto in 4. dist. 1. quæst. 1. artic. 8. docet, quod si aliquis minister per mutationem verborum formæ intendat introducere aliquem ritum nouum in Ecclesia, qui non sit ab Ecclesia toleratus non conficiet verum Sacramentum. Fundamentum ipsius est, quia inducens similes ritus nõ toleratos aduersatur intentioni Ecclesiæ, & potest hoc probari, quia intendit ille talis oppositum eius, quod intendit Ecclesia: ergo aduersatur intẽtioni Ecclesiæ: ergo ex defectu intentionis non conficit sacramentum.

Confirmat sapientissimus Soto hoc fundamentum, ex illo decreto Zachariæ Papæ cuius verba referũtur à Gratiano in cap. retulerunt, de consecratione supra citato, vbi summus Ecclesiæ Antistes docet, quod qui baptizauit sub illa forma *in nomine Patrias, &c.* verum confecit sacramentum, nisi fortè id fecerit volens introducere errorem, aut hæresim in Ecclesia: ergo ex ista Decretali colligitur, quodqui vult ritum non tolleratum ab Ecclesia introducere per mutationem formæ non conficit sacramentum.

Confirmatur secundo ex D. Th. hic in prima conclusione corporis, vbi ait, quod qui per additionem, vel substractionem in formis sacramentorum vult introducere ritum non receptum ab Ecclesia non cõficit sacramentum, ergo. Idem docet in 4. dist. 3. quæst. 1. artic. 2. quęstiuncula 3. in corpore, ergo.

Secundo arguitur pro hac sentẽtia: qui in forma sacramenti prætermittit aliquam partem, quam putat necessariam, quæ tamen non est necessaria ad essentiam formæ, vt (v.g.) particula *enim* in Eucharistia nõ conficit sacramentum, neque censetur se conformare intentioni Ecclesiæ: & hoc solum prouenit, ex eo, quod recedit à ritu Ecclesiæ, & aliũ vult introducere: ergo idem dicendum est in casu dubij.

Tertio, qui proferens omnia verba necessaria ad formam alicuius sacramenti, putans tamen, quod aliquid eorum non sit simpliciter necessariũ non conficit sacramentum, eo quod non conformat suam intentionẽ Ecclesiæ, sed qui intendit aliquem errorem introducere per formam Sacramentalem multo minus conformat suam intentionem intentioni Ecclesiæ, ergo multo minus conficit sacramentum.

Alijs

Alijs omissis sententijs, quæ in hac parte sunt, & possunt videri in interprætibus D. Th. in præsenti articulo, pro resolutione, & explicatione magis cõmunis sentẽtiæ est notãdũ primo; quod vt ex supra dictis patet in præcedẽtibus, semper quod mutatio formæ est talis qualitatis, aut quãtitatis, quod nõ aufert sensum legitimũ, quem facit oratio, qua vtitur communiter Ecclesia in forma alicuius sacramenti, si applicatur talis forma cum præfata mutatione ad legitimam materiam, & aliàs adsit legitima intẽtio faciendi quod intendit vera, & Catholica Ecclesia, verum conficitur sacramentum.

Secundo est notandum, quod minister intendens introducere nouum ritum in Ecclesia, siuè toleratum, siuè non toleratum ab illa, tripliciter se potest habere in mutatione formę. Primo modo ita vt mutatio, siuè fit per additionem, siuè per substractionem, aut transpositionem, aut alio quouis modo non destruat verũ sensum formæ, nec reddat illum ambiguum, sed omnino eundẽ relinquat, vt si (v.g.) in forma Eucharistiæ intẽdat addere illa verba, tanquam essentia, *quod pro vobis tradetur*, vel si formam eandem proferat in vulgari lingue dicens: *Este es mi cuerpo*, & hunc ritum intendat introducere in Ecclesia, tanquam essentialem, & necessarium. Secundo modo potest esse mutatio talis, vt licet non destruat sensum, reddat tamen illum ambiguum, & æquiuocum, vt in illo exemplo de baptismo dato *in nomine patrias*, vel si detur *in nomine Virginis*, in primo enim exemplo est ambiguitas aliqua, quia ex vi verborum secundum se nõ habent sensum legitimum, licet ex accommodatione, & circunstantijs possint illum habere, & ita declaratum fuit in decretali citata.

In secundo autem exemplo est ambiguitas supra explicata de constitutione æqualitatis inter Virginem, & diuinas personas, & inuocationis auxilij intercessionis Mariæ. Et similiter si quis ita dicat in panis consecratione. *Hic est enim corpus, &c.* Cum per illam mutationem manet ambiguum an illa vox *hic* sit pronomen, & ex ignorantia ponatur masculinum pro neutro, an vero sit ad verbium locale, quod ponatur ad introducendũ errorem, veram transsubstantiationẽ excludentem. Tertio ita potest fieri mutatio vt totaliter corrũpatur sensus formæ, & in hoc introduci intendatur error, vt si quis dicat in Baptismo *in nomine Matris, & Filij, &c.* vel *in nomine Patris maioris, & Filij minoris.*

His ergo suppositis est prima cõclusio. Si minister non apponit mutationem destruentem sensum formæ, ita quod re vera ponat debitam materiam, & debitam formam verum cõficiet Sacramẽtum, si habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, etiamsi aliàs velit introducere nouum ritum ab Ecclesia, siuè toleratum, siuè non toleratum.

Hæc est communis inter Thomistas, illam habet in præsenti sapientissimus Nuño difficult. 1. concl. 1. habet eam Mag. Cabr. hic disp. 1. eam tuetur Suar. sect. 6. disp. 2. & alij sapiẽtissimi Magistri in codicibus manuscriptis. Probatur hac vnica ratione. Ad substantiam sacramenti tria tantũ requiruntur secundum Concilũ Florentinum scilicet, materia & forma, & intentio ministri volentis facere, quod facit Ecclesia; sed in casu dubij reperiuntur hæc omnia: ergo conficitur verum Sacramentum. Maior est de fide: Minor veroquantum ad duo, scilicet quod debita materia, & debita forma reperiãtur supponitur in casu conclusionis: nam loquimur quando mutatio compatitur secum legitimum sensum formæ applicatæ legitimę materię: quantum vero ad intentionem probatur: nam si non esset talis intentio maximè, quia pugnaret

cum

cum intentione priuata ministri volentis introducere nouum ritum, sed non pugnat: ergo. Explicatur hæc minor: nam istæ duæ intentiones, scilicet generalis faciendi, quod facit Ecclesia, & particularis respectu noui ritus non sunt de obiectis contrarijs: nã priuata respicit obiectum particulare; generalis vero obiectum vniuersale. Vndè non est cur se excludant; imò potius particularis corrigitur per vniuersalem, ex vi cuius intenditur illud quod facit Ecclesia vera, & præcepit Christus.

Pro quo est notandum, quod licet aliquis hæreticus habeat hac intẽtionem faciendi sacramentum secundum ritum Ecclesiæ Luteranæ, aut Sabelianæ, quam putat ille esse verã ex errore suo particulari, tamen hoc ipso, quod intendit facere Sacramentum apponendo materiam, & formã legitimam habet virtualiter intẽtionem faciendi, quod Christus instituit & præcepit Ecclesiæ suæ, & modo iubet Ecclesia ipsius Christi, nec intentio priuata sequendi ritum Ecclesiæ falsæ, impedit aliam, eo quod licet Ecclesia Luterana in multis dissentiat ab Ecclesia Latina, non tamen discedit ministratione illius Sacramẽti, quod celebratur ab illo ministro ponendo totum, quod est de essentia formæ, & materiæ illius, etsi est aliquis discessus est tantum accidentalis.

Aliqui viri grauissimi ita hoc explicant. Potest contingere, quod aliquis hæreticus volens introducere suum errorem in confectione alicuius sacramenti: quia illo modo conficitur in sua Ecclesia, & quod simul habet intentionem communem, & generalem faciendi, quod facit vera Ecclesia, putans tamen suam esse verã, vt si intendat facere, quod facit Ecclesia Londinensis, vel alia falsa, dicunt quod ponendo materiam, & formã, quam ponit Ecclesia Latina, quam ipse non credit esse veram, verum conficit Sacramentum, quia error adhuc intentionis non est circa veram Ecclesiam in communi, sed in particulari, & ille verè intendit facere, quod facit vera Ecclesia abstrahendo ab hac Ecclesia Romana, vel ab alia, quã putat esse veram, sed hoc idem est atque prius dictum, formaliter loquendo.

Confirmatur conclusio ante Cõcilium Florentinum non erat toleratus ritus Græcorum, qui conficiebant Sacramentum baptismi sub illa forma *Baptizetur seruus Christi*, & Eucharistiam conficiebant in pane fermentato, & tamen vera conficiebant sacramenta: ergo licet intendatur nouus ritus ab Ecclesia non toleratus verum conficitur Sacramentum. Vtraque præmissa colligitur ex cap. licet de Baptismo, vbi sub anathemate interdicitur à Concilio Lateranensi, ne Eucharistia consecretur in pane fermentato, & similiter quod Baptismus celebretur sub illa forma, & tamen in illo capite non dicitur, quod si aliter fiant sacramenta sint nulla, imò oppositum insinuatur, vt aduertunt adducentes caput citatum.

Confirmatur secundo, nam omnes hæretici in suis Sacramentis intẽdunt suum errorem introducere, & tamen illa sacramenta si constent legitima materia, & forma, sunt vera sacramenta, ergo. Probatur minor primo ex D. August. contra Donatistas, cuius testimonia referuntur de consecratione dist. 4. Secundo ex D. Gregorio. cap. ab antiquæ eadem distin. Similiter idem docet Innocentius 1. Epistola ad Episcopum Alexandrinũ. Etiam in Concilio Lateranensi Secundo, cap. 17. ergo.

SECVNDA CONCLVSIO.

SI talis ministet putet aliquid esse de essentia formę, quod re vera nõ est de essentia, vel putet non esse de essentia aliquid, quod est de essentia, si tamen apponit ueram formam veram

ram conficit Sacramentum, siue illud quod putat esse de essentia ponat, siue tollat illud quod non esse de essentia iudicat. Hæc etiam est communis, & patet ex dictis in præcedentibus ad istud dubiũ, & ex ratione præcedenti, quia tunc tantum est muratio accidentalis, & omnia substantialia manent eiusdem rationis.

TERTIA CONCLVSIO.

MInister intendens introducere nouum ritum, aut errorem in Ecclesia, si ipsum explicat in forma, taliter quod significatio formæ non intendatur explicari, nisi secundum illum errorem nullum conficit Sacramentum, sit exemplum in forma, qua Arriani vtebantur in forma Baptismi dicentes. *Ego te Baptizo in nomine Patris maioris & filij minoris, &c.* Ratio huius est, quia tunc falsa redditur forma, cum explicetur in ipsa error contradicens veritati significationis formæ. Ita sentit D. Thom. in 3. concl. art. Sit etiam exemplum aliud in casu quo quis baptizaret sub illa forma *in nomine Patrias, & filias, &c.* intendens per illa verba significare Patriam, & non Patrem, filiam & non filium, etiam non conficeret Sacramentum propter eandem rationem, vndè in isto casu, & alijs similibus non potest etiam stare debita intentio generalis Ecclesiæ, quia hęc solum cadit super verã formam, & veram matetiam, quia ergo in præsenti tollitur vera forma, nõ est circa quod cadat talis intentio, & ita quidam doctissimi dicunt, quod tunc praua intentio ministri est directè contra substantiam formæ, & cõsequenter contra intentionem generalem Ecclesiæ, iuxta quam Pater, & filius sunt inuocandi, non Patria, & filia, & similiter personæ æquales, non inæquales sunt inuocandæ, & hic modus dicendi magis placet, quam ille quem sequitur Cabr. in præsenti dicens tale Sacramentum tantum esse nullum ex defectu formæ, non verò necessario ex defectu intẽtionis. Hęc conclusio, vt explicata, & probata est etiam est communis inter Doctores, Magistros, & secundum illam glossant dictum Pontificis adductum in primo argumento. Sed de hoc dicemus in solutione illius.

QVARTA CONCLVSIO.

SI minister intendens introducere nouum ritum proferat propositionem, quę habet sensum ambiguum ratione mutationis, cum qua profertur, ita vt secundum se habeat plures sensus, vnum verum, & alium falsum, tunc determinãdus est sensus per intentionem ipsius ministri proferentis; & tunc si intendat verum sensum, verum conficit Sacramentum, si verò falsum nullum conficit Sacramentum. Ratio huius conclusionis communis apud omnes est, & procedit ex principio Dialectico, ex quo tanquam certum habemus, quod propositio ambigua, & æquiuoca secundum se non est determinata, neque ad sensum verum, neque ad sensum falsum, & ita determinatur ad vnum illorum secundum intẽtionem proferentis: ergo similiter quãdo in formis Sacramentorum oratio est ambigua determinanda est per intentionem proferentis, secundum quã iudicandum est an sit vera, vel falsa, & consequenter si fuerit vera, cum illa efficietur verum Sacramentum; si autem falsa minime. Et ratio huius est, quia in tali casu est diuersa forma formaliter, quia est diuersum signum formaliter secundum significationẽ, & sensum ab illo, quo vtitur Ecclesia vera, secundum institutionem Christi ergo. Exemplum proprium huius assertionis est in Baptismo dato ab aliquo, in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Virginis, quæ forma est ambigua, vt supra explicui, & determi-

determinanda est iuxta intentionem ministri, qui si intendat, quod Beata Virgo oret pro infante significat verum, & efficit proinde Sacramentũ; si autem intendat quod Virgo operetur in baptismo, sicut æqualis personis Sãctissimæ Trinitatis falsum significat, & non conficit Sacramentum, etiam videtur mihi optimum exemplum illud ex cap. retulerunt, vbi ex intẽtione ministri volentis per illa verba. *Patrias, & filias, &c.* significare determinatè Patrẽ, & Filiũ, licet forma esset ambigua iudicatum est fuisse verã formam, & verum Sacramentũ, id enim insinuãt verba Pontificis dicẽtis, *si ex ignorantia fecit, & non volẽs introducere nouũ errorẽ, verum confecisse Sacramentũ*, quasi diceret á cõtrario: si ex intẽtione introducendi errorem explicabilem per illa verba proferret formã sub illis verbis, nullum conficeret Sacramentum.

His suppositis, respõdetur ad argumenta. Ad primũ, quod est fundamẽtum Soti, negatur antecedens, & ad probationẽ, negatur antecedẽs, quia vt optimè explicatũ est in prima cõclusione, optimè cõpatitur intentio introducendi nouũ ritũ cum intẽtione cõmuni, & generali Ecclesiæ, quãdo opponitur vera, & legitima forma quod etiã explicui ex parte supra inantecedẽtibus ad istud dubium, specialiter solutione primi argumenti contra quoddam corollarium illatum cõtra Scotum.

Ad cõfirmationẽ resp. iuxta dicta in 3. concl. & in 4. quod in illo casu si minister intenderet introducere nouũ errorẽ, qui in illis verbis, *filia*, explicari videtur, nullũ conficeret Sacramentũ, quia falsificaretur forma per illũ errorẽ explicatũ in illa. Vndè nõ posset cõstare vera intẽtio generalis Ecclesiæ, vt ibi dictũ est, quod falsificaretur forma patet ex eo quod daretur Baptismus in nomine Filiæ, & non Filij Dei: nos autem non sic loquimur in nostra prima conclusione.

Ad secundã confirmationẽ. Respõdetur primò, quod D. Tho. non dixit absolutè, & simpliciter ministrum volentẽ introducere nouum ritũ in Ecclesia non conficere Sacramentũ, sed quod videtur nõ conficere, quia suspectus est de legitima intẽtione Ecclesię, vndè licet in nobis sit dubiũ; An illud Sacramentũ sit validum, vel non quia videtur (vt dicit S. D.) deficere ei intentionẽ, tamen benè potest esse quod de facto sit validũ Sacramẽtum. Ita cõmuniter glossant D. Th. omnes eius discipuli sequentes Sot. in 4. dist. 1. q. 1. art. 8. Alij verò dicũt, quod D. Th. loquitur de volente introducere nouũ ritũ, & explicantẽ illũ in forma, per quã explicationẽ, vt dictũ est, variatur ipsa substãtia formæ. Cæterũ ista expositio non est conformis literę; nam D. Tho. in illa cõclusione loquitur expressè de defectu ex parte intẽtionis. Vndè melior est prima explicatio, quia tamen in loco citato in 4. sentent. expressè asserit: *Quod qui adderet aliquid intendens illud esse de forma quasi volens per hoc nouum ritum adducere, constat quod non intendit proferre formam, qua vtitur Ecclesia, & ita nec facere, quod facit Ecclesia*, & subdit. *Quare non esset Baptismus.* Certe hæc verba ita clara, nõ possunt glossari, nisi de homine, ita addente aliquid in forma, quasi essentiale, quod intendens illud esse essentiale, vult non aliter quam sub illa forma, consecrare materiam, & conficere Sacramentum habens actum hunc expressum *volo sub ista forma vt à me prolata conficere, & nullo modo sub alia*, de quo constat, quod non vult proferre formam, qua vtitur Ecclesia, quia talis forma est alia, ab illa sub qua ipse intendit efficere Sacramentum: siquidem ex errore suo ponit aliquid in forma intendens illud esse essentiale, & hunc errorem volens introducere sub explicita intentione, certum est, vt ait D. Thom. quod non intendit facere, quod facit

Ecclesia, & consequenter quod nõ efficit Sacramentum. Non vero loquitur D. Th. in casu nostrę resolutionis in quo addens, vel subtrahens aliquid in forma nõ intẽdit illud esse essentiale, vel ita nõ esse, taliter quod limitatè solũ velit sub illa forma conficere Sacramentum, sed solum absolutè ex priuato errore illud superaddit, vel subtrahit aliquid quod nõ destruit sensum essentialẽ totius propositionis: cũ hac tamen intentione ita absoluta cõpatitur intentio generalis Ecclesiæ, quia cum non sit limitata sicut alia nõ infertur ex illa negatio volendi conficere sub forma Ecclesię, sicut sequitur ex alia. Vndè sicut si aliquis diceret se ita velle sub suo ritu sequi intentionẽ suæ Ecclesiæ, quod non vellet se conformare in aliqua ratione pertinente ad formã, aut materiã Sacramenti, nõ conficeret Sacramẽtũ, quia talis actus negatiuus excluderet vniuersalẽ intentionẽ Ecclesię, quę est necessaria ad Sacramentũ: ita altera negatio, nõ volẽdi cõficere, nisi sub illa forma, & non sub alia addens intentionẽ introducẽdi nouũ ritũ in Ecclesia, destruit primo, & perse intentionẽ perficiendi sub forma veræ Ecclesiæ, & consequenter intentionẽ generalẽ eius per quã vult facere, quod Christus præcepit. Secundo potest dici, quod intelligitur de addẽte aliquid in forma quasi essentiale, intendens nouũ ritũ explicando illũ in forma, per quẽ variatur essentialis forma, vt dictum est in secunda expositione primæ authoritatis D. Thom.

Ad secundum argumentum, absolutè nego maiorem, quia expresse docet D. Thom. in præsenti articul. in 2. conclusion. oppositum, quia tũc etiã si tollatur particula, *enim*, remanet idẽ sensus substantialis formę, & ita non tollitur aliquid quod sit de substãtia formæ, consequenterque cũ à forma rei petatur eius essẽtia, & substantia, existente eadẽ forma Sacramẽti, idẽ Sacramẽtũ esse necesse est. Nec valet dicere, quod in casu posito iudicat minister illã particulã esse de essentia formę, & ex industria illã omittit: ergo non habet legitimã intentionem.

Non inquam id valet: nam vt ex dictis in hoc dub. & in præcedẽtibus patet, hoc iudicium particulare, non est causa quare omittat aliquid, quod est de essentia formæ. Vndè iste minister quamuis ex illa ignorãtia sic procedat, optimè potest habere rectam intentionem per quam ita consecret, cum hoc iudicio: *Si fortè hæc verba quibus vtor sufficiunt ad conficiendum Sacramentum secundum intentionem Ecclesiæ, etiam omisso alio verbo, quod ego iudico necessarium, volo conficere.* Qua supposita intentione absque dubio conficitur verum Sacramentum. Fateor tamen (& sit secunda solutio argumenti) quod meo videri regulariter loquendo talis minister, non conficit Sacramentum: quia regulariter loquendo iudicandum est illum, non habere intentionem conficiendi ipsum Sacramentũ. Ratio est, quia ille qui iudicans aliquid esse medium necessarium ad aliquem finem consequendum, nõ vult vti tali medio, si illud sit vnicum ad finem consequendum, reuera nõ vult finem consequi, siquidem ille non est consequibilis per aliud medium, nisi per illud, quod iudicat esse necessarium secundum suam scientiam, & cognitionem, cum ergo prædictus minister iudicet ad Sacramenti perfectionem esse medium necessarium vti illis omnibus verbis, quibus vtitur Ecclesia, & non velit vti illis, sed voluntariè aliquit omittit, certe in rei veritate, non vult conficere Sacramentum, sed tamen, quia omnia illa verba non sunt in rei veritate mediũ essentialiter necessarium, potest contingere, quod ille talis conficiat Sacramentum, & habeat rectam intentionẽ faciendi, quod facit Ecclesia, & vtẽdi medio ad hoc necessariò in re,

vt

vt patet ex dictis in prima solutione, semper tamen ille talis vt suspectus habendus est. Quando autem D. Th. absolutè docet, quod omisso illo verbo, *enim*, conficitur Sacramentum, est quando ex ignorantia, vel ex negligentia, vel etiamsi ex industria sciendo illud non pertinere ad essentiam formę illud omittitur.

Ad tertium respondetur, negando maiorem, quia verum conficit Sacramentum cum ponat omnia necessaria ex parte materię, & ex parte formæ ad Sacramentum, & aliàs habeat intentionem communem faciendi, quod facit Ecclesia.

Et si dicas, quod in tali casu ille minister non efficit partem formæ substantialis illa verba, quę iudicat non esse necessaria, quia ex tali iudicio erroneo solum materialiter, & concomitanter videntur recitari: ergo efficiuntur pars formæ, & consequenter non conficietur Sacramentũ.

Respondetur, negando antecedẽs, quia licet speculatiuè, & secundũ priuatam opinionem, & intentionem nõ intendat ponere illa verba, tanquam partem essentialem formæ, tamen secundum iudicium commune fidei, & intentionem communem, qua intendit facere, quod facit Ecclesia intendit vti illis verbis, tanquam necessarijs ad substantiam formæ. Ita viri Doctissimi, licet alij sentiant non confici Sacramentum propter replicam factam. Aliqua quæ hic deficiunt videãtur in Mag. Nuñ. hic dub. 1.

Hæc de hoc dub. & quæst. 1.

QVÆSTIO LXI.

DE NECESSITATE SACRAmentorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?

CONCLVSIO D. THOM. EST AFFIRMATIVA.

HANC probat Diu. Thom. in argumento sed contra ex Diu. Augustin. lib. 19. cõtra Faustum vbi ait, quod homines, non possunt coadunari in aliquam religionem, siuè veram, siuè falsam, nisi aliquo signaculorum, seu Sacramentorum visibilium consortio colligentur, sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in vnam veram Religionem, ergo Sacramenta sunt necessaria ad humanam salutem,

lutem, in corpore probat triplici ratione, quarum prima desumitur ex conditione humanæ naturæ, cuius proprium est per corporalia, & materialia in intelligibilia, & spiritualia deduci. Altera deducta ex statu hominis, qui peccando se corporalibus rebus subiecit. Altera deducta ex studio humanæ actionis, quæ præcipue circa corporalia versatur, ex quibus infert Doctor Sanctus, quod quia ad diuinam sapientiam, & prouidentiam pertinet prouidere vnicuique secundum modum suæ naturæ, status, & conditionis actionis, ex diuina ordinatione instituta sunt Sacramenta sensibilia, vt per illa conuenienter ad suam naturam erudiatur, & vt humilietur cognoscens se subiectum rebus corporalibus, aduertens quod sibi per corporalia, & sensibilia auxilia subuenitur. Tunc vltimo vt per conuenientia, & salubria exercitia Sacramentorum præseruetur à noxis actionibus, rationes in forma facile possunt ex contextu deduci, & ideò omitto, brebitati consulens.

Circa conclusionem est notandum, quod illa non intelligitur de necessario necessitate simpliciter, quale est illud, sine quo nullo modo potest consequi finis, nam poterit Deus absolutè conferre hominibus salutem animarum, absque vllis Sacramentis, si verò necessarium sumatur prout est idem, quod conueniens, & congruum; quo modo dicitur necessarium illud, sine quo, non potest homo consequi finem intentum conuenienter ad suam naturam, sic intelligenda est conclusio D. Thom. & patet ex solutione ad secundum, vbi concedit Sanctus Doctor, quod gratia Dei est sufficiens causa nostræ salutis, ex quo sequitur, quod media illa collata, absque Sacramentis poterat Deus homines saluare, addit enim D. Thom. quod Deus dat hominibus gratiam secundum modum suę naturæ eis conuenientem, & ideò necessaria sunt hominibus Sacramenta ad gratiam consequendam; quorum verborum sensus est, quod vt homines consequantur suam salutem secundum modum conuenientem suæ naturæ, necessaria sunt Sacramenta; non autem, vt consequantur absolutè, quia potuit Deus gratiam eis communicare absque aliquibus Sacramentis.

Præterea est aduertendum, quod in presenti, non inquiritur de necessitate Sacramentorum supposita iam diuina institutione: nam hæc disputatio pertinet ad quæstionem sessagesimamquintam, vbi agitur, vtrùm Sacramenta sint necessaria necessitati præcepti, vel necessitate finis, vel necessitate præcepti, & finis simul, sed solum agitur in præsenti de necessitate Sacramentorum antecedenter ad Christi institutionem, & sensus est, vtrùm fuerit necessarium Christum instituere Sacramenta ad humanam salutem.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ante peccatum fuerint necessaria Sacramenta?

CONCLVSIO est negatiua, in statu innocentiæ homo nõ indigebat Sacramentis, non solum in quantum Sacramenta ordinantur in remedium peccati, sed etiam in quantum ordinantur ad animæ perfectionem. Hæc conclusio probatur in argumento sed contra, loquendo de Sacramentis, in quantum ordinantur in remedium peccati: & ratio procedit sic, medicina non est necessaria, nisi ægroto, secundum illud Matthæi 9. *Non est opus sanis Medicus, sed male habentibus*, sed Sacramenta sunt quædam spirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati, ergo ante peccata non fuerunt necessaria. *Matth. 9.*

Deinde

Deinde incorpore probatur, ratione desumpta ex rectitudine status illius. In illo statu propter eius rectitudinem, & perfectionem superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis. Sed contra hunc ordinem esset si anima à corporalibus perficeretur, siuè quantum ad scientiam, siuè quantum ad gratiam, quod fit modo in Sacramentis, ergo in statu innocentiæ homo non indigebat Sacramentis sub aliqua consideratione. Maior declaratur à D. Thom. quia sicut mens in illo statu erat subiecta Deo, ita animæ vires inferiores erant subditæ ipsi menti, & rationi superiori: & corpus erat subditum animæ, minor verò est clara, quia dependeret anima à rebus inferioribus, ergo esset contra ordinem illius status in quo nullo modo superiora pendebant ab inferioribus, ex quibus consequentia relinquitur clara.

DVBIVM EST PRIMVM DE veritate conclusionis.

IN Quo dubio aliqui Theologi sunt, qui dicunt, quod licet Sacramenta non essent homini necessaria pro statu innocentiæ, qua ratione sunt quædam medicinæ spirituales animæ, essent tamen necessaria, ideſt valde conuenientia ad perfectionem animæ spiritualem secundum intellectum, & voluntatem. Ita Alexander Alensis 4. part. quæstion. prima qui tenet, quod Sacramenta in illo statu poterant esse, tanquam quædam signa sensibilia quibus homines protestarentur fidem Dei Saluatoris in hoc seculo per gratiam, & in alio per gloriam, cui assentit Durandus in 4. distinctione prima, quæst. 2.

Probatur hæc sententia, primo; homo in illo statu compararet scientiam rerum naturalium ex effectibus creatis corporeis, & sensibilibus, ergo etiam compararet scientiam rerum spiritualium eodem modo, & consequenter amorem rerum spiritualium, siquidem amor consequitur cognitionem, consequentia videtur certa, quia sicut vnum non derogaret statui, ita nec aliud; antecedens vero probatur ex D. Thom. prima parte, quæstion. 101. articul. 1. vbi docet, quod filij Adę in statu innocentię acquirerent scientiam ex rebus sensibilibus, & in quæstion. 94. artic. 2. in corpore docet, quod anima primi hominis cognoscebat secundum naturalem modum cognoscendi animæ coniunctæ corpori, qui est per conuersionem ad phantasmata, ergo cognoscerent homines in illo statu dependenter à rebus corporalibus.

Confirmatur; Ratio D. Tho. pro sua conclusione, non est efficax respectu cognitionis rerum naturalium, ergo neque respectu supernaturalium; antecedens patet ex argumento facto, & consequentia probatur, ratio D. Thom. nititur in hoc fundamento, scilicet quod pars animæ superioris plenè dominabatur partis sensitiuæ; & ideò infert, quod non pę debat ab illa, sed hoc nõ obstante cognoscebat res naturales depẽdenter à rebus sensibilibus, ergo similiter res supernaturales, quia ista ratio æque precedit respectu cognitionis vtriusque, & probatur secundo consequentia, quia ille ordo debet seruari ab intellectu in cognitione rerum supernaturalium, qui est ei proportionatus secundum suum modum naturalem cognoscẽdi, quia vnumquodque agit secundum suum modum naturalem.

Secundo arguitur, & augetur vis præcedentis argumenti. In omni statu coniunctionis animę humanæ ad corpus, modus connaturalis cognoscendi illius incipit à rebus sensibilibus, vt ex illis intelligat spiritualia,

& in sensibilia, ergo etiam in statu innocentiæ seruandus esset iste modus cognoscendi, consequentia videtur bona, ex quo optimè infertur, quod ad illum statum possent pertinere sacramenta sensibilia, tanquam signa quibus homines cognoscerent res spirituales, & supernaturales, antecedens vero probatur ille modus cognoscendi competit animæ humanæ connaturaliter, quia connaturaliter est coniuncta corpori, eo quod gradus intellectualis illius est, vel vt partialis. Vndè homo quia essentialiter est compositus ex corpore, & anima habet dum est in via istum modū naturalem cognoscendi, sed totum hoc habet homo in omni statu coniūctionis animæ ad corpus, ergo in omni statu etiam innocentię, habet cognoscere dependenter assensibilibus rebus.

Tertiò arguitur contra solutionem ad 3. D. Thom. vbi ait, quod matrimonium in statu innocentię non fuit institutum vt Sacramentum, sed in officium naturæ; contra: Adā per illud cognouit Incarnationem Christi Domini futurā, tanquā per quoddam signum sensibile, ergo fuit sacramentum valde conueniens illi statui adhunc finem, consequentia videtur bona, quia Sacramentum est signum sensibile, antecedens verò probatur, quia expresse docet illud D. Thom. 2.2. quæst. 2. art. 7.

Pro resolutione huius est notandum, quod ad rationem essentialem Sacramenti, quod posset Deus instituere non requiritur, quod sit medicina contra morbum spiritualem animæ, sed satis est, quod sit signum sensibile rei sacrę sanctificātis nos, quacūq; sanctificatione, siue sanatiua, siue sanctificatiua absolutè, hoc tamen est de ratione essentiali Sacramenti, quo sublato tollitur necessario essentia ipsius Sacramenti, & quidquid aliud cō sideretur in Sacramento aliquo, vel antecedenter se habet, vel concommittanter, & consequenter vt insinuat Caietanus in fine commentarij huius articuli tertij, imò D. Tho. in fine solutionis tertij huius articuli docet, quod matrimonium Adæ, ex cō sequēti significabat aliquid futurū circa Christum, & Ecclesiam, sicut omnia alia quæ in figura Christi contingebant ante eius aduentum; & tamē negat illud fuisse tunc Sacramētum, quia primò, & perse non ordinabatur ad gratiam conferendam, sed ad officium naturę, vndè secundum mentē D. Thom. quidquid considerabile est in Sacramento præpter significationem gratiæ, non est ratio essentialis Sacramenti.

Prima conclusio loquendo de Sacramentis, in quantum sunt medicinæ spirituales animæ, nullo modo erant conuenientia statui innocentiæ, in hac conclusione omnes conueniūt propter rationem D. Thom. in argumento sed contra, quia vbi non est morbus, inutilis est medicina, quod libenter admittit, Scotus in 4. vbi supra quæst. 3. & propter illam rationē tenet, tanquam indubitatam nostrā cōclusionem, & probatur deinde; homines illius status acquirerent gratiā per modum naturę, quia generarentur in gratia, & iustitia originali, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 101. articul. 1. ergo Sacramenta non erant necessaria hominibus pro illo statu. Secundo probatur; homo in illo statu immediatè subiiciebatur Deo Authori gratię, absque aliqua dependentia secundum partem superiorem à parte sensitiua, ergo modus proprius acquirendi gratiam est inuisibilis, & spiritualis, vt docet D. Thom. hic ad primum, ergo non essent conuenientia sacramēta ad gratiam cōsequēdā. Sed dicet quis quod licet sacramenta in illo statu non essent necessaria ad primam productionem gratiæ propter rationes factas, essent tamen necessaria, ideſt valde congruentia ad augmentum gratiæ, & charitatis.

Contra hoc si arguatur, quia augmentum

mentum formæ debet fieri proportionabiliter ad primam eius productionem, ergo sicut gratia in illo statu primo produceretur in visibili, & spirituali modo absque aliquo sensibili signo, ita augeretur eodem modo proportionali connaturaliter ad eius propriã naturã, præterea quia cũ tũc nulla esset reuelio carnis nulla esset difficultas ad bonum operandũ, ergo posset homo meritoriè per proprios actus augere gratiam, & charitatem, & consequenter frustra adhiberentur signa externa ad excitandum hominis à affectum ad bonum prosequẽdum, siquidem ipsa ratione perfectionis sui status esset sufficienter excitatus, & inclinatus, ergo non essent necessaria sacramenta pro illo statu respectu gratiæ, & charitatis aliquo modo.

Secunda conclusio etiam considerando sacramenta, vt perfectiua animæ secundum intellectum, & voluntatem, non potuerunt esse necessaria sacramenta pro illo statu, hęc conclusio primo probatur ratione D. Thom. in corpore, quę iam manet explicata in forma, in nostro commentario literę.

Deindè probatur ratione Caietani in presenti; dona perfectiua intellectus, & voluntatis in ordine supernaturali committantur gratiam tanquã propria, & connaturalia accidentia, sed homo non indigebat sacramentis externis respectu gratiæ acquirendę propter rationes factas pro precedẽti conclusione, ergo neque respectu donorum perficientium intellectum, & voluntatem.

Deinde vltimo probatur, homo in illo statu esset sufficienter dispositus, vt immediatè susciperet, à Deo spiritualem perfectionem, ergo ad hanc perfectionem superflua essent sensibilia sacramenta.

Sed contra primam conclusionem sunt tria argumenta. Primum est contra primam eius rationem ex illa ratione solum sequitur, quod sacramenta non essent necessaria quatenus medicinæ sanatiuę à morbis, non tamen quatenus sunt etiam medicinę præseruatiuę, ergo saltim sub ista ratione fuerunt necessaria sacramenta.

Secundo in illo statu potuit esse peccatum veniale, etiam perseuerante in anima peccantis gratia, & iustitia originali, ergo ad delendum huiusmodi peccatum potuerunt esse cõuenientia sacramenta.

Tertio, etiamsi Adam non peccaret, & conseruaret gratiã pro se suaque posteritate, possent filij eius peccare mortaliter, ergo in remediũ huius peccati mortalis possibilis, possẽt esse conuenienter instituta sacramenta, antecedens docet D. Tho. 1. part. quæst. 100. art. 2. specialiter in solutione argumentorum præcipuè ad 3.

Ad primum horum negatur antecedens, & ratio est, nam pro illo statu si duraret, non solum non esset peccatum, & morbus, verum nec immineret, aut timeretur, & sic intelligenda est ratio conclusionis ex qua infertur non esse necessaria sacramẽta, vt præseruatiuę medicinæ, quia istę solũ dantur, vbi timetur morbus, & imminet periculum cadendi in infirmitatem, quod nullo modo ibi èsset.

Ad secundum respondetur; primò, falsum esse antecedens in via D. Th. secundò admisso illo in sententia Scoti, nego consequentiam quoniam ad deliendum peccatum veniale hominis existentis in gratia, non est necessarium, quod infundatur gratia, sed per multa leuiora media potest remitti; vndè non essent necessaria sacramenta pro illo statu addelendum peccatum veniale.

Et si dicas, quod licet non essent necessaria necessitate simpliciter, essent tamen necessitate maioris congruentię. Respõdetur negando hoc, quia ratione perfectioris status, magis congruum esset, quod illud peccatũ

veniale remitteretur totaliter insensibili modo, & sine dependentia à Sacramentis corporeijs.

Ad tertium respondetur, non esse ita certum, nam satis probabiliter posset quis dicere, quod homines in illo statu, licet ratione liberi arbitrij possent peccare mortaliter, tamen ex particulari assistentia diuinæ prouidentiæ conseruarentur immunes à peccato mortali, ita D. Thom. docet loco citato, solutione ad primum in secunda propositione disiunctiuæ, licet loquatur ex supositione huiuscõditionalis, *si filij Geehenæ non fierent per peccatum*. Et ratio huius potest assignari, quia ratione perfectionis status deceret diuinam prouidentiam conseruare homines absque peccato mortali.

Secundo respondetur, admittendo antecedens, vt videtur clare docere D. Thom. in prima parte illius solutionis citatę, & dico, quod licet aliqui peccarent mortaliter ratione flexibilitatis liberi arbitris, tamen nõ erat conueniens, quod pro illo statu instituerentur sacramenta, addelendum tale peccatum futurum, propter duas rationes; Prima est, quia peccatum mortale in illo statu omnino per accidens, & purè contingenter accideret, eo quod nulla esset ocasio peccandi, sed precisse ex mera libertate contingeret peccatum, & ita in paucis reperiretur peccatum, ea autem quæ sunt omnino per accidẽs, & quæ in paucis contingunt, non expostulãt specialem Dei prouidentiam circa remedium instituendum.

Secunda ratio est, quia cum peccatum in illo statu, non posset procedere, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia, sed ex pura malitia peccantis, non ex postulabat ratio diuinæ misericordiæ, vt institueretur remedium ad illud delendũ, modo autẽ in statu naturę lapsæ, quia peccata contingũt regulariter ex alijs principijs, ratio diuinæ misericordię expostulat remedia institui, quibus homines facilè possint repararj; in illo autem statu sufficeret ad prouidentiam diuinæ misericordiæ, erga hominis remediũ saluandam, quod priuato quoddã auxilio, & in visibili modo, secundum consilium, & placitum voluntatis diuinæ illis subueniret modo sibi placito.

Ad argumenta in principio. Respõdetur; Ad primum admisso antecedenti, negatur consequentia ad cuius probationem respondetur negando antecedens, quia perfectio debita gratiæ in illo statu poscebat, vt gratia daretur per modum naturæ, & simul cum natura, sine dependẽtia ab aliqua, re exteriori, & consequenter eodem modo erat danda cognitio rerum supernaturalium, de cognitione autem rerum spiritualium pertinentium ad ordinem naturæ, non currit hæc ratio, & multo minus procedit de cognitione rerum materialium, quia cũ hæc pertineat ad conditionem naturæ humanæ, quatenus intelligit in statu coniunctionis, necessario est communicanda per species rerum sensibilium, vel non est necessarium ratione status, quod habeatur per species infusas à Deo, quod totum colligitur ex doctrina D. Thom. locis citatis.

Ad confirmationem respondetur, quod ratio D. Thom. efficaciter procedit respectu cognitionis supernaturalis, non tamen procedit de naturali æqualiter.

Ad probationem respondetur, quod cum D. Sanctus ex illo principio infert, quod pars superior animæ non pendet ex parte sensitiua, non loquitur de dependentia naturali, quã habet intellectus coniunctus materię secundum quam pendet ex ministerio sensuum quantum ad accipiendũ species à rebus sensibilibus, sed loquitur tantum de illa dependentia secundum quam pars sensitiua ratione reuelionis impedit partem superiorem à suis operationibus, & perfectionibus,

aut

aut illam retardat, quod patet, ex eo, quod ibi D. Sanctus intendit explicare quommodo in illo statu pars superior, non erat subiecta parti sensitiuę subiectione importante in perfectionem in natura rationali, hæc autem solum est subiectio impediens operationes, & perfectiones rationis superioris. Nam altera dependentia, & subiectio non importat imperfectionem in tali natura rationali, sed potius est ei connaturalis ratione status coniunctionis, & non impedit operationes perfectas animę rationalis secundum partem superiorē. Hoc supposito, concessa minori argumenti, negatur consequentia, quia cognoscere res naturales, cum illa dependētia, non est imperfectio naturæ, etiā in illo statu, vt dictum est, cognoscere verò res supernaturales, cum dependentia assignis sensibilibus esset imperfectio naturæ in illo statu, quia esset subiicere se hominem rebus sensibilibus in illis in quibus ex natura rei, & perse loquendo, non esset subiectus, & vt hoc completè capiatur est aduertendum, quod signa sensibilia, ex eo solū sunt necessaria ad cognitionem supernaturalem, quia appetitus sensitiuus, seù pars inferior potest impedire intellectum, aut retardare cognitionem rerum supernaturalium, & ratio est, quia cognitio supernaturalis perse loquendo, & ex natura sua, non oritur à sensibus, sed immediatè adeò: nam est ordinis superioris, vndè de huiusmodi cognitione loquens Apostolus 1. Corinthiorum cap. 2. ait: *Quod in cor hominis non ascendit*, ideſt non ascēdit ad cor hominis ista cognitio ex rebus inferioribus orta, sed potius ex superiori Dei reuelatione, ex quo infertur, quod perse loquendo, non pēdeat ex aliquo signo sensibili, & ita tota necessitas horum signorum desumenda est ex repugnantia partis sensitiuæ, qua cum parte superiori pugnat, ex quo prouenit, quod impediatur cognitio, & operatio perfecta partis superioris, adque ita cum nullum impedimentum esset tunc ex parte sensus, nulla erat necessitas signorum sensibilium ad cognitionem supernaturalium, vndè ratio D. Thom. non procedit æqualiter respectu cognitionis naturalis, & supernaturalis; per quod patet ad primam probationem consequentiæ.

1. Corinth. 2.

Ad secundam respondetur, distinguendo antecedens debet seruari modus proportionatus modo naturali intelligendi in his, quæ non derogant perfectioni gratiæ quę cōuenit ipsi secundum statum in quo reperitur, concedo antecedens, absolutè & omnibus modis, nego antecedens, vndè quia in illo statu innocentiæ, perfectio gratię postulabat, vt daretur homini simul cum natura, absque aliqua dependentia ab extrinseco, consequēter postulabat, vt cognitio supernaturalium daretur eodem modo, vt patet ex ratione Caietani allata à nobis in probatione secundæ conclusionis.

Ad secundum argumentum respondetur, distinguendo antecedens, respectu rerum spiritualium pertinētium ad ordinem naturę, concedo antecedens, & in eodem sensu, concedo consequentiam, respectu rerū spiritualium pertinentium ad ordinem supernaturalium gratiæ, nego antecedens, & in eodem sensu, nego consequentiam. Ratio solutionis est, quia cognitio rerum spiritualium pertinētium ad ordinem naturæ habetur lumine naturæ, & per effectus sensibiles ascendit ad intellectum hominis, iuxta illud Pauli ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*, quia iste modus intelligendi proprium obiectum naturale, est connaturalis intellectui pro statu coniunctionis. At verò cognitio rerū supernaturalium pertinentium ad ordinem gratię (vt iam dictum est) non ascēdit ex rebus sensibilibus, sed per se

Paul. ad Rom. 1.

le loquendo descendit immediatè à Deo ad cor hominis, vndè recurrendum est perse in tali cognitione ad diuinam reuelationem, & infusionem, cum sensus nihil, aut parū possint iuuare ad illam. Adquè ita signa sensibilia solum per accidens possunt esse necessaria, propter impedimentum partis sensitiuę, in hoc sensu intelligo, ego Dominum Caietanum, quando hic docet, quod doctrina D. Tho. intelligitur respectu Adami, & de statu innocentię, vt fuit in illo pro illo breui tempore, quod scilicet loquitur de cognitione rerum naturalium, quæ in illo habita fuit per species infusas, & non acquisitas ex rebus sensibilibus; & ideò ait, quod talis scientia, nō dependebat ex rebus sensibilibus, nec à phantasmatibus, sed vtebatur illis, vt inferioribus, sicut anima vtebatur corpore subdito, loquendo autem de cognitione rerum supernaturalium æqualiter docet Caietanus procedere doctrinam de primò parente, & de posteris eius si perseueraſſet status innocentiæ, siquidem expressè dicit ad hoc quæsitum hoc parrapho, & si quæratur, quod filij Adæ, non egerēt Sacramentis respectu perfectionis gratiæ, neque respectu perfectionis scientiæ rerum supernaturalium, quam doctrinam, vt verisimam intelligentiā D. Thom. amplector, & miror viros doctos in hac parte impugnare acutissimum Caietanum.

Contra hanc communem Thomistarum opinionē, quā ipsi sumpserunt ex suo sapientissimo Prę ceptore hic, & loco citato, 1. part. & in 4. distinctione 1. quęst. 1. artic. 2. quæstiūcula 2. tenet Suarez in præsenti disputation. 3. section. 3. §. dicendum est primò; & arguit contra illam quatenus docet Sacramenta ad cognitionē supernaturalium, non esse necessaria, primò sic licet cum gratia, & iustitia infunderetur habitus fidei, non tamē infunderentur species, & phantasmata quibus homo indiget ad apprehendas res fidei, nec fierēt omnibus interiores reuelationes omnium credendorum, sed per traditionem filij acciperent à parentibus, ergo ad hæc omnia possent, & deberent institui sacramenta, antecedens probatur, quia modus connaturalis intelligendi hominis viatoris est assignatus, & nulla est causa adfingēda miracula, aut nouum prouidentiæ modum, ergo deberent homines, tūc institui in rebus fidei per voces, & signa sensibilia, quia in vsu fidei à phantasmatibus dependerent, ergo pari ratione, si tunc instituerētur alia signa in actionibus, vel rebus consistentia possent habere vsum, & vtilitatem illi statui conuenientem absque imperfectione ordinis ipsius status.

Confirmatur, quia non est dubiū quin tunc essent futura signa vocalia & futuras scripturas, vt possent homines, cum absentibus loqui.

Deinde, quia verisimile est futuram fuisse imaginem, vt res absentes præsentes fierent per illā, similiter homines, non haberent omnium rerum memoriam in actu continuo, sed indigerent, vt aliquo modo excitarentur ad actu considerandas res, quas memoria retineret, ergo ad hæc omnia oporteret adiubari aminiculo sensibilium signorum, ergo pari ratione essent ad hos fines conuenientes actiones sacræ ad significandas res spirituales impositæ.

Vltimo, quia in illo statu futurus esset externus Dei cultus, tam in actionibus, quam in rebus consistens, sed quod Deus eleuaret huiusmodi cultum ad sacram significationem, nullam indecentiam, aut imperfectionem affert, & potest aliquam vtilitatē habere, ergo si fieret satis congruum esset illi statui.

Ad hęc immediatè respondendū prænotando, quod doctrina D. Tho. & suorum Discipulorum procedit, siuè loquamur ex vi præsentis decreti, quod habuit Deus ex præuisione peccati

peccati circa Sacramenta instituenda, siue ex vi decreti, quod haberet si perseueraret status innocentiæ circa prouidentiam hominum in ordine ad gratiam, & scientiam supernaturalem tradendam; in quo casu dicendum est, quod sicut Angelis viatoribus nulla data fuerunt signa spiritualia, per quæ sanctificarentur, aut per quæ iuuarentur in cognitione rerum supernaturalium, sed immediatè à Deo perficerentur per communicationem luminis supernaturalis, & specierum necessariarū ad vsum talis luminis, ita homines status innocentiæ non egerent signis sensibilibus impositis ad significandum res supernaturales, sed immediatè à Deo edocerentur mediante cognitione effectuum spiritualium, & in materialium, quæ perfectius, quam res sensibiles res supernaturales repræsentant: nā ratione perfectionis status viuerēt Angelico more, quia agerēt vitam, absque vllo corporis, aut partis sensitiuæ impedimento; Vndè in forma dico, quod in illo statu simul cum lumine supernaturali infusso infunderentur species necessariæ ad vsum illius, sine aliqua dependentia à rebus sensibilibus, quia ad diuinam sapientiam, pertinet eodem modo prouidere, de principali, & accessorio, vndè quemadmodum in statu naturæ lapsæ ratione reuelionis partis sensitiuæ accipiunt homines scientiam supernaturalem medijs Sacramentis sensibilibus, non solum quoad lumen scientiæ, sed etiam quoad species, quia species sunt, velut accessorium, quia cōsequenter petuntur ad vsum luminis habitualis, ita in illo statu infunderentur species necessariæ ad vsum luminis supernaturalis propter eandem rationem.

Præterea dicendum mihi videtur, quod omnibus, & singulis hominibus fierent reuelationes omnium credendorum spectantium ad statum cuiusque particularem, nec in aliquibus edocerentur filij à Parentibus; quia perfectio illius status erat equalis in omnibus; vndè in ordine ad cognitionem supernaturalium immediatè subiiciebantur Deo authori gratiæ, nec esset dependēntia à phantasmatibus in tali cognitione (vt dictū est.)

Ad probationem autem antecedētis, distinguo antecedens, hominis viatoris pro quocumque statu, & respectu omnis cognitionis, nego antecedens; in statu naturæ lapsæ, vel respectu cognitionis rerum naturalium, concedo antecedens. Nec ponere illum modum cognoscendi in hominibus illius status est fingere miraculū aut nouum modum prouidentiæ, sed ponere effectum diuinæ prouidentię, & conditionem debitam secundum congruentiam status, & ita nego consequentiā, ad cuius probationē dico, quod in vsu fidei, & cuiuscūque alterius luminis supernaturalis nō penderet homo à phantasmatibus, sed immediatè à Deo propter rationē supra assignatam, itaque hæc solutio est multū conformis doctrinæ D. Thom. 1. part. quæst. 94. art. 3. solutione ad tertium, vbi docet, quod homo si perseuerasset in statu innocētiæ quantum ad supernaturalia obiecta in discursu vitæ profeciſſet quantum ad numerū scitorum per nouas reuelationes, sicut & Angeli proficiūt per nouas illuminationes, & in 4. distin. 1. art. 2. quæstiūcula 2. in corp. quod licet in illo statu homines cognoscerent res sensibiles, & in illis rerum spiritualium similitudines inspicerent, tamen cognitionem rerum spiritualium ex illis non acciperent, sed ex diuina influentia propter perfectionem status.

Ad confirmationem respondetur. Admittendo futuras fuisse scripturas, & voces significatiuas ad illum finē, & imagines externas aliquarum personarum, etiam ad proprium finem, ex quo non licet inferre futura Sacramenta, quia illa omnia pertinent ad ordinem cognitionis naturalis, &

ad

ad conuictum, & contractum naturalem hominum, Sacramẽta vero pertinent ad ordinem gratiæ, & ita primum, congruit cum illo ſtatu, non vero hoc vltimum, propter rationes aſſignatas.

Ad vltimam partem confirmationis reſpondetur, admiſſo antecedenti, diſtinguo conſequens, reſpectu rerum ſupernaturalium, nego conſequentiam, reſpectu naturalium, tranſeat conſequens, cuius diuerſitatis aſſignata eſt ratio iam ſæpè.

Secundo dico, quod adhuc reſpectu rerum naturalium, non indigerẽt homines illius ſtatus ſignis ſenſibilibus excitantibus, licèt non inconueniat poſſe excitari, quia ipſi eſsẽt ſufficienter excitati ad actualem earum conſiderationem, pro loco, & tempore conuenienti ad rectam gubernationem vitæ humanæ.

Ad vltimum reſpondetur, conceſſa maiori, pro nunc negando minorem, ratio diuerſitatis eſt, quia ſacrificia ſub ratione formali abſtracta, ſolũ dicunt diuinam reuerentiam Deo exhibendam in gratiarum actionem, & ſupremi dominij recognitionem, Sacramẽta verò ſupponunt, vel vulnus peccati, vel vulnus ignorantię, quatenus ordinantur ad eruditionem: Ex quo ſequitur, primum non pugnare, imò congruere cum illo ſtatu, ſecundum vero, omnino eſſet in congruum conſiderando perfectionem ſtatus ſecundumſe, quia in illo, nec peccatum eſſet (iuxta dicta ſupra) nec poſſet eſſe aliqua ignorantia reſpectu obiecti, quod oportebat cognoſci, quia licet à principio non cognoſcerent homines omnia obiecta ſupernaturalia, tamen quia non erat tunc debita omniũ cognitio, illa inſcientia non ignorantia diceretur, ſed neſcientia; quando autẽ pro loco, & tempore ad rectam gubernationem vitæ humanæ conueniebat talis cognitio, media noua reuelatione diuina habebatur, vt docet D. Tho. (vbi ſupra) Ex hac doctrina colligitur, ratio fortis contra Magiſtrum Suarez; Omnis vtilitas Sacramentorũ ſupponit ex natura ſua ægritudinem, & vulnus peccati, ſed in illo ſtatu nulla eſſet ægritudo animæ ex parte intellectus; nec vulnus peccati ex parte volũtatis, ergo ſuperflua eſſent Sacramenta; minor concedi debet, ab illo ſupponendo permanentiam ſtatus, & de vulnere peccati debet intelligi iuxta dicta ſupra, quia ſcilicet pauci ex poſteris peccarent mortaliter in illo ſtatu, propter quod ipſe Suarez docet ſufficere remedium contritionis, & non eſſe neceſſarium Sacramentũ pœnitentię, de ægritudine vero ex parte intellectus, patet quod nulla eſſet, nam talis ægritudo eſt ignorantia priuatiua, quæ importat carentiam cognitionis debitæ, ſed talis ignorantia non eſſet in illo ſtatu ergo; maior vero probatur, quia vtilitas Sacramẽtorum in ordine ad eruditionẽ noſtram, non conſiſtit in eo, quod homo accipiat ſpecies ad intelligendum res ſupernaturales ex ipſis Sacramentis, & obiectis ſenſibilibus, ſed in eo quod per res ſenſibiles rationæ arcanæ, & ſecretæ ſignificationis ſupernaturalis inſtruatur de miſterijs gratię ſuperna turalibus, vt in noſtris Sacramentis patet liquido, ſed hæc vtilitas ſupponit neceſſariò ignorantiam priuatiuã, (vt conſtat) quæ in illo ſtatu ceſſaret, ergo ceſſaret vtilitas Sacramentorũ, quod autem vtilitas reſpectu gratiæ ſupponat peccatum ipſe Author concedit.

Secundo reſpondetur ad fundamenta Suarez ex modo dictis, quod quamuis non infunderentur ſpecies, ſimul cum habitibus ſupernaturalibus, adhuc non eſſent neceſſaria Sacramenta, quæ eſſent ſigna ſenſibilia, quia (vt dictum eſt) illa non ſunt neceſſaria, quatenus ordinantur ad eruditionem hominum, vt cauſent ſpecies repreſentatiuas obiectorum ſupernaturalium, nam iſte ſpecies non habent principium in rebus ſenſibilibus,

bus, sed tantum sunt necessaria, vt instruentia, quasi extrinseca ratione suę se creatæ, & supernaturalis gratiæ significationis, vndè cū in illo statu talis instructio per res sensibiles esset cōtra debitum ordinem rectitudinis iustitię originalis (vt dictum est supra) consequenter talia Sacramenta essent contra talem ordinem; hoc autē inconueniens, non sequitur ex alijs signis vocalibus, quæ tunc ponerentur non vt instruentia, sed vt instrumenta humanæ locutionis, & vt homines acciperent species rerum naturalium absentium.

Et si inquiras, vndè haberet species necessarias ad vsum habituū supernaturalium. Respondetur, quod in hac solutione, nō curamus illas assignare, sed solum explicare quod ad hunc finem non essent vtilia sacramēta, tamen cum (vt supra dixi) res sensibiles, nō causare possent tales species cum sint diuersi, & inferioris ordinis, semper iudico esse infundēdas à Deo pro loco, & tēpore id postulāte ad vsum illorū luminū, nam effectus spirituales in quibus dicunt aliqui Magistri res supernaturales fore tunc cognoscendas, mihi non placet, quia illi sunt ordinis naturalis, adquè ita non possunt ducere in cognitionē rerum supernaturalium, quia quæ sunt ordinis inferioris, non possunt representare ea, quæ sunt ordinis superioris.

Ad vltimū arg. positū in principio. Respondetur iuxta nostrū notabile, transeat antecedens, & nego cōsequentiā. Ad probationē dico de ratione sacramenti propriè dicti, esse significationē gratiæ sanctificantis (vt loco citato explicui) illud autē matrimoniū non significabat gratiam sanctificantem contrahentis, & ideò non fuit Sacramentum.

Sed dices, licet non fuisset Sacramēntum ratione gratiæ significatæ, & respectu illius, sicut matrimoniū nouæ legis, tamen esset sacramentū alterius rationis, saltim respectu eruditionis circa mysterium supernaturale Incarnationis, quod cognouit Adam medio illo ergo sicuti, illud sacramēntum non fuit contra ordinem illius status, ita nec alia, quæ posset Deus instituere vt medijs illis instruerentur homines de supernaturalibus.

Ad hoc respondetur negando antecedens, nam vt docet D. Th. in 4. dist. 1. art. 2. quęstiuncula 2. ad 3. per illud matrimoniū non accepit Adam cognitionem coniunctionis Christi cum Ecclesia faciendæ postea per incarnationem eius, sed potius ex cognitione prędictæ coniunctionis cognouit cōuenientiā, & sanctitatē matrimonij, & ideò infert D. S. quod illud matrimoniū non fuit sacramentū, adhuc vt ordinatur sacramentū ad eruditionē, neque oppositū huius doctrinæ docet in loco citato in argumēto principali, quia si benè perpendatur solū docet, quod primus parēs cognouit explicitè Incarnationē, & hoc colligit, ex eo quod dixit ipse *propter hoc relinquet homo Patrē, & Matrē*, in his autem verbis non dicitur, quod per illud matrimoniū cognouit Adam matrimonium verbi cū Ecclesia media sua incarnatione factum.

Secūdo resp. quod cognitio illius misterij est cognitio rei supernaturalis pertinentis ad ordinē superiorē toto ordine gratiæ, nō pertinet ad ordinē vnionis hypostaticę, quæ alterius rationis superioris est cōmunicatio, quà fit cōmunicatio facta per gratiā habitualē, quando autē dicimus, quod esset contra ordinē illius status cognoscere supernaturalia depēdēter assignis sensibilibus, intelligitur de misterijs supernaturalibus pertinentibus ad ordinē gratię habitualis, quia illa daretur per modū naturæ: nō āutē de misteriis eleuatis supra talē ordinem, quia cognitio illorū, nō cōsequēter sē habet ad gratiā habitualē, & ita potest cōmunicari depēdēter ab aliquo extrinseco, quia cōmunicabatur ex particulari priuilegio, & nō quia esset de

bita, & connaturalis gratiæ ſtatui, in quo naſcerentur homines, ratio autē quarehuiuſmodi cognitionē alligauit Deus primo homini, depēdēter ab aliquo ſigno ſenſibili fuit fortè, vt auferret à primo homine omnem ocaſionem ſuperuiendi, ne exiſtimaret ſe, tanquam alterū Deū poſſe ex proprijs omnia naturalia, & ſupernaturalia cognoſcere, de quo vidēdus eſt Cabr. hic diſput. 1. 3. concl. in ſolut. 2. poſiti contra concluſionem, hęc ſolutio adhibetur etiā cōmuniter ab alijs, in qua ſupereſt explicandū quare illud matrimonium non fuit Sacramentū, ſiquidem fuit ſignum ſenſibile ordinatum ad inſtructionem Adam. Reſpondetur autem, quod ideò non fuit Sacramentum adhuc, quatenus tunc tātum ordinarentur ſacramenta ad inſtructionem ſi inſtituerentur, vt docent oppoſitum opinantes, quia illam ſignificationem non habebat perſè primò, ſed quaſi ſecundariò, & ex cōſequenti, vt docet D. Thom. hic ſolutione ad 3.

SECVNDVM DVBIVM ET curioſum eſt.

Vtrùm in caſu quo duraret ſtatus innocentiæ, & veniret Chriſtus futura eſſent aliqua Sacramenta?

IN hoc dubio Suarez vbi ſupra, poſtquam in 3. dicto loquendo abſolutè de ſtatu innocentiæ, hoc incertum eſſe dixit, quia nobis non conſtat ex diuina reuelatione quommodo tunc ſe haberet voluntas Dei, erga omnes res, nec reuelatum nobis eſt quale decretū haberet Deus circa inſtitutionem ſacramentorum; poſtea tamen docet, quod in caſu noſtri dubij credibilius eſt nullum ſacramentum inſtituendum eſſe antequā veniret Chriſtus, propter aliquas rationes quas ibi facit, inter quas præcipua eſt, quia nō eſt decēs, nec cōgruū naturæ rerum, vti inſtrumentis ſeparatis, nequè vt detur virtus cauſatiua gratię niſi per cōiūctū organū diuinitatis. Parrapho autem vltimo credi poteſt, docet, quod poſt Chriſti Incarnationem futurum eſſet aliquod ſacramentum, quod maximè probabile iudicat de ſacramēto Euchariſtię. Ratio fundamentalis huius eſt, quia hoc ſacramentum eſt maximè experibile, & independens à peccato ſecluſſa ſignificatione paſſionis, ſed hæc poteſt facilè excludi manente reali preſentia Chriſti, qua nos ſibi coniungit per hoc Sacramētū, & hæc vnio eſt perſè primò in illo intēta, ergo in illo caſu probabile eſt, quod eſſet hoc ſacramē tum, de alijs vero Sacramentis, nihil reſolutorie dicit, tamen de matrimonio facit rationem ad id perſuadendum, & ipſe illam ſoluit, de ſacramento verò ordinis, ait id videri probabilius, propter habitudinem, ad Euchariſtiam, licet etiam id incertum iudicet.

Sapientiſsimus Magiſter Nuño hic in prima difficultate aſſerit, quod in caſu in quo veniret Chriſtus Dominus, non exiſtente peccato originali, ſi eſſent plura peccata mortalia eſſent ſacramenta ad illa delenda. Si autem eſſent tantum venialia, vel pauca mortalia, in quo caſu nō veniſſet Chriſtus, non eſſent ſacramenta futura, ait ſapientiſsimus Magiſter, poſtea autem in reſolutione dubij curioſi, quod mouet de iuſtis. Reſpondet, quod illi non vterentur ſacramentis, quæ ſecū dum ſuam propriam rationem ordinantur ad delendum peccatum, vel reliquias peccatorum, vt pœnitentia, & extrema vnctio, vterentur tamen alijs ſacramentis, qui ordinantur ad augendam gratiam, vt eſſet Euchariſtia, & confirmatio. Ratio huius eſt, quia illa Sacramenta in iuſtis nō poſſunt habere ſuum effectum, & ita falſificaretur forma; alia verò ſacramenta eſſent maximæ vtilitatis, etiam in illis, quod patet ex eo quod beatiſſima Virgo, licet nullum commiſſerit peccatum vnquam, ſuſcepit Sacramē tū confirmationis in die Pentecoſtes, &

& Eucharistiã suscipiebat quotidie.

Hęc Magister doctissimus, sed pro resolutione sit prima conclusio, etiam si Christus veniret perseuerante statu innocentiæ dicendum est, nullum fore Sacramentum hæc conclusio cõmunior est inter omnes præpter Suarez, in qua non diffinimus aliquid, tanquam certum, & indubitatum, quia de rebus pendentibus ex mera voluntate Dei, nihil possumus, tanquam certum resoluere, nisi sit nobis reuelatum ab ipso Deo in sacra Scriptura, cũ autem quid Deus faceret in illo statu non sit nobis reuelatum, non possumus aliquid, tanquam certum asserere. Tamen loquimur in conclusione considerando congruentiam, quæ esset inter perfectionem status, & Sacramenta, & dicimus, quod non esset aliqua congruentia ad sacramenta ponenda, sed potius dedeceret statũ institutio alicuius sacramenti, rationes huius conclusionis eędem sunt adquè factæ in dubio prędcedenti, quia tunc talis institutio Sacramentorum, non esset vtilis ad præseruationem à peccato, neque ad eruditionem puerorũ innocentium, ergo inutilia essent talia sacramenta. Probatur antecedens quia illo statu durante, non erat decens vt homo subiiceretur, tanquam inferior rebus sensibilibus, & in animatis.

De Sacramento Eucharistiæ idem probatur, quia licet sit maximè perceptibile, tamen secluſa ratione humiliatis contra peccatũ, non deceret Christũ tanta humiliatio, ergo nõ esset conueniens eius institutio. Probatur antecedens, nã indecens est secũdũse, quod Deus homo consumator glorię, fiat cibus hominũ in eorũq; stomachũ descẽdat, ex quo patet, quod nõ esset Sacramentũ ordinis ordinatũ ad Eucharistiã, siquidẽ deficiente fine deficere medium necesse est.

Neque obstat ratio fundamẽtalis, nã ad illam resp. premissis admissis loquendo de Sacramento absolutè, quatenus posset à Deo institui, negando consequẽtiã, nam ex alia parte esset, quid indecens, & incongrũ institutio talis sacramenti, nãsi solũ eius excellẽtia, propterquã est maximè appetibilis esset sufficiens ratio, vt institueretur, & similiter eius intima vnio, qua Christus homines, sibi coniungit medio tali sacramento, non tantũ secundũ animã, sed etiam secundũ carnẽ, sequeretur, quodmodo in patria, deberet permanere sacramentũ, propter easdẽ rationes, cũ autem ratione illius indecẽtiæ explicatæ, non permaneat in patria, neque in illo statu esset congrua illius institutio.

Secunda conclusio sentẽtia doctissimi Magistri Nuño, non est ita pro 1. parte conformis doctrinę D. Th. sicut opposita, quę etiã cõmuniter à discipulis D. Th. tenetur, quia ipse D. S. tam hic, quã in 4. loco, absolutè docet durãte statu innocẽtiæ nulla futura esse sacramẽta. Probatur primo cõclusio, quia in primis falsum videtur ab omnibus, quod in illo statu essẽt plures peccatores propter rationes assignatas dubio prędcedẽti, tũ secundo, quia adhuc si essent plures peccatores sufficeret eis remediũ amoris, & contritionis, quod facilè haberẽt tunc homines peccatores: nã ad illud mouerentur efficaciter experientia propriẽmiserie, & felicissimi status amissione, & prętera videntes se esse separatos ab alijs permanẽtibus in iustitia, quia absque dubio eicerẽtur è loco paradisi, qui peccarent, sicut ejectus est primus parẽs, quod etiã esset motiuũ efficax ad exeundũ à peccato, sicut fuit nostro primo parenti, quem sapientia eduxit à delicto suo, vt dicitur Sap. 10. vndè eo modo quo primus parẽs iustificatus est absque aliquo Sacramẽto iustificarentur homines peccatores illius status.

Tertio, quia posito Sacramento pœnitentię pro illis hominibus, vel remitteret peccatũ simul cum contritione, vel cum sola atritione, ita quod

hęc sola sufficeret, & requireretur, si esset necessaria cõtritio, vt videtur fore, quia illud Sacramentum nõ posset remittere peccatum ex opere operato, cum hoc sit priuilegium magnum nostri Sacramenti operantis in virtute passionis Christi, si in quam contritio esset requisita parum conduceret ipsum Sacramentum, quia ipsa contritio ratione dilectionis Dei super omnia sufficeret per se ad delendum peccatum, vt contigit nostro primo parenti si dicatur quod sola atritio esset sufficiens simul, cum Sacramẽto præterquam quod relinquitur modo impugnatum, videtur nimia indulgentia, & maximum priuilegium pro illo statu in quo tan facile posset haberi dilectio, & amor Dei.

De secunda vero parte sententiæ Magistri sit 3. concl. data hypothesi, illa nimis probabilis videtur, quod iusti vterentur Sacramentis ordinatis ad augmentum gratiæ, cæterum cum tunc non deceret homines subiici rebus sensibilibus, nec respectu grariæ, nec ad eruditionem consequendam probabilius videtur mihi, quod non accederent ad illa Sacramenta, & hoc est magis consequens ad doctrinam, & rationem D. Thom. dubio prȩcedenti, defusè explicatam, nec exemplum probat, oppositum quia beata Virgo erat in statu naturæ lapsæ in quo non currit illa ratio.

Sed in fauorem Suarez est argumẽtum ad probandum, quod matrimonium absque aliqua imperfectione status posset, tunc eleuari ad rationem matrimonij, nã contractus matrimonij, qui tunc esset aptus, esset ad significandum gratiam, & misterium Christi, ergo facile posset eleuari ad rationem Sacramenti. Ad hoc enim respõdetur, distinguendo consequens, ita vt talis eleuatio esset congrua perfectioni illius status, nego consequentiã absolutè attendendo ad potentiã Dei transeat consequẽs, nos enim nõ dicimus Sacramẽta implicari pro illo statu, & ita consequẽter, non negamus illa posse Deum instituere, sed solum dicimus, quod talis institutio, non erat vtilis, aut necessaria attendendo ad perfectionem status propter rationes factas, nec esse rẽ congruã, de Sacramẽto vero matrimonij adest specialis ratio, propterquã inutiliter ponerẽtur considerando prouidentiam Dei ordinariam, quia finis, & proprius effectus huius Sacramenti, non esset tunc necessarius, quia ordinatur ad cõpescẽdam, & frænandam libidinẽ contrahentium ad vincendas difficultates, quę se offerunt in statu naturæ lapsæ in sustinendis honeribus matrimonij, & ad hoc confertur gratia per Sacramentum modo institutum: tunc autẽ omnes istę causæ cessarent, quia esset matrimonium, sine libidine, & in sustinendis honeribus illius status nulla esset difficultas, vel si esset aliqua illa esset minima, atquè ita posset vinci facile, vndè propter illam nulla esset necessitas Sacramenti instituendi.

DVBIVM TERTIVM.

Vtrùm perseuerante statu innocentiæ futura essent aliqua sacrificia?

IN hoc dubio supponitur, tanquã certum, quod de facto ante peccatum Adami nullum fuit sacrificiũ cuius suppositi duplex est ratio, prima quia omne sacrificium de facto institutũ habet vim à passione Christi, sed hæc quoad omnẽ suã substãtiã, & vim prȩsupponit origalẽ culpam, ergo ante illam, nullum fuit de facto institutum sacrificium, secũda est, quia innocentiæ status de facto durauit pro tam paruo tempore, vt non fuerit opus, aut locus instituendi aliquod sacrificium, quia non fuit locus, aut tempus offerendi, ergo non fuit necessarium pro illo brebi tempore aliquod sacrificium, sicut nec Sacramentum propter eandem rationem (vt communiter asserunt Theologi) vndè quod vertitur in dubium, est

vtrum

vtrum permanente statu, ita vt postea nascerentur in iustitia, & gratia esset conueniens aliquorum sacrificiorum institutio, & vsus.

Hoc ergo præsuppositio sapientissimus Magister Soto in 4. distinct. 1. quæstion. 2. artic. 3. tenet, quod illo statu durante, sacrificia nullo modo fuisse necessaria, quia ad protestandam fidem sufficerent actus interiores quibus Deum vnum, & trinum confitemur, & sufficerent exteriores laudes, & opera virtutum quibus homines Deo gratias agerent, tanquam suo creatori, gubernatori, & Saluatori, ac glorificatori. Probatque hanc sententiam, primo nam prima causa, propterquam sacrificia instituta sunt, est, vt pro peccatis satisfaciamus, sed tum nulla essent peccata, ergo nulla futura sacrificia.

Secundo, secunda causa est, vt religio nostra dignoscatur ab alijs satis distincta, sed hæc causa, tunc cessaret ergo. Probatur minor, quia omnes essent eiusdem religionis, & vnum verum Deum adorarent.

Tertio, tertia causa est, vt nobis constet mutuo eandem Religionem colere, nam quamuis totus mundus eandem profiteretur, tamen quia corporei simus, non posset fieri, nisi per signa externa, vt nobis mutuo constaret inter nos vnam esse Religionē, sed illo statu omnibus mutuò constaret natos esse in gratia Dei eiusque seruitio, & obedientia, ergo ad hunc finem, non essent necessaria.

Quarto, quarta causa est, vt seruemus memoriam beneficiorum Dei, & vt doceamur per illa quantum illi debemus, sicut fit modo in sacrificio Missæ, sed in illo statu ad hūc finem, non essent necessaria sacrificia, ergo. Probatur minor, quia simul cum gratia imbuerentur donis necessaris, & præterea parentes facillimo negotio erudirent natos, ergo nō egerent exteris elementis, sed sicut Angeli Dei in paradiso semper omnes Deum laudibus colerent.

Et si dicat aliquis, quod essent tunc necessaria sacrificia ad redendū Deo debitas gratias pro acceptis beneficijs, contra hoc arguit sapientissimus Magister, nam modo vana esset ista causa in nobis, nisi ea quæ Deo offerūtur cederent in vsum templorum, ac ministrorum, sed tunc cum nō essent Sacramenta non essent ministri, nec templa, quia aeris in clementia rectis non ægerent, ergo sufficeret si simplici corde, & ore Deum laudarent ipsique encomia dicerent.

Confirmatur, quia tunc non esset conueniens sacrificare, sicut tempore Mosis scilicet mactando animalia, mactatio enim fuit potissimum sacrificium Mosis, ergo nullum aliud sacrificium fuisset vtile, consequentia ex eo probatur, quia cum mactatio tēpore legis scriptæ fuerit perfectissimū sacrificium, si aliquod deberet esse in statu innocentiæ, maximè illud, antecedēs vero probatur, nam tale sacrificium offerre Deo fuit conueniens ratione significationis, quia scilicet significabat immolationem Christi cruētam, sed tūc talis significatio nō esset, quia perseuerante statu innocentiæ, Christus nō veniret, vt pateretur, ergo inutile erat tale sacrificū pro illo statu.

Vltimo arguitur, nam sacrificium debet fieri ex bonis propris sacrificantis, sed tunc omnia bona essent communia, ergo nullus posset aliquid de proprio offerre, ex quo infert, quod sacrificia in illo statu nullius essent immolanti, meriti, vel laudis.

Pro huius dubij resolutione est notandum, quod sacrifitium capitur dupliciter; primò modo largè pro quacunque oblatione rei exterioris, secundo modo accipitur strictè pro oblatione, quę dicit actionem exercitam, erga rem exteriorem oblatā, & talis actio est quid distinctum ab ipsa actione, quæ est oblatio, & contingit quando aliquid exterius distinctū à nostro corpore, & à nostris actioni-

bus, in diuinum cultum offerimus Deo.

Hoc suppositio ante omnia reiecienda est sententia Vazquez, 3. part. disput. 130. cap. 3. vbi ait, nõ posse alteram partem huius dubij terminari, & ratio huius est, quia vt conditionalis sit vera, debet esse bona consequẽtia, & ita consequens debet esse necessariò connexum cum antecedenti, sed ex casu dubij non sequitur necessariò, quod futura essent, nec quod non futura essent sacrifitia, ergo gratis, & sine fundamento altera pars determinatur.

Deinde, quia si illo statu permanente, futura essent sacrifitia, hoc in tantum esset in quantum Deus ita decerneret, quia ad ipsum pertineret decernere, quod genus cultus sibi gratum esset, sed nullum est fundamentum ad colligendum potius hoc decretum, quam oppositum, ergo neque ad constituenda sacrifitia.

Sit contra istum Authorem vnica conclusio, quæstio nostra vtilis est, & determinabilis in alteram partem secundum probabilem coniecturam, non tamen secundum rationem euidentem, aut conuincentem necessariò alteram partem, ratio huius est, quia nos nõ inquirimus, quid tunc illo statu durãte necessariò esset, nec id intendimus explicare, aut determinatè, sed solum quid esset naturæ humanæ consentaneum in illo statu, nam ex hoc probabiliter potest inferri, quid futurum esset circa sacrifitia; in isto sensu potest determinari aliqua pars, vt postea patebit, ergo sine fundamento loquitur præfactus Author. Minor probatur, nam ad diuinã prouidentiam pertinet prouidere rebus, de medijs congruentibus naturis earum pro quocunque statu, cum rationæ suę infinitatis suauiter omnia disponat, ergo in hoc principio fundati possumus probabiliter inferre quid prouideret, & quommodo naturę hominis in illo statu circa externum cultum sibi ab hominibus, tunc exhibendum.

Ex quo patet ad suas friuolas rationes, nam ad primam dicimus, quod nos non dicimus istam conditionalem, si duraret status innocentiæ, & essent sacrificia, esse bonam consequentiam necessariam, sed tantum bonam probabilem, & ita est vera probabiliter, vt autem aliqua propositio conditionalis habeat veritatem probabilem sufficit, quod sit bona consequentia probabilis, ad secundam negatur minor, iam enim constiturum est à nobis tale fundamentum, & in resolutione dubij magis declarabitur.

Sit prima conclusio respondens nostro dubio; in illo statu non essent sacrificia prę figuratiua passionis Christi, neque propitiatoria pro peccatis, hæc est communis inter Theologos, & probatur primo, argumento, & cõfirmatione quarti.

Secunda conclusio licet opinio sapientissimi Soto sit probabilis, probabilior est opposita asserens in illo statu futura esse sacrifitia in gratiarum actionem, & recognitionẽ supremis dominij, & protestationẽ ipsius. Hæc sententia est communior inter Theologos, & videtur magis conformis doctrine D. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 1. in corp. & art. 4. in argumento sed cõtra; vbi docet quod sacrificium est de iure naturæ, & loquitur ibi propriè de sacrificio strictè dicto, de quo postea inquirit, vtrùm sit actus religionis.

Vndè Probatur cõclusio; primo ratione ipsius art. primi citati ratio naturalis dictat homini, quod alicui superiori subdatur secundum modum suum, sicut in rebus naturalibus naturaliter inferiora superioribus subduntur. Sed modus conueniens homini est, vt sensibilibus signis vtatur ad aliqua exprimenda, ergo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdã sensibilibus rebus vtatur offerens eas Deo insignum debitæ subiectionis, & hono-

honoris secundum similitudinem eorum, qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominij, & statim subdit: *Hoc autem pertinet ad rationem sacrificij*, ergo oblatio sacrificij est de iure naturali; ecce D. Thom. loquentem in sua ratione de sacrificio stricte dicto, vt patet si conferantur præmissæ cũ nostro notabili, vndè non potest explicari de sacrificio in lata quædam significatione, provt denotat quemcũq; cultũ Dei, siuè internũ, siuè externũ. Nec valet dicere, quod hæc ratio solum currit de statu naturę lapsæ, nam inclinatio rationis naturalis ad recognoscendum supremum Dei dominium independenter à peccato datur in homine, vndè si ratio D. Thom. efficax est æquè procedit de homine in quocũque statu, quia Deus in quocunque statu homo consideretur, semper est dominus eius, ergo ratio naturalis dictat in quolibet statu offerendum esse Deo sacrificium.

Confirmatur hęc ratio, quia homo non solum accepit à Deo corpus, & animam, sed etiam res exteriores, ergo non solum debet corpore, & anima Deum colere, sed etiam rebus externis quarum oblatione, consumptione, aut alio simili vsu, protestetur debitam eius subiectionem, & supremum Dei dominium. Probatur consequentia, nã ex eo, quod homo accepit à Deo corpus, & animã tenetur per aliquod genus sacrificij, saltim imperfecti, vt est cultus externus, per voces gratias agere Deo protestando hoc ab ipso, vt ab ipsius domino accepisse, ergo ex eo, quod accepit etiam res externas ad bonum proprium ordinatas, tenetur offerre illas Deo, vt sic recognoscat esse Dominum etiam illarum rerum aliàs non perfecte subiiceretur Deo.

Hęc obligatio naturalis colligitur ex 1. Paralipomenon, cap. 29. vbi dicit Moyses: *Omnia tua sunt, & quæ de manu tua accepimus redimus tibi.* 1. Para. c. 29.

Secundo, & vltimo probatur, nã ita perfecte subiicere se hominẽ Deo protestando supremum dominium, quod habet respectu sui, & aliarum rerum exteriorum, nullam dese dicit imperfectionem repugnantem cum illo statu, sed potius rationę rectitudinis, & sanctitatis illius, esset maximè consentaneũ, ergo ponẽdus esset durãte illo iste modus colendi Deũ per sacrificia. Probatur consequentia ista, nam quidquid non diceret indecẽtiam cum illo statu, esset tunc ponendum, antecedens vero est certum, nã conueniens esset maximè illi statui, vt homines persoluerent integrè, & perfectè omne debitum naturale, sed cultus per externa sacrificia (& non solum per orationes, aut genuflexiones vt concedit Soto) esset debitus naturaliter Deo, vt patet ex rationibus factis, ergo esset conueniens illi statui.

Vltimo, offerre Deo sacrificium, est tributum debitum Deo à creatura rationali titulo creationis, conseruationis, & aliorum beneficiorum tẽporalium. Sed ad istud æqualiter tenẽtur homines in quocunque statu, ergo.

Tertia conclusio, ista sacrificia, non tantum essent priuata pro arbitrio cuiuscũque, sed etiam essent publica nomine totius Reipublicæ, aut Ecclesię. Ratio huius cõclusionis est, quia tunc ex omnibus hominibus cõstaret vna Respublica communis, & vna Ecclesia visibilis, ergo dari vnũ cultũ cõmunem visibilem in illa oportebat, in quo omnes conuenirent.

Confirmatur, nam sicut ratio, naturalis dictat, vt quilibet homo Deum recognoscat Authorem externis sacrificijs, ita eadem ratio naturalis dictat, vt tota Ecclesia visibilis, provt est vnum corpus morale, recognoscat Deum Authorem suæ vnionis, sed nõ potest esse hęc recognitio, & protestatio, sine sacrificijs communibus offerendis nomine totius Ecclesię, ergo

essent tunc talia sacrificia. Videatur circa istam conclusionē Magister Cabrera hic disputation. 3. in sua secunda conclusione.

Ad argumenta, ad primum explico, seu distinguo maiorem, ita vt illa causa sit motiuum vnicum instituendi sacrificium, nego maiorem, ita vt sit aliquale motiuum respectu alicuius sacrificij particularis, concedo maiorem, & admissa minori (licet non sit ita certa nam adhuc non peccante primo parente possent peccare filij eius, & pro illis peccatis possent offerri sacrificia) admissa inquam minori distinguitur consequens, non essent futura sacrificia pro peccatis transeat consequens, pro exhibendo Deo debito honore, nego consequentiam, & iste honor Deo exhibendus titulo creationis, & aliorum beneficiorum est potissima, & sufficiens causa, propter quam (vt dictum est in resolutione dubij) ratio naturalis dictat instituenda esse sacrificia in quocunque statu.

Ad secundum respondetur etiam, illam causam, non esse principalē, sed accessoriam, vndè etiam illa cessante in illo statu maneret causa principalis, iam explicata, & ita esset conueniens oblatio sacrificiorum, vndè negatur consequentia.

Ad tertium respondetur, eodem modo illam causam esse accessoriam & accidentalē, vndè illa cessante maneret causa perse instituendi sacrificia, & illis vtendi.

Ad quartum respondetur, similiter illam, non esse causam principalem, sed causa principalis, iam est explicata, vndè ad exhibendas Deo debitas gratias pro acceptis beneficijs, & in recognitionem supremi dominij diuini circa omnes res, deseruirent tunc, vt dicitur inter arguendum.

Ad replicam, nego maiorem, nam ille finis extrinsecus, & accidentarius nimis, est ad rationē sacrificij: nā vt optimè aduertit Suarez in præsenti, adhuc in lege noua gratiæ si vsus sacrificiorum nudè, ac purè consideretur, non ordinatur ad vtilitatem Sacerdotum, aut templorum, sed ad recognitionem supremi dominij diuini: & constat hoc, namsi homines essent tales, vt nulla re indigerent purius sacrificium offerrent, & forte esset magis gratū Deo fit offerre, quod patet in sacrificio veteris legis, quod appellabatur holocaustū cuius nulla pars obueniebat Sacerdotibus, sed totum consumebatur in honorem Dei.

Respondetur secundo, quod etiam possunt esse, tunc templa, & ministri in quorum vsum cederent ea, quæ in sacrificijs offerrentur.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedēs, ad cuius probationem respondetur, distinguendo maiorē, ratione significationis misticę qua significabat sacrificium Christi cruentum, fuit conueniens, ita quod hoc petat ratio essentialis sacrificij perse loquendo, nego maiorem, ratione significationis moralis, qua significabat internum animæ sacrificiū, concedo maiorem, & loquendo de ista significatione, nego minorem, & consequenter negatur consequentia, nam licet de facto ratione status naturæ lapsæ illud sacrificium, de quo fit mentio in argumento, significaret passionem Christi, tamen perse ex natura talis sacrificij illam significationem non postulabat, solum enim requirit significationem moralem, iam explicatam, quę tunc saluaretur, nam significaret internam animi subiunctionem, & recognitionem supremi dominij.

Ad vltimum respondetur, negando maiorem, nam non est de substantia sacrificij, quod offeratur ex bonis proprijs offerentis, sed optimè potest offerri ex bonis communibus, vt patet in sacrificio missę, quod modo offerimus, in quo nihil proprium ex bonis temporalibus offerimus Deo, & hæc de hoc dubio, & articulo.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrùm ante Christum debuerint esse Sacramenta?

CONclusio est affirmatiua post peccatum Adę necesse fuit quędam Sacramenta instituí. Probatur in argumento, sed cõtra ex D. Augustino libr. 19. contra Faustum, vbi ait, quod prima Sacramenta, quę celebrabantur in lege prænuntia erant Christi venturi, sed ad humanam salutem erat necessariũ vt aduentus Christi prænuntiaretur, ergo necessarium erat quædam Sacramenta disponi ante Christum.

Deinde in corp. art. tali probatur ratione Sacramẽta sunt necessaria ad salutem in quantum sunt quędam signa sensibilia rerum in visibilium quibus homo sanctificatur, sed nullus post peccatum potuit sanctificari, nisi per Christum, & eius fidem, ergo oportebat post peccatum ante aduentũ Christi aliqua Sacramenta institui quibus homo visibiliter fidem suam de saluatoris sui aduentu protestaretur, ergo conclusio est vera.

DVBIVM PRIMVM.

Vtrùm in lege naturæ fuerit aliquod Sacramentum?

IN hoc quidam Doctores negant in illo statu fuisse vera Sacramẽta. Fundamentum potissimum huius sententiæ est, quia de ratione Sacramenti propriæ dicti est, quod sit signum immediatè institutum à Deo, (vt supra dictũ est,) ex D. Thom. cuius ratio est, quia Sacramentum est aliquo modo signum practicum gratiæ, cuius tamen Deus est Author, sed in lege naturæ, nullum fuit signũ determinatum, & institutum immediatè à Deo in remedium peccati, neque ad protestandam fidem, ergo. Probatur minor, quia si esset aliquod tale signum immediatè institutum à Deo cõstaret, ita esse ex sacra Scriptura, vel ex traditione diuina, vel humana Sãctorum Patrum, sed nullo ex his modis constat, ergo.

Secundo sacramenta, vt ex Augustino libr. 19. contra Faustum docet D. Tho. in tota hac materia, & hic in argumento sed contra, erant necessaria vt homines vnam Ecclesiam efficerent, & eandem fidem, ac Religionem protestarentur, sed ante legem scripram, non erant homines congregati in vnum populum Religiosum, nec habebant eandem Religionem veram Dei, ergo non habuerunt aliqua Sacramenta ab ipso instituta.

Tertio, in illa lege nullum fuit Sacramentum pro peccatis actualibus institutum, ergo neque pro remissione peccati originalis, antecedens videtur certum, quia Sacramentum pœnitentiæ est vnicum remedium pro peccato actuali post originale remissum. Hoc autem non legitur institutum in lege naturæ, sed tantum in lege gratiæ, consequentia vero probatur, tunc ex paritate rationis, tunc etiam, quia illud Sacramentum, vel esset sola fides Christi, vel fides protestata aliquo signo sensibili, non primũ. Quia fides interior, non potest habere rationem Sacramenti, ergo. Nõ secũdum. Quia alias faciliora essent remedia in illo statu, quam modo siquidem facilius videtur aliquo signo sensibili fidem Christi protestari ad salutem consequendam, quam accedere ad Sacramentum Baptismi, propter difficultatẽ, quæ est indigno accessu ad tale Sacramentum.

Confirmatur, quia si aliquod esset Sacramentum in illa lege pro paruulis ad remissionem originalis, perseueraſſet etiam in statu legis scriptæ pro feminis, quibus Iudæi applicabãt aliquod remedium pertinens ad legẽ naturæ, quia per scriptam legem, nullum erat determinatum pro ipsis, sed

constat

constat apud omnes nullum fuisse tale sacramentum perseuerans determinatum, ergo.

Quarto si in illo statu fuisset aliquod verum sacramentũ, siuè pro originali, siuè pro actuali peccato esset vsus illius necessarius ad salutem, & consequenter esset præceptum de illo recipiẽdo, sed nullũ fuit tale præceptũ in illa lege, imò illud esse est cõtra rationem illius status, vt fert communis Theologorum sententia, & docet D. Thom. hic solutione ad 2. ergo. Minor probatur, quia in illo statu tantũ fuerunt præcepta virtutum infusarum, fidei, spei & charitatis, & religionis, &c. & in hoc distinguitur ille status à statu legis scriptæ in quo fuerunt determinata præcepta, vt docet D. Thom. solutione citata, ergo non fuit præceptum de aliquo Sacramento.

Confirmatur authoritate Gregorij lib. 4 moralium, cap. 2. cuius verba referuntur in cap. quod autem de cõsecratione, distin. 4. vbi ait sic. *Quod autem apud nos valet aqua Baptismi hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt misterium Circuncisionis*, ergo ex mente Gregorij in illo statu pro paruulis sufficiebat fides parentum ipsis applicata, nullum ergo fuit, tunc aliquod verum Sacramentum.

Greg lib. 4. cap. 2.

Confirmatur secundo ex D. Tho. supra quæst. 70. art. 4. ad 2. vbi adducit verba Gregorij modo citato in argumento, & pro illis paruulis legis naturæ docet, quod in fide parentũ saluabantur Sentẽtiã istam videtur docuisse D. Thom. in 4. distinctione 1. quæst. 2. artic. vltimo, quæstiuncula 2. & 3. quam tenet sapientissimus Soto in 4. distin. 2. quæst. 1. art. 4.

Secunda sententia asserit in statu legis naturæ fuisse necessaria aliqua Sacramenta, tam pro paruulis, quam pro adultis, & ita de facto docet fuisse aliqua Sacramenta verè, & propriè licet non fuerit determinatum in particulari pro omnibus aliquod signum sensibile, sed determinabatur in singulis ex particulari instinctu, quæ videtur expressa D. Thom. hic ad 2. & in corpore.

Pro huius ergo sententiæ explicatione, est permittendum primo, tempus legis naturæ, non ideò sic appellari, quia in illo solum obligabant præcepta naturalia, quia certum est, vt ait D. Thom. hic ad 2. in omni tempore post peccatum obligabat ad salutem præceptum fidei supernaturalis, & cõsequenter spei, & charitatis, sine aliqua distinctione status absolutè, quod etiam docet D. Thom. 1. 2. quæstion. 100. Art. 2. imò etiam post peccatum obligauit præceptum pœnitentiæ supernaturalis, cuius ratio est, quia homo fuit conditus, & ordinatus in finẽ supernaturalem, vndè in quocumque statu debuerunt esse media ordinata ad talem finem proporcionata ipsi. Hæc autem necessariò sunt præcepta virtutum supernaturalium, per quæ ratio hominis benè ordinatur in ordine ad Deum, vt ait D. Thom. 1. 2. loco citato, sequitur ergo, quod in quolibet statu homo obligabatur præceptis istis supernaturalibus, & post peccatum præcepto pœnitentiæ, appellatur ergo conuenienter tempus legis naturæ, quia in illo non fuerunt aliqua præcepta determinata scripta, nec determinatæ aliquæ ceremoniæ institutæ à Deo in cultum, & Religionem, sui ipsius ordinatæ.

Secundo est prẽmittendum, quod status legis naturæ, non cessauit simpliciter per statum legis scriptæ, sed tantum cessauit pro illis quibus impositum fuit præceptum Circuncisionis scilicet posteris Abrahæ pro alijs autem hominibus durauit status legis naturæ, simul cum statu legis scriptæ.

Tertiò est notandum, quod inter tria, quæ erant in statu legis naturæ erat maxima differentia formaliter, licet

cet materialiter coincideret interse aliquando; Tria ergo quę pro illo statu fuerunt sunt protestatio fidei, sacrificium, & Sacramentum, duo prima pluribus differebant à Sacramento formaliter considerata interse, tamen quoad presens attinet differebãt dupliciter, in hoc, quod protestatio fidei, & sacrificium tenebant se ex parte fidelium, qui protestabantur exterius fidem, & externis sacrificijs Deũ authorem gratiæ colebant, & protestatio fidei exterior, erat actus fidei imperatus, seù elicitus ab ipsa, vel regulatus, seù imperatus, iuxta varietatem opinionum de hac re existentium, sacrificium vero erat actus virtutis Religionis, siuè elicitus, siuè imperatus immediatè ab ipsa, sacramentum autem tenebat se ex parte Dei.

Ratio est, quia sacramentũ est signũ practicũ immediatè ordinatum ad sanctificationẽ hominũ, & ita nõ se tenet ex parte hominis, sed potius ècõtra, ex parte Dei sanctificantis homines, ex hac differẽtia sequitur secũda, quod sacramentum requirit specialem Dei institutionem, in quantum solus ipse est author gratiæ (vt dictũ est quæstione præcedẽti art. 8.) Cæterum protestatio fidei, & sacrificium, cum se teneant ex parte hominis ad Deum, non requirunt specialem Dei institutionem, sed sufficit inclinatio fidei, & Religionis simul cum dictamine rationis hominis eleuati ad finẽ supernaturalem dictantis homines exerceri in talibus actibus esse congruum, & conueniens. ex his colligitur malè confundere aliquos hęc tria, loquendo de illis atquè si essent eiusdem rationis formaliter, in ferendo fuisse in illo statu sacramenta, ex eo, quod fuerunt sacrificia, & exterior protestatio fidei.

Prima conclusio, in statu legis naturæ fuerunt vera sacramenta instituta pro paruulis in remissionem peccati originalis, & pro adultis in remissionem peccatorum actualium. Hæc conclusio communior est inter Theologos nostri temporis, excepto Magistro Suarez, qui præsenti articulo, disput. 4. sect. 4. dicto secundo, tenet præter remedium institutum pro paruulis, nullam ceremoniam fuisse instituta m, quæ haberet veram, & propriam rationem sacramenti. Probatur tamen nostra conclusio, quæ sicut communior, ita & verior est. Primo ex D. Paulo primæ ad Thimothæum cap. 2. vbi dicitur, quod Deus vult omnes homines cuiuscumque status sint, saluos facere, ergo in omni statu prouidit remedium necessarium, & sufficiens ad salutem. Probatur consequẽtia, quia licet illa voluntas, & intentio fuerit inefficax, aliàs omnes homines saluarentur, tamea respectu mediorum sufficientium ad salutem, non potuit, non habere aliquam efficaciam (vt dicunt communiter Theologi 1. part. quęst. 19. & quæst. 23. ne per Deum stet, homines salutem non consequi, sed tantum per ipsos si non velent vti talibus modis à Deo prouisis, quod verificatur, non solum respectu paruulorum vt peccati originalis remissionem consequantur, sed etiã respectu adultorum, vt actualiũ peccatorum remissionem consequãtur, dicere vero, quod remedium pro paruulis prouisum, fuit propriè Sacramẽtum, non verò prouisum pro adultis, videtur voluntarium, ergo eodẽ modo loquendum est de hominibus illius status ante remissum originale, & postea, quantum ad sacramenta necessaria ad salutem consequendam de peccatis commissis, post originale remissum, siquidẽ Deus æqualiter vult illos saluos fieri per media accomodata suę naturæ.

Secundo probatur conclusio omnibus rationibus quibus Doctor S. artic. 1. huius quæstionis probauit sacramenta esse necessaria hominibus in statu naturæ lapsæ ad salutẽm consequendam.

Tertio probatur ex D. August. lib.

lib. 5. contra Faustum, cap. 9. vbi ait de paruulis specialiter: *Non est credẽdum ante datam Circunciſionem famulos Dei, quando quidem eis in hereat fides mediatoris in carne venturi, nullo eius Sacramento opitulatos fuiſſe paruulis ſuis, quamuis quid illud fuerit, aliqua cauſa neceſſaria, ſcriptura latere voluerit*, vbi ponderandum est Auguſt. loqui in hoc loco de Sacramẽto propriè loquendo, nam ſacrificia legis naturæ, quæ extenſo vocabulo ſacramenta poſſunt appellari, non celauit nobis ſcriptura diuina, ſed potius multis in locis illa reuelauit, quæ videre liceat in Magiſtro Cabrera præſenti art. diſput. 1.

Confirmatur ex eodem Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum, cap. 11. qui locus adducitur à D. Thom. in argumẽto ſed contra.

Quarta ratio, nam ad diuinam prouidentiam pertinebat, hominibus illius ſtatus prouidere de remedijs neceſſaris ad ſalutem ſuam conſequendam, tam pro peccato originali, quã pro actuali, & hoc modo conuenienti ſuę naturæ, ſed homo poſt peccatũ non poteſt ſpiritualia intelligere, niſi per res sẽſibiles, vt ait Dion. lib. 1. cœleſtis Hierarchię, & D. Chryſoſt. hom. 85. in Matth. ergo ad diuinam prouidentia pertinebat conferre hominibus cognitionem proporcionatã ſuæ iuſtificationis, & ſalutis, ergo per ſigna ſenſibilia ſuam ſalutem ipſis manifeſtantia mediante ſignificatione fidei Chriſti venturi, per cuius fidẽ homines in omni ſtatu conſequti ſunt ſalutem, & non aliàs, ſed hęc ſigna ſunt propriè ſacramenta, vt docet D. Th. in ratione art. in commentario à nobis explicata, ergo in illo ſtatu fuerũt vera, & propria ſacramenta.

Sed arguit Suarez probando ſuam concluſionem, quod, ſcilicet ordinaria, & communi lege, tunc temporis nulla fuit neceſsitas, vt eſſent propria ſacramenta pro peccatis actualibus. Primo, tunc non fuit aliqua ceremonia, quę ſignificaret gratiam preſentem, quæ in illis daretur, vel futura, quæ in illis promiſſa ſignificaretur, ergo non fuit aliquod verum Sacramentum. Probatur antecedens, quoad primam partem, quia ſpecialis promiſsio gratiæ in aliquo opere præter meritum operantis perſe loquendo erat pręter ſtatum, & conditionem perfectionis illius temporis, & ideò ſolum propter extremam neceſsitatem paruulorum facta eſt illi remedio, quod pro ipſis applicabatur, de alijs vero nulla eſt neceſsitas, neque fundamẽtum ergo. Quoad ſecundam partem, probatur, quia talis ſignificatio futuræ gratiæ, non poterat eſſe, niſi ex inſtitutione diuina, ſed nulla legitur huiuſmodi inſtitutio diuina, neque eſt aliqua neceſsitas, aut ratio ſufficiens vt aſſeratur, neque eſt conſentanea illi ſtatui, quod ita dicatur, quia nullas leges poſitiuas habebat, ergo.

Secundo arguit, quia illa ſacramenta, non erant neceſſaria ad cultũ Dei, neque ad aliquem alium finem, qui ex neceſsitate morali ſit coniunctus, cum lege illa naturæ, ergo non fuerunt talia ſacramenta. Probatur antecedens, nam prima neceſsitas quæ poterat eſſe eſſet remedium peccati, ſed ſecluſſo originali peccato nulla neceſsitas eſt, ergo. Probatur minor, quia peccata actualia, ſicut propris actibus committuntur, ita propitijs actibus deleri poſſunt.

Secundo probatur antecedens, ſecunda cauſa poterat eſſe aliqua ſanctificatio hominum colentium Deum, ſed ſi loquatur de ſanctificatione per gratiam illa excedit conditionem, & imperfectionem illius ſtatus, ſi verò de ſanctificatione aliqùa externa, & legali, non eſt cur propter ſolam illã aſſerantur ſacramenta, ergo. Probatur minor, quoad ptimam partem remittit ſe ad dicta in prima ratione, quoad ſecundam, quia fideles ſufficiẽter ſanctificabantur, & agregabantur Eccleſię Dei per illud Sacramentum inſtitu-

institutum pro paruulis in remedium peccati originalis, & præterea, quia nulla alia externa sanctitas est necessaria præter illam, quæ fit per actus exteriores fidei, & Religionis, pœnitentiæ & aliarū virtutū.

Tertio probatur idem antecedēs, tertia necessitas Sacramentorum esse potest, propter exteriorem confessionē fidei, qua ratione ait ipse M. vti D. Thom. in hoc articulo in corpor. & in solutione ad secundum, sed ex hoc solo capite, non possunt colligi propria, & perfecta Sacramenta, ergo.

Probatur minor, quia professio exterior fidei multis alijs modis poterat fieri, vt per verba, per sacrificia, & per alias actiones externas similes illis, sicut modo in lege gratiæ præter Sacramenta plures alios exteriores actus habemus, quibus fidem protestamur, ergo propter hunc finem, non debuerunt esse, tunc Sacramenta aliqua propriè dicta.

Vltimo arguit quamuis admittamus aliquem Sacramentum vsum fuisse, tunc necessarium satis esse videtur ille qui in prima fidei professione, seu in illo Sacramento, quod in remedium peccati originalis institutum fuit exercebatur, ergo nullum est sufficiens fundamentum, vt asseramus fuisse in illo statu alia Sacramenta.

Consulto omisi confirmationem quandam primi argumenti, quia illa est iam tacta in quodam argumento ex positis in principio.

Pro solutione horum argumentorum est notandum, primò, quod vt ex doctrina primi articul. huius quæstionis patet, Sacramentorum institutio post peccatum, non fuit necessaria, ad salutem simpliciter necessitate finis, sed solum ad melius esse necessitate cuiusdam congruentiæ, propter rationes, quibus ibi vtitur D. Thom. inter quas vna est, quia congruum, & decens est, vt homo qui per peccatum se subdit voluntariè rebus sensibilibus, & sic amisit vitam gratiæ, eandem vitam querat insignis sensibilibus illisque se subiiciat in remedium sui peccati, ex quo colligitur intelligentia nostrę conclusionis, quando enim dicimus, quod in lege naturæ fuerunt Sacramenta, non intelligimus ita fuisse, quia connexionem necessariam simpliciter haberent cum illo statu, sed quia habebant connexionem cuiusdam congruentiæ, & decentiæ.

Secundo est notandum, quod Sacramenta data Populo Israelitico, non solum præfigurabant Christi passionem venturam, nec solum erant protestatiua fidei interioris, sed etiā erāt signa promissoria passionis Christi venturi, quibus Deus confirmabat promissionem factam Patribus de Christi aduentu, & eius morte, & fideles illius Populi protestabantur se acceptare illam promissionem per veram fidem, & confidentiam, qua credebant promissionibus diuinis, at Sacramenta legis naturæ protestauātur, & significabant fidem passionis Christi venturi, non autem erant confirmatoria alicuius promissionis diuinæ de tali misterio, quia Populo Gentili adquem pertinebat, talis lex nulla talis promissio facta est, vt colligitur ex Paulo ad Rom. c. 15. in illis verbis: *Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse Circuncisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum.* Habemus ergo ex isto loco, quod circuncisio erat signum confirmatorium promissionis factæ Patribus, gentibus autem nullum tale signum datum est, quia pura misericordia data sunt eis signa ad protestandam fidem Christi venturi, & passionis eius, sine aliqua iustitia fundata in promissione Dei. *Rom. 15*

Ex his colligitur, quod Sacramenta legis scriptæ significabant practicè passionem Christi, & gratiam conferendam per Sacramenta legis Euangelicæ, quia respectu vtriusque erant signa confirmatoria, & promissoria: signum autem promissorium, & confirmatorium alicuius rei promissæ signum practicum est, quia respicit ex modo suæ significationis adimpletionem rei promissæ, & operationem necessariam ad id, at Sacramenta legis naturæ: quia non erāt signa promissoria, aut cōfirmatoria respectu passionis Christi venturi, & gratiæ dandę in lege Euangelica nullo modo erant signa practica respectu vtriusque, sed tantum signa speculatiua.

Vndè licet sacramenta legis scriptæ per prædictam significationem absque significatione gratiæ dandæ de facto ad præsentiam eorū sufficienter in opinione probabili constituerentur in propria ratione Sacramenti (vt dixi quæstione præcedenti, & si ego oppositam, vt probabiliorem elegerim) tamen Sacramenta legis naturæ per significationem passionis venturi Christi, & gratiæ conferendæ in statu legis Euangelicæ, non sufficienter constituerentur in ratione Sacramenti propriè dicti, quia de ratione Sacramenti propriè dicti est esse signum practicum nostrę sanctitatis, & gratiæ, hoc autem non saluaretur in sacramentis legis naturæ, nisi significarent gratiam dandam ad præsentiam ipsorum, & ita necessariò dicendum videtur, absque opinionum controuersia, quod talia sacramenta significabant practicè gratiam, quia significabant gratiam vt dandam ad præsentiam illorum, quantū est ex parte Dei, nisi subiectum fuerit indispositum.

His ergo suppositis respōdetur. Ad primum Suar. respond. quod fuit signum sensibile significans in illo statu gratiam præsentem, quæ dabatur ad prę sentiam illius, & similiter passionem Christi futuram, & gratiam dandam postea in lege Euangelica, iuxta modum nuper explicatum. Vnde negatur antecedens pro vtraque parte ad probationem eius pro prima parte distinguo antecedens, promissio gratiæ in aliquo opere præter meritum operantis excedit, &c. Si fit promissio gratiæ in virtute ipsius operationis, concedo maiorem, quia id pertinet ad perfectionem legis gratiæ, & sacramentorum eius, si fit promissio gratię dandæ non ex virtute ipsius operationis, aut sacramenti, sed in virtute Dei statuentis dare gratiam sanctificantem ad præsentiam illius operis, aut Sacramenti, & non alias, nego maiorem: sicut enim sic promitti gratiam operi Sacramenti constituti contra originale, non excedit perfectionem illius status, vt fatetur Suar. ita nec promitti operi alterius sacramenti instituti contra peccata actualia, & licet non sit tanta necessitas instituendi omnia sacramenta, est tamen necessitas proportionalis, & sufficiens fundamentum, iam explicatum à nobis probando conclusionem, & in nostro primo notabili. Et eodem fundamento probaretur modo in lege gratiæ, non esse conuenienter instituta alia Sacramenta à Sacramento Baptismi, quia non est tanta necessitas in illis, sicut in Baptismo.

Ad probationem secundæ partis concessa maiori, & minori, quoad primam partem tantum, negamus consequentiam: quia licet iusta, & incognita causa Deus nobis occultauerit, talem institutionem, tamen ob sufficientes congruentias, & rationes consentaneas colligimus fuisse necessariam talem institutionem saltim in communi, & vage, vt postea explicabimus maximè in solutione primi argumenti positi à principio.

Ad

Ad secundum, nego antecedens: erant enim necessaria ad cultum Dei, qui exhibetur ipsi in Sacramentis, & vt homines consequerentur salutem per signa sensibilia modo proportionato suæ naturæ, & statui, in quo constitutus est per peccatum. Ad probationē autē antecedētis, cōcedo maiorem, & nego minorem, ad probationem distinguo: ita congruè, & conuenienter, nego antecedens, absolutè concedo antecedens, & distinguo cōsequens, non fuit necessarium Sacramentum pro illis necessitate simpliciter, transeat consequens, necessitate conuenientiæ, & congruentię, nego consequentiam, imò eodem argumēto probaret, quod modo in lege gratię, non esset necessaria institutio Sacramenti pœnitentiæ. Vndè sicut de Sacramento legis gratiæ non probat, ita neque de Sacramento pœnitētiæ, quod tūc esset in lege naturæ, aliquid probat: quia vtrūque emanauit ex sua vi Dei dispositione propter congruētias iam assignatas, ad hunc finem, vt facilius homines consequerentur in omni statu remissionem suorum peccatorum actualium.

Ad secundam probationem antecedentis præcedentis argumēti. Respondetur concedo maiorem, & admi norem dicimus, quod propter sanctitatem interiorem faciendam per gratiam, ponimus necessaria Sacramenta, nihil curantes de sanctitate externa, & legali. Vndè quamuis propter illam non essent necessaria alia Sacramenta præter Sacramentum institutum pro paruulis (de quo modo non disputo) quia impertinens id iudico, propter salutem, & sanctitatē animæ ponimus alia Sacramenta.

Ad tertiam probationem illius antecedentis. Respondetur distinguendo maiorem, propter exteriorem confessionem fidei vtcunque, nego maiorem, propter exteriorem cōfessionem fidei Christi saluatoris, quatenus erat necessarium illam profiteri aliquo signo, ad cuius præsentiā homines iustificarentur, concedo maiorem, & in hoc sensu assumit D. Tho. hoc principium in sua ratione, & tūc nego minorem, ad cuius probationē, distinguo antecedens, ita vt in tali protestatione fidei homo iustificaretur à Deo infallibiliter, nisi esset in dispositus ex alia parte, nego antecedens, absolutè concedo antecedens, & nego consequentiam, etenim sicut modo quando homo profitetur fidē exterius extra Sacramentale signum, mediante tali confessione fidei, non iustificatur: iustificatur autem, quādo illam facit mediante aliquo signo Sacramentali à se sumpto, cum debita dispositione, ita tūc cōtingeret, quod autem D. Thom. in isto sensu intelligat illud principium patet clarè, si totus discursus attentè inspiciatur: nam fundatur in hoc, quod omnes homines in omni statu iustificabantur per fidem Christi, vt Saluatoris mundi venturi. Ex quo infert, quod aliqua signa sensibilia, quibus protestarentur homines suam fidem, vt media tali protestatione per illa signa sanctificerentur per gratiam inuisibilem significatam etiam per illa signa, essent sacramenta.

Ad vltimum argumentū nego antecedens, cuius ratio patet iam ex dictis: non enim illud Sacramentū sufficiens erat ad remissionem peccatorū actualium post originale remissum cō missorum.

Secunda conclusio. De illo Sacramēto instituto pro paruulis in remissionem peccati originalis, dicendum videtur cum maxima probabilitate, quod etiam pro adultis in quibus non erat remissum originale erat necessariū. Ratio est, nā sicut ad diuinā prouidentiā pertinebat prouidere de remedio cōtra peccatū originale paruulis, ita & adultis debebat prouidere de remedio peccati originalis, ergo sicut modo in lege gratię Baptismus est remedium contra peccatum originale,

& similiter adultis, ita dicendum esset de Sacramento legis naturæ.

Confirmatur, quia aliàs adultus existens in peccato originali non haberet remediũ ad suam salutẽ necessariò, quod est impium, & cõtra legem Pauli supra cit. ergo. Sequela patet: nam peccatum originale, sicut non contrahitur proprio actu, ita proprio actu, non potest remitti, nisi in ordine ad aliquod Sacramentum. Vnde dico, quod licet posset adultus in aliquo casu salutem consequi, sine illo Sacramento in re suscepto, tamen in voto erat ei necessarium, sicut modo dicimus de Baptismo. Ratio huius est, quia illud Sacramentum perse esset primum, & ordinatum ad protestandam fidem modo necessario ad iustificationem suscipientis illud: ergo sicut modo propter istam rationem colligimus, quod Baptismus est perse necessarius necessitate medij ad remissionem originalis, non solum respectu infantium, sed etiam adultorum, ita dicendum est de illo Sacramento. Ita tenet hic sapientissimus Nuño, eõ clusione vltima. Nec valet ratio Suar. contrarium docentis hic, disput. 4. sect. 3. parrapho vltimo, scilicet, quod adulti poterant sanctificari per propriam dispositionem, ergo illo simpliciter non egebant propter delendum peccatum, licet egerent ad protestandam fidem, & coniunctionem visibilem cum Ecclesia. Non, inquã, valet hæc ratio, quia respondetur nõ posse sanctificari per propriam dispositionem ratione sui, sed vt erat vicaria Sacramenti, scilicet vt ordinabatur ad illud suscipiendum, sicut modo dicimus de Baptismo.

Tertia conclusio. Sacramentum illud institutum contra culpam originalem nullum aliud potuit esse, quã protestatio fidei externa facta aliquo signo sensibili, quæ paruulis applicabatur per suos parentes, vel per illos, qui curam infantium gerebant. Hęc conclusio communiter docetur à Theologis, & videtur colligi ex D. Tho. in ratione corporis articuli, & in solutione ad secundum, vbi signa, quæ erant Sacramẽta in lege naturç, dixit esse signa sensibilia, quibus homo suã fidem, de Christi futuro aduentu protestabatur. Ratio huius conclusionis est: nã nomine Sacramenti ad illã legem pertinentis, nihil aliud videtur posse intelligi prẽter signum protestatiuũ sensibili, & humano modo fidei saluatoris, per quã saluabãtur homines illius status: ergo Sacramẽtũ paruulorũ, seù etiã adultorum pro peccato originali nullũ aliud potuit esse, nisi signũ sẽsibile protestatiuũ fidei, & significans gratiã sanctificãtẽ dãdã in fide, & spe meritorũ Christi mediatoris vẽturi. Vndè quando D. Aug. loco sup. cit. dixit famulos Dei suis paruulis aliquo Sacramento Christi opitulatos fuisse, nomine Sacramenti explicatum signum sensibile intellexit, quod, modo explicato, applicabant parentes suis filijs. Et si dicas, quod Aug. lib. 2. de nuptijs & concupiscentijs, c. 12. docuit tam adultos, quam paruulos iustificatos fuisse per fidẽ Christi. Respondetur, quod nomine fidei, non intellexit solũ, internũ actum ipsis applicatum, sed Sacramentũ fidei, ideſt signum sensibile ordinatum ad protestationem fidei sensibilem.

Nec valet dicere cũ D. Bonau. in 4. dist. 1. art. 1. actũ internũ fidei parẽtũ fuisse remediũ sufficiens ad salutẽ paruulorũ per modum meriti de congruo, vt quiddam Theologi dicunt: nam in primis ideſt contra Aug. loco citato. Et deinde probatur id esse falsum, nam remediũ necessarium ad salutẽ paruulorũ, debuit esse certum, & infallibile; sed meritum de congruo, non consequitur infallibiliter suũ effectum, ergo nec actus ille fidei infallibiliter iustificaret paruulos, & consequenter non esset remediũ perse sufficiens ad salutem paruulorum.

Secundo, quia iuxta communem Theologorum sententiam peccator, non

non meretur alteri etiam de congruo primam gratiam: sed contingere poterat, quod parētes, quando habebāt, & applicabant illum actum interiorem fidei essent in peccato mortali, ergo tunc non merebantur de congruo remissionem peccati originalis. Nec valet dicere, quod licet hoc ita sit de facto attenta natura meriti de congruo, tamen pro illo statu potuit Deus aliter res disponere.

Hoc dicit Vazquez contendens dictam sententiam probabiliter posse defendi. Sed contra est, quoniam si opus peccatoris, quia peccatoris est non habet ex se congruentiam vt Deus intuitu illius alteri gratiam cōferat, quantumuis accedat beneuolentia, aut ordinatio, aut extrinseca acceptatio Dei semper opus in se ipso incongruum, & improportionatum manet: ergo nunquam habet rationem meriti de congruo: ergo licet Deus conferat gratiam intuitu illius, hoc tātum potest esse, tanquam intuitu cuiusdam cōditionis, non tamen intuitu valoris meriti, cū ex se nullū habeat.

Sed dicet quis, ergo ad minus poterit esse remedium sufficiens actus fidei parentum iustorum applicatus per modum meriti de congruo. Respondetur illum actum etiam, nō esse tale remedium per se sufficiens pro paruulis: nam illud (vt dixi in prima ratione) debebat esse certum, vt sic cō staret, quod essent fideles: de iustitia autem parentum, non poterat certo constare. Tùm etiam, quia quāuis iustus possit mereri alteri de cōgruo primam gratiam, non tamen immediatè sed mediatè, merēdo scilicet auxilium gratiæ, vt se disponat si est adultus, aut quod illi applicetur remedium salutis si sit paruulus, ergo etiamsi parentes iusti per actum fidei mererentur suis filijs primam gratiam in tantum id erat, in quantum impetrabant à Deo, vt ipsis applicaretur remediū aliquod suæ salutis, tunc institutum ad illam obtinendam.

Si dicatur talem actum fidei profuisse filijs ad salutem ex institutione, & promissione Dei, sicut modo prodest Baptismus, & tempore legis scriptę circuncisio, quod ait Victorin. lib. 1. de Sacramen. part. 9. cap. 5.

Contra hoc sic arguo remedium institutum debuit applicari à parentibus suis filijs modo humano, sed actus fidei mere internus, sine aliquo signo sensibili non applicabatur modo humano paruulis, neque per eum precisse offerebantur Deo: ergo intercedere debebat aliquod signum sensibile, quo denotaret in huiusmodi traditio, seù oblatio.

Confirmatur, quia medio illo remedio tempore legis naturæ paruuli fiebant membra Ecclesiæ visibilis, ergo debebat esse aliquid visibile: omnes ergo rationes quibus quęstione præcedente probauimus de ratione Sacramenti humani esse, quod sit signum sensibile procedunt contra istum modum dicendi.

Quarta conclusio. In lege naturæ non fuit aliquod Sacramentum determinatum in particulari pro omnibus fidelibus, siuè in remissionem peccati originalis, siuè actualis, sed determinabatur in particulari in singulis ex speciali instinctu, & inspiratione Dei. Sensus huius conclusionis est, quod in statu illo legis naturalis excō muni rationis naturalis dictamine fideles vti poterant, & forsam tenebantur signis externis, quibus protestarētur suam fidem, & quærerent remedium salutis, tam pro se, quam pro paruulis suis, atque essent ista signa in particulari, non erat determinatū ex illo communi legis naturalis dictamine, sed tamen Deus speciali instinctu suggerebat, seù inspirabat singulis, quibus signis in particulari vterentur, & talia signa ex tali instinctu applicata dicimus, nos esse propriè Sacramenta, non ista immediatè à Deo, & per se ipsum, sed quasi mediatè, scilicet mediante illo instinctu interio-

riori ipsius Dei, & dictamine rationis illuminatæ tali inspiratione diuina. Hæc conclusio vt explicata est, est expressa D. Thom. in præsenti art. solut. ad 2. & quæst. præcedenti art. 5. solut. ad 3. & infra quæst. 70. art. 2. ad 1. & infra quæst. 84. art. 7. in solut. ad 1. & 2. loquendo de Sacramento pœnitentiæ, docet: *Quod sicut alia, quæ fuerunt de iure naturali, idest de lege naturali determinationem acceperũt ex institutione diuinæ legis* (vt in secũda parte dictum est) *ita etiam pœnitẽtia*, & in solutione ad secundum explicat diuersam determinationem, quã habuit pœnitentia in lege veteri, & quam habet modo in lege nouæ gratiæ. Ratio huius conclusionis desumitur ex D. Thom. sup. quæst. 60. artic. 5. ad 3. in statu legis naturæ homines mouebantur à Deo nulla lege exterius data à solo interiori instinctu, quasi per modum naturæ, ergo non erat ponenda aliqua specialis institutio determinati medij pro omnibus fidelibus, nec pro originali, nec pro actuali peccato. Probatur consequentia, quia talis institutio Sacramẽti esset extrinseca, sicut institutio circuncisionis, & institutio Baptismi, & consequenter haberet rationem legis exterioris datę: Hoc autem est contra naturam illius status, vt patet ex antecedenti huius rationis, & quia ex supra dictis constat, quod status legis naturæ dicitur conuenienter, quia in illo non erat aliqua lex scripta, aut exterius data, sed cordibus hominum insita, per quam ex diuino auxilio homines suam salutẽ consequebantur.

Ad huius conclusionis, & nostræ sententiæ in ipsa explicatę copiosam intelligentiam est aduertendũ, quod iste particularis instinctus tripliciter potest intelligi, primò ita quod intelligamus, quod ex ordine suaui diuinæ prouidentiæ, quam Deus habebat illius status proueniebat, vt quoties opus fuisset Deus moueret particulares homines interna inspiratione, vt in particulari, tali, vel tali signo vterentur, & illa interior suggestio, seu inspiratio habebat vim institutionis Sacramentalis, suppositа tamen illa communi ordinatione diuina vtendi aliquo signo. Secundus modus est, quod suppositа illa communi ordinatione vtendi aliquo signo sensibili, quilibet fidelis pro sua voluntate (rationabili tamen) poterat sibi eligere quodcunque signum particulare, quam electionem secundum ordinem diuinæ prouidentiæ infallibiliter assistebat diuina, & specialis assistentia circa illud signum, vt ad præsentiam eius infallibiliter fieret sanctificatio. Tertius modus id explicandi est, quod suppositа dicta ordinatione vtendi aliquo signo sensibili ad salutem quærendam, Deus inspirabat hominibus sanctis, vt in talibus signis particularibus se exercerent, & alios instruerent, vt in eisdem se exercerent. Iste modus vltimus insinuatura Mag. Nuño hic post 5. cõcl. parrapho, imò credo, per totũ, & mihi nõ improbabilis apparet; illud autem, quod in 5. concl. asserit, quod Respublica benè ordinata constituebat signa quibus homines vterentur in Sacramentis, & quod qui alijs vterentur peccarent, non videtur verũ: nam ille modus instituendi Sacramẽta est extrinsecus, sicut fuit tempore legis scriptæ. Vndè non est consonus illi statui in quo homines interius gubernabantur per modum naturæ (vt dictum est) & consequenter non esset congruum illi statui esse aliquam legem extrinsecam obligantem in præcepto. Inter istos tres modos primus mihi videtur probabilior, & magis conformis doctrinæ D. Thom. præsenti art. & art. 3. quæstionis præcedentis iam citati: Fateor tamẽ, quod secundus etiam est expressus D. Th. infra quæst. 70. art. 2. ad 1. nam expressè docet, quod statim post peccatum primi hominis non debuit institui à Deo determinatè aliquod Sacramentum, quia propter doctrinam ipsius

sius Adæ, qui plenè instructus erat de diuinis, fides, & ratio naturalis tãtum vigebat in homine, quod non oportebat hominibus determinari aliqua signa fidei, & salutis, sed vnusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur, vterque ergo modus tanquam expressus D. Thom. amplectendus est, licet vltimus sua probabilitate, non careat.

Sed contra conclusionem, & omnia dicta in eius explicatione, est argumentum. In illo statu fuit necessaria ordinatio vtendi aliquo signo in communi in remedium peccati, vt dixi, sed illa ordinatio erat extrinseca, ergo non obstat illi legi aliqua institutio extrinseca Dei, qua immediatè instituatur aliquod Sacramentum. Consequentia probatur, quia si obstaret, maximè, quia homines illius status, non gubernabãtur aliqua lege extrinsecus data, sed hoc non obstat, quo minus exordinatione extrinseca fuerit eis prescripta lex vtendi aliquo signo sensibili, tanquam Sacramento saltim in communi, ergo. Minor probatur. Illa ordinatio non oriebatur ex naturali inclinatione gratiæ, neq; ex propria natura illius legis, ergo erat prorsus extrinseca. Probatur antecedens, quoad vtranque partem, nam eadem erat natura gratiæ, & eadem lex naturalis in statu innocentiæ, & non dictabat tunc esse vtendum aliquo signo sensibili (vt articulo præcedenti discursum est) ergo, &c.

Ad hoc respondetur, negando minorem, ad probationem distinguo antecedens, non oriebatur ex natura gratiæ, neque ex natura legis naturalis, si absolutè considerentur, concedo antecedens, si considerentur supposito peccato, nego antecedens. Etenim quemadmodum supposito peccato ad illum statum pertinebat cognitio fidei supernaturalis Christi Redemptoris per suam passionem, quæ non pertinebat ad illum statum ante peccatum, ita etiam opportebat, vt homines consequerentur remedium peccati per media proportionata suæ naturæ, & vniuersali medicinæ institutæ à Deo, scilicet passioni Christi. Hæc autem media debebant esse signa sensibilia, sicut ipsa passio sensibilis futura erat (vt dictum est supra art. 1. huius quæstionis, & art. 4. quæstionis præcedentis.)

Et si inquiras quommodo connectatur illud dictamen, siuè illa ordinatio cum lege naturali. Dico, quod tãquam aliquid connaturaliter debitũ illi statui supposito peccato, non per modũ proprietatis naturalis, sed tãquã aliquid congruũ, & consonũ ei, ac proinde debitũ secundũ ordinẽ gratiæ proportionatum humanæ saluti, secundumquem opportebat vt Deus ordinaret modo explicato vtendum esse aliquo signo sensibili in remediũ peccati. Ita dicitur de motu cœli, quod est illi naturalis, non quia sit eius propria passio, sed quia est illi debitus secundum ordinem naturæ.

Et si dicas, ergo etiam particularis institutio Dei posset censeri illo modo naturalis, & non extrinseca.

Respondetur negando consequentiam, tum quia talis haberet simpliciter, rationem legis positiue diuinæ immediatè à Deo institutæ, quod nõ solum non erat debitum illi statui, verum pugnabat cum illo secundum cõmunem cursum gratiæ. Tùm etiam, quia ad saluandũ, quod homines quærerent suam salutem per media proportionata suæ naturæ omnino esset extrinsecum, & per accidens, quod vterentur tali, vel tali signo in particulari, sicut licet ad humanam naturã pertineat, tanquam aliquid connaturale, quod vtatur aliquo cibo ad suam sustentationem vagè, & indeterminatè, tamen quod vtantur isto, vel illo in particulari, omnino per accidens se habet.

Ad argumenta ergo in principio. Respõdetur. Ad primum dico, primò maiorem esse falsam, neque ex ratio-

ne D. Thom. allata colligitur pertine re ad rationem essentialem Sacramẽti, quod immediatè instituatur à Deo, sed solum quod solum possit institui à Deo, tanquam ab habente authoritatem perse instituendi Sacramenta, quod non tollit, quod possit illam cõmunicare alicui, vt in nomine ipsius instituat Sacramenta, & ita dicunt doctissimi, inter quos est doctissimus Nuño hic concl. 5. quod Respublica, benè instituta posset, tunc authoritate Dei Sacramenta instituere: nos autem modo dicimus cum D. Th. quod de ratione Sacramenti tantum est, quod instituatur à Deo immediatè, vel mediatè, & ita instituta sunt Sacramenta legis naturæ à Deo mèdiatè, scilicet, mediante instinctu spirituali hominum. Ex quo sequitur, quod quãuis in particulari nullum Sacramentum fuerit determinatum à Deo, tamen propriè fuerunt Sacramenta in illo statu.

Secundo respondetur, distinguẽdo maiorem, per ordinationem purè extrinsecam determinatè, nego maiorem, per ordinationem extrinsecã vel intrinsecam insitam rationi hominis, concedo maiorem, & tunc negatur minor, vt patet ex dictis, quia cum necessitas vtendi aliquo signo sensibili ad salutem dictetur a dictamine rationis practicæ supposito peccato ex motione Dei, licet illud dictamen sit ab homine immediatè, tamen qua ratione procedit ex particulari, & speciali auxilio Dei aliquo modo dicitur esse immediatè ab ipso Deo, sicut omnis actus supernaturalis, propter eandem rationem dicitur esse immediatè à Deo, & quamuis huiusmodi institutio Sacramentorum, siuè in particulari, siuè in communi, & vage nõ colligatur ex sacra Scriptura per se, tamen sufficienter magna cum probabilitate colligunt illà vniuersi Theologi vno, aut alteroexcepto, & Sancti Patres ex rationibus in sacra Scriptura fundatis, & ex tradditione antiqua, secundum quam habetur aliqua fuisse Sacramenta in omni statu post peccatum. Vocemus ergo istam institutionem diuinam, non per modum legis extrinsecè, & positiuę, sed per modum legis diuinæ cõnaturalis gratiæ suppositio peccato (iuxta dicta supra) & hoc loquendo de Sacramento vage sumpto, in particulari autẽ sufficiebat ad rationem Sacramenti, quod mediante speciali instinctu determinaretur, qua materia esset vtendum in particulari.

Ad secundum. Respondetur illũ finem positum in maiori, non esse primarium respectu Sacramenti, sed secundarium, & minus principalem, vnde etiam deficiente ipso possunt esse Sacramenta, propter sanctificationẽ hominum, quæ est finis primarius simul cum protestatione religiosa fidei. Vndè negatur consequentia admissa minori pro prima parte: nam pro secunda falsa est, licet enim tempore legis naturæ, non essent homines visibiliter congregati in vnũ populum religiosum (de quo nondispu to modo) tamen eandem fidem Dei, & mediatoris Iesu Christi profitebantur, vt dicit D. Thom. hic ad 2. in principio.

Secundo respondetur, quod etiam propter illum finem secũdarium fuerunt necessaria Sacramenta in illo statu, non tamen cum eadem determinatione, quam modo habent, nec habuerunt tempore legis scriptæ, sed secundum aliquam rationem communem: quia tunc populus non erat congregatus in vnam Ecclesiam visibilem, & in vnum cultum visibilem Dei, & Christi perfecta determinatione, sed imperfecta, in quantum, scilicet conueniebãt, omnes fidales in hoc, quod est vti aliquo signo sensibili, vt visibiliter suam fidem de Christo mediatore profiterentur, & media illaquærerent suam salutem; non tamen conueniebant in hoc, quod est vti eisdem signis sensibilibus: quia hæc conuenien-

tia

tia est propria fidei, & status gratiæ magis perfecti, qualis fuit tempore legis scriptæ, & est modo in lege gratiæ.

Ad tertium respondetur, negando antecedens, iam enim dixi in prima conclusione, & in solutione ad argumenta Suar. fuisse in illo statu Sacramentum pœnitentiæ, quod est expressa sententia D. Thom. infra quæstion. 86. articul. 7. supra citato (vnde miror virum doctissimum ex nostra familia sequi in hac parte Suar. non aduertendo oppositam sententiam expressè doceri, à suo sanctissimo Præceptore.) Gutierrez.

Ad probationem antecedentis, cõcessa maiori, & minori, negatur consequentia, quia licet expressè in sacra Scriptura, non legatur tale Sacramentum fuisse institutum pro illo tempore, tamen eisdem rationibus, & testimonijs sacræ Scripturæ attenta Dei suaui prouidentia circa hominum salutè colligimus nos, fuisse Sacramentum institutũ contra originale, & institutum contra actuale post originale remissum. Ad probationem consequentiæ, quatenus potest obiici ad probandum non fuisse Sacramentum pro paruulis. Respõderur, illud Sacramentum fuisse signum sensibile protestatiuum fidei, quatenus in ipso in actu exercito fides Christi protestabatur, & applicabatur paruulis (vt dixi in tertia conclusione.)

Ad probationem in contra, negatur sequela: nam facilius est accedere ad Sacramentum Baptismi perse loquendo, & ex natura talis remedij, quam expectare protestationem fidei aliquo signo sensibili faciendam à parentibus, quamuis in aliquo casu extraordinario, & per accidens fit difficilius. Ratio est, quia materia Baptismi nimis communis est, & quæ facillimo negotio habetur. Ita soluit simile argumentum D. Thom. quæst. præced. art. 5. solut. ad 3. infine. Præterea dico, quod licet non esset ita facile remedium Baptismi, sicut remedium legis naturę, tamen est satis facile, & propter abundantiorem, gratiam, & perfectiores virtutes ipsam consequẽtes in ipsa regeneratione Baptismi, superatur illa maior facilitas, quę erat in altero remedio legis naturæ.

Tertio dico, quod hoc remedium est magis notum omnibus, & ideò licet sit magis determinatũ est facilius, quia facilius est adhibere remediũ notissimũ apud omnes, quam remediũ non ita notum. Ita Suar. hic disp. 4. sect. 3. §. vna sola obiectio in solutione eius.

Ad confirmationem respondetur, illud remedium pro paruulis perseuerasse sub indeterminatione, sub qua diximus fuisse institutum: Vndè illi quibus non fuit data circuncisio egerent illo remedio determinando ex instinctu particulari parentum, vel illorum, qui eorum curam gerebant, quantum ad hoc. Vndè ex hoc, quod non legatur aliquod Sacramentũ determinatum durare, non sequitur, nisi quod nullum fuerit Sacramentum determinatum in particulari, non tamen, quod nullũ fuerit absolutè. Vndè concessa maiori, & minori, nego consequentiam argumenti, cui super addere opportet, quod solum credere ea, quæ expressè habentur in sacris litteris est dogma hæreticum Lutheranorum: nam multa credenda sunt, non tanquam pertinentia ad fidẽ, sed tãquam indubitata apud Catholicos, si tamen ex Sanctis Patribus colligantur, & ex optimis rationibus fundatis in Sacra pagina, sicut colligitur (vt cõstat) veritas nostræ resolutionis circa Sacramentum paruulorum.

Ad quartum. Respondetur illud petere difficultatem circa necessitatem Sacramentorum illius legis, quæ si temporis opportunitas sit à nobis disputabitur in sequenti dubio: modo vero breuiter concessa maiori, negando minorem: nam non est contra illum statum esse aliquod præceptũ diui-

diuinum vtendi aliquo Sacramento, & in determinatè, licet fuerit contra illum esse aliquod præceptum vtendi aliquo Sacramento in particulari determinato, imò neque esset contra illum statum esse aliquod præceptum vtendi Sacramento determinato vtcunque, sed tantum si esset præceptū extrinsecum, & positiuum, non ramè si esset diuinum intrinsecum insitum rationi hominis, vt ex dictis in toto dubio patet.

Ad probationem minoris patet per hæc: Ratio enim distinctionis illius status, ab statu legis scriptæ, & legis gratiæ, non est in hoc, quod nullū fuerit præceptum præter præcepta virtutum, sed in hoc, quod nullum fuerit præceptum exterius datum de aliquo determinato Sacramento, aut cæremonia determinata, & hoc est mēs D. Thom. omnibus locis citatis.

Ad confirmationem primam respondetur, quod nomine fidei, non intelligit Gregorius solam fidem internam. Vndè intelligendus est de fide, aliquo signo sensibili, protestata, & applicata paruulis, sicut cum in decretis diffinitur, quod matrimonium solis consensibus perficitur, non intelligitur de consensibus merè internis, sed explicatis per aliqua signa exteriora. Vndè illa particula *sola fides*, tātum excludit aliquod Sacramentum determinatum in particulari, sicut est modo sacramentum Baptismi, & fuit olim circuncisio; non autem aliquod signum sensibile, quo exterius minister illius sacramenti fidem protestaretur.

Ad secundam confirmationem respōdetur, D. Th. eodē modo esse intelligendū, imò ipse satis se explicat in illa solutione, vt cōstabit legenti, & pōderāti singula verba eius, & eodem modo etiam est glossandus in 4. sentent. vel dicendum, quod ibi illam sententiam probabilem iudicabit, licet etiam oppositam docuerit.

SECVNDVM DVBIVM est.

Vtrùm in statu legis naturæ Sacramenta fuerint necessaria ad salutem?

SEnsus huius dubij est. Vtrùm suppositō, quod in illo statu fuerunt Sacramenta instituta, modo explicato à nobis. Vtrùm, inquam, illa suppositione facta, dicendū sit illa fuisse necessaria ad salutem, vel necessitate finis, aut præcepti, vel vtriusque, scilicet finis, & præcepti simul.

In hoc ergo dubio est prima sententia Durand. in 4. distin. 1. quæst. 8. num. 8. asserentis, quod fides protestata aliquo signo exteriori in persona, & nomine Ecclesiæ, erat necessaria ad salutem paruulorum: non tamen ex illo colligitur talè signū exterius, esse Sacramentum, sed potius in solutione ad 1. & 2. docet, quod illud signum non adhibebatur in ratione Sacramēti, sed vt motus fidei esset, non personæ vt priuata, sed vt gerentis vicē Ecclesiæ: de adultis vero ait, quod pro illis sufficiebat actus interior fidei. Ex quo colligunt Doctores Durandum sensisse pro paruulis fuisse necessaria sacramenta, non vero pro adultis.

Fundamentum autem illius pro opinione à nobis relata est, quia peccatum debet remitti eo modo, quo est contractum, ita num. 6. cum ergo peccatum paruulorum fuerit contractum per actum alienum, ita debuit habere remedium per actum alienū, vndè sufficiebat fides aliena ad emundationem illius, quatenus tamen erat fides Ecclesiæ: vndè erat applicanda paruulis à persona vt gerente vicem Ecclesiæ, & ita aliquo signo exteriori: nam minister vtens aliqua oratione mentali solum, nisi committeretur actus exterior, non gerit tunc vicem Ecclesiæ, cuius ratio est licet ab ipso

non

non assignetur, quia scilicet Ecclesia semper fuit visibilis.

Fundamentum secundæ partis suæ sententiæ est, quia licet fides informis non mereatur alteri primatu gratiam tamen meretur illam habenti actum fidei informis, sed adulti poterant habere actum fidei interiorem absque aliquo signo exteriori: ergo sine illo poterant iustificari. Maiorem probat quoad secundam partem ex illo ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo reputatum est ei ad iustitiam*, ergo adultis sufficiebat fides interna ad salutem.

Rom. 4.

Secunda sententia est sapientissimi Soto in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. tenentis, quod tunc temporis, neq; pro adultis, neque pro paruulis fuerūt necessaria sacramenta. Et quidem doctissimus Magister consequenter loquitur: nam in eodem 4. distion. 1. articul. 3. quæstion. 2. docuerat in lege naturæ, nullum propriè fuisse sacramentum. Pro hac sententia refertur Ricard. in 4. dist. 1. artic. 2. quæstion. 2. D. Bonauent. ibidem parte secunda distinctionis.

Fundamentum huius sententiæ est desumptum ex D. Thom. infra quæst. 70. art. 4. solutione ad 2. vbi docet, quod ante circuncisionem, non requirebatur aliquod signum sensibile protestatiuum fidei. Et confirmatur ex ipso D. Thom. in 4. dist. 1. quæstion. 2. art. 6. quæstiuncula secunda, vbi recitans opinionem contrariam, quod scilicet requiriretur signum exterius, illa repulsa, ait probabilius alios dicere, quod sufficiebat sola fides sine vllo exteriori signo.

Confirmatur, secundo authoritate inducta dubio præcedenti D. Gregorij ponderando, quod in expositione communi à nobis relata in solutione illius non saluatur differentia, quā ponit Sanctus inter adultos, & paruulos, dū ait: pro paruulis sola fides, pro maioribus autem virtus sacrificij: ergo pro paruulis sufficiebat fides interna pro adultis vero sacrificium, ergo nullum Sacramētum propriè dictum fuit necessarium pro paruulis, neque pro adultis. Præterea probat aliquibus rationibus iam factis in dubio præcedenti, & solutis, & ideò omitto.

Tertia sententia asserit, quod pro omnibus adultis, & paruulis tantum erant sacramenta sub cōsilio. Ita quidam modernus, & quidem loquendo de paruulis sententia est Hugonis de sancto Victore, lib. 1. de sacram. part. 11. cap. 3. & part. 9. c. 5. qui ait, quod sacramentum, quod in illa lege fuit pro paruulis fuit remedium deuotionis, non necessitatis.

Fundamentum huius sententiænō est aliud præter illud, quod positum est in 4. argumen. dubij præcedentis, quod potest confirmari, quia præceptum vtendi tali sacramento, non oriebatur ex natura fidei, & gratiæ in natura humana existentis, sed tunc non erat aliquod præceptum positiuum, vt ex illo argumento patet: ergo non erat tale sacramentum necessarium necessitate præcepti.

Confirmatur secundo, quia fides tunc temporis erat nimis obscura, & implicita: quapropter erat difficile applicare illam, vt remedium: ergo oportebat præter fidem Christi nullū aliud remedium esse necessariū. Probatur consequentia, quia alias fides, quæ tunc erat remedium efficeretur difficilior, & à paucis applicari posset.

Quarta sententia asserit, quod pro adultis fuerunt necessaria sacramenta in illa lege; non vero pro paruulis. Hęc sententia fundatur in hoc, quod sola fides sufficiebat illis.

Pro resolutione est notandum, quod aliquid potest dici necessarium dupliciter vno modo necessitate præcepti tantum, & est illud, sine quo potest consequi vita ęterna, & salus gratię absolutè loquendo, licet sit in præcepto vti illo ad salutem consequendam. Huiusmodi sunt communiter

pręcepta

præcepta tam positiua, quam naturalia, quia licet propter impotentiam ad implendū ea, vel propter ignorantiam inuincibilem potest absolutè homo consequi gratiam, & gloriam. Secundo modo dicitur aliquid necessarium necessitate medij, vel finis, & est illud, sine quo homo nō potest saluari quantuncumque excusletur aliàs à peccato propter ignorantiam, aut impotentiam. Huiusmodi sunt Baptismus, & fides explicita Christi, sine quibus homo saluari nullo modo potest, itaque paruulus, sine Baptismo in re suscepto nō potest saluari, licet parens excusletur à peccato, vel propter impotētiā, vel propter ignorātiā: adultus verò, sine fide explicita cum ordinead Baptismū, nullo modo potest saluari, de quo videantur Thomistæ in materia de fide, & in materia de Baptismo, & in materia de pœnitentia.

Hoc supposito est prima conclusio, Sacramentum institutum in lege naturæ pro paruulis fuit necessariū illis ad suā salutē, & necessitate finis, & necessitate præcepti simul. Probatur. Necessariū fuit necessitate medij, & fini, quod paruulis remitteretur peccatum originale per fidem parentum ipsis applicatam, vt omnes concedūt, sed fides parentum non proderat paruulis, quatenus erat fides priuata, & personalis, sed quatenus erat communis, & publica fides Ecclesiæ (vt ait Durand.) sed fides publica Ecclesiæ debet protestari aliquo signo exterio ri: cum Ecclesia sit visibilis: ergo necessarium fuit paruulis necessitate finis, & medij, sensibile Sacramentum. Patet consequentia, quia illud signum vocatum est à nobis cū D. Th. & Aug. dubio precedenti Sacramentum, quia ad eius præsentiam infallibiliter remittebatur peccatum, & conferebatur gratia. Secūdo probatur. Fides interior non sufficit ad salutem, quia vt ait Paulus ad Rom. 10. *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, sed ista exterior oris confessio erat tunc Sacramentum, vt iam patet, ergo fuit necessaria necessitate finis ad salutem paruulorum.

Rom. 10

Tertiò. In tantum erat necessariū illud Sacramentum, ad salutē, in quātum ad illam erat necessaria fides mediatoris Christi (vt colligitur ex Augustin. lib. 9. contra Faust. & ex libr. 5. contra Iulianum ex loco citato præcedēti dubio) sed fides mediatoris Christi erat necessaria in illo statu necessitate finis, vt omnes docent communiter, & colligitur ex doctrina Apostoli citata à D. Thom. in corpore huius articuli. *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem, &c.* ergo illud Sacramentum in quantum erat protestatiuum illius fidei, esset eodem modo necessarium.

Secunda conclusio. Illud idem Sacramentum institutum contra originale fuit etiam eodem modo necessarium adultis, in quibus non erat remissum. Hęc conclusio ex parte manet explicata in secunda conclusione dubij præcedentis, & probata, & omnes rationes, quibus probata est precedens conclusio, habent vim ad probandam istam. Solum est aduertendum, quod adultus tenebatur proprio actu protestari fidem, sicut modo quādo adultus accedit ad Baptismum tenetur ipse proprio actu fidem Christi profiteri, alias accedet in dispositus: ita in illo Sacramento dicendum est cōtigisse. Et probatur, quia eodē modo loquendū est proportione seruata de illo Sacramēto, atq; de Baptismo, & circuncisione: ergo sicut ista Sacramēta in adulto ex propria ratione petunt actū proprium fidei, ita & illud, & consequenter probatur conclusio.

Nam eodem modo debuit esse necessarium illud Sacramentum, atque fuit olim circūcisio, & est modō Baptismus, sed circuncisio habuit eādem necessitatem respectu paruulorum, & adultorum, & Baptismus modo habet eandem necessitatem: ergo sicut respectu paruulorum illud fuit necessa-

ceſſarium neceſsitate finis,& præcepti,ita et pro adultis,quod autem illud ſacramentum fuiſſet neceſſarium neceſsitate præcepti pro omnibus,probatur hac ratione. Omnis actus humanus, qui eſt neceſſarius neceſsitate medii,& finis ad ſalutem,eſt neceſſarius neceſsitate præcepti: hac enim ratione probatur hoc idē de actu fidei ſupernaturalis,& ſimiliter de alijs actibus virtutū ſupernaturaliū, vt ſunt ſpei,& charitatis,& pœnitentiæ ſuppoſito peccato,nec adducetur aliqua inſtantia huius maioris,ſed vſus Sacramenti fuit neceſſarius neceſsitate medij,& finis pro paruulis, & pro adultis,ergo & neceſsitate pręcepti. Vbi aduertendū eſt, quod hoc præceptū reſpectu paruulorū,non obligabat illos,ſed parentes ſuos,ſeù illas,qui eorū curā gerebant,qui tenebantur curam habere de ſalute illorū, & conſequenter tenebantur applicare illis remediū neceſſarium,at reſpectu adultorum ipſos obligabant. Vndè ipſi tenebantur ad illud Sacramentum accedere,vt in illo quærerent ſuā ſalutem,& per omnia dicendum eſt de illo,ſicut dicitur de Baptiſmo reſpectu adultorū. Et ſi inquiras,quando inſtabat realis ſumptio illius Sacramenti. Reſpondetur,quod quam primū cognoſcebat adultus culpam originalem contractam à parentibus: tunc enim tenebatur quærere illud Sacramentū ad remiſsionem culpæ originalis. Et ſi forte tunc non adeſſet facultas vtēdi aliquo ſigno externo , quod forte in illa lege impoſsibile videtur,cū nō eſſet ſignū neceſſarium determinatū, ſed ſufficiebat qualecunque(vt dictū eſt)tūc obligatio inſtabat, quā primū aderat opportunitas vtēdi aliquo ſigno. Et iuſtificari poterat antea per votum ipſius Sacramenti ad eum modū quo loquimur de Baptiſmo.

Tertia concluſio. In lege naturali fuit neceſſarium neceſsitate finis, & præcepti ſimul Sacramentum pœnitentiæ in remedium peccatorū actualium poſt remiſsionem originalis cōmiſſorum. Hæc cōcluſio ex parte manet explicata dubio præcedenti 1. cōcl. & in ſolut. ad 3. vbi ponderaui contra aliquos eſſe ſententiam D. Th. infra q. 84. art. 7. ſolut. ad 1. & 2. ex cuius doctrina talis pro concluſione formatur ratio. De iure naturali eſt, quod is qui peccauit mortaliter pœniteat de malis,quæ fecit,quantū adhoc,quod doleat de illis à ſe factis, & remedium quærat per aliquē modū, & quod etiam aliqua ſigna doloris oſtendat per quæ manifeſtetur internus animi dolor, ſed ſignū illud exterius magna cum probabilitate poteſt dici, quod eſſet Sacramentum , ſiquidem erat(vt ait D. Tho.)remedium contra actualia. Vndè credendum eſt iuxta dicta,quod Deus ratione ſuauis prouidentiæ circa hominum ſalutem aſſiſtebat illi ſigno exteriori manifeſtāti internam pœnitentiam, & quod ad eius præſentiam gratiā remittentem actualia cōferebat,ergo illud erat neceſſariū neceſsitate finis, & præcepti ad ſalutē. Conſequentia patet: nā ex eo Sacramentū pœnitētiæ legis gratię eſt iſtis duobus modis neceſſarium ad ſalutē,quia per ſè ordinatur ad delendū mortalia actualia,ergo propter eādē ordinationem Sacramentum illud erat neceſſarium eiiſdem modis.

Circa maiorē eſt aduertēdū, quod nomine iuris naturalis,non intelligitur à D. Th. ibi ratio naturalis nuda, ſed ratio naturalis cognitione fidei adornata,qua ſuppoſita tenebatur pręceptis ſpei,& charitatis(iuxta dicta à nobis cū cōmuni ſchola Theologorū dub. præcedēti) & eadē cognitione fidei ſuppoſita ipſa ratio naturalis dictabat,quod aliquo modo eſſet pœnitendū de peccatis, vt ibi docet Caiet. nō determinando iſtū,vel illū modū pœnitendi. Cæterū nomine rationis naturalis melius eſt intelligere dictamē rationis vt eleuatæ formaliter ad eſſe ſupernaturale per cognitionē fidei,& per auxiliū ſupernaturale con-

naturaliter debitum illi ſtatui ratione cuius dictabat ratio, tanquam lex naturalis illũ modum indeterminatũ pœnitẽdi, iuxta dicta ſupra, quia illud dictamẽ erat de aliquo ſupernaturali, vndè ex ſola ratione naturali adhuc ſuppoſita fide, nõ poterat oriri. Hanc concluſionem tenuit D. Th. in 4. diſt. 1. q. 2. art. 6. quæſtiuncula 2. dicens, quod Sacramentum pœnitentiæ adultis fuit neceſſarium in illo ſtatu in remiſsionẽ actualis culpę: nomine autẽ Sacramenti pœnitentiæ, non intelligit D. Th. aliquod determinatũ Sacramentum, quod tunc eſſet inſtitutũ in remiſsionẽ actualium, ſicut eſt modo in lege Euangelica, ſed aliquid indeterminatum, ſcilicet quodcunque ſignum à pœnitẽte aſſumptum ad explicandũ exterius animi internũ doloré.

Circa concluſionẽ vero eſt aduertendum, quod quantum ad neceſsitatẽ tam finis, quam præcepti eſt loquẽdum eodem modo, atquè loquitur de Sacramento Euangelico pœnitentię, quod ſcilicet erat neceſſarium in re, vel in voto, & ita cõtritio, tunc includebat votum ſumendi illud Sacramẽtum cum illa indeterminatione, ſubqua includebatur in illa lege. Etſi aliquis quærat, quo tẽpore obligabát realis ſuſceptio illius Sacramenti. Reſpõdetur, ſicut modo dicitur de noſtro Sacramẽto, quod obligabat pro tẽpore determinato, ſicut præcepta affirmatiua. Vndè obligabat nõ pro ſemper, quod quis erat cõſcius peccati mortalis, nec ſemper quod quis contritionẽ habebat, ſed quãdo inſtabat mortis periculũ. Et ſimiliter quãdo quis multis & grauiſsimis peccatis erat implicat⁹, & erat in proximo periculo cadendi in grauia peccata mortalia, vel dicito quod iuxta modũ quo Deus gubernabat homines ad diuinã prouidentiam pertineret mouere ſpeciali inſtinctu illos, vt mediãte prudentia ſupernaturali determinaretur ipſis tẽpus, quo inſtaret obligatio ſuſcipiẽdi illud Sacramentũ, quia ſicut modo attẽdẽdo pręciſè adiusdiuinũ, nõ colligiturdè terminatè tẽpus, in quo obligat realis ſuſceptio Sacramẽti pœnitentię, ſed Eccleſiadeterminauit ſemel in anno, & in periculo mortis, & prudẽtiæ ſupernaturali relinquitur quoties per diſcurſum vitæ obligat (vt dicũt Doctores in propria materia, maximè dũ de confeſsione agunt, & de eius obligatione attẽdẽdo ad ius diuinum) ita dicẽdũ videtur de illo Sacramẽto legis naturæ attẽdẽdo pręciſſe ad ius naturale, & diuinũ ex quo dimanabat obligatio ipsũ ſuſcipiendi. Omnes iſtæ 3. concl. ſunt magis communes inter Theologos huiustẽporis, maximè inter Thomiſtas, & duæ prioreshabẽtur ab ipſis, tãquã moraliter certę: vltima autẽ tãquã nimis probabilis, in 1. cõuenit Suar. vbi ſup. diſcõuenit in 2. & 3. Sapientiſsimus Mag. Sot. vbi ſup. tenet oppoſitũ vltimæ cõcl. eſſe certiſsimũ: vndè neque in lege Moyſis, ait fuiſſet aliquod Sacramẽtũ pœnitẽtię, quia tale Sacramẽtũ, ait ipſe, eſt propriũ legis Euangelicæ. Et deinde impugnat Dur. in 4. diſt. 1. q. 5. aſſerentẽ vnctionem Sacerdotis in antiqua lege fuiſſe Sacramentum, ſed tamen quidquid de hoc, noſtra cõcluſio ſufficienter eſt probata, & ſatis conſtat eſſe D. Thom.

Ad eius rationẽ reſp. quod Sacramẽtũ certũ, & determinatũ cõferẽs gratiã remiſsiuã actualiũ ex opere operato, & ex meritis Chriſti, iã mandatis executioni eſt propriũ legis gratiæ. Cęterũ Sacramentũ aliquod ad cuius præſentiã cõferretur gratia ex meritis Chriſti præuiſsis ingenere cauſæ finalis, propriũ poterit eſſe, tùm legis naturæ, tũ etiã legis ſcriptæ: hac differẽtia exiſtẽte, quod in lege ſcripta debuit eſſe Sacramẽtũ determinatũ, licet non ita perfectè, ſicut eſt modo, quod docet expreſsè D. Th. in illa q. 84. & art. 7. in ſolut. ad 2. argum.

His ergo ſuppoſitis ad fundamentum primæ opinionis negatur minor, nam licet homo adultus exiſtens in peccato

peccato mortali modo se disponat ad gratiam conuertendo se in Deum per contritionem supponentem actum fidei, tamen illa dispositio qua ratione antecedit gratiam ingenerecausæ materialis nullo modo est meritoria gratiæ, sed gratis omnino dicitur homo gratificari, alias, vt inquit Paulus: *Iã gratia non esset gratia*, ita similiter dicendum est, quod tunc temporis in lege naturæ homo adultus mediante actu fidei, & actu pœnitentiæ speciali auxilio intellectum illustrante, & voluntatem aliiciente se conuerteret in Deum, tamen per illum actum licet se disponeret, non tamen mereretur etiam de congruo primam gratiã sibi propter eandem rationem. Vndè ad probationem ex loco Pauli respondetur, illum locum malè interpretari à Durando in illo sensu: nam quãdo Abraham habuit illum actum fidei (vt adnotauit sapientissimus Sot. in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4. §. Ad secundum respondetur) iam erat in gratia constitutus. Vndè actus fidei formatæ est de quo verificatur, quod reputatus est ei ad iustitiam, quia reputatus est ei ad meritum de condigno, quod solũ respectu Dei dicitur iustitia suo modo.

Ad fundamentum secundæ sententiæ desumptum ex D. Thom. authoritate respondetur. Ipsum in illo tantum docere, quod non requirebatur aliquod signum determinatum in particulari, quod tanquam Sacramentum determinatum iustificaret paruulos, non tamen negat fuisse aliquod Sacramentum necessarium vagè, & indeterminatè. Et hanc esse mentem D. Thom. patet ex ratione quam assignat, scilicet quia ante circunciſionem, nondum homines fideles ceperant congregari, tanquã vnus populus fidelis segregatus ab infideli, & in cultum Dei dicatus, hæc autem ratio solum probat, non esse determinatum aliquod Sacramentum particulare, tanquam signum protestatiuum fidei commune cunctis fidelibus, quod nos libenter admittimus: hanc ergo esse mentem D. Thom. patet ex verbis sequentibus: nam statim ait: *Quod probabile est, quod parentes fideles pro paruulis natis aliquas preces Deo effunderent, vel aliquã benedictionem eis adhiberent*, quod ait ipse, erat quoddam signaculum fidei, sicut adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant, ecce signaculum exterius fidei adhibitum à parentibus pro suis filijs paruulis ad eorum iustificationem applicatum, sentit Doctor Sanctus esse probabile, quod tunc ita fiebat, & ly probabile idem pollet, quod valde rationabile, & multũ vero simile: illud ergo signaculum, nos Sacramentum vocamus, cum D. Th. in presenti articulo.

Ad locum ex 4. communiter Thomistæ, quod D. Thom. in illo loco tenuit illam opinionem, tanquam probabiliorem. Cęterum in hac 3. part. oppositam docuit expressè, vt patet ex dictis tam in hoc dubio, quam in præcedenti.

Ad locum ex Gregorio respondetur, iuxta dicta in dub. præcedenti. Ad confirmationem primam quarti argumẽti superaddẽdo modo est propter ponderationem, quod in illa comparatione facta intendit D. Gregor. docere, quod ad iustificationem paruuli sufficiebat sola fides parentum protestata aliquo signo exteriori, quod tãtum habebat rationem Sacramenti, & non sacrificij, quia non postulabat aliquem actum proprium paruuli; at vero adultis, non sufficiebat fides protestata, & applicata ipsis ab alio, sed requirebatur actus proprius quo mediãte ipse adultus vtens aliquo signo exteriori, non tantum protestaretur suã fidem, sed se offerret Deo in signum interni sacrificij, & doloris animi, qui est quoddam spirituale sacrificiũ iuxta illud Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, & ideò illud signum externum adultorum habebat simul rationem Sacramenti sa- *Psal. 50*

crificij expiatorij, & in hoc sita est differentia, quam ponit Gregor. inter paruulos, & adultos. Vnde negatur consequentia: nam illud sacrificium, quo mediante adultus iustificabatur simul erat Sacramentum, quod à D. Thom. vbi supra appellatur Sacramẽtum pœnitentiæ. Et si dicas, quod in illa contrapositione loquitur de maioribus in ordine ad remissionem originalis peccati, sicut loquitur de paruulis. Respondetur, quod hoc admisso adhuc tenet solutio, nam præter Sacramentum illud applicatum ab alio requirebatur in adultis actus proprius manifestatus aliquo signo externo, sicut modo dicitur de adulto, qui accedit ad Baptismum, quod scilicet eget actu proprio, per quẽ se disponat manifestato quoddam signo exteriori, vt constet de sua dispositione.

Ad fundamenta tertiæ sententiæ. Respondetur ad primum, illud præceptum oriri ex natura fidei, & gratiæ non absolutè, sed ex suppositione status naturæ lapsæ ratione cuius ex indigentia gratiæ ad remissionẽ culpæ, & ex indigentia fidei naturaliter sequitur, quod parentes, qui tenentur subuenire filijs adhibeant eis aliquod remedium necessarium ad expellendam culpam originalem, & comparãdam gratiam, determinare autem tale Sacramentum in particulari relinquebatur eorum arbitrio, vel à Deo determinabatur mediãte speciali inspiratione, & instinctu, ad quem Deus concurrebat quoties iudicabat expedire iuxta dicta supra dubio præcedẽtij in notabili circa intelligentiã quartæ conclusionis, vbi contra illam, & in eius expositione dicta posſuimus similem obiectionem, & soluimus fere eadem solutione.

Ad confirmationem respondetur, quod supposita fide interiori facillimum esset aliquod signum exterius adhibere ad illam protestandam cum ad id non esset determinatũ aliquod signum in particulari, sed solum in communi, & vage cognoscebatur naturaliter aliquod signum sensibile fuisse necessarium, quod tamẽ in particulari facillime determinabatur ab vno quoque ex suaui Dei prouidentia assistente vno ex modis, iam explicatis.

Sed contra dicta est argumentum, de ratione Sacramenti (vt diximus supra quæst. 60. art. 1.) est quod sit signum permanens, & stabile pro toto tempore legis, ergo si nullum fuit signum determinatum, vt duraret pro toto tempore legis naturæ, sequitur quod propriè loquendo nullum fuerit Sacramentum in illa lege.

Ad hoc respondetur, quod de ratione Sacramenti vt sic in sua vniuersalitate, non est quod sit signum permanens per modum signi determinati in particulari, sed quod sit permanens secundum proportionem ad legem cuius est Sacramentum, vel secundum proportionem ad sui institutionem quod idem est, & quia in lege naturæ ex conditione illius oriebatur, quod perse non institueretur Sacramentum extrinseca ordinatione, sed intrinseca, scilicet per modum naturæ, & ad hoc sufficiebat determinare aliquod signum vage, & indifferentè (vt dictum manet dubio præcedenti) ideò sufficiebat quod signum esset permanens secundum istam indifferẽtiam: determinatio autem, & permanentia Sacramẽti determinati in particulari tantum est de ratione specifica Sacramenti Euangelicæ legis, aut scriptæ, quia eo quod institutio pendet ex ordinatione extrinsecè Dei, quæ respicit semper materiam singularem, & determinatam, ex isto principio prouenit, quod Sacramentum sit determinatum, & vt sic permanens, & quia hoc pertinet ad perfectam congregationem, & vnitatem Ecclesiæ, quę expostulat vnas. Et easdem ceremonias; tempore autẽ legis naturę non erant homines perfecte in vnum populũ religiosum congregati,

gnati, vt docet D. Thom. in illa quæstion. 70. art. 4. cit.

TERTIVM DVBIVM EST.

An esset necessaria aliqua dispositio ad suscipienda Sacramenta legis naturæ?

IN hoc dubio relictis sententijs resolutoriè est procedẽdũ. Vndè dico primo. In sacramentis, quæ applicabantur paruulis, in parentibus, aut in illis qui eis applicabant talia sacramenta ordinata in remedium originalis, non requirebatur, tã quam dispositio aliqua fides, nec informis, neque formata, sed sufficiebat habere intentionem Ecclesiæ, & intendere protestari fidem mediatoris Christi, illamque applicare ad iustificationem paruuli. Hęc conclusio docetur à sapientissimo Soto, vbi supra in 4. distin. 2. quæst. 1. art. 4. in 1. & 2. concluſ. vbi loquendo de fide requisita in parentibus in sui opinione ad iustificationem originalis, ait, nullum habitum fidei requiri, & in 3. cõcluſ. docet, quod sufficiebat actus ipse fidei, quo parens puerum offerebat Deo, est tamen contra Durand. vbi supra.

Probatur. Fides parentum protestata signo visibili non proderat paruulis per modum meriti de congruo, sed per modum Sacramenti, & ex diuina promissione, & ordinatione, ergo non erat necessarium, quod in applicante esset fides formata. Ex quo infertur cum Suar. disputat. 4. section. 2. quod etiam si tunc nullus actus bonus fieret iustificaretur tunc paruulus, sicut nunc fit in Baptismo solum ex vi ordinationis, & assistentiæ infallibilis Dei: quod autem non requireretur etiam habitus fidei informis, sic probatur: nam illa professio fidei, non iustificabat quatenus erat personalis, sed quatenus erat professio fidei communis Ecclesiæ, ergo in applicante non requirebatur habitus fidei informis, sed sufficiebat actualis professio mediatoris Christi procedens ex aliquo auxilio supernaturali. Imò addit sapientissimus Soto, quod etiam si in tota Ecclesia non esset verus habitus fidei, adhuc tamen media fide actuali signo exteriori protestata iustificaretur paruulus. Ratio est, quia talis fides, non iustificabat, quatenus procedebat à persona, sed ratione sui obiecti. Vnde sufficeret, quod applicans illam haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quando vera Dei cognitio polleret. Vltima pars probatur, quia illud sacramentum esset simile aliquo modo Baptismo, ergo sicut modo in fidelis Baptizans verum conficit sacramentum remittens originale, si habeat intentionem Ecclesiæ, ita dicendum est de applicante illud Sacramentum.

Sed dices pro Durando. Illud Sacramentum non habebat efficatiam ad iustificandum paruulum, ergo nõ iustificabat, nisi per modum meriti de congruo, aut impetrationis, & consequenter requirebatur in applicante fides formata, vel saltim in tota Ecclesia.

Respondetur negando consequentiam, etenim sacramentum circuncisionis etiam non habebat efficatiam ad iustificandum, & tamen non iustificabatur recipiens illud ex vi alicuius meriti ipsius, aut ministri, quia licet non haberet efficatiam, vt ex vi sua iustificaret, sicut modo habet Baptismus, tamen Deus ad præsentiam illius infallibiliter iustificabat ex meritis Christi præuisis, ita dicendum est de illo remedio legis naturæ.

Secundo dico. Quando adulti vtebantur Sacramento contra originale requirebatur in illis aliqua fides saltim informis, & aliquis dolor de peccatis. Hæc conclusio debet esse certa apud omnes Theologos,

quia modò in adulto accedente ad Sacramentum Baptismi requiritur simi lis dispositio, non obstante, quod habet vim ad iustificandum propria virtute, quam tamen non habebat Sacramentum illud. Hanc conclusionem docet D. Thom. infra quæst. 86. art. 2. ad 1. loquens de Baptismo, & ratione assignat: quia adultus habet actualia peccata præter originale aliena voluntate contractum; & ideò non sufficit habitualis immutatio, sine actuali mutatione voluntatis petita, tã quam dispositio necessaria habitualis immutationis faciendæ in Baptismo, sed hæc eadem ratio currit respectu Sacramẽti legis naturę, & multo fortius, ergo idem est dicendum.

De Sacramento pœnitentiæ est opinio dicentium, quod quando adultus accedebat ad Sacramentum pœnitentiæ illius status erat necessariam, quod accederet cum fide formata, & cum vera contritione suorum peccatorum. Ratio est, quia facere de attrito contritum est priuilegium Sacramenti pœnitentiæ legis gratiæ maximè commendans suam excellentiã: ergo non est concedendum illi Sacramento legis naturæ: imò neque etiã sacramento Mosayco. Ita communiter dicunt Thomistæ quibus consentit Cabr. hic disp. 4.

Sed contra istam conclusionem potest obiici, primò, quia sacramentum institutum contra originale in illa lege in adulto habebat facere ex attrito contritum: vt patet ex secunda cõclusione, ergo nihil obstat quo minus illud conueniat sacramento pœnitentiæ. Probatur consequẽtia, etiam est excellentia sacramenti Baptismi adultum facere ex attrito contritum, ergo si non obstante hoc, illud conueniebat sacramento instituto cõtra originale, etiam non obstabit, quod facere ex attrito contritum sit excellentia sacramenti legis gratię, quominus conueniat alteri pœnitentiæ legis naturę, non tamen cũ eadẽ perfectione.

Secundo illud sacramentum pœnitentiæ perse esset sacramentum mortuorum: ergo perse non postularet subiectum in quo esset recipiendum dispositum per contritionem, & charitatem. Consequẽtia probatur, quia si perse postularet subiectum ita dispositum esset sacramentum viuorũ, siquidem præsupponeret perse subiectum viuum: hac enim ratione probatur modo sacramentũ pœnitentiæ nõ supponere perse, nisi subiectum cum attritione supernaturali dispositum, & Eucharistiam petere subiectum in gratia, quia perse est sacramentum viuorum: Antecedens vero huius rationis patet, quia sicut remedium legis naturę contra originale erat perse institutum ad regenerandum, ita illud pœnitentiæ erat perse institutum ad resuscitandum à morte spirituali animæ causata ex peccatis actualibus.

Ad hæc argumenta licet aliquid posset dici apponendo differentiam inter sacramentum institutum perse contra originale, & institutum perse contra actuale consistentem in hoc, quod originale non est contractum actu proprio, sed actu alieno, ideò nõ requirit perse aliquam dispositionem propriam ad sui remissionem, & propter hanc eandem rationem quando per accidens in adulto ratione peccatorum actualium petit aliquam dispositionem, non tamen requirit tantã, quantã requirit pœnitentia, eo quod est contra actuale instituta, quod sicut proprio actu committitur ita perse petit dispositionem per proprium actũ, & maiorem dispositionem, quę consistit in vera ad Deum conuersione.

Hac tamen doctrina non videntur mihi sufficienter soluta argumenta, imò, secundum, nullo modo soluitur vt patebit consideranti attentè vim argumenti. Primum autem, nequaquam sufficienter soluitur: nam saltim in illo casu, quando in adulto petit dispositionem habet excellentiam

tiam, quam modo habet Baptismus, scilicet in ordine ad peccata actualia facere ex attrito contritum, & sicut noster Baptismus habet istam excellentiam per accidens, ita & tunc per accidens haberet illam Sacramentũ legis naturæ, ergo iam habet excellẽtiam propriam sacramenti legis gratię: cur ergo idem non dicetur de Sacramento pœnitentiæ illius legis, vnde propter hæc argumenta conuincor ad tenendum, quod sacramentum pœnitentiæ illius legis in adulto suscipiente ipsum perse loquendo non requirebat contritionem, sed tantum attritionem supernaturalem procedentem ex cognitione fidei supernaturalis, & hæc sit tertia propositio nostra huius dubij salua authoritate Thomistarum sapientissimorum aliter sentientium.

Rationes huius sunt argumenta facta contra oppositam sententiam, quæ modo confirmantur, quia in isto modo dicendi magis consequẽter loquetur, & magis conformiter ad naturam sacramenti mortuorum, vt tale est, ergo ita est dicẽdum, quod magis consequenter loquamur docet sapientissimus Soto vbi supra in 4. dist. 2. §. quare contraria opinio, vbi docet, quod contraria opinio tenens aliquod tunc fuisse verè, & propriè sacramentum, subsequenter dicere debet non exegisse aliud in suscipiente adulto, quamquòd non poneret obicem, quod autem sit magis conforme ad naturam talis sacramenti patet ex secundo argumento suprafacto, vndè quia illud efficax mihi apparet ab aliis, quæ sese mihi offerunt superdere libenter placuit.

Ad rationem ergo oppositæ sententiæ, distinguo maiorem: facere ex attrito cõtritum est priuilegium pœnitentiæ Euangelicæ absolutè, & vt cumque nego, virtute propria, & tanquam conferens propterea perfectiorem, & abundantiorem gratiam concedo. Vndè isto modo nullatenus cõcedenda est hęc excellentia sacramẽto illi legis naturæ. Cæterum facere ex attrito contritum nõ virtute propria, sed per modum conditionis ad cuius præsentiam Deus faciebat ex attrito contritum illum, qui sacramẽtum suscipiebat sine obice, non erat alienum à perfectione sacramenti illius legis, sed potius proprium: siquidem erat remedium perse institutum contra peccatum actuale. Hæc de hoc dubio.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm post Christum debuerint esse aliqua Sacramenta?

COnclusio affirmatiua talis est. Oportet in noua lege gratię quędam alia sacramenta esse. Hanc probat D. Tho. primo, in argumento sed contra, ex August. contra Faust. c. 19. vbi expresse asserit S. Doctor. Sacramenta vetera fuisse ablata, quia impleta, & alia sunt instituta virtute maiora. Deinde in corpore taliratione. Sacramenta sunt quędam signa protestantia fidẽ Christi, qua homo iustificatur: ergo oportet alijs sacramentis significari futura, præterita seu præsentia. Consequẽtia ista probatur supponendo, quod sicut antiqui Patres saluati sunt per fidem Christi venturi, ita & nos saluamur per fidem Christi, iam nati, & passi: ergo sicut propter istam rationẽ fuerunt sacramenta significantia fidẽ Christi vẽturi, ita modo oportet esse alia significantia fidem Christi iam nati, & passi. Probatur ista vltima cõsequentia ex doctrina August. 19. cõtra Faustum, quia eadem res aliter annuntiatur facienda, & aliter facta, sicut ipsa verba: passurus & passum, nõ eodem modo sonant. Circa conclusionem huius articuli videndi sunt Interpretes in præsenti explicantes, & probantes illam esse de fide, ita vt ne

gare aliquod ex septem sacramentis Ecclesiæ, vel omnia simul sit hæresis manifesta, vt constat ex Concil. Trident. Sess. 7. Can. 1. de Sacramentis in genere, vbi expressè hæc veritas diffinitur, & contrarium dicens anathematis gladio percutitur, tanquam hæreticus contra fidem Catholicã sentiens.

Circa solutionem ad 1. notanda est differentia, quam assignat D. Th. inter statum viæ, & modo in lege gratiæ, & statum glorię, quod in isto statu, quia est peccatum, & cognitio fidei ratione cuius spiritualia, & supernaturalia cognoscimus imperfectè per speculum, & in ænigmate, vt ait Paul. 1. Chorint. cap. 13. Egemus Sacramentis contra morbum peccati, & vt per illa inspiritualium, & supernaturalium cognitionẽ ascendamus, at in patria nullum erit peccatum, & in illo nudè, & perfectè ipsa diuina veritas cognoscitur, in qua omnia alia etiam clarè inspiciuntur, per quã doctrinam excluditur error Origen. homil. 14. in Lucam asserentis, quod etiam post resurrectionem egemus Sacramento abluente nos à sorde peccati.

Circa solutionem ad 2. aduertenda est excellentia nostrorum sacramentorum supra sacramenta antiquę legis, quam colligit D. Thom. ex cõtinentia gratiæ, & eius causalitate, quod deficiebat illis sacramẽtis, propter quod vocantur ab Apostolo. *Egena, & infirma elementa*, ad Galat. cap. 4. cõuenit etiam hæc maior perfectio nostris sacramẽtis ratione perfectioris significationis, quia expressius significant Christum, gratiam, & gloriam, quam antiqua sacramenta (vt diximus sup. quæst. præceden. vbi etiam explicuimus, quomodo hęc maior perfectio conueniat sacramentis nouæ legis non obstante, quod vniuocè dicatur de omnibus ratio sacramentis vt sic.)

Galat. 4.

Vndè circa istam solutionem tãtum poterat dubitari. Vtrùm sit de fide veritas in illa contenta, sed tamen quia illam mouet, & optimè resoluit sapientissim. M. Nuño est quo facilis, ideò ab illa breuitati studens prosus superfedendum iudico.

Circa solutionem ad 3. videndus est August. epist. 4. & 5. & lib. 19. cõtra Faust. per totum, vbi elegãter ostendit contra infideles non fuisse in cõstantiæ, aut mutabilitatis, sed summæ sapientiæ Dei mutare leges, & sacramenta diuina secundum temporum diuersitatem, secundum quã multæ congruentiæ inueniuntur variationis legis, & sacramentorum, de quibus videatur D. Thom. 1. 2. quæstion. 98. per totam maximè artic. 6. & quæst. 103. art. 3. in quo eruditissimè, conuenientiam prędictæ mutationis ostendit.

Sed tamen contra conclusionem sunt duæ obiectiones hæreticorum, prima est, quia ad perfectionem Ecclesiæ Christianæ videtur pertinere, quod non sit subiecta signis sensibilibus, sicut fuit antiqua Synagoga. Secundo, quia adueniente Christo cessauerunt omnes figuræ, eo quod per Christum gratia, & veritas facta est, ergo cessare debuerunt etiam signa sensibilia. Sed tamen hæc leuissima sunt contra veritatem fidei in conclusione D. Thom. contentam.

Et ad primam facile respondetur concedendo, quod Ecclesia nostra nõ est eodem modo subiecta signis sensibilibus, atque antiqua Synagoga. Ex quo non sequitur, non esse in illa sacramenta; sed tantum non esse, sicut erant in illo tempore, sed multo perfectiora, quia continent, gratiam, illãque in dignè recipientibus causant: sacramenta vero antiqua hanc perfectionem, non habebant; ideòque dicebantur elementa vacua & infirma, vt docet D. Thom. ad 2.

Ad secundam respondetur distinguendo consequens; cessare debuerunt signa sensibilia, quæ erant sacramenta

menta præcedentia Christum, tanquam vmbræ, & figuræ, concedo consequentiam, cessare debuerunt totaliter, ita vt de nouo alia perfectiora nõ succederent negamus consequentiã: nam quia adhuc veniente Christo, & opus redemptionis complente, dum Ecclesia eius est viatrix eget Sacramẽtis, tùm propter sanctificationẽ, tùm etiam ad manifestandum cultum Dei interiorem consistentem in fide, spe, & charitate, & ad fidem Christi præsentis manifeste, & visibiliter protestandam, vt docet D. Thom. loco cit. 1.2. in illo art. 3. in corpore, tùm etiã quia dũ sumus in via imperfectè cognoscimus diuinam veritatem, quare merito vtimur signis sensibilibus à Deo institutis, vt per illa in cognitionem spiritualium, & supernaturalium ascendamus, vt docet Sanctus Doctor hic ad primum. Hæc de hac quęstione, & de materia Sacramentorum in communi secundum suam substantiã quantum ad an est, & quid est pro viribus disputata. Vtinam cedat in laudem, & gloriam Dei Patris, Filij, Spiritus Paracliti, necnon Sanctissimæ Virginis Marię Matris Dei, sui sanctissimi sponsi Ioseph, nostro Patriarchæ ac nostro sanctissimo Prœceptori, laus & gloria.

QVÆSTIO LXII.

DE EFFECTV PRINCIPALI Sacramentorum, qui est gratia.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis causent gratiam, vel sint causa gratiæ?

PRIMA conclusio articuli. Necesse est dicere, quod Sacramenta nouæ legis per aliquem modũ causant gratiam. Ratio huius est, quia per Sacramenta homo incorporatur Christo, & efficitur membrum eius viuum, sed non efficitur homo membrum Christi viuum, nisi per gratiam: ergo Sacramẽta causant aliquo modo gratiam. Maior patet ex Apost. ad Galat. 3. vbi loquens de Baptismo sic ait: *Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis.* Galat. 3.

Secunda conclusio. Non est dicẽdum, quod Sacramenta nouæ legis nõ sunt causa gratiæ aliquid operando, sed tantum quia Deus Sacramẽtis adhibitis, gratiam in anima operatur. Ratio huius est, quia hoc non excedit rationem signi. Sacramenta autem nouæ legis, vt ex multis authoritatibus Sanctorum, patet non solum sunt signa gratiæ, sed etiam causę, ergo. Maior est clara in literę exemplis de denario plumbeo, & de libro, in quibus tantum ratio signi, & non causæ reperitur finis adquem ordinantur.

Tertia conclusio. Solus Deus est causa principalis gratiæ. Ratio est, quia

quia gratia est participata similitudo naturæ diuinę, sed causa principalis est, quæ agẽdo virtute formæ suę assimilat sibi effectum, ergo solus Deus cuius formę naturali assimilatur immediatè gratia est causa principalis eius.

Quarta conclusio. Sacramenta nouæ legis sunt causę instrumentales gratiæ. Ratio est, quia ratio causæ instrumentalis cõuenit eis propriè respectu gratiæ, vt habetur in litera: nã per illa mota agit Deus effectum supernaturalem gratiæ.

PRIMVM DVBIVM EST circa primam conclusionem, & secundam.

Vtrùm sit certum secundum fidem omnia Sacramenta nouæ legis gratiam causare?

IN hoc dubio ante omnia præmittendum nobis est, quod modo nõ disputamus de causalitate physica, aut morali determinatè, sed de causalitate absolutè, & sensus dubij est: Vtrùm gratia, quę in Sacramẽtis nouæ legis confertur dignè suscipientibus ipsa, procedat ab eis, tanquã à causis verè operãtibus, an verò procedat ab aliquo alio principio ipsis Sacramentis nihil operantibus, vt dicebant illi, quos tacito nomine refert D. Thom. in corpore articuli.

Deinde aduertendum est, quod causare gratiam sub ista generali ratione dupliciter contingere potest, primo modo ex opere operantis, secundo modo ex opere operato. Causare gratiam ex opere operantis est Deum infundere gratiam homini ex condignitate operationis, per quam ipse homo adiutus diuino auxilio se sufficienter disponit ad ipsam gratiã obtinendam, vt cum quis extra Sacramentum per contritionem iustificatur, tunc enim etiam si adhiberetur, vt necessarium aliquod signum exterius non corresponderet gratia ipsi signo vt causæ, sed tantum ad multum vt conditioni, & sola causa efficiens esset Deus, & proprius actus esset causa moralis, & dispositiua ratione suæ condignitatis. Secundo modo causare gratiam est Deum infundere gratiam per virtutem alicuius operis applicati alicui, prout à Christo instituti, & ordinati ad gratiam conferendã omnibus suscipientibus illud opus sine obicè, aut impedimento gratiæ, quod alij explicant dicẽdo, quod causare gratiam isto modo est gratiam conferre, non ex merito operantis, & operis prout procedit ab ipso operante, sed ex virtute ipsius operis, quam habet ex meritis Christi Domini illud ad talem finem instituentis, & ordinantis, & isto modo causant gratiã omnia Sacramenta nouę legis (vt eleganter explicuit Augustin. 4. contra Cresconium, cap. 16.) dicens: *Nõ eorum meritis à quibus ministratur, nec meritis eorum quibus ministratur cõstat Baptismus, sed propria sanctitate, atque virtute, propter eum à quo institutus est*: In quibus verbis habetur optima expositio huius, quod est causare gratiã ex opere operato. Ex quibus colligitur nostra Sacramenta sic gratiam conferre: quia conferunt illam per virtutem propriam, quã habent ex vi suæ institutionis, & nõ ex merito suscipientis, neque ex merito ministrantis Sacramenta. In dubio ergo inquirimus, an sit certum secundũ fidem, quod Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato. *Augus.*

In quo dubio fuit error Vuicleph, & omnium Messalianorum, & aliorum dicentium, quod Sacramenta nouæ legis non habent virtutem iustificandi. Hunc errorem iam diù sepultum suscitauit Lutherus, vt videre est apud Rophensem Marr. art. 1. ad Leonem X. qui totam gratiam in Sacramentis collatam ait dari, nõ ex virtute Sacramentorum, sed ex virtute fidei. Vndè consequenter loquẽdo

do affirmat, quod par uuli recentur nati (quibus ipse docet conferendū esse Baptismū) habent proprium actū fidei perquem iustificantur, & non per ipsum Sacramentum.

Fundamentū præcipuum Lutheri est, quia fides specialis, qua aliquis credit iustitiā Christi applicari iustificat ipsum, quod probat, primo ex sacra Scriptura: nā Abac. 2. ad Rom. 1. & ad Hebræos 10. dicitur: *Iustū est fide viuere*: non autē dicitur ex Sacramētis; siautē haberent gratiam ex Sacramētis, non magis diceretur iustum ex fide viuere, quam ex Sacramentis; imò si Sacramenta iustificarent, ipsis tantū esset attribuenda vita spiritualis Christiani, quod est confirmatio sententiæ Lutheri. Præterea Marci vltimo dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur*, vbi salus, fidei videtur attribui, & non Baptismo. Præterea ad Rom. 10. dicitur: *Corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem*, & non dicitur corpore autem suscipiuntur Sacramenta ad iustitiam, ergo ex istis locis satis colligitur Sacramenta, non iustificare virtute propria, sed esse quasdam cæremonias exteriores protestantes fidē, & significātes iustitiā causatā ex fide.

Rom. 1. Hab. 10. Marci vlt. Rom. 10.

Deinde opponit nobis Petrum 1. Epist. cap. 3. dicentem. *Quod & vos nunc similis formæ facit Baptisma, nō carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per Resurrectionem Iesu Christi*, quorum verborum sensum ait Lutherus esse, Baptismum saluos nos facere, non quatenus lauat corpus, sed quatenus obsignat pactum, quod habet anima cum Deo, dum de fide accipit promissiones eius, ex quo infert Baptismum, nō esse causam iustificationis, sed signū tantum promissionis, ac pacti Dei.

1. Petr. 1.

Secundo arguitur authoritate Patrum, in primis ex D. Aug. tract. 8. in Ioann. vbi loquens de Baptismo ait, quod Baptismus habet iustificare à Verbo Christi, & subiungit hæc: *Nō quia dicitur, sed quia creditur*, vbi videtur iustificationem attribuere non verbo in quo consistit forma Sacramēti, sed fidei. Deinde arguūt ex ipso Aug. lib. quæstion. noui Testamenti, q. 59. vbi inquit loquens de Baptismo: *Quod qui Baptismum putat carnali ratione constare, cum sit spiritualis, nec donū cælestē poterit consequi, qui per aquā, non fidem commutari credit.* Deinde adducunt hæretici, Aug. lib. quæst. in Leuit. q. 84. Hyeron. Isai. 4. *In illa die &c.* vbi dicunt: *Ministrum præbere externis Sacramentum vt aquā: Deū autem præbere inuisibilem gratiam.* Ex quo inferunt Lutherani, & alij Sacramentum non conferre gratiam, aliàs etiā minister diceretur causa gratiæ: alijs locis relictis, tam Aug. quam aliorum Sanctorum, qui ad idem tendunt, & facilem explicationem præseferunt.

D. Aug.

Aug. Hyeron. Isai. 10.

Confirmatur argumentum ista ratione. Omnia loca sacrę Scripturæ, in quibus dicitur Sacramēta iustificare possūt optimè explicari, dicēdo quod homo iustificatur in illis, sicut olim iustificabatur in Sacramētis antiquis, maximè in circuncisione, ergo nō est necessariū asserere, quod causant gratiā. Antecedens probatur, quia in nullo loco sacræ Scripturę dicitur expressè, quod Sacramēta nouę legis causāt gratiam, vt patebit discurrendo per omnia. Etenim in illo loco Marci vltimo citato, tantum dicitur, quod sine Baptismo, non potest homo iustificari, & idem apparebit in alijs lociis, ergo optimè possunt glossari modo dicto.

Tertio arguitur, argumēto desumpto ex rationibus hæreticorum, & prima ratio sit. Sequitur ex sentētia Catholicorū, quod Sacramenta causent gratiā, etiam in subiectis non dispositis, & renuentibus. Cōsequens est falsum, ergo; sequela probatur, quia causa, quæ habet aliquē affectū per sè causare, sēper illud causat in subiecto approximato, nec potest impediri, ergo.

Quar-

Quarto arguitur, & sit secunda ratio Hæreticorum, quam magnificauit Philippus Melanthon in sua apolog. cap. 13. vt hic refert sapiẽtissimus Nuño. In omni Sacramento exigitur fides suscipientis, sed fides est magis similis gratiæ cum sit spiritualis, & supernaturalis, sicut ipsa gratia: Sacramentum autem est quid corporale, ergo actui fidei est tribuenda iustificatio.

Quinto. Verbum Dei, & Euangelium eius dicitur causa salutis, sicut Sacramentum, sed Verbum Diuinum, non iustificat causando gratiam, sed tantum excitando fidem, & mentẽ, ergo etiam Sacramentum tantum iustificat isto modo. Maior probatur, quia in sacris literis dicitur, quod Verbum Dei iustificat. Etenim Paulus ad Roman. 1. loquens de Euangelio Dei ait: *Quod est virtus Dei in salutem omni credenti, &c.* Ergo sicut Euangelium Dei, tantum iustificat excitando mentem hominum ad fidem, & ita intelligitur iste locus, eodem modo potest saluari, quod dicitur in sacra Scriptura de Sacramentis, quando dicitur, quod iustificant. *Rom. 1.*

Sexto. Sacramenta non habẽt causare gratiam ratione formalis, nec ratione materialis, ergo nullo modo habent causare gratiam. Probatur antecedens pro prima parte: nam ratio formalis Sacramentorum est relatio, cũ sit significatio, sed relatio nõ est principium actiuum, ergo. Pro secunda parte etiam probatur: nam materia Sacramẽtorum est aliquid naturale, sed nulla entitas naturalis potest causare gratiam, quæ est ordinis supernaturalis, & diuini, ergo. Præterea probatur eadem pars ex August. tractat. 80. in Ioan. vbi sit habet: *Detrahe Verbum, & quid erit aqua, nisi aqua*, ergo Baptismus non habet causare gratiã ratione materiæ. *August.*

His non obstantibus sit conclusio. Fides Catholica est, quod Sacramenta nouæ legis causant gratiam in suscipientibus illa, & non ponentibus obicem, & fides etiam est, quod talis gratia datur in Sacramentis ex opere operato iuxta expositionem supra assignatam. Hęc conclusio probatur primo ex sacra Scriptura. Etenim de Baptismo dicitur ad Ephes. 5. *Mundans eam*, scilicet Ecclesiam *lauacro aquæ in verbo*, & ad Titum dicitur: *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, quã effudit in nos abundè.* De confirmatione dicitur Actorum 8. & 19. quod per impositionem manuum Apostolorũ accipiebãt, qui tantum baptizati erãt, Spiritum Sanctum, cap. 8. sic dicitur. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebãt Spiritum Sanctũ*, & 19. sic: *Et cũ imposuisset illis manus Paulus venit Spiritus Sanctus super eos*, quæ loca vniuersaliter sancta Ecclesia intelligit de sacramento Confirmationis, & de gratia particulari, quæ per ipsum causatur ad fidem protestandã & confitendam, vt in propria materia dicetur, & hoc denotatur per illam particulam *per*, quæ modum aliquem efficientiæ denotat. Nec potest ab hęreticis sufficienter dici, quod per illã manuum impositionem excitabatur fides: Hæc enim solutio friuola est, & contra contextũ: quia omnes illi quibus manus Apostolorũ imponebãtur antea crediderant, & baptizati erant in nomine Domini Iesu, vt ex litera constat. Vndè per tale sacramentum accipiebant Spiritum Sanctum, id est gratiam Spiritus Sancti, quam ait Clemens Romanus Epist. 4. *Esse septiformam Spiritus Sancti gratiam*, quod etiam docet Vrbanus Papa in sua Epistola decretali. De pœnitentia dicitur Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, & Matthei 18. & 16. dicitur. *Quodcunque solueritis super terram erit solutum, & in cœlis*, quibus verbis significatur, quod istud Sacramentum habet vim remissiuam peccatorum, sed peccata non remittuntur, nisi per gratiam, ergo ex illis

Eph. 5. *Titum.* *Act. 8. & 19.* *Rom. 4.* *Ioan. 20. Matth. 18. & 16.*

illis verbis colligitur, quod Sacramentum pœnitentiæ habet virtutẽ ad gratiam causandã. De Eucharistia habetur, Ioan. 6. quod confert ad vitã æternam *qui manducat meã carnẽ, & bibit meum sanguinẽ* (ait Dominus) *habet vitam æternã, & qui manducat hunc panẽ viuet in æternũ*, quæ verba nõ de manducatione spirituali per fidẽ, sed de manducatione reali ipsius Sacramẽti docent Patres esse intelligenda secundũ cõmunem, & vnanimẽ cõsensum totius Ecclesiæ, quod latius in propria materia demõstratur: vocatur ergo Eucharistia panis viuus, quia nobis præstat vitã gratiæ, & mediãte illa vitã æternã. De extrema vnctione habetur idẽ, etenim Iacobi 5. dicitur. *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eũ vngẽtes eum oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmũ, & alebiabit eũ Dominus, & si in peccatis fuerit remittẽtur ei*, in quibus verbis per orationẽ fidei, forma illius Sacramẽti significatur, nõ solũ quia cõmuniter forma Sacramẽti solet dici deprecatio, vt supra, sed quia specialiter in illo Sacramẽto forma fit per modũ deprecationis. De ordine dicitur 1. ad Thim. 4. *Noli negligere gratiã, quæ data est tibi per impositionẽ manuũ Presbiteri*, & 2. ad Thimot. 1. *Admoneo te* (ait Paulus) *vt resuscites gratiã, quæ est in te per impositionẽ manuũ mearũ*, in quibus verbis illa particula *per*, aliquẽ modũ efficientiæ significat respectu gratiæ, quæ collata erat Thimotheo per Sacramentum ordinis ipsi collatum a Paulo, vt exponunt Sancti, de quo legendus est præcipuè Aug. in lib. quæstionum veteris, & noui Testamẽti, q. 3. & lib. contra Parmenian. c. 13. Denique de matrimonio licet nõ sit ita expressus locus in sacra Scriptura, tamẽ ad Ephes. 5. insinuatur idẽ in illis verbis. *Sacramentũ hoc magnũ est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, ex quibus secundum perpetuã, & constãtem traditionẽ Ecclesiæ colligitur Sacramentum matrimonij esse Sacramẽtum simpliciter eiusdẽ rationis, & virtutis cum alijs Sacramentis nouæ legis, vt constat ex sacris Concilijs Florentino in decreto fidei super vnionẽ Græcorum, & Armeniorum, Trid. Sess. 7. Can. 1. & Sess. 24. c. vnico, & Can. 1.

Secundo probatur conclusio ex sacris Concilijs: nam in primis in Concilio Floren. in decreto citato, dũ agitur de Sacramentis dicitur: *Quod Sacramenta nouæ legis continent gratiã, & illã indigne suscipientibus causant.* *Concilio Florent.* Similiter in Concilio Triden. Sess. 7. Can. 6. sic diffinitur. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis gratiam, non conferre, non opponentibus obicem anathema sit*, & Sess. 5. agendo de peccato originali dicitur: *Quod in paruulis per Baptismum remittitur peccatum originale*, sed nullum peccatum remittitur, sine gratia, ergo sentit Concilium illud Sacramentum causare gratiam remissiuã illius peccati. Idem diffinitur multis alijs Sessionibus, & Canonibus, ergo nostra conclusio est veritas fidei. Deinde Canon. 8. sic dicitur. *Si quis dixerit per ipsa nouæ legis Sacramenta ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidẽ diuinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere anathema sit*, est ergo nostra cõclusio veritas fidei constans, & aperta. *Concilio Trid. Sess. 7. Can. 6.* *Can. 8.*

Secundo probatur conclusio authoritatibus Sanctorum Patrum: primo ex Aug. super Ioann. loco citato à D. Thom. in argumento sed contra, vbi loquens de Baptismo, ait corpus tangere, & cor abluere, & lib. 19. contra Faust. vbi etiam citatur à D. Th. in fine corporis, ait omnia Sacramẽta esse instrumenta per quæ diuina virtus operatur. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia, cap. 2. & lib. 1. de Sacramentis cap. 5. ait: *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat, quæ habet gratiam Christi.* *Ambr.* Idem docent Gregorius Nyssenus lib. de Baptismo docens: *Quod Baptismus est peccatorum expiatio, & remissio, delictorum renouationis, & regenera-* *Gregor. Nyssen.*

Gregor. Nacian. *nis causa*, Greg. Nazian. orat. 3. in Sãctum labracũ ait: *Quod Baptismũ est omnes sordes abscindens, atque ad vitã supernam perducens.* Idẽ docet Chrysost. homil. 39. in Genesim. Idem docent multi alij Sãcti, quos operosum & molestum esset in particulari recensere. Videantur in præsenti Mag. Nuñ. Cabr. & Suar. Videatur sapiẽtissimus Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. & Mag. Cano relect. de Sacramentis: Nobis autem sufficiunt citati, ex quorũ doctrina clare infertur Baptismum, & alia Sacramenta nouæ legis habere virtutem causatiuam gratiæ.

Tertio probatur conclusio rationibus. Prima sit contra præcipuum fundamenti Lutheri. Paruuli ante vsum rationis non habent, nec possunt habere pro illo tempore actum fidei, per quem iustificentur, sed fides est, quod Baptizantur, vt acquirant iustiam, & spiritualiter renascantur, ergo talis iustitia est effectus Sacramenti, & nõ fidei, nec adhoc potest dici, quod paruuli habent actum fidei, vt ait Lutherus quoniam præferet talis solutio falsitatem, & impossibilitatem cũ puer ante vsum rationis præcipuè recenter natus non possit per proprium actum disponi ad Baptismum.

Secunda ratio, illaque efficacissima etiam respectu Hæreticorum admittentium aliquod Sacramentum ex tribus prioribus: nã forma in Baptismo, & in pœnitentia, imo etiã in confirmatione, non potest habere veritatẽ, nisi verba habeant significationẽ practicam perfectã, & rigurosam, sed cum illa verba habeant, quod sint forma in Sacramentis ex Christi institutione (vt admittunt ipsi hæretici) non possunt falsificari, sed omnimodã veritatem debent habere, ergo Sacramẽta illa ratione suæ formæ habent ex Christi institutione, quod sint signa practica efficientia, quod significant. Maior patet ex ipsis formis: nã forma in Baptismo sunt illa verba. *Ego te abluo*, siuè *Baptizo*, *&c.* in pœnitentia *Ego te absoluo*, in Confirmatione. *Ego te consigno signo Crucis, & confirmote chrismate salutis*, quibus verbis significatur gratia istorũ Sacramentorũ data de præsenti, sed si non datur ex virtute Sacramenti illa verba, nõ habẽt veritatẽ omnimodã, quam ex modo significandi petunt: nam significant, quod minister conferendo Sacramentũ sub illis formis, quantũ est ex parte Sacramentorũ, quæ cõferũt, tribuunt gratiã propriã illorũ, ergo dicẽdũ est necessario, quod Sacramẽta nouæ legis causant gratiã per se: nã hæc ratio, quæ ita clare probat veritatẽ nostram de istis Sacramẽtis facile potest adaptari pro alijs, si bene perpendatur ea, quæ ad formam, & materiam aliorum Sacramentorum pertinent.

Ex hac conclusione sequuntur duo. Primũ est, quod cũ Sacramẽtũ habeat causare gratiã ex opere operato, idest ex virtute, & merito nõ suscipientis, aut ministrãtis, sed ipsius Sacramẽti si accedat quis ad Sacramentũ mortuorũ, vt adultus ad pœnitentiã, seu etiã ad Baptismũ accedat vere contritus præter gradũ gratiæ, qui sibi iure cõnaturalis dispositionis, scilicet contritionis est debitus virtute Sacramẽti peculiaris gradus gratiæ datur ei perque augetur magis gratia præexistẽs, quã augeretur per gradũ gratiæ correspõdẽtẽ cõnaturali dispositioni. Et eodẽ modo seruata proportione, debet dici de gratia, quæ datur in alijs Sacramẽtis viuorũ accedẽtibus cũ maiori dispositione, quã sit illa, quã petit Sacramentũ ex propria eius natura. Ex quo sequitur secundum, videlicet quod si duo homines accedant cum æquali deuotione, & dispositione ad Sacramentum Eucharistiæ, & vni daretur hostia vere consecrata, alteri vero non, vterque quidẽ reciperet æqualem gratiam correspondentẽ propriæ dispositioni, at ille qui reciperet hostiam vere consecratam reciperet vltrius aliquem gradũ gratiæ correspondentẽ Sacramento ex opere operato,

& ex meritis Christi ratione virtutis Sacramentalis.

Si autem inquirat quis. Vtrùm sit de fide, quod Sacramenta causent virtutes morales infussas. Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quoniam tales virtutes sunt propriæ passiones gratiæ habentes connexionem necessariam cum illa: Vndè principium, quod per se primo causat gratiam, per se secundo causare debet tales virtutes, sicut cõtingit in naturalibus, quod illa causa, quæ producit formam aliquam substantialem per se primo, per se secundo causat eius omnes proprias passiones propter connexionem, quam habet cum illa. Ex qua ratione sequitur, quod si ista propositio: Sacramẽta causant gratiã in anima est per se primo diffinita in Cõcilijs, atq; ita per se primo de fide, ista: Sacramẽta causãt virtutes morales infussas est per se secũdo de fide: quia in illa prima, virtualiter, & implicite cõtinetur, & est diffinita.

Ad argumenta ad primum. Resp. primo, quod Abacuch, & Apostolus non dicunt in illis verbis iustũ viuere ex sola fide, sed tantũ ex fide, qui modus loquendi non excludit alias causas nostræ iustificationis, quales sunt Sacramenta, sicut nõ excludit ipsum meritũ Christi, quod ipsi hæretici fatentur: tenentur ergo fateri illa verba nõ excludere Sacramẽta, quæ per meritũ Christi operatur. Vnde admisso antecedẽti, negatur consequentia propter põderationem factam.

Secundo. Resp. consequentiã non valere, quia illud est argumentũ negatiuũ desumptum negatiue ex illis locis peculiaribus in quibus quãuis vnũ affirmatur aliud nõ negatur: vnde male, & peruersè inferũt Hæretici ex hoc antecedẽti iust⁹ ex fide viuit, ergo nõ ex Sacramẽtis. Et si dicas. Si fides iustificat ad quid Sacramenta recipiuntur? Videtur enim actio nõ necessaria, sed superflua. Resp. quod Sacramenta sunt necessariò recipienda, quia sunt causæ instrumẽtariæ immediatè iustificãtes: fides verò tantũ in adultis iustificat in suo ordine, videlicet dispositiue, & radicaliter, & per hanc doctrinã explicatur locus Pauli, & locus Prophetæ, intelligitur enim, quod iustus viuit ex fide, nõ tanquã ex causa formali, aut efficiẽte iustificãte, sed tantũ ex fundamento, & radice iustificationis, vnde incipit iustificatio in adultis, de quorũ iustificatione loquuntur Sancti Scriptores citati, vt docet expressè Sanctũ Concil. Trid. Sess. de iustificat. c. 8. vbi modo exposito glossat locũ Pauli, neque enim in illis locis est necessariũ, quod attribuatur iustificatio Sacramentis, quia ibi non agitur de illis, nec de causa propria, & efficaci gratiæ, sed tantũ de dispositione remota, & radicali, quando autem agitur de causa proxima, & efficaci, iã in multis alijs locis à nobis adductis ponũtur Sacramẽta propria principia gratiæ, & iustificatio tantum tribuitur Sacramentis, tanquã causis efficacib⁹ efficientibus, actibus verò recipientiũ Sacramenta dispositiuè iuxta naturã cuiuscũq; actus, & per hoc patet ad omnes propositiones positas argumẽto.

Ad locũ Marci. Resp. quod in illo tribuitur salus vtrique, scilicet fidei, & Baptismo, fidei tanquã dispositioni in adultis, Sacramẽto tanquã causæ ipsi⁹ iustitiæ. Vndè vtrunque est necessariũ atquè sic si vnũ deficiat alterum solũ, nõ sufficit, & hoc est, quod ex illis verbis est inferendũ: nõ verò Baptismum, non esse necessariũ, est exẽplum contra hæreticos apostsimũ, etenim fides sine charitate nihil prodest ad salutẽ, teste Apost. 1. ad Corint. c. 13. tamen ex hoc, nõ licet inferre fidẽ inutilẽ esse, sed solum quod sine charitate, non sufficit ad salutem vt patet, quia est fides mortua. Ad locum Pauli ad Rom, Respondetur eodem modo, atquè ad primum locum, & sensus est, quod *corde creditur ad iustitiam*, non quia sufficiat credere, sed quia necessariũ est ex parte primi fundamenti ad iustificationẽ necessarij. Ex quo nullo mo-

do licet inferre, non esse necessaria Sacramenta, tanquam causa immediata gratiæ, & iustitiæ, vt dictum est.

Ad locum Petri. Resp. potius esse pro nobis, quam pro hæreticis: negamus enim sensum illorum verborũ esse assignatũ à Luthero, sed sensus est, quod ibi loquitur Apostolus de testimonio conscientiæ nostræ orto ex ablutione interiori, & iustificatione facta per Baptismum. Vnde potius cõfirmat veritatem Catholicam, quã labefactat. Secundo. Respõd. quod in illis verbis tantum significari intendit Apostolus, quod ablutio aquæ pro qua supponit Baptismus, nõ habet iustificare, vt est ablutio sordiũ corporis absolutè, quo pacto extra Sacramentum potest fieri similis ablutio, sed vt est ablutio sub certa verborum forma subqua eleuatur à Deo ad causandam gratiam regenerantem, & quia ibi loquebatur Apostolus cum adultis ait: *Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio*, ad insinuandum, quod in adultis requiritur ad Baptisma dispositio per actum fidei, & per actum pœnitentiæ saltim imperfectè. Ita colligitur ex Mag. Nuño hic in solutione ad quartum argumentum dub. 1.

Ad secundum argumẽtum. Respondetur ad primum locum Aug. duplici ter primo iuxta expositionem, quam adhibet D. Th. sup. q. 61. art. 7. ad primum, & dico, quod sensus illorum verborum, *non quia dicitur, sed quia creditur*, est quod verbum Sacramentale, non habet iustificare secundum exteriorem sonum vocis, sed secundũ sensum verborum, qui fide tenetur eo modo, quo dixi supra ex mente ipsius D. Th. quod verba non sunt forma in Sacramentis secundũ sonum exteriorẽ, sed secundum significationẽ, fide creditam, secundo dico, quod sensus est, verbũ quod dicitur in Sacramẽtis nõ habere vim ad sanctificandum ex natura sua, quia dicitur secundũ suã propriam, & naturalem significationem, sed quia creditur, ideſt quia eleuatur à Deo per significationem, & virtutẽ occultam ratione cuius fit obiectum credibile.

Ad secundum locum Aug. (præter quam quod ille liber nõ est D. Aug. vt docent, & aduertũt Doctores Scholastici.) Resp. sensum illorum verborũ esse, quod aqua Baptismi, non habet cõmutare cor per virtutẽ propriam aquæ, quæ cernitur in ipsa, sed per virtutem spiritualẽ, per quam eleuatur, quę nõ videtur, sed tantum fide creditur. Vnde nomine fidei, nõ intelligit habitũ, nec actum fidei, sed virtutẽ spiritualẽ Sacramenti, quam vocat fidẽ, quia tantum fide creditur. Colligitur expositio ex ipso contextu: quia proximè post verba citata subdit; *Aqua enim cernitur, sed quod non videtur spiritus operatur*, ac si dicat virtutem abluendi animã non esse illam, quæ in aqua videtur, quæ est propria, & natiua virtus eius, sed esse virtutẽ occultam, quã nõ videmus, sed fide credimus cõuenire aquæ ex diuina institutione. Ad alia authoritate Aug. resp. quod in illis verbis Aug. & Hieron. solum volunt docere, quod principalis causa gratię Sacramentorũ est Deus, nõ autem vo lunt excludere causam instrumentalẽ & ministerialẽ, quales sunt Sacramentũ, & ministrãs Sacramẽtũ, & peristas expositiones possũt explicari alia multa loca, quæ adduci solẽt ab hæreticis.

Ad confirmationem argumenti negatur antecedens, ad cuius probationẽ, negatur antecedens, licet enim in illo loco expresse non dicatur Baptismũ causare gratiã, tamen secundũ intelligentiã cõmunem Sanctorũ Patrũ, & aliorũ Doctorum Catholicorum colligitur ibi poni Baptismũ necessariũ ad salutẽ, tanquam causã gratiæ, & fidẽ tanquam dispositionẽ remotã, & nos adduximus in probatione conclusionis multa loca, quæ non aliter possunt intelligi propter excellentiã Sacramentorum nouæ legis respectu antiquorum veteris legis, quæ consistit in hoc, quod Sacramenta nouæ legis

gis causant gratiã, quam significant: Sacramenta verò antiquæ legis tantũ dandam à Deo significabãt, vt docet expresse Concilium Florentinũ decreto fidei super vnionem Græcorũ, & Armentorũ, dum agit de septẽ Ecclesiæ Sacramẽtis, quam excellentiã, etiam commendat Triden. vbi supra.

Ad tertiũ negatur sequela, ad cuius probationẽ distinguo antecedens in subiecto approximato tantũ secundũ locum, nego antecedens, per debitã, & sufficientem dispositionem concedo antecedens, & eodẽ modo distinguendũ est consequens, etenim cum forma in naturalibus vt introducatur in subiecto aliquo petat aliquã dispositionẽ sui ordinis, vt patet in forma ignis, nunquam introducitur ab agẽte naturali, nisi prius disponatur subiectũ per calorẽ, & ita videmus quod lignum nimis viride, aut humidũ non potest igniri, nisi maxima cum difficultate postquã paulatim vincitur sua resistentia a calore ignis agẽtis in illud. Ita Sacramentũ quãtum est de se per sẽ habet causare gratiã, tamen si subiectũ resistat resistentia super excedẽte, vt si nolit recipere Sacramẽtũ, vel nolit se disponere dispositione illa, quam exposcit Sacramentalis gratia de facto, non causat gratiam ex indispositione subiecti.

Ad quartum concedo maiorem, & distinguo minorẽ, si consideretur Sacramentũ secundũm se, concedo minorẽ, si consideretur vt eleuatum diuina virtute, nego minorẽ: nã illa virtus supernaturalis est, & ordinis diuini, procedẽs à Deo, vt authore gratiæ. Secũdo resp. admissa minori, negando cõsequentiã, quia cum hoc quod est aliquid creatũ causare gratiam, non conueniat alicui rei ex propria natura, & naturali similitudine cũ gratia, sed ex mera Christi voluntate, ideò ex hac colligimus nos de facto Sacramenta causare gratiã, quia illa sunt instituta cum eleuatione ad illã causandã, non vero actus fidei, nec alius actus supernaturalis, licet si velit Deus possit quẽcunque actũ eleuare ad istũ effectum causandum. Et si dicas pro Luthero, quod multi adulti saluãtur, sine Sacramento suscepto, sed nõ possunt saluari sint fide, ergo signum est, quod fides sufficiens causa salutis est. Ad hoc respondetur distinguendo maiorẽ: saluãtur, sine Sacramento suscepto in re, quando illud nõ potest aliqua de causa suscepi, concedo maiorẽ, sine sacramẽto suscepto saltẽ in voto, & desiderio, nego maiorẽ, & nego cõsequẽtiã: nã etiã tũc fides sola nõ iustificat, sed fides, & propositũ suscipiẽdi sacramẽtũ necessariũ ad salutẽ includum, non in fide præcisse, sed in fide talis sacramẽti, & eius virtutis causatiuę gratię, & in contritione, & dilectione Dei supernaturali per quã quis tunc iustificatur cum ordine ad sacramentum, tanquam per aliquid, quod vicem sacramenti gerit vt eius vicarium, quod in singulis sacramẽtis diffuse explicatur.

Ad quintum resp. quod de Verbo Dei, aut Euangelio Christi possumus loqui dupliciter primo modo de ipso, vt tantũ continet doctrinã fidei, quæ per Magistros, & Prædicatores Ecclesiæ docetur, & prędicatur. Secũdo modo vt etiam continet sacramẽta à Christo Domino instituta, si priori modo cõsideretur tantũ est causæ nostræ salutis excitãdo nos ex parte obiecti sicut excitat prædicator, dũ exponit verbũ Dei: si autẽ secundo modo cõsideretur est causa salutis, non tantum excitãdo ex parte obiecti, sed causando gratiã ex opere operato, quia sacramẽta sub hac ratione cõsiderãtur, vt inclusa in eodem Euangelio, quoniam in illo cõtinetur eorũ institutio, & eorum virtus explicatur: Hæc autẽ duplex consideratio Euangelij propria est, & genuina legis gratiæ per correspõdẽtiã ad legẽ veterem, quæ sua etiam sacramenta continebat, & prętera doctrinã fidei scriptã: vndè etiam considerari poterat sub duplici ratione explicata. Videatur alia solũ

huius argumenti in Magistro Nuño hic difficult. 1. solut. ad 9. qui ait, quod de verbo Dei tantum dicitur, quod est in salutem, ideſt ordinatur ad salutem, non autem, quod causat salutem. Vndè negat consequentiã, hæc autem solutio intelligitur explicãdo verba Pauli de doctrina Euangelij tãtum, tamen si benè perpendantur antecedentia, & subsequentia verba, genuina expositio est a nobis assignata in nostra solutione: qui autem voluerit elegãtem explicationem huius loci videre, legat D. Thom. super Paulum, cap. 1. lect. 6.

Ad sextum argumentum respondetur, quod Sacramenta nouæ legis habent causare gratiam formaliter, id est tãquam à principio formali, à virtute supernaturali instrumentali per quam eleuantur: Ratione autem suæ formæ essentialis, scilicet ratione significationis, habent causare gratiam, tanquam ratione conditionis necessariò prærequisitæ vt sit totum Sacramentum res apta ad recipiendum diuinam virtutem, materiale autem nõ est ratio agendi, sed est illud quod simul cum forma causat gratiam mediante diuina virtute per quam eleuantur. Ex quo patet ad locum Augustini, sensus enim eius est, quod aqua non habet, quod sit proximè eleuabilis per virtutem regeneratiuam, nisi vt sub est significationi verborum tanquam conditioni, & hæc de hoc dubio. De quo videantur Magistri citati, nam aliqua minus difficilia, & alia proprius ad alias materias pertinẽtia consulto omitto.

SECVNDVM DVBIVM EST.

Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis habeant virtutem causatiuam primæ gratiæ, atque adeò faciendi ex attrito contritum.

IN hoc dubio relicto errore aliquorum asserentium, quod Sacramenta omnia causant gratiam primam in quocunque recipiente illa, etiãsi accedat cum affectu peccati. Relicto ergo isto errore, quia non vacat modo contra illum disputare, & modo forte nullus ex hæreticis huius temporis hac via incedit propter communẽ doctrinam Sanctorum receptam a Conciljs, & diffinitam docentium in adultis requiri propriam dispositionem ad accipiendum quodcunque Sacramẽtum inter Catholicos est multiplex sententia.

Prima est Gabrielis in 4. distin. 4. quæst. 2. & dist. 14. quæst. 2. & dist. 18. quæst. 1. asserentis, quod nullũ Sacramentum habet per sè, nec per accidens causare primam gratiã, & consequenter, nec facere ex attrito contritũ, sed omne Sacramentũ ait, quod in suscipiente prærequirit gratiã præexistẽtẽ. Hũc Doctorẽ sequti sunt aliqui nominales, alij verò falso citãtur pro illa.

Fundamentum huius sententiæ tãtum est vnicum. Adulti (de quibus est sermo) non sunt capaces recipiẽdi primam gratiam, nisi sint contriti, sed si habeant huiusmodi dispositionẽ per illã iustificantur, ergo nõ recipiũt primã gratiã iustificantẽ per Sacramẽtũ.

Secunda sentẽtia asserit, quod duo Sacramenta, quæ dicuntur mortuorũ, vt sunt Baptismus, & Pœnitentia, per se habent causare primam gratiam, reliqua verò Sacramenta, qui dicuntur viuorum, nec per sè, nec per accidens habent causare primam gratiam. Ita tenet Scot. in 4. dist. 9. quæst. 1. sequitur eum Alexander 4. part. quæst. 10. membr. 8. art. 1. Vazquez tom. 3. 3. p. disput. 205. agens de Eucharistia tenet eandem sententiam. Hæc sententia pro prima parte est certissima. Vnde non est cur fundamentum eius pro tali parte referamus.

Fundamentum ergo secundæ partis est, quia Sacramenta viuorum non sunt instituta per se ad primam gratiã conferendam, sed tantum ad illam augendam, & propterea vocantur Sacramenta viuorum, sed Sacramenta non habent causare gratiam, nisi ex vi

vi suæ institutionis, ergo cum non sint instituta, nisi ad augmentum gratiæ dandum, nunquam poterunt dare primam gratiam.

Tertia sententia asserit, quod duo Sacramenta mortuorum baptisma scilicet, & pœnitentia per sè conferunt primam gratiam, reliqua vero Sacramenta viuorum per sè non habent causare primam gratiã, sed potius per sè petunt, quod accedens ad illa iam sit in gratia. Nihilominus aliquando per accidens possunt primam gratiã causare, vtpotè quando is qui ad Sacramentum accedit existimat bona fide post sufficientem adhibitam diligentiam se accedere in gratia. Ita tenent iam communiter Thomistæ, & fere omnes alij Doctores.

Quarta sententia, & vltima asserit, quod duo Sacramenta mortuorũ habent causare primam gratiam per sè, non solum secundum rationem cõmunem Sacramenti nouæ legis, sed etiã secundum suam vltimam differentiã, qua ratione sunt talia. Reliqua verò Sacramenta viuorum per sè etiam habent causare primam gratiam ratione sui proximi generis, scilicet in quãtum sunt Sacramenta nouæ legis: ratione vero suæ vltimæ differentiæ tantum habent causare augmentum gratiæ. Ita tenet sapientissimus Nuño hic disputat. secunda. Eandem sententiã tenuerunt alij viri docti. Probatur primo hæc sententia à sapientissimo Magistro Nuño sic. In sacris literis, & in Conciljs, & in cõmuni modo loquendi Theologorũ ista propositio est doctrinalis, & per se: Sacramenta nouæ legis causant gratiam, sed omne agẽs cui per sè conuenit aliquis effectus potest semper à principio illum producere, ergo Sacramenta nouæ legis possunt semper à principio causare gratiam, atque adeò per sè possunt producere primam gratiam.

Confirmatur, nã simpliciter loquẽdo dicimus, quod opera nostra meritoria non sunt meritoria gratiæ, quia tantum sunt meritoria augmenti gratiæ, & non primæ gratiæ, ergo si sacra Concilia absolutè dicũt, quod Sacramenta nouæ legis causant gratiam, ideò est, quia causant primam gratiã. Hæc consequentia non probatur ab isto Magistro, potest tamen ex antecedenti facile probari: nam si tantum causant Sacramenta viuorum augmẽtum gratiæ, sicut nostra opera non dicuntur absolutè causa gratiæ: ita nec Sacramenta debent dici absolutè, & simpliciter causa gratiæ. Secundo omnia Sacramenta nouæ legis suscipiũt actu diuinam motionem, sed ista diuina motio ordinatur per sè ad primam gratiam, tanquam sufficiens causa eius, ergo etiam omnia Sacramenta nouæ legis per sè ordinantur eodem modo ad primam gratiam. Consequentia ex eo probatur, quia per illam motionem constituuntur in ratione Sacramenti.

Tertio arguitur à nobis in confirmationem huius sententiæ ex D. Th. infra quæst. 79. art. 3. in principio corporis vbi ait, quod Eucharistia si secũdum se consideretur habet virtutẽ ex passione Christi ad remittẽda omnia peccata, ergo ex mente D. Thom. dicendum est, quod Sacramentum Eucharistiæ habet secundum se, & per se virtutem causatiuã primæ gratiæ. Patet consequentia, quia solum prima est forma, per quam remittuntur peccata.

Quarto, & est confirmatio præcedentis argumenti. Omnia Sacramenta viuorum habent virtutem causatiuam gratiæ ex meritis Christi, & eius passione, vt concedit D. Thom. loco citato de Eucharistia, sed passio Christi est fons, & causa remissionis omnium peccatorum, atque adeò est causa primæ gratiæ, ergo omnia Sacramenta etiam viuorum habent per se causare primam gratiam.

Quinto, nã aliàs sequeretur, quod gratia collata in actuali susceptione Sacramentorum viuorum correspon-

deret propriæ dispositioni: consequens est falsum, ergo illud ex quo sequitur. Sequela probatur ex eo, quod in tali sententia talia Sacramenta exposcunt contritionem in suscipiente, sed contritio est sufficiens, & connaturalis dispositio gratiæ, ergo, &c.

Sexto, omnia Sacramenta viuorũ de facto aliquando conferunt primã gratiam, vt quando recipiuntur a putantibus bona fide accedere contriti & in gratia, & tamen sunt in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habent, vt fatetur D. Tho. loco citato in fine corporis, ergo per sè conferunt primam gratiam. Probatur consequentia, quia conferunt illã ex Christi institutione, & eius virtute in se susceptã, sed quidquid operãtur Sacramenta isto modo efficiunt per sè, & non per accidens, ergo.

Confirmatur, quando de facto Eucharistia confert primam gratiam in casu posito, illa gratia non correspondet dispositioni suscipientis, alias esset data ex opere operantis, præterquam quod talis dispositio, cum sit tãtum attritio non est sufficiens vt virtute illius gratiæ conferatur, ergo prouenit ex virtute Sacramenti, sed quidquid aliqua causa causat per propriã virtutem causat per sè, ergo illa gratia prima per se est effectus Eucharistiæ, & cum eodem modo procedat argumentum de alijs Sacramentis viuorũ idem dicendum erit de illis.

Confirmatur secundo, fides Christi venturi per se causabat gratiam in Patribus antiquæ legis, ergo à fortiori Sacramenta nouæ legis id efficiẽt. Probatur consequentia, quia in illis protestatur fides Christi, iam nati, & passi, qui iam operatus est salutẽ omnium, ergo maiorem efficaciam debent suscipere à Christo iam nato Sacramenta noua, quàm recepit fides Christi venturi, sed hæc habuit efficaciam respectu primæ gratiæ per sè, ergo eandem eodem modo, imò super excellenti modo habent omnia Sacramenta nouæ legis.

Pro huius dubij resolutione notandũ est primo, quod apud omnes Theologos est certum ex Sacramentis nouæ legis aliqua esse instituta a Christo Domino secundum suas rationes particulares differentiales ad causandã primam gratiam vt sunt Baptismus, & pœnitentia. Ratio huius est, quia sunt instituta, vnum ad remittendum peccatum originale, & aliud ad remittẽda peccata mortalia actualia, cum autem nullius peccati mortalis, tam originalis, quam actualis fiat remissio, nisi per gratiam vt per formam iustificãtem primo, de primo ad vltimum sequitur, quod talia Sacramenta secundum suas rationes differentiales habeant causare primam gratiam: alia verò Sacramenta sunt per sè instituta secundum suas rationes differentiales ad augmentum gratiæ conferendum, qualia sunt omnia Sacramenta, quæ ex proprijs differentijs appellãtur Sacramenta viuorum, vt sunt confirmatio, & Eucharistia, & alia, de quibus constat ex sacris Concilij, quod non sunt instituta ad remittendum peccatum originale, nec actuale. Vnde cum sint Sacramenta simpliciter, tantum possunt esse instituta ad augendũ gratiam præexistentem in subiecto, vt copiosè docetur, dum de singulis Sacramentis in particulari agitur, & nos in conclusionibus aliqua dicemus.

Secundo notandum est etiam esse certissimum apud omnes, quod omnia Sacramenta nouæ legis conferũt gratiam habitualem omnibus, non ponentibus obicem abstractè loquendo de gratia prout abstrahit à prima, vel secunda, & in hoc sensu intelligi debent Concilia Florent. & Tridentin. quando definiunt, quod Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam, quam continent.

Tertiò est notandum, quod etiam est certum omnia ista Sacramẽta posse causare augmentum gratiæ in subiecto, si inueniant in illo primam gratiã

produ-

ductam. Hoc colligitur per bonam illationem ex Concilio Trident. Sess. 7. de Sacramentis in genere. Canon 7. vbi sic dicitur. *Si quis dixerit, non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiam si rite ea suscipiant, sed aliquando, & aliquibus anathema sit.* Tunc sic, sed quando adultus accedit ad Sacramentum Baptismi contritus, & similiter quando eodem modo accedit quis ad pœnitentiam rite, & digne ea suscipit, imò magis digne, quam petant ipsa Sacramẽta ex propria institutione, vt patet ex primo notabili, ergo dicendum est conformiter ad doctrinam Concilij, quod tunc conferunt gratiam: non primam, quia inueniunt productam, ergo secũdam, hoc est gradum gratiæ augentem, & perficientem præexistentem habitum.

Quarto, & vltimo est notandum, quod gratia prima, & gratia secunda, non differunt essentialiter, tanquam duæ species diuidentes gratiam secundum suam substantiam, per rationem primæ, & secundæ, tanquam per duas differentias essentiales trahentes habitũ gratiæ abstractè sumptæ ad duos habitus gratię distinctos inter se essentialiter, tantum ergo differunt, sicut forma, & modus perfectiuus ipsius per intrinsecam perfectionem, & vnionẽ, sicut calor primo productus, & aduenies modus, dum intenditur in subiecto. Itaque augmentum gratiæ habet rationem gratiæ secundæ, quatenus gratiæ iam productæ secundum suam rationem substantialẽ superaddit aliquem gradum gratiæ perficientẽ gratiam præexistentem, illamque ad nouos effectus ordinantem, vt postea dicemus.

Prima conclusio contra primam opinionem. Duo Sacramenta mortuorum scilicet Baptismus, & pœnitentia per sè primo habent causare in nõ ponentibus obicem primam gratiam primo iustificantem peccatorem. Ratio huius conclusionis est illa, qua probauimus primam partẽ nostri primi suppositi desumpta ex propria institutione istorum Sacramentorum ad peccata remittenda.

Confirmatur illa ratio, & probatur etiam cõclusio: nam de fide est, quod ista duo Sacramenta sunt ex proprijs rationibus instituta ad peccatum originale delendum, & aliud ad omnia mortalia actualia delenda, ergo cum hæc institutio per se primo conueniat eis necessario dicendum est a viro Catholico, quod talia Sacramenta habẽt per sè primo causare primam gratiã, & consequenter quod aliquando causant illam in non ponentibus obicem: alias ad quid instituta essent ad illum effectum tribuendum. Antecedens patet ex Concilio Tridentino: nam Sess. 5. in decreto de peccato originali, §. 4. seu Can. 4. anathematis nota in vrit dicentem, quod Baptismus non confertur in remissionem peccati originalis generatione contracti, & similiter eadem nota in vrit dicẽtẽ, quod forma Baptismi in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligitur, sed si Baptismus non confert, nec potest conferre gratiam remittẽtem in paruulis originale, & in adultis illud, & actualia peccata falsificatur forma eius, ergo qui hoc dicit condemnatus manet in illo decreto. Præterea Can. 5. expressè diffinitur, quod Baptismus tollit ab anima, id quod veram rationem peccati habet, sed id quod veram rationem peccati habet, non tolliter, nisi per primam gratiam, ergo nõ est tutum in fide asserere, quod tale Sacramentum non habet causare primam gratiam, nec per sè, nec per accidens, imò de fide videtur necessariò tenendum, quod asserit nostra cõclusio. De Sacramento pœnitentiæ idem probatur: nam Sess. 14. cap. 1. docet S. Concilium illud Sacramentum fuisse institutum in remissionem peccatorum post Baptismum commissorum. Habetur hoc clare in illa clausula, quæ incipit: *Quoniam autem Deus*

diues

dines in misericordia, &c. & postea quando explicat tempus in quo Christus illud instituit, ait: *Quod illud fuit, quando dixit suis Discipulis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Quo tam insigni facto* (ait S. Concilium) *potestatem remittē di peccata, & retinendi ad reconciliandum fideles post Baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam*, & idem in c. sequenti docet, ergo necessariò est asserendum, quod tale Sacramentum confert primam gratiam reconciliantem cum Deo hominē lapsum in mortale peccatum post Baptismum, si ad ipsum accedat, sine obice cum vera supernaturali attritione. Vnde illa prima sententia non solum falsa, & temeraria contra communem consensum Patrum, & Theologorum mihi modo apparet, sed parum tuta in fide, ne dicam contra ipsam fidem in Concilijs nobis propositam esse.

Vndè statim ad eius fundamentum respondetur distinguendo maiorem, extra Sacramentum, concedo maiorem, per Sacramentum, nego maiorē, nam quilibet adultus si accedat attritus ad aliquod ex duobus Sacramentis mortuorum attritione supernaturali excludente affectum peccati, omnino accedit optimè dispositus, & cōsequenter est capax proximè, vt per virtutem Sacramenti recipiat gratiā primam facientem eum ex attrito cōtritum, sicquè debilissimum fundamentum nobis opponunt illi Authores.

Sed dicet quis pro illis authoribus saltim ad liberandum eos à nostra cēsura, quod sufficit ad saluandam institutionem illorum Sacramentorū esse respectu primæ gratiæ dicere, quod contritio confert gratiam adulto, nō præcisse ratione sui, sed vt continet Sacramentum, & vocatur Sacramentum in voto per ordinem ad illud: nā iam videtur ab ipso Sacramento, vt à proprio fine sumere rationem causati uæ gratiæ, ergo non est cur vt parum tuta reuciatur illa sententia.

Respondetur tamen, quod etsi per hanc viam aliquo modo apparenti vi deantur exponere Concilium, tamen in rei veritate est ex torta explicatio, & contra mentem, & verba Concilij, nam illud virtutem causandi primam gratiam non tribuit contritioni in ordine ad Sacramenta illa, sed ipsis Sacramentis; at si illa semper supponunt primam gratiam illo modo causatam ex vi cōtritionis, nunquam saluatur, quod ipsa Sacramenta quando recipiuntur causant per propriam virtutē primam gratiam reconciliantem homines cum Deo, sed ad multum augmentum gratiæ: Hoc autem est cōtra naturam institutionis horum Sacramentorum, vt patet: quia iam impropriè, & abusiue, sic nuncuparentur, & potiori iure deberent appellari Sacramenta viuorum, siquidem semper supponunt vitam animæ. Præterea: nam si contritio necessario supponēda est frustra contra peccatum mortale hæc duo Sacramenta instituta sunt. Præterea: nam vel illa contritiò accipit virtutem Sacramenti ad causandam primam gratiam Sacramentalem, ita vt illam causet ex opere operato, vel nō accipit talem virtutem, & ita solū causabit gratiam ex opere operantis. Si primum, ergo ipsum Sacramentum habet virtutem ad talem effectum causandum, & consequenter, si non contingat hominem accedere contritum de facto illum causabit, nam quidquid potest res, per virtutem communicatam alteri potest melius per ipsam virtutem formaliter existentem in se, siquidem est eiusdem actiuitatis, & cōuenit rei in ordine ad talem effectū, ergo necessario est concedendum, quod talia Sacramenta secundum se possunt causare primam gratiam. Si vero dicatur secundum non saluat talis solutio, quod Sacramenta ista causant gratiam ex opere operato, quod est contra Concilium expresse vbi supra,

pra, dum agit de Sacramentis ingenerere: ergo per illam rationem, & euasionem non effugiunt censuram a nobis constitutam Authores citati.

Secunda conclusio. Sacramenta viuorum habent virtutem ad causandã primam gratiam aliquando ex aliquo accidenti. Explicatur hæc conclusio iuxta modum expositum in tertia sententia, secundumquem non solum omnium probabilissima sententia, sed & vera est: illamque statuo contra secundam sententiam, & probatur in primis ex D. Thom. infr. q. 72. art. 7. ad 7. vbi loquens de effectu Sacramenti confirmationis expresse docet aliquãdo esse gratiam remissiuam peccati mortalis, dicit: namque expresse: *Quod si aliquis peccator adultus in peccato existẽs cuius conscientiam non habet, vel si etiã non perfecte contritus accedat dummodo non fictus accedat per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionẽ peccatorũ.* Idem docet q. 79. art. 3. sup. citato infine corporis, vbi docet: *Quod aliquando Sacramentum Eucharistiæ perceptum actu abexistentein peccato mortali operatur remissionẽ peccati, vtpotè quãdo talis homo accedit reuerenter, & debite non habens conscientiam peccati, nec affectum eius,* tunc enim si forte non accedit perfecte contritus docet Sanctus, quod per illud Sacramentum suscipit gratiã charitatis, quæ contritionẽ perficit, & remissionẽ peccati. Colligitur ergo ex istis duobus locis nostram conclusionẽ esse expressam D. Th. Vndè nullus Thomista potest illam negare.

Probatur tamen rationibus contra Scotum. Ille in casibus prædictis accedit attritus vera attritione supernaturali, sed attritio est sufficiens dispositio ad recipiendam primam gratiam in Sacramento, & per virtutem eius, ergo si iste talis sua culpa, non ponat impedimentum ad proprium, & specialem effectum Sacramenti recipit gratiam iustificantem.

Probatur consequentia, quia in Sacramento (verbi gratia) Eucharistiæ est virtus ad illam causandam in subiecto capaci, sed si accedat homo, sine affectu peccati vere attritus est capax gratiæ talis Sacramenti, ergo. Probatur minor, nam ille nullum obicẽ peccati ponit voluntarie, & quantum est ex parte sui, ergo est sufficienter dispositus ad recipiendam gratiam ex opere operato in illo casu per tale Sacramentum.

Sed dices illud Sacramentum tantum habet dare augmentum gratiæ, sed ad augmentum gratiæ ille homo, nõ est sufficiẽter dispositus etiã ex vi Sacramenti, ergo. Respondetur, quod per se loquendo maior est vera, & etiã minor cæterum per accidens falsa, itaque in illo casu accidentali ille homo est per accidens dispositus ad gratiam illius Sacramenti saltim secundũ substantiam, & essentiam gratiæ, & quia non potest recipere illam in rei veritate secundum modum peculiarem, secundumquam procedit per se à tali Sacramento recipit illam secundum rationem primæ gratiæ.

Secunda ratio, quæ ex ista doctrina infertur, omnia Sacramenta viuorum habent virtutem ad causandam gratiam secundum aliquem modum, seù gradum particularem gratiæ, ergo si subiectum non habet dispositionem repugnantem semper illum conferunt ei, vel per modum augmenti, si subiectum supponatur iam gratum, vel per modum primę gratiæ, si homo non erat antea iustificatus.

Probatur ista consequentia: nam quando homo accedit bona fide ad Sacramentum Eucharistiæ (verbi gratia) putans se esse iustificatum, non peccat in illo accessu, ergo si ex alia parte accedat attritus de peccato, quantum est ex parte sui, ita dispositus est, vt non repugnat peccatum expelli, & gratiam infundi.

Si dicas, quod repugnat ex parte Sacramenti. Contra, non est minoris virtutis augere gratiam efficiẽter, quam

quam illam producere, ergo Sacramẽtum habens virtutem augendi gratiã habet etiam virtutem illa primo producendi. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur: Quia gratia secundum rationem primæ gratiæ, non est excellentior se ipsa secundum rationem secundæ, cum sint eiusdem perfectionis essentialis in ratione gratiæ: ergo eadem virtus, quę requiritur ad gratiam producendam secundum rationem primæ sufficit ad illam producendam secundum rationem secundæ, & ècõuerso. Explicatur hoc, quia habitus primo acquisitus, & secundo acquisitus, ideſt intensus, sunt eiusdem rationis specificæ, sicut prima demonstratio producit primo habitum secũdum suam substantiam, ita secunda, quamuis vt secunda per sè supponat habitum, tamen in aliquo casu, si non inueniat habitum productum producit illum à principio, ergo eodem modo est dicendum in præsenti.

Confirmatur à similimã certè propter istam rationem, Sacramenta mortuorum, quæ per sè habent causare primam gratiam, si aliquando inueniunt eam productam à Deo causant augmentum gratiæ, ergo propter eãdem rationem licèt Sacramenta viuorum habeant per se causare secũdam gratiam, si non inueniant aliquando primam productam producant illam si subiectum habeat actualẽ non repugnantiam gratiæ secundum illam considerationem.

Confirmatur vltimo: nam hoc cedit in maiorem excellentiam talium Sacramentorum, & ex alia parte est prium, & ordinatum in proprium finẽ Sacramentorum, qui est salus, & iustificatio recipientium illa cum dispositione, non repugnante, ergo ita est tenendum.

Ad fundamentum, ergo in contrarium illius secundæ sententiæ. Respondetur concessa maiori, & minori distinguendo consequens, si nullo modo instituta essent respectu primæ gratiæ, concedo consequentiam, si verò sint aliquo modo instituta ad illũ effectum saltim concommittanter, & veluti extensiue, nego consequentiam.

Dico igitur, quod Sacramenta viuorum ex vi suæ institutionis per se primo tantum ordinantur ad augmentũ gratiæ: sicut Baptismus per se primo tantum ordinatur ad primam gratiã, tamen quasi per quandam extensionem, & veluti concommittanter ordinantur ad primam gratiam causandã in subiecto, si ex aliquo casu accidentali contingat, non esse dispositum ad augmentum gratiæ recipiendum, sicut etiam Baptismus licet ex sua institutione habeat proximè, & per se primo causare primam gratiam ex vi suę institutionis habet, quod in aliquo casu accidentali conferat augmentum gratiæ. Huic solutioni consonat doctrina Suar. disput. 7. sect. 2. §. nihilominus contraria sententia in solutione ad fundamentum cuius vim euertere conamur, dum ait, quod ex Christi institutione oritur in Sacramentis viuorum causalitas primæ gratiæ non per se, sed ex aliquo accidenti supposito. Idem docet Mag. Cabr. hic disp. 2. num. 37. §. secunda sententia in solutione argumentorum, itaque volunt Christus aiũt isti Doctores, quod Sacramenta viuorum per se, & ex institutione primaria sumantur ex intentione recipiendi augmentum gratiæ, & non primam gratiam, si verò contingat, quod ex aliquo accidenti sumatur cum hac explicata intentione, sed non cum dispositione necessaria ad recipiendum propriũ, & per se effectum talis Sacramenti, sed cum dispositione tantum sufficienti, & nõ repugnante ad primam gratiam, illam conferat loco sui proprij effectus, qui per se debebat esse aliqua ratio particularis augmenti gratiæ. Sed obiicies. Sequitur, quod etiamsi accedat aliquis cum attritione cognita ad Eucharistiam recipiat primam gratiam. Consequens est falsum, ergo. Probatur sequela

quela, quia per hoc, quod aliquis falso existimat se esse contritū non accedit in re cū maiore dispositione, quā alius qui sine tali falsa apprehēsione recipit Sacramentū, ergo cum vterquè accedat cū vera attritione, æqualiter accedunt sine obice. Deinde, nam ex oppo sito sequitur etiā, quod in casū, in quo aliquis nullā habeat attritionē, ignoret tamen inuincibiliter suā in dispositionē, vt si nesciret talē attritionē esse dispositionē necessariā ad primam gratiā, vel si fortè putaret inuincibiliter se esse contritū sequitur, inquā, quod iste talis recipiat primā gratiam: Hoc autē est falsum, ergo. Sequela probatur, quia in casu nostræ conclusionis, & solutionis argumenti Scoti existimatio est causa, quare accedens ad Sacramenta viuorū, non ponat obicem peccati; & ideò iustificatur per tale Sacramentum, ergo ita in nostro casu.

Resp. ad primā obiectionē, negando sequelā, ad probationē resp. primo admisso antecedenti, negando consequētiā. Ratio est, quia cū tale Sacramētorū sit viuorū perse primo postulat, vt recipiēs sit antea in gratia, tāquam propriam dispositionē gratiæ ipsius Sacramenti. Ex quo sequitur, quod necessariū sit perse vt recipiens illud accedat putās se habere gratiā, alias peccauit in actuali receptione Sacramenti, atquè adeò ponit obicē peccati noui respectu gratiæ: quando autē reuera homo, nō existit gratus Deo, licet eius existimatio nō faciat illū esse dispositū cum gratia, excusat tamē eum à peccato mortali actuali, & nouo, atquè ita ex isto capite nō ponit obicem peccati respectu primę gratiæ. Ex his sequitur secunda solutio, in qua distinguo antecedens, non accedit cū maiore dispositione positiua, concedo antecedens, negatiua nego antecedēs: nō accedit cū actuali nō repugnantia respectu gratiæ propter rationem assignatā, eumqua tamen nō accedit alter. Vndè semper negatur consequentia.

Ad secundam negatur sequela, ad cuius probationem negatur antecedens: Si ly ita dicat omnimodam paritatē, disparitas cōsistit in hoc, quod aliquis habet attritionem, ac per consequens affert legitimam, & sufficientem, dispositionē ad recipiendā gratiā ex opere operato; in altero vero casu non habet legitimam dispositionem; & ideò licet ignorantia invincibilis excusset cum à peccato contra actualē receptionem Eucharistiæ, & in hoc sit paritas cum altero casu, tamen in principali est disparitas; & ideò licet non peccet accedendo ad Sacramētū ratione illius ignorātiæ, tamē nō recipit gratiā ex defectu dispositionis. Et si adhuc instes contra solutionē primæ obiectionis. Attritio codē modo se habet in se ipsa à parte rei, quando cognoscitur vt est in se, atquè quādo existimatur contritio, ergo eodē modo dispONit ad gratiā in vtroquè casu.

Confirmatur, quia vel contritio in re est necessaria dispositio, vel nō est necessaria: si est necessaria contritio vera, ergo non sufficit contritio existimata, si non est necessaria: ergo non requiritur existimata.

Ad hoc respondetur, quod licet in esse rei eodē modo se habeat in illis duobus casibus in ordine ad gratiā, tamē in esse moris aliter se habet in ordine ad primā gratiā, vt causandā virtute talis Sacraméti. Ratio huius est, quia cū cōscientia peccati mortalis repugnet effectui proprio Sacraméti viuorū hęc cōscientia necessariò remouēda est, vel per cōtritionē verā, vel saltim per existimatā, quia nō aliter potest remoueri; ideò attritio putata cōtritio licet in esse rei nō aliter se habet, atō; quando cognoscitur vt est in se, in esse moris se habet aliter in quātum excludit cōscientiā peccati mortalis, cum quo est omnino illicitum accedere ad Sacramentum viuorum.

Ac confirmationē resp. quod vera, & sufficiens dispositio ad primam gratiam recipiendam ex opere operato, quæ est effectus omniū Sacramen-

torũ mortuorũ perſè primo, & viuorum per accidens eſt vera, & ſupernaturalis attritio, tamen quando illa gratia eſt danda per Sacramentum viuorũ, quia perſè petunt, quod homo accedat viuus, & in gratia, atquè adeò ſine cõſcientia peccati mortalis, per accidens cõtingit, quod ſi nõ accedat in gratia ſit neceſſarium, vt accedat ſine conſcientia peccati mortalis, & conſequenter, quod accedat cũ contritione exiſtimata, non quia hoc ſit neceſſarium ad primam gratiam abſolutè, ſed vt dandam per tale Sacramentum viuorum, aliàs receptio Sacramenti erit peccaminoſa, & conſequenter totaliter perniciosa, & non alicuius fructus: nè ergo ſit peccaminoſa talis receptio requiritur, tanquam neceſſaria diſpoſitio in illo caſu accidentali attritio vera exiſtimata contritio. De quo latius agunt Doctores, dum de ſingulis Sacramentis tractant.

Tertia, & vltima concluſio. Sacramenta viuorũ ſub nulla ratione, neq; ſecundum rationem ſpecificam, neque ſecundum rationem genericam habent perſè eſſe cauſas primæ gratiæ. Hæc concluſio eſt hodie communis inter Theologos illam tenet in primis ex modernis Mag. Suar. vbi ſupra in reſolutione ſecundi dubij. Eandem ſequitur Cabr. hic diſp. 2. concl. 1. eã vniuerſaliter. enent omnes Thomiſtę putantes eã eſſe D. Th. locis ſup. citatis, in quibus, dũ de effectu Euchariſtiæ, & confirmationis diſputat ſolũ docet, quod perſè eſt augmẽtũ gratiæ in Euchariſtia per modũ cibi nutrientis, in confirmatione per modũ roborãtis ad proteſtãdã fidẽ, & ſolum ait, quod ex aliquo accidẽti poteſt cõtingere, quod illa Sacraméta cauſent primã gratiã remiſsiuã peccati mortalis. Ex quo inferũt cõtrariã ſentẽtiã minima eſſe cõformẽ D. Tho. locus autẽ à nobis adductus in fauorẽ eius facilẽ, & legitimã expoſitionẽ habet apud omnes, vt in eius ſolutione dicã. Probatur ergo noſtra concl. & ſimul impugnatur vlt. ſentẽtia. Primo, nã illa diſtinctio Sacramẽti ſecũdũ rationem genericã, & differentiæ lem nõ habet fundamentum in doctrina D. Th. neque Cõciliorũ, vt patebit ex ſolutione argumentorũ, ergo eſt volũtaria. Secũdo, nã omnis differẽtia alicuius rei debet eſſe nõ repugnãs rationi generi cę, ſed potius clauſa in eius potẽtialitẽ, ergo Sacraméta viuorũ nõ poſſunt habere differentiã, quã de facto habẽt ſi ratione generis proximi includunt cauſalitatẽ primę gratię. Probatur cõſequẽtia, nã ſequeretur, quod talis ratio differentialis eſſet repugnãs rationi genericæ, ergo: Probatur ſequela, nã ratio differẽtialis eſt cauſare augmẽtũ gratiæ, ſed hoc repugnat vniri cum hoc, quod eſt eſſe cauſã primę gratię, ſi vtrunq; perſè cõueniat, ergo. Probatur minor, nã ratio cauſæ primæ gratiæ, nõ cõtinet in ſua potẽtialitate eſſentiali, niſi modos diuerſos cauſandi primã gratiã: nõ autẽ modos diuerſos cauſandi augmentũ gratię, vt de ſe patet, ergo eſt differentia repugnans rationi geneticę.

Confirmatur, & explicatur. Ab omnibus rationibus particularibus cauſã di augmentũ gratiæ eſt abſtrahibilis ratio cõmunis importãs abſolutè cauſare augmẽtũ gratię, ſine aliqua inclusione actuali particularũ modorũ cauſandi agmentũ gratiæ, per modum cibantis (v.g.) vel per modũ roborãtis in fide, & ſic de alijs, ſed illa ratio abſtracta nõ includit, ſed prę ſupponit rationẽ cauſæ primæ gratiæ: nam cõparatur reſpectu effectus præſupponentis primã gratiam eſſentialiter, ergo quẽadmodum in effectu inuenimus, quod ſecunda gratia eſt extra rationẽ primæ gratiæ, quia nõ includit illã eſſentialiter in ratione effectus formaliter, ſed ſolũ prę ſuppoſitiue, ita & ratio illa cõmmunis abſtracta nõ debet includere in ſuo conceptu eſſentialiter, & intrinſecè rationem cauſalitatis primæ gratiæ, ſed potius eam præſupponere, tanquam aliquid extra eius

ius potentialitatem essentialē immediatè comparatur ad modos particulares causandi augmentū gratiæ, tanquā ratio generica, & superior, cū ergo in omnibus Sacramentis viuorum reperiatur peculiaris modus causandi gratię augmentum, immediatū genus illorum sub ista ratione erit illa ratio causæ augmēti gratiæ, in qua immediatè cōueniūt: falsum ergo est, quod illa sententia asserit de proximo genere Sacramentorum viuorum.

Secundo probatur conclusio, & etiā confirmatur ratio præcedens, nā quando aliquid conuenit per sè ratione sui generis, eius oppositū essentialiter, nec per sè, nec per accidēs potest illi cōuenire, vt patet in quacūque re, sed causare per sè primo augmentum gratiæ opponitur essentialiter huic, quod est causare per sè primò gratiā primā, ergo si Sacramento viuorū cōuenit ratione sui generis causare primā gratiam, ratione suæ differentiæ nō potest aliquo pacto conuenire ei, quod sit causa per sè primo augmenti gratię. Probatur minor, quia gratia secūda sub ista ratione tantū dicit augmentū gratiæ, & cōsequēter includit negationē primæ gratiæ, sicut vnū oppositū sub illa ratione, subquā alteri opponitur includit negationē eius, cū ergo gratia secūda, & prima sub istis rationibus formalibus opponātur, licet secunda presupponat primā intrinsecè negationē eius includit, ergo causa cuius virtus per sè, & formaliter respicit vt propriū effectum gratiā secundā, nullo modo potest respicere formaliter, & per sè gratiam primam.

Tertio probatur conclusio impugnando modū defendēdi oppositā sententiā. Sacramentū tantū habet causare gratiā secundū suam rationem particularem, ergo illa duplex considera tio est sine sufficienti fundamento. Probatur antecedens, tota virtus causatiua gratiæ in Sacramentis deriuatur eis ex Christi institutione, sed Christus nullum Sacramentum instituit secundum rationē generica, sed omnia instituit secundum suas particulares rationes, ergo nulla virtus causatiua gratiæ conuenit eis, nisi ratione propriarum differentiarum.

Confirmatur. Institutio Christi fuit practica, & moralis, ergo nullo modo fuit determinata ad aliquā rationē cōmunem generica Sacramenti nouæ legis, ergo si datur talis ratio, est quia talis institutio terminata fuit ad particulares rationes specificas Sacramentorū, in quibus reperitur conueniētia in hoc, quod est causare gratiam propria virtute, in qua differunt à Sacramentis antiquis, & cōueniūt inter se, ergo talis ratio solum datur abstracta per nostrū intellectum considerantē id in quo conueniunt omnia Sacramēta in particulari, sed in illa ratione nō potest intellectus concipere rationē causæ per sè primæ gratiæ, ergo implicat, quod Sacramenta nouę legis habeāt causare primā gratiā ratione sui proximi generis. Euidens est consequentia, & probatur minor, quotiescūq; aliqua ratio superior determinabilis est per alias rationes particulares, nullā ex illis potest includere in sua actualitate, vt pater in animali, quod quia est determinabile per hinnibile, & rationale nullam ex istis rationibus claudit in sua actualitate, sed ratio illa abstracta Sacramenti nouæ legis, determinatur de facto per Sacramēta causantia per sè primò primā gratiā, & per alia causantia per sè primò secundā gratiā, ergo implicat, quod in tali ratione inueniatur actualiter aliqua ex istis rationibus. Si autem dicas, quod argumentum probat, quod eo modo quo conuenit causare primā gratiam Sacramentis in particulari, nempè per modos particulares regenerantis, aut resuscitantis, non potest cōuenire illi rationi abstractę, nō verò absolutè. Cōtra hoc est, primo, quia illa ratio (vt dictū est) in ratione non habet esse ex institutione Christi prout sic, ergo cū omnis virtus Sacra-

métis respectu gratię oriatur ex Christi institutione tātū, implicat quod tali rationi conueniat aliqua virtus causatiua gratiæ. ¶ Deinde secundo, stādo in vi argumenti immediati: nam si propterea quod dantur duo Sacramēta per sè primo causantia primam gratiam diuerso modo abstrahunt rationem causæ primæ gratiæ communē, quæ determinatur per modos expositos, ergo eadē ratione, quia dātur alia Sacramēta causantia per sè primò augmentum gratię diuerso modo, Eucharistia videlicet per modum cibantis, confirmatio per modū roborantis, & sic de alijs, debet abstrahere rationē aliam Sacramenti communem includentem causare augmentū gratiæ abstrahendo à modis particularibus: at istam non abstrahis, quia aliàs omnia septem Sacramenta nouæ legis, non essent species immediatę respectu Sacraméti nouę legis vt sic, vel esset duplex ratio generica Sacramenti nouæ legis, quod impossibile est, & contra principia metaphysica: falsa ergo est sentētia illa ex ista parte: cum ex illa sequatur, quod quinque Sacramenta viuorum diuidant immediatè vnā rationem genericam includentē rationem causæ augmenti gratiæ, duo autem mortuorum alteram rationem.

Vrgeo præterea: nā de istis rationibus inquiro, quo modo sub ordinētur interse: nā vel subordinantur vt inferior, & superior, vel vt disparatæ. Primò modo, non possunt subordinari propter rationem, qua secundo loco probauimus conclusionem, & propter eius confirmationem, vbi insinuatur ratio immediatè antefacta: ergo secundo modo, & ita non continebūtur sub eodem genere immediato, & consequenter species eorum erūt ad diuersa genera proxima, & remota pertinentia, quæ omnia absurda vidētur. Vndè totaliter conuincitur meus intellectus ad sentiendam conclusionem. Aliasrationes etiam fortes, tùm metaphisicas, tùm morales procedentes ab inconuenienti, quia sequeretur aliàs quod attritio cognita, esset sufficiens dispositio ad gratiam Eucharistiæ, videre potest quilibet in Magist. Suar. & in Cabr. vbi supra.

Ad argumenta ergo quartæ sentētię respondetur. Ad primum dico maiorem ita intelligi in Concilijs, & Patribus videlicet, quod Sacramenta nouæ legis causant gratiā abstrahēdo à prima, vel secunda, & hoc colligitur, tùm ex fundamento nuper præiacto, quod non est repetendum, sed reuisendum, tùm etiam ex ipsis Sacris Cōcilijs: nam in Trident. Sess. 7. Can. 6. postquam dixit Sacramenta nouæ legis continere gratiam addidit, *quam significant*, ad denotandum, quod Sacramenta sunt causa per sè gratię, quā significant, sed certum est non omnia Sacramenta significare primam gratiam, sed tantum illa, quæ sunt mortuorum, alia vero significant gratiam secundam. Vndè ex Concilio potius colligitur non omnia Sacramēta causare gratiam primam, siquidem causant gratiam, quam significant. Similiter Concilium Florentinū in illo decreto super vnionem Græcorum, & Armenorum postquam dixit, quod nostra Sacramenta continent, & causant gratiam, statim proprios effectus singulorum Sacramentorum, subdit dicens: *Per Baptismum enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autē, & roborati nutrimur diuina Eucharistiæ alimonia, &c.* In quib⁹ verbis sufficiēter explicat propositionē priorem, & veluti assignat rationē eius, ac si diceret, ideò dicimus Sacramenta nostra causare, & cōtinere gratiā, quia ex eis, quædā causant gratiā regenerantē, & sanantem, quę est prima, alia vero gratię augmentū, quod est gratia secūda. Ex quo infertur generalem illam propositionē intelligendam esse respectu gratiæ in abstractione à prima, vel secunda, alias non necessariò talem probationē &

& expositionem adhibent. Supposito ergo, quod ex ipsis Cõcilijs habemus iam legitimam expositionem illius propositionis doctrinalis, in forma respondetur ad argumentum, cõcessa maiori distinguendo minorem: si illud signum vniuersale distribuat pro omni agente determinato respiciente effectum absolutè, & secundum suam substantialem entitatem concedo minorem. Hoc patet in igne, quia quoniam respicit per sè calorem, tanquam proprium effectum secundum suam rationem substantialem; si non inueniat eum productũ potest à principio illum producere: Si autem distribuat etiam pro agentibus respicientibus eundem effectum non secundum suam entitatem substantialem, sed tãtum secundum aliquam sui perfectionem, nego minorem: nam tunc solũ per sè conuenit illis talis effectus secũdum illum modum supponentem entitatem, & substantiam rei. Sit exemplum in alteratione perfectiua caloris, scilicet in motu intensionis; qui per sè respicit calorem, tamen quia non respicit illum secundum substantialem, & essentialem rationem, sed tantum secundum gradum perfectiuum, nunquam potest causare calor ẽ à principio. Idem inuenies in secunda demonstratione in quantum secũda, quæ nunquam sub ista ratione potest à principio producere habitum scientiæ, licet per se respiciat talem habitũ propter eandem rationem. Vndè negatur consequentia, quia vt ex dictis patet: non omnia Sacramenta in particulari respiciunt per sè gratiam secundum substantiam gratiæ. De duobus autem Sacramentis mortuorum scilicet Baptismo, & Pœnitentia verissimum est, quod semper possunt producere gratiam à principio, si non inueniant productam, quia respiciunt eam secundum suam substantiam.

Alij aliter soluunt hoc argumentum, quia aliter illud ponunt, vt videre est apud Magistrum Cabrera, hic solutione ad secundum pro quarta sententia, quem sequuntur aliqui recentiores.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens, claritatis gratia, quia tantum sunt meritoria augmenti gratiæ secundum communem rationem in ipsis repertam, tam genericam, quam specificam, concedo antecedens, quia tantum sunt meritoria augmenti gratiæ secũdum aliquam rationem particularem nego antecedens, & distinguo consequens, quia causant primam gratiam determinatè, nego consequentiam, quia in aliquibus singularibus causant, & secundum rationem genericam respiciunt gratiam in abstractione à prima, & secunda, concedo consequentiam.

Et si dicas, ergo absolutè non sunt dicenda causæ gratiæ, sicut opera meritoria non dicuntur absolutè gratiã causare. Probatur consequentia, quia non respiciunt gratiam absolutè, sed in aliquibus sub ratione primæ, & in alijs secundæ.

Respondetur, negando antecedens, & ad probationem, nego antecedens loquendo de Sacramentis secundum rationem abstractam Sacramenti nouæ legis: nam secundum illã, gratiã respiciunt absolutè in abstractione ab illis modis particularibus: opera autẽ meritoria, etiam secundum rationẽ cõmunem meritoriæ operationis tantum respiciunt determinatè augmentũ gratię. ¶ Vtrũ autem Sacramenta viuorum secundũ suas particulares rationes debeant dici absolutè, & sine addito causæ gratię, quod inquiritur in argumento in probatione cõsequẽtiæ. ¶ Ad hoc dico, quod loquendo de Sacramentis viuorũ reduplicatiuè secundum suas rationes particulares, non sunt vocanda causa per sè gratiæ absolutè, & simpliciter si ista aduerbia appellent supra terminum gratiæ, seù modificent illum, secus verò si determinant illud nomen

men causa. Ratio primi est, quia sub illa consideratione tantum perse primò comparantur, vt causatiua augmenti gratiæ, sicut opera meritoria comparantur secundum omnem sui rationem ad idem augmentum gratiæ, ergo sicut in genere causæ moralis nullo modo, nec secũdum rationem communem, aut particularem dicuntur merita causare gratiam absolutè, ita neque Sacramenta viuorũ debent dici causa gratiæ absolutè. Ratio secundi est, quia habent virtutem simpliciter, & absolutè causatiuam augmenti gratiæ. Ita exponenda est, & intelligenda resolutio huiusdubij, quam adhibet sapientissimus Vincent. in quo sensu eam verissimã arbitror. Licet Mag. Cabrer. in præsenti illam reiiciat. Nec valet insurgere cõtra illam ex Concilio Trid. vbi supra, absolutè asserente de omnibus Sacramẽtis nouę legis, quod causãt gratiã.

Ad hoc enim iam dictum est supra, quod intelligitur Concilium de Sacramentis secundum rationem generica, quia respiciunt gratiam in abstractione à prima, & secunda. Dictum est etiam solutione ad primum, quo modo ipsum Concilium se explicat, dum addit particulam illam *quam significant* ex quo colligitur modo altera expositio, quòd intelligatur Concilium de causalitate gratiæ seruatis seruandis, id est iuxta naturam cuiuscunque Sacramenti. Desumitur hęc solutio etiam ex ipso Concilio in prologo, seù prœmio illius Sessionis, vbi sic ait: *Consentaneum visum est de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia, vel incipit, vel incepta augetur, vel amissa reparatur.* Ecce in hac disiunctiua Sancta Synodus manifestè explicat proprios effectus omnium Sacramentorũ nouæ legis in particulari, illud verbum *incipit*, intelligitur de effectu Baptismi: *Cepta augetur*, de omnibus Sacramentis viuorum: *Amissa reparatur*, de effectu pœnitentiæ. Vndè quando postea dicit: *Omnia Sacramenta nostra*, gratiam causare, debet intelligi, iuxta naturam cuiuscunque Sacramenti, vt patet ex verbis citatis, & certe Concilium meo videri hoc voluit diffinire contra hęreticos nulla habita consideratione nostræ disputationis Metaphysicæ. Vndè licet prima expositio sit communior, magis ad mentem Concilij ista vltima mihi apparet, quidquid dicat Author citatus. Nec valet etiam dicere, quod quilibet gradus gratiæ est vera gratia, sicut quilibet gradus caloris est verus calor, ergo si Sacramenta viuorum dicuntur causa gratiæ secundum aliquem gradum gratię absolutè dicenda sunt causa gratiæ. Non, inquam, valet ista consequentia, nam in simili instatur in operationibus meritorijs, quæ non dicuntar ab ipso Magistro causa simpliciter gratiæ, quia illam respiciunt secundũ augmẽtum & non secundũ substantiã, non obstãte, quod idem argumentũ fiat in illis.

Vndè respondetur, quòd quilibet gradus gratiæ est vera gratia, quasi materialiter, & per identitatem, & vnionem cum gratia præexistente iam, secundum suum esse absolutè: non tamen est vera gratia in sensu formali ad istum sensum, quod gratia substantialiter prędicatur in recto de illo, quia sic tantum prædicatur de illo, quod est augmentum gratiæ accidentaliter se habens ad essentiam gratiæ, & notandum, quod non facimus vim in nomine gradus, ne omnia in disputationem vertamus.

Ad tertium respondetur explicando D. Thom. debet enim intelligi de Eucharistia secundum se, ideſt solitariè sumpta: non vero ita vt ly secundum se valeat idem, quod per se, & secundum suam essentiam specificam: iam enim cõpertũ est, quod ly secundum sè in vtraque acceptione sumitur à Logicis conformiter ad mentẽ Caiet. 4. cap. de ente, & essentia. Dicimus enim, quod D. Thom. in illo loco

co accipit ly secundum se in priori acceptione, in qua sensus totius propositionis est, quod si virtus Eucharistiæ sumatur solitaria, idest, quatenus est virtus passionis Christi sic potens est remittere omnia peccata, sicut ipsa passio Christi: Si verò consideretur illa virtus quatenus est appropiata ad Eucharistiã, & determinata ad rationẽ illius Sacramẽti, sic ècontrario res se habet, quia tantũ habet augere gratiam præexistẽtẽ, sicut ipsum Sacramẽtũ, & quod sit ista mens D. Th. patet ex illo art. solut. ad 2. & 3. & ex art. 1. eiusdem quæstionis: nam ea quæ dicit in sequentibus conformiter ad doctrinam prioris articuli debent intelligi. Imò si totum corpus articuli attentè legatur adhuc in illo aperitur mens D. Thom.

Ad quartum concessa maiori, & minori, negatur consequentia. Et ratio discriminis est, quòd passio Christi, & merita eius habent se, tanquam causa vniuersalis totius gratiæ, atquè adeò respiciũt ipsam sub omni ratione, sicut Sol quia est causa vniuersalis totius lucis respicit omnem rationẽ lucis, & Sacramenta sunt instrumenta determinata ordinata determinatè ad determinatos effectus. Vndè dicẽdum est, quod passio Christi pro vt applicatur determinato Sacramento habet per se operari determinatum effectum.

Ad quintum negatur sequela, ad cuius probationem distinguo minorem, est connaturalis dispositio gratiæ secundum eam rationem, secundum quam procedit à Sacramenti virtute, nego minorem, si nomine dispositionis connaturalis intelligatur dispositio, ad quam ex vi sua consequitur gradus gratiæ Sacramentalis: si verò nomine connaturalis dispositionis intelligatur dispositio, quã ex natura sua petit gratia Sacramentalis, tanquam sibi proportionata, concedo minorem, & tunc nego consequentiam, quia præter gradum gratiæ correspondentem cõtritioni datur alius gradus gratiæ correspondens præcisè virtuti Sacramenti (vt diximus dubio præcedenti) & ita explicuimus hoc, quod est conferre gratiam ex opere operato.

Ad sextum (aliqui multa dicunt) à nobis tamen breuiter respondetur iuxta dicta ante tertiam conclusionẽ in solutione fundamenti Scot. concedendo antecedens, & negando consequentiam, ad cuius probationem distinguo maiorem, ex Christi institutione primaria, nego maiorem, secundariò, & veluti concomittanter concedo, & tunc nego minorem. Dicimus ergo, quod Christus Dominus per sè primò instituit hæc Sacramenta, vt conferrent augmentum gratiæ, secundariò autem instituit ex vi eiusdẽ institutionis, vt in aliquo casu accidentali conferant primam gratiam, dummodo non suscipiantur hac intẽtione per sè, sed intentione recipiendi per illa augmentum gratiæ.

Ad confirmationem, concedo antecedens, & primam consequentiã, & distinguo minorem subsumptã: quidquid aliqua causa causat per propriã virtutem causat per sè, hoc est, nõ per aliud, aut per alienam virtutem, concedo minorem, causat per sè, hoc est, ex primaria ordinatione virtutis, nego minorem, & negatur consequentia, & instatur in Sacramẽtis mortuorum, de quibus idem argumentũ potest fieri respectu augmenti gratiæ, quod aliquando causant (vt diximus supra) tamen quia sua virtus non ordinatur per sè ad illum effectum, sed ad gratiam primam, non licet inferre, quod causent per sè in secundo sensu tale augmentum, sed solũ in primo.

Ad vltimam confirmationem, negatur consequentia: nam illa fides Christi venturi, tunc temporis concurrebat ad gratiam dispositiuè, tanquam dispositio communis ad omnẽ gradum gratiæ: at nostra Sacramenta respiciunt gratiam, tanquam instrumen-

menta determinata. Vndè singula causant peculiari modo gratiam.

Ad probationem consequentiæ, respondetur nostra Sacramenta habere maiorem efficatiam in suo ordine, tanquam instrumenta determinata: Hæc autem efficatia non consistit in hoc quod est habere virtutem causatiuam per sè primæ gratiæ, sed in hoc quod est habere virtutem ad causandam gratiam, iuxta naturam cuiuscũque Sacramenti, in quantum est instrumentum determinatum ex propria institutione. Ex quo prouenit, quod causant physicè, & efficienter gratiam, quod nullo modo habebat fides antiquorum Patrum. Vndè licet in ratione principij vniuersalis aliquo modo excederet nostra Sacramenta: exceditur tamen simpliciter ex alia parte, quia nostra habent virtutem actiuam respectu gratiæ, quam causant quam tamen non habebat illa fides, & hæc de hoc dubio graui, & difficili.

TERTIVM DVBIVM EST.

Vtrùm sint causæ instrumentales gratiæ, & in quo genere causalitatis?

IN hoc dubio supponendum est ante omnia solum Deum esse Auctorem, & causam principalem gratiæ, iuxta illud Psalmi: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, id est solus Dominus est Auctor, & causa principalis gratiæ. De quo videatur D. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 1. legantur ibi eius Interpretes maximè Mag. Medin. Mag. Zumel disp. 1. & sequentibus, qui disputatione 4. optimè explicat nullam creaturam posse à Deo produci etiam de potentia Dei absoluta, quæ habeat virtutẽ ad producendam gratiam tanquã causa principalis. Idem docet, & explicat doctissimus Curiel ibidem dub. 2. & est hæc doctrina communis inter Doctores etiam extra scholam D. Thom.

Secũdo præmittere oportet in præsenti supponendum esse gratiam non creari à Deo, sed produci per quandã actionem supernaturalem, quæ non immerito à multis Theologis vocatur generatio supernaturalis, quia est productio entis supernaturalis vocatur etiam generatio secundum quid: quia est generatio formæ accidentalis, & non substantialis, & consequenter sequitur gratiam esse formã, quæ producitur per actionem excellẽtissimam ordinis supernaturalis, per quã educitur ex potentia obediẽtiali animæ rationalis. Circa hanc difficultatem, & resolutionẽ brebiter hic præsuppositam videantur Magistri citati vbi supra, Zumel disp. 5. Curiel dub. 3. in prima conclusione, aduertendũ tamen hic duxi dignum, quod loquẽdo de creatione propriè dicta, quatenus in genere physico est, est mutatio distincta specie à generatione secundumquid, & à generatione simpliciter, doctrina tradita, & iam præsuppo sita est expressa sententia D. Thom. quæst. 3. de potentia, art. 8. ad 3. vbi clarissimè docet, quod gratia nõ propriè creatur, eius enim infusio accedit ad rationem creationis, in quantũ gratia non habet causam in subiecto etiam materialem, ex qua per agens naturale educi possit in actum, sicut est de alijs formis naturalibus. Habes ergo in isto loco D. Thom. totam doctrinam præsuppositam, in prioribus etenim verbis distinguit S. D. actionem, per quam producitur gratia in anima ab actione creatiua, cuius optimam rationem ibi assignat Sanctus, & etiam 1. 2. quæst. 110. art. 2. ad 3. in vltimis etiam verbis explicat quo modo non præsupponit ex parte subiecti aliquam causam materialem naturalem: talis enim est illa cui correspondet causa actiua naturalis educens ex ea formam in actum: cum autem in anima, sicut in Angelo sit potentia obedientialis passiua cui correspondet actiuitas supernaturalis agentis infundẽs formas supernaturales, de primo

ad

ad vltimum sequitur ex doctrina D. Thom. quod cum gratia, non fiat per creationem propriè dictam, nec per actionem agentis naturalis fiat, tandē per actionem mediam supernaturalem, per quam ex potentia illa obedientiali educatur in actum, & pro tā to talis actio aliquo modo dicitur accedere ad creationem. ¶ Vltimo est præmittendū, quod duplex est genus causæ efficientis, tam principalis, quā instrumentalis, aliud est genus causæ physicę aliud genus causę moralis. Causa physica dicit influxum physicum, per quē res producitur in suo esse à causa in cuius virtute physica virtualiter continetur: causa vero moralis tantum dicit influxum moralē in effectum ab alia causa physica promanantem: vt vnus homo (v.g.) dicitur causa moralis gratiæ alterius hominis, quia per sua opera meritoria influit in talem gratiam impetrando à Deo, quod illam causet.

His ergo iure optimo præmissis manet clarus titulus nostræ disputationis. Inquirimus ergo. Vtrùm Sacramenta nouæ legis sint causæ instrumē tales gratię in illis datę ingenere physico, an vero tantum in genere moris, quia illis sunt applicata merita Christi Domini, per quę impetratur à Deo quod in eorum receptione homo accipiat gratiam à Deo physicè causatam. In hoc ergo dubio multæ sunt sententiæ, quas omnes vt prolixitatē nimiam vitemus ad tres tantum reducere decreui.

Prima asserit Sacramenta nouæ legis tantum causare gratiam, quia sunt conditiones quædam, sine quibus gratia non causaretur à Deo, & tamē dicuntur causæ gratiæ, quia ex diuina institutione sic se habent, quod Deus ad præsentiam illorum infallibiliter confert gratiam suscipientibus illa sine obice, & impedimento. Hanc sententiam refert D. Thom. in corpore articuli, & impugnat, sequti sunt illam multi Theologi ex antiquis, quos hic referunt interpretes D. Thom. specialiter Mag. Cabr. disput. 3. §. 1. Fundamenta huius sententiæ leuia quidem sunt, & ex decisione dubij solutio illorum facilè constabit, & ideò omitto. Videantur illa si placet in Mag. Cabr. loco citato.

Secunda sententia, asserit Sacramenta esse causas instrumentales gratiæ, non physicè efficientes, sed tantū morales. Hanc sententiā sequtus fuit Can. in relect. de Sacramentis in genere part. 4. & alij antiqui, quos vidētur sequi quiddam recentiores Theologi Ludouicus Molina 1. part. quęstion. 45. art. 5. disp. 2. Gabriel Vazq; ibidem disp. 176. cap. 3. numer. 14. & cap. 4. num. 18. eandem habet 3. part. quæst. 13. de Humanitate Christi, & quæst. 62. de Sacramentis.

Sit primum pro hac sententia argumentum. Omne instrumentum physicum debet habere aliquam præuiā operationem propriam, per quam operetur aliquid circa passum, quod dispositiuè se habeat ad effectum principalis agentis, sed nullum Sacramentum habet talem propriam actionem circa animam, ergo non assumitur à Deo vt instrumentum physicum ad gratiam producendam.

Discursus est optimus, maior docetur à D. Thom. 1. part. quæst. 45. artic. 5. citato, & in præsenti articulo, solutione ad 2. & præterea probatur, ita esse necessarium, quia aliàs in discriminatim posset assumi à Deo quælibet res ad quencumque effectū producendum, & similiter non esset ratio aliqua, qua probaretur Deum, non posse vti qualibet creatura ad creandum aliam, consequens autem est falsum, & contra D. Thom. primo loco citato, qui illa ratione præcipuè probat nullam creaturam posse, etiam instrumentaliter creare. Minor vero probatur primò, quia anima est quid spirituale: Sacramentum autem corporale, ergo non habet actionem propriam perquam aliquid operetur in anima

anima, quæ est subiectum gratiæ. Secũdo, quia eadẽ ratione cõstat, quod operatio, quã habẽt Sacramẽta est corporalis, vt patet in ablutione aquæ, & in nutritione Eucharistiæ: ergo nihil possũt producere per tales actiones, quod sit dispositio ad gratiã, quę est accidens spirituale supernaturale.

Confirmatur hoc argumentum, quia omne agens etiam instrumentale debet agere per contactum, sed Sacramentum, non potest contingere animam, cum corporale, nõ possit contingere spirituale, ergo.

Tùm etiam, quia multoties verba formæ Sacramenti proferuntur circa hominem distantia mediocri, quando non videtur quo modo possint cõtingere ipsum etiam secundum corpus, ergo saltim tunc non eleuãtur à Deo, vt physica instrumenta ad gratiã.

Secundo nõ est in Sacramẽtis aliqua virtus, etiam à Deo cõmunicata, per quam physicè producant gratiam, ergo non sunt instrumenta physica. Probatur antecedens, quia virtus causatiua gratiæ debet esse eiusdem ordinis cum ipsa gratia, videlicet supernaturalis, & spiritualis: sicut est ipsa gratia, sed Sacramenta non possunt recipere à Deo similem virtutem, ergo non possunt assumi vt instrumentum ad gratiam causandam physicè. Maior est certa, quia causa, & effectus debent habere aliquam proportionẽ, etiamsi causa tantum sit instrumentalis. Minor vero probatur, quia Sacramenta cum corporalia sint non sunt capacia ad recipiendum in se virtutem supernaturalem, & spiritualem, sicut res spiritualis, non est capax vt in se recipiat virtutem, aut formam corporalem, ergo. Antecedens patet, quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, ergo quod recipitur in re corporali, debet recipi corporaliter, & diuisibiliter, quod est recipi ad modum ipsius corporis, sed accidens spirituale non potest sic recipi, ergo,

Si autem dicat quis, quod talis virtus est aliquid spirituale tãtũ virtualiter, quatenus est deriuata à virtute ipsa Dei in ordine ad effectũ spiritualẽ gratię, formaliter tamẽ in sua entitate est corporalis, vt argumẽtũ probat.

Contra est, quia res corporalis non potest esse proportionata cum re spirituali, ergo non potest continere illam in sua virtute, & consequenter non potest dici, neque esse virtualiter spiritualis, ergo Sacramentum non potest per talem virtutem constitui in ratione causæ instrumentalis gratiæ.

Confirmatur. Nulla res potest agere extra sphærã sui obiecti, sed obiectum rei, & virtutis corporalis est tantum aliquid corporale, ergo Sacramentum adhuc per talem virtutem constitutũ, non potest gratiã efficere. Discursus videtur optimus, maior verò inductiuè potest probari in omnibus potentijs: Etenim visus non potest etiam mediante diuina eleuatione agere circa obiectum intellectus, aut sonus, aliàs posset oculus eleuari ad videndum Deum, quod est falsum (vt communiter 1. part. quæst. 12. artic. 3.) docetur: Minor verò probatur, quia actus virtutis corporalis est corporeus, cum per organum corporalem debeat necessariò exerceri, ergo obiectum eius debet esse necessariò corporale. Deinde etiam, potest idem probari ex proportione necessaria inter obiectum, & virtutem ad illud ordinatam.

Tertio arguitur. Ex opposita sententia sequitur, quod quæcunque res possit à Deo assumi, vt instrumentum ad quãcunque aliam efficiendam. Cõsequens videtur falsum, ergo. Sequela patet, quia non est maior ratio de vno, atquè de alio. Falsitas verò consequentis etiam probatur, quia sequeretur posse Deum assumere potentiã visiuam, vt instrumentum ad eliciẽdum visionem beatam, & etiam per relationem posse Deus efficere, tan-

quam

quam per instrumentum rem absolutam, & perfectam in suo esse. Similiter posset Deus per relationes diuinas operari ad extra. Consequens est falsum, ergo. Sequela probatur, quia in omnibus exemplis adest eadem ratio, cum non præsupponat Deus necessario in crearura aliquam actiuitatem proportionaaam ad effectum, quem media illa vult producere, ergo si per Sacramenta producit gratiã, &c. De relationibus autẽ diuinis speciali ratione sequela probatur, quia illæ sunt connaturales ipsi Deo, & infinitæ perfectionis, ergo quidquid potest facere per relationem creatã, & per aliam quancumque rem, potest etiam facere per ipsas relationes diuinas, falsitas vero consequentis probatur, quia tunc posset Deus per vnam relationem diuinam efficere aliquid, & non per aliam, quod est falsissimũ, quia non essent opera totius Trinitatis indiuisa ad extra, ergo.

Quarto. Sacramenta eodem modo causant gratiam, quo illam causat passio Christi, aut eius humanitas, sed hæc solum moraliter scilicet per modum meriti causant gratiam, ergo similiter dicendum est de Sacramẽtis. Discursus est optimus: maior videtur certa, quia Sacramenta causant gratiã in virtute passionis Christi, ergo non potest eis conuenire excellentior modus causandi gratiam, quam ille qui conuenit humanitati, & eius passioni: minor verò probatur, tùm authoritate D. Thom, tùm etiam ratione. Authoritate, quia D. Thom. supra quæstion. 48. art. 6. ad 2. docet, quod passio Christi efficit in nobis nostrã sanctificationem per spiritualem contactum, scilicet per fidem, vt ipse explicat, sed contactus fidei, qua credimus Christum passum, non est contactus causæ physicæ efficientis, sed moralis, ergo influxus passionis Christi in gratiam tantum est motalis. Ratione autem sic illa minor probatur. De ratione causæ efficientis physicæ est, quod existat, sed passio Christi modo non existit, cum iam fuerit terminata, & finita in die mortis Domini nostri, ergo modo non operatur efficiẽter physicè gratiam.

Quinto. Sacramenta semper habent eundem modum causandi gratiam, sed aliquando solũ causant moraliter, ergo semper solum causant moraliter. Maior probatur, quia causare gratiam per se pertinet ad essentiam Sacramentorum nouæ legis, vel tanquam modus essentiæ, vel saltim tanquam propria passio ipsorum (vt supra quæst. 60. dictum est) sed modus essentiæ, seù propria passio semper eodem in variabili modo conuenit rei, ergo. Minor vero probatur, quia multories gratia, quæ per Sacramenta confertur datur aliquo tempore, postquam iam non est Sacramentum, vt (v.g.) quando quis accedit ad Sacramentum ficte: tunc enim non recipit gratiam, & postea quando tollit obicem recipit gratiam illius Sacramenti, ergo tunc Sacramentum solũ moraliter causat gratiam. Probatur consequentia, quia quod non existit, non potest physicè efficienter aliquid operari.

Confirmatur, quia si aliquam gratiam physicè efficerent Sacramenta maximè Sacramentalem, sed hanc non, ergo. Minor probatur, quia talis gratia continet aliquo modo aliquos effectus morales, vel in illis consistit vt (v.g.) in baptismo includit eius gratia remissionem totius pœnę, sed isti effectus morales non possunt fieri ab extrinseca causa efficienti creata, ergo.

Sextò. Conseruatio rei non est distincta actio ab eius productione, sed eadem continuata, sed gratia Sacramẽtalis data per Sacramentum conseruatur à Deo, sine actione Sacramenti; ergo à principio fuit causata à solo Deo sine actione physica Sacramenti. Discursus est optimus, Maior supponitur ex proprio loco 1. part. quæst. 45. Mi-

nor

nor vero probatur, quia finito, & trāsacto Sacramento Deus conseruat multo tempore gratiam datam per tale Sacramentum, sed tunc non potest esse actio physica Sacramenti, cum iā non sit ergo solum conseruatur actione Dei.

Septimo. Vt verificentur loquutiones Sanctorum, & Conciliorum in quibus dicitur, quod Sacramenta nouę legis causant gratiam, & sanctificant nos sufficit ponere in illis causalitatem moralem, & alias causalitas physica in Sacramentis multis inuoluitur difficultatibus parumque refert ad nostram vtilitatem, aut deuotionem, ergo non est cur ponatur. Etenim si credimus cum Doctrina Conciliorum, quod per Sacramenta cum debita dispositione suscepta sanctificamur, inutile videtur intelligere, quod talis sanctificatio procedat ab illis physicè, vel moraliter tantum, ergo licet asseramus posse Deum medio aliquo instrumento creato efficiēter physicè producere in nobis gratiam, non tamen adest ratio vt asseramus de facto talia instrumenta esse Sacramenta.

Octauo, & vltimo arguitur. Quia vnumquodque operatur in quantum est in actu, sed Sacramentum fit successiuè, & paulatim; est enim ens successiuum, quod habet esse mediante forma successiua, qualis est prolatio verborum circa materiam debitam, ergo si physicè efficienter causat gratiam causat illam successiue, & in tēpore; consequens autem est falsum, quia gratia cum sit forma spiritualis est indiuisibilis, & debet tota simul in instāti produci, ergo cū Sacramētū non sit in aliquo instanti intrinseco, nunquam potest explicari, quo modo causet gratiam efficienter physicè.

Tertia, & vltima sententia, quoad nos sit asserens Sacramenta nouæ legis esse instrumenta moralia nostræ gratiæ, & sanctificationis, & simul esse instrumēta physica efficientia, quatenus ex diuina institutione, & ordinatione recipiunt eleuationem Dei, per cuius virtutem proportionantur cum anima, & cum gratia in illa causanda modo sufficienti ad saluandam proportionem inter causam instrumentalem Dei, & effectum proceden tem ab ipso, vt Authore supernaturali. Hanc communiter tenent Thomistę, quam videntur sumpsisse ex suo Patrono hic in solutione ad 2. Eandē tenent iam cōmuniter omnes Theologi vno, excepto Vazquez vbi supra & hic disp. 132. cap. 5. & Molina vbi supra. Videatur socius eorum doctiss. Suar. 3. part. tom. 3. super istum articulum, disp. 9. sect. 1. & sect. 2.

Pro resolutione dubij notandū est, quod Sacramenta nouæ legis possunt considerari, & in ordine ad diuinitatem Christi, vel in ordine ad Deum, & similiter in ordine ad Christi humanitatem, vel ad Christum vt hominē. Ita considerat D. Thom. supr. quæst. 48. art. vlt. solut. ad 3. passionem Christi, iuxta quam duplicem considerationem duplicem rationem causæ cōstituit in illa respectu nostræ salutis, & rationem causæ efficientis, & rationem causæ meritoriæ. Sit ergo hoc suppositio prima conclusio, Quocunque modo consideremus Sacramenta dicendum est absolutè illa esse verè, & propriè causas instrumentales gratię habentia influxum in illam, & oppositum ad minus temerarium apparet.

Hæc est contra primam sententiā, & communiter asseritur à Doctoribus. Ratio huius conclusionis, Quia in Concilij Florent. & Trident. locis supra dub. 1. citatis absolutè diffinitur Sacramenta nouæ legis verè continere, & causare gratiam, quam significant, & in hoc docent sacra Concilia differre à Sacramentis antiquis, quod illa tantum significabant gratiā, quā tamen non causabant, sed si nostra Sacramenta tantum essent conditiones, sine quibus non respectu gratiæ, aut si essent

essent causæ per accidens (vt aliqui Doctores dixere) verè, & propriè nõ essent causæ gratiæ, neque transcenderent rationẽ signi, ergo dicendum est, quod verè sũt causę gratiæ, abstrahendo à causalitate physica, & morali. Discursus est legitimus, & minor probatur: quia illud quod tantum est conditio sine qua non, respectu alicuius effectus, nullo modo est causa eius absolutè, & simpliciter loquendo, vt patet in applicatione ignis ad passum, & in alijs conditionibus similibus, ergo, &c.

Confirmatur, quia si tantum essent conditiones, sine quibus, non excederent in perfectione Sacramenta legis antiquæ, quia etiam illa ex pacto, & promissione diuina erant conditiones, sine quibus non dabatur gratia, & illis adhibitis tanquam signis gratiæ ex diuina institutione conferebatur gratia, ergo si nostra Sacramenta, non habent aliquid amplius respectu gratiæ, quam significant in modo causandi gratiam, formaliter conueniunt cum Sacramentis antiquis, ergo non saluatur differentia præcipua, quam Sancta Concilia intendunt assignare inter illa respectu gratiæ.

Secunda conclusio. Sacramenta sunt instrumenta moralia gratiæ respectu Christi Domini, vt hominis, & etiam respectu Dei. Hæc conclusio est communis inter multos Theologos illamque damus secundæ sententiæ, quantum ad vnam partem illius.

Fundamentum huius conclusionis pro prima parte est, quia Christus Dominus in quantum homo fuit Redemptor vniuersalis media sua passione, & mediis omnibus alijs operationibus suis meritorijs, secundumquam rationem fuit causa moralis principalis nostræ gratiæ, & salutis, & ipse etiam in quantum homo habuit potestatem excellentię, ratione cuius potuit instituere Sacramenta, & de facto instituit vt essent media, seu instrumenta per quæ nobis applicaretur tota virtus meritorium ipsius, ergo de facto instituta sunt Sacramenta, tanquam moralia instrumenta Christi vt hominis, quibus ipse vt causa principalis moralis causat gratiam, etenim in suo genere aliquibus instrumentis potest vti. Sed tamen probo contra aliquos Theologos, quod saltim Sacramenta sub ista ratione considerata, non possunt esse instrumenta physica, sed tantum moralia, & ratio quæ me mouet est, quia Christus, vt homo nullo modo potest esse causa principalis gratiæ in genere physico, ergo non potest habere instrumenta, per quæ physicè gratiam causet.

Consequentia patet: nam instrumentum debet operari vt subordinatum suę causæ principali, ergo si Christus vt homo non est causa physica principalis gratiæ, Sacramenta, vt ei subordinata, tanquã causæ principali, non sunt instrumenta physica gratię. Antecedens verò supponitur ex doctrina, quàm Theologi tradunt communiter, supra quæstion. 13. artic. 2. vbi docent, quod Christi humanitas tantum est instrumentum physicum gratiæ excellentissimum tamen, quia est coniunctam diuinitati, quæ est causa principalis physica gratiæ (vt loco citato in primo notabili præambulo ad sententias dicitur.)

Fundamentum secundę partis conclusionis est constitutum in hoc, quod Deus voluit moueri pro sua libertate, & secundum consilium voluntatis suæ à Sacramentis institutis per Christum Dominum motione quaddam morali attingente voluntatem diuinam, vt se determinaret ad nostrã sanctificationẽ causandã. Explicare verò quo pacto hęc motio, qua Deus à Sacramẽtis visibilibus

mouetur est moralis procedens ab ipsis, vt ab instrumentis moralibus, fateor esse difficile. Cæterum quantum ex grauissimis Doctoribus Vincent. Cabrera potui colligere, conabor illam explicare.

Pro quo notandum est, quod sicut in genere physico instrumentum habet actionem instrumentalem ex virtute participata ab agente principali. Ita similiter in genere moris instrumentum morale habet actionem instrumentalem ex virtute participata ab agente principali in illo genere: Vndè eo modo quo causa principalis operatur effectuum suum, eo modo operari debet, & proprium eius instrumentum, quia ergo Christus vt homo operatus est nostram iustitiam per modum redemptoris, satisfacientis, merentis, & impetrantis à Patre æterno ex debito iustitiæ, & hoc tanquam causa moralis principalis mouens voluntatem diuinam ratione pretij, & valoris infiniti suæ passionis, & mortis; ita similiter Sacramenta ab ipso instituta ex participatione valoris, & pretij infiniti passionis, & meritorum Christi habent modo mouere, & allicere voluntatem diuinam Patris æterni, & totius Trinitatis, vt se determinet Deus ad nostram sanctitatem causandam.

Et si inquiras, quo pacto Sacramenta continent valorem prædictum participatum: cum solum Sacramentum Eucharistiæ contineat in se Christum.

Respondetur, quod omnia Sacramenta moraliter continent omnia merita actionum, & passionum Christi, ad quod non est necessarium quod realiter contineant Christum passum, sed quod ipse Christus applicuerit voluntariè Sacramentis à se institutis totum suum meritum in ordine ad mouendum Deum, vt in receptione Sacramentorum causet gratiam.

Hoc autem optimè potuit Christus Dominus facere, quia ratione potestatis excellentiæ, quam habuit, habuit etiam dominium, aut quasi dominium in sua voluntate supra omnia sua merita, & eorum valorem, vt illum posset pro sua voluntate applicare quibuscunque rebus sensibilibus voluisset; sicut ratione eiusdem potestatis potuit quaslibet res sensibiles in Sacramenta instituere.

Sed dicet quis ingeniosus, hoc non sufficere vt Sacramenta sint instrumenta moralia respectu Dei, tanquam causæ, sed tantum respectu Christi, ergo conclusio, quoad secundam partem est falsa.

Probatur antecedens, quia vt sic potius consideratur Deus quasi patiens nostro modo intelligendi, quoniam habet se vt motus à Christo principaliter, & ab eius Sacramentis instrumentaliter, ergo hoc tantum est ponere Sacramenta instrumenta moralia respectu Christi, non vero respectu Dei.

Respondetur, quod licet sub ista formalitate sit instrumentum Christi Sacramentum, tamen sub alia formalitate quasi consequenter se habéte est instrumentum ipsius Dei, vt aliquo modo morali causet postea gratiam medio ipso Sacramento, prius enim consideramus, quod Sacramentum vt continens moraliter valorem Christi meritorum moueat Deum, tamen quia ista ordinatur vt Deus producat gratiam medijs ipsis Sacramentis, secundum quod Deus postea vtitur voluntariè motus ipsis Sacramentis ad eandem gratiam causandam, propterea dicuntur, & sunt instrumenta moralia Dei pro illo posteriori, licet pro priori, in quo mouent diuinam voluntatem se habeant, vt instrumenta se tenentia in genere moris respectu Christi, vt hominis.

Sed dices contra, quia pro illo signo in quo intelligimus Deum causare gratiam Deus causat illam, vt causa principalis physica, & vtitur

vtitur Sacramento, tanquam instrumento physico, ergo non concurrit Sacramentum, vt instrumentum morale.

Respondetur tamen, quod Deus non solum causat physicè gratiam, sed etiam moraliter, quia vt causa præmians merita Christi Domini voluntariè, & liberè infundit gratiã medio Sacramento, quod dicitur instrumentum morale Dei, quoniam ipse Deus voluntariè, tanquam primum volens vult hic, & nunc Sacramentũ Baptismi applicari pauulo, & media illa applicatione passiua Sacramenti fit ipsum Sacramentum instrumentũ morale Dei, quatenus est voluntas procedens non solũ ab humana Christi voluntate, sed etiam à voluntate diuina, sicut enim in ordine agentis physici ipsum Sacramentum constituitur instrumentaliter per eleuationem, seũ motionem passiuam (vt supra dicitur) ita in genere instrumenti moralis constituitur per illam applicationem voluntariam Dei, qua mediante Deus voluntariè, & non alias confert gratiam Sacramentalem recipienti Sacramentum vt præmium meritorum Christi, iam in facto esse applicatorum ipsi Sacramento, & nõ vt præmium operis suscipientis, neque aliam rationem agentis moralis possum inuenire, neque in Deo, neque in Sacramentis.

Ex his ergo deducitur ratio in forma pro secunda parte conclusionis. Deus in infusione gratiæ Sacramentalis, non solum est causa physica, sed etiam moralis, quatenus per intellectum, & voluntatem operatur gratiam medio Sacramento voluntariè assumpto, licet quia supponitur voluntas instituendi illa ad talem finem sanctificationis, Deus ratione primę voluntatis, qua voluit illa instituì à Christo Domino, & ratione promissionis dandi gratiam medijs ipsis Sacramentis exhibitis in re, adsit quædam necessitas secundumquid, & obligatio in diuina voluntate, vt concurrat cum Sacramentis ad gratiam producendam, ergo dicendum est, quod Sacramentum supposita institutione (modo explicato) est instrumentum morale respectu Dei causantis gratiam.

Sed tamen contra istam partem conclusionis sunt aliqui Theologi moderni, quorum opera nondum in lucem prodiere, tenentes cum Magist. Soto, hic, præsenti articulo Sacramenta nullo modo posse esse instrumenta moralia respectu Dei: existimo enim, quod respectu Christi illud non negant, vt est fundamentis ipsorum constat: omnia enim contendunt vt probent esse instrumenta moralia respectu gratiæ: quia Deus qui est causa eius producit illam physicè, & quia omnis causa moralis debet habere aliquam actionem realem, qua mouetur causa physica ad producendum effectum, quam ipsi non agnoscunt in Sacramentis, ergo, &c.

Et quia nos dicimus, quod mouent moraliter diuinam voluntatem, vt in pretium meritorum Christi Deus conferat gratiam recipienti Sacramentum, quia sic ipse statuit, & promisit. Contra obiiciunt, quia hoc non videtur aliquid pręter rationem signi efficacis gratiæ promissæ, quod non videtur sufficiens causa, vt Sacramentum dicatur causa moralis, ergo.

Probatur antecedens, quia etiam chirographum Regis est signum efficax, vt quis impetret pecuniam suppositio pacto, & promissione ipsius Regis, quod tamen nullo modo dicitur esse causa moralis, nisi velis dicere, quod vocatur causa moralis, quia excitat memoriam pacti de pecunia conferenda; ergo solum hoc eodem modo dicentur Sacramẽta causæ morales gratiæ, quod tamen re vera non est esse causas morales gratiæ.

Secundo, quia sequitur quod etiã isto modo debeant dici Sacramenta antiqua causæ morales gratiæ, quod non debet admitti, cum tam causalitas moralis, quam physica gratiæ sit proprium Sacramentorum nouæ legis: ergo vt hoc inconueniens vitetur dicendum est, quod causalitas moralis non reperitur in nostris Sacramentis.

Probatur sequela. Tùm, quia Sacramenta veteris legis ex Dei intentione fuerant instituta vt ad eorum præsentiam daretur gratia, sicut & nostra, ergo: Tùm, quia significabant merita Christi venturi, & ipsa promittebant: & gratia quæ in eorum exhibitione dabatur erat ex meritis Christi futuris præfiguratis per ipsa Sacramenta, ergo erant re vera causæ instrumentales morales gratiæ.

Si autem quis dicat, quod merita Christi, quia nõdũ erant exhibita in re nõ erant applicata illis Sacramẽtis, neque à Deo, neq; à Christo, non à Deo, quia Deus non potest applicare illud, quod non est, non à Christo, quia non existebat, & res non existens, non potest habere actionem applicatiuam propriæ operationis, cum etiam nullam talem pro illo statu posit habere. Et ideò illa Sacramenta nulla ex parte erant, aut esse poterant instrumenta moralia.

Contra arguitur, admittendo quod Christus non potuit facere talem applicationem, probo quod Deus de facto fecit sic. Deus moraliter motus fuit ex meritis Christi præuisis ad conferendam gratiam antiquorum Patrum, ergo licet realiter, & physicè non applicuerit merita Christi Sacramentis antiquis, applicuit tamen moraliter pro quanto voluit dare gratiam etiam in Sacramentis illis ex præcognitione meritorum signatorum per illa.

Tertio arguitur, quia omnis causalitas moralis à nobis explicata, non transcendit rationem conditionis, sine qua non, ergo potest illa etiam tribui Sacramentis antiquis, maximè circuncisioni, in qua conferebatur gratia, sine aliqua dispositione suscipientis per sè petita.

Ad hæc tamen immediate respondetur. Ad primam, namque obiectionem supra dictum est, illa enim motio metaphorica, & moralis sufficit modo supra explicato, quæ conuenit Sacramentis per ordinem ad Christum vt hominem, tanquam causam principalem moralem.

Ad replicam respondetur, quod hæc causalitas moralis, quam cognoscimus in Sacramentis per ordinem ad Christum est motio assignata, secundum quam non respiciunt intellectũ diuinum, sed voluntatem. Vndè aliquid aliud est præter rationem signi, quia relatio signi tantum refert ipsum signum ad potentiam cognoscitiuam: illa autem ratio ordinat Sacramenta ad voluntatem diuinam, vt principiũ mouens ipsam ad causandam gratiã. Vndè non est simile illud, quod adducitur de chirographo Regio, quod præcisè habet rationem signi.

Ad secundam obiectionem respondetur, negando sequelam, ad cuius probationem respondetur, negando antecedens, si *ly sicut* dicat omnimodam proportionem: ratioque diuersitatis, clarè ex dictis colligitur, cõsistitque in hoc, quòd nostra Sacramẽta fuerunt instituta, vt medio valore Christi ipsis applicato (modo supra explicato) moueretur diuina voluntas ad implendam promissionem de danda gratia per eadem Sacramenta: at antiqua Sacramenta non sic fuerũt instituta: vndè solum habere potuerunt rationem causæ per accidens, videlicet conditionis, sine qua non.

Ad secundam probationem dico, quod etiam in ratione signi fuit maxima diuersitas: Tùm quia non significabant merita Christi, tanquã ipsis applicata, neq; significabant gratiam, vt dandam per merita Christi applicata (vt

(vt dixi ibi) atquè adeò non significa bant gratiã, vt promissam dari per ea, neque etiã promittebant merita Christi ipsius applicanda, neque gratia, quæ in illis dabatur procedebat exme ritis Christi ipsis applicatis etiã à Deo, quia illud quod non existit in differen tia aliqua temporis, vel aliquando ha buit existentiam, non potest applica ri rei existenti, & pro tẽpore pro quo existit etiam à Deo, non solum physi cè, verum etiam moraliter, quia cum esse morale præsupponat esse physi cum, illud quod nõ habet, nec habuit esse physicum, quo modo habeuit ali quid quod rei existenti possit applica ri. Per hæc etiam patet ad replicam ibi positam. Licet enim Deus deter minauerit dare gratiam ad præsentiã illorum Sacramentorum ex meritis Christi præcognitis ab ipso, non tamẽ ex metitis prẽcognitis vt applicatis, aut applicandis eis, sed prẽcognitis in se vt applicandis Sacramentis nouę legis ab ipso Christo instituendis.

Ex Vincentio presentẽ hic.

Secundo ex mente aliorum respond. quod illa Sacramenta non promittebant Christum, nequè eius merita, & sic propriè loquendo non fuerunt signa promissoria Incarnationis Domini, nequè gratiæ dandæ ex eius meritis, vt dandæ ex talibus meritis, sed dicuntur fuisse promissoria secun dumquid, in quantum promissionem factam Patribus de Incarnatione Verbi protestabantur, tanquam cæremoniæ sacræ, in quarum vsu protestabatur talis promissio, vel fides talis promissionis. Vndè sufficit, quod assigna tur illis ratio conditionis sine qua nõ ingenere moris, in quo, sicut ingenere physico potest esse aliqua conditio ad causandum. Etsi dicas, quod Sacramenta veteris legis in modo significã di differebant à Sacramentis legis naturæ, ergo erant signa promissoria. Respondeo, quod in modo explicato differentia illorum sufficienter salua tur, quia Sacramenta legis naturæ tan tum protestabantur, vt cæremoniæ exteriores, id quod interius ipsa docebat fides, & non aliquam promissionem Incarnationis Christi, quia illa non erat facta Patribus legis naturæ.

Secundo dico, quod habebant differentiam in hoc, quod habebant rationem signi magis determinati (vt sup. quæst. 61. dicitur.)

Ad tertium respondetur, negando antecedens, & ita nullo modo debet concedi Sacramentis antiquæ legis, neque etiam circuncisioni propter rationem sæpè assignatam à nobis, quæ eodem modo militat de tali Sacramẽto, atquè de alijs. Secundo potest dici ad primum, & ad istud, quod licet ista ratio causæ non transcendat rationem signi, & conditionis sine qua nõ, tamen quia nos ponimus statim verã causalitatem physicam in Sacramentis respectu Dei, quamuis primum sit commune nostris, & antiquis Sacramentis, non tamen secundum, & ita in hoc excedunt nostra Sacramenta illa antiqua, & addunt aliquid ad rationem signi; similiter etiam in illo priori excedunturà nostris Sacramentis Sacramenta antiqua, quia excellẽtiori modo sunt signa gratię, & meritorum Christi, & aliàs habent in se valorem illorum applicatum, & ideò de illis dicitur, quod habent virtutem, & quod continent gratiam, quam significant, de alijs verò antiquis, quod erant vacua, & egena elementa.

Tertia conclusio. Sacramenta nouæ legis sunt instrumenta physica gratiæ, & nõ solũ moralia, itaq; eo modo quo dictũ est in prẽcedẽticõclusione, Deum esse causam gratiæ non solum ingenere physico, sed etiam ingenere morali, ad eum modum volumus explicare in hac conclusione, quod Sacramenta in vtroque genere sunt instrumenta efficientia Dei in ordine ad gratiã, & quidẽ quia in cõclusione præcedẽte probatũ, & explicatũ est Sacramẽta esse moralia instrumẽta in præsenti probandum tantum est esse

instrumenta physica. Antequam rationibus probetur explicare intendo conclusionem istam esse expressam sententiam D. Tho. in primis in hoc art. in corp. vbi distinguens duplicem causam principalem, & instrumentalem respectu gratiæ ait: *Quod solum Deus est principale agens, eo quod gratia est quædam participata similitudo diuinæ naturæ, & Sacramenta* (ait) *quod sunt instrumenta Dei, quibus proinde non assimilatur gratia, sicut lectus non assimilatur fabro, sed arti quæ est in mente artificis*, in quibus verbis expressè loquitur de causis physicis, vt patet ex contrapositione, & comparatione effectus ad Deū, & ad Sacramenta patet ex ratione, qua probat solum Deum esse agentē principalem gratiæ, quæ desumitur ex esse physico gratiæ, quod solum potest contineri in forma propria Dei, quia ipsi soli assimilatur, patet etiam ex exemplo, quod de causa physica principali, & instrumentali procedit.

D. Tho.

Deinde, quia Deus non solū est causa moralis, sed maximè physica vnica & sola principalis propter rationem D. Thom. ergo cum Sanctus Doctor comparat Sacramenta ad Deum in ratione causæ gratię, loquitur in illo genere in quo considerat Deū causam gratiæ, sed ipse est causa principalis physica, ergo in hoc eodē genere intelligendum est Sacramenta esse instrumenta, scilicet, physicè, aliàs non vniuocè compararet D. Thom, Sacramenta ad Deum in ratione causæ.

Præterea in solutionibus argumentorum idem docet, maximè in solutione ad 2. & 3. vbi in solut. ad 2. duplicem actionem instrumenti distinguit, & loquitur de physico, vt expressè ex contextu in exēplis positis patet, & quia actio corporalis Sacramentorum, quæ physica est assignatur à Sancto Thom. tanquā actio propria, & prærequisita ad exercendam actionem instrumentalē, quæ est ablutio animæ: omnia enim hæc quis dubitat ad genus agentis physici pertinere. Deinde illud quod dicit ad 3. ipsum procedere de Deo, vt est causa principalis gratię, quod est proprium Dei; non autem procedit de omnimodo causandi, & ita virtualiter infert Sacramenta posse esse instrumentales causas: Hoc, inquam, etiam constat intelligi de causa physica, quoniā in genere moris non est propriū Dei causare gratiam principaliter, imò loquendo de rigurosa causa morali, quæ est per modum meriti, & impetrationis, nullo modo conuenit Deo vt Deo, esse causam principalem gratiæ, sed tantum Christo, vt homini, & eius humanitati. Multa alia documenta D. Thom. ex varijs locis suæ doctrinę adducunt hic Commentatores Cabrer. Suar. disp. 9. sect. 2. propter quæ omnes Thomistę huius temporis cōmuniter tenent, Sacramenta instrumentaliter physicè attingere productionem ipsam gratiæ, & non tantum alicuius dispositionis ad gratiā, vt aliqui antiqui Thomistę dixerunt, neque tantum vnionem gratiæ cum anima, aut hominem gratum esse, vt sentiunt Sot. & Caiet. super *istum* articulum.

Probatur modo conclusio hac ratione. Modus causandi gratiam instrumentaliter physicè extollit maximè dignitatem Sacramentorum nouæ legis, & aliàs nulla est repugnātia, quod talis modus causæ communicetur à Deo ipsis Sacramentis, ergo dicendū est, quod de facto est illis communicatus. Consequentia patet, quia id de facto est admitendum conuenire Sacramentis, quod maximè extollit dignitatem illorum, si aliàs hoc conueniat dictis Conciliorum, Sanctorumque Patrum, sed iste modus causandi gratiam est huiusmodi, ergo, Minor primi syllogismi sic probatur: nam de facto secundum fidem asserendum est, quod ignis inferni, & si sit res corporea virtute diuina attingit animam illam cruciando, ergo in hoc, quod res cor-

corporea eleuetur virtute diuina ad agendum effectum spiritualem nulla est repugnantia, vt fatetur Suar. hic disput.9.sect.1.§.nihilominus dicendum est,& ponit exemplum in Christi Domini humanitate,quæ licet aliquid corporale,& materiale sit, tamē virtute verbi gratiam de facto producit in animabus nostris. Minor verò secundi discursus probatur:nam Concilia,& Sancti Patres absolutè docēt, quod Sacramenta nostra continent, & causant gratiā,ergo ponere, quod causant physicè illam, consonum est dictis Conciliorum,& Sanctorum Patrum,dicendum ergo est de facto esse instrumenta physica gratiæ.

Confirmatur.Concilium Tridētin.Sess.7.Can.6.diffinit Sacramenta nouæ legis continere gratiam, sed hæc continentia, non potest optimè explicari,ni dicamus,quod Sacramēta sunt instrumenta physica gratię,ergo ita debet dici. Minor probatur, quia illa continentia,non potest esse formalis,cum gratia ipsa non sit formaliter in ipsis Sacramentis: nec etiam potest esse tantum continentia signi,qua ratione signum dicitur continere signatum, quia hæc continentia etiam reperiebatur in Sacramētis antiquis:restat ergo,quod sit continē tia virtualis secundumquam causa cō tinet effectum,cum autē non sit principalis causæ continentia,erit instrumentalis.

Et si dicat quis, posse optimè expli cari Concilium de continentia veluti morali contra hoc est:nam attendē do ad proprietatē sermonis causa moralis sub hac formalitate non cōtinet effectum in se,sed respicit effectum cō tentum in causa physica, vt patet de consulente,præcipiente,exhortante, & imperrante,omnes enim istæ causę morales respiciunt effectum contentum in aliqua causa physica,& ab illa prædicendum,ergo si Sacramenta nouæ legis dicuntur à Concilio continere gratiam,quam significant, vt in sermone proprio intelligantur debet intelligi de continentia causæ physicæ instrumentalis.

Confirmatur secundo, nam quando Concilium Florent.in decreto super vnionem Græcorum,& Armęnorum docet Sacramenta nouæ legis differre ab antiquis,quia gratiam continent,& causant:Sacramenta autem antiqua id non faciebant, magis strictè,& in rigore intelliguntur illa verba in nostra sententia,quam ponendo solùm causalitatem moralem:imò alii qui Thomistæ asserunt,non posse intelligi talem differentiam ponendo solùm causalitatem moralem. Cæterum hoc nōsnon intēdimus,sed quod magis strictè, & rigorosè, & clarius assignata differentia à Concilio percipitur constituendo causalitatem physicam:cum ergo ex tali riguroso sensu nullum sequatur inconueniēs, sed potius magis extollat excellentiam nostrorum Sacramentorum(vt dictū & probatum manet in ratione principali)ita dicendum est.

Secunda ratio principalis sit desumpta ex formis Sacramentorum, quæ si propriè sumantur actionē physicam erga gratiam significant, vt in Baptismo:*Ego te abluo*,in pœnitentia:*Ego te absoluo*, & in Eucharistia cōmuniter fatentur Doctores in verbis consecrationis esse virtutem ad transubstantiandum panem in corpus Christi, at transubstantiatio actio physica,& supernaturalis est,ergo ne impropriè formæ istę explicentur fatendum est,Sacramenta habere virtutem physicam,qua mediante tāquam instrumēta physica causant gratiam.Probatur consequentia:nam illa verba in Baptismo significāt, quod minister mediantè Sacramēto absterget animam à peccato.Similiter verba formæ in pœnitentia significāt, quod Sacerdos mundat animam à peccatis illa remittendo,sed isti effectus fiunt formaliter à gratia supernaturali, ergo efficienter physicè à Sacramentis,

& ministerialiter à ministris illorum: patet consequentia: nam si ita nõ est, non potest verificari in proprietate sermonis, quod Sacerdos mediante Sacramento remittit peccata, & absoluit ab illis, cum re vera Sacramentũ, quod minister conficit, & tribuit non causet grariam, sed solum ipse Deus præsente Sacramento illam confert, ergo vt ab isto incõueniẽti liberi eua damus dicendum est, quod Sacramenta ipsa conferunt efficienter physicè gratiam liberantem animam à peccatis.

Confirmatur, quoniam id sonant verba Ioan. 3. de Baptismo. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* & similiter verba Ioann. 20. *Quorum remiseritis peccata remittũtur eis.* Similiter Ioann. 6. *Caro mea vera est cibus, & qui manducat meam carnem viuet in æternum.* In quibus verbis Sancti Patres docent illis Sacramentis datam mirabilem virtutem ad regenerandum spiritualiter, ad resuscitandum, seũ sanandum spiritualiter, & ad augendam vitam spiritualẽ, qui omnes effectus physici sunt, & supernaturales, ergo virtus data Sacramentis ad illos etiam est physica, & supernaturalis. De testimoniis Patrũ videatur Nuño hic Cabr. & Suar. Section. 2. cit.

Ioan. 3.

Si autem dicat quis, ad rationes omnes factas sufficere ad saluandum cum omni proprietate intentum nostrum, quod Sacramenta attingãt effectiuè hoc quod est animam esse gratam de non grata, vt ait Caiet. in responsione ad arg. Scoti, & etiam Sotus, vel quod causant dispositionẽ ad gratiam, vt voluit Ferrara 4. Contrag. cap. 7. contra Caiet. est; quod in illo modo dicendi non soluatur, quod Sacramenta attingant productionẽ gratię propriè loquendo; sed ad multum vnionem gratiæ cum anima, sed loca sacræ Scripturæ, iuxta communem Patrum expositionem, & Concilia sacra docent, quod Sacramenta nostra verè causant gratiam: ergo non sufficit distinctio illa. Discursus est optimus, & minor est iam manifestata in rationibus. Maior probatur, quia licet homo attingat vnionem animæ cum materia, non sequitur quod producat animam ipsam, sed tãtum quod vniat ipsam, quoniam vnio formę, & productio formæ sunt diuersæ actiones, ergo benè potest intelligi, quod Sacramenta faciant effectiuè animam sanctam, & gratam vniendo gratiã cum ea, & tamen quod non producant gratiam ipsam, ergo dicendo solũ, quod Sacramenta faciunt hominem gratũ, non attingendo productionem qualitatis gratiæ non saluatur simpliciter, & propriè quod causent gratiam, magis ergo conforme est Sanctis, & Cõcilijs, sententiam D. Thom. in rigore à nobis expositio defendere, siquidem verè, & simpliciter, & cum proprietate saluatur excellentia nostrorum Sacramentorum consistens in continentia, & in causalitate gratiæ.

Cõtra Ferrar. & alios, pluribus possum argumẽtari: nã in primis illa dispositio ad gratiã, nõ est ipsa gratia, ergo sicut homo attingens dispositionẽ ad gratiã nõ dicitur attingere gratiã, ita nec Sacramenta propter illã dispositionem quam attingunt, dicentur causare gratiam propriè loquendo.

Deinde, nam vel illa dispositio est vera dispositio ad gratiam vel non, si primum, ergo est aliquid supernaturale, ergo eadem difficultas est de productione illius procedente à Sacramẽtis, atquè de gratia, sicut ergo illam possunt attingere Sacramenta virtute diuinæ eleuationis, ita etiam dicendum est, quod virtute eiusdem eleuationis possunt gratiam causare, vel si istam non possunt, nec qualitatẽ disponentem; si autem dicatur, quod est naturalis, non sufficit vt dicamus Sacramenta ratione illius attingere, etiam mediatè gratiam, quia naturalis forma, nullo modo est dispositio ad gratiam: Relinquitur ergo nostra opinio

pinio, tanquam omnium probabiliſsi ma.

Ad argumenta à principio reſpõ detur. Ad primum explicando illam propoſitionem maiorem, quę deſumi tur ex D. Tho. citatis locis ibi, quod quando D. Thom. dixit de ratione in ſtrumenti eſſe, quod habeat aliquam operationem propriam, & quaſi diſpoſitiuam non eſt intelligendus loquendo vniuerſaliter de omni inſtrumẽto, taliter quod prærequirat actionem propriam, per quam aliquid operetur in ſubiecto illo, in quo recipitur effectus cauſę inſtrumentalis: Sed tantum expoſcit Doctor Sanctus, quòd omne inſtrumentum habeat aliquam operationem ſuæ formæ proportionatam in quocũque ſubiecto illa ſiat, per quam inſtrumentum poſsit quaſi determinare actionem agentis principalis, & quaſi modificare illam, vt media tali determinatione, & modificatione communicetur effectui principali, & ſubiecto in quo talis effectus eſt recipiendus, & iſto modo omnia Sacramenta habent aliquam actionẽ ſaltim circa corpus vnitum animæ in qua recipitur gratia, quæ eſt effectus principalis procedens à Deo tanquã à principali cauſa. Ita videtur explicare ſe ipſum Doctor Sanctus in præſenti art. ſolut. ad 2. dum poſtquam explicuit duplicem actionem inſtrumenti vnam propriam, alteram communicatam à cauſa principali, dicit, quod ſic Sacramenta corporalia per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod attingunt efficiunt operationem inſtrumentalem circa animam, ſicut aqua Baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem abluit animam in quantum eſt inſtrumentum virtutis diuinæ.

Et ſi dicas, quod actio propria inſtrumenti ſi iſto modo explicetur, nõ poteſt dici, quod ſit operatio diſpoſitiua ad effectum principalis agentis, vt patet in exemplo ablutionis corporalis, quæ antecedenter ad eleuationem Dei, non eſt diſpoſitio aliqua ad gratiam in anima recipiendã, nec habet aliquam connexionem ſecundum ſe cum tali forma. D. autem Th. loco citato primæ partis vult, quod talis actio propria, ſit talis, vt per illam dicatur cauſa inſtrumentalis diſpoſitiuè operari ad effectum principalis agentis: ergo explicatio eſt nulla. Reſpondetur tamen, quod illa operatio propria vocatur à D. Thom. diſpoſitiua ad effectum principalis agentis ſecundum rationem quandam communem, ſecundum quam illud, quod prærequiritur ad aliud dicitur diſpoſitiuè ſe habere ad illud, ideſt antecedenter ſe habere, & iſto modo optimè verificatur, quod actio propria Sacramenti ſit diſpoſitiua ad actionem inſtrumentalem, quam participat à ſuperiori agente, quia eſt prærequiſita, & antecedenter ſe habet neceſſariò vt recipiat virtutem inſtrumentalem ad aliam actionem exercendam.

Et ſi dicas, quod illa actio non attingit animam, ergo non poteſt producere gratiam in illa. Reſpondetur cum D. Thom. hic ſolut. ad 2. quod virtute diuina poſſunt Sacramẽta per propriam operationem efficere actionem inſtrumentalem circa animam, in illa gratiam producendo ſpiritualiter, quia talis actio contingit totum hominem, qui eſt adæquatum ſubiectum ſanctificationis Sacramentalis.

Secundo ex mente ſapientiſsimi Thomiſtæ dicitur, quod quamuis talis actio non attingeret animam, nec aliquid hominis, ſed aliud extrinſecũ poſſet virtute diuina eleuari ad gratiam cauſandam in anima, ex eo quod diuina virtus non alligatur loco, & tempori, ſicut propter iſtam rationẽ dicunt communiter Theologi, quod Deus poteſt facere, quod ignis exiſtens Romę calefaciat corpus exiſtẽs hic, & ignis inferni mediante propria actione, per quam virtute propria nullo modo attingit animã virtute diuina

Ioannis Vincẽtij

na agit in illas, quoniam quælibet actiuitas est capax, vt à Deo eleuetur ad instrumentaliter operandum effectum, quem ipse vult producere medio tali instrumento, & sic intelligenda est modificatio explicata consistit namque, non in hoc, quod ipsum instrumentum habeat virtutem ad modificandum, seu determinandum actionem, & virtutem Dei, sed in hoc, quod Deus ipsi se vult accomodare, vt per talem actionē instrumenti operetur, & non se solo tantum.

Secūda solutio cōmunis argumento principali, licèt nō clare assignetur à pluribus auctoribus cōsistit in duob⁹: primùm est, quod D. Thom. nomine actionis non intelligit actionem propriè dictam, per quam instrumentum propria virtute aliquid operetur distinctum realiter à termino producto vltimatè per actionem agentij principalis, neque in eodem subiecto, nec in alieno, sed intelligit aliquid per modum actionis. Fundamentum huius est: quia D. Thom. illud verbum, *dispositiuè* in rigore non sumpsit: cū pateat instrumenta, quæ solum sunt talia ex diuina eleuatione nihil propriè dispositiuè operari, neque admiracula, neque ad gratiam; sed pro tāto dicitur instrumentum operari dispositiuè pro quanto talis operatio, vt propria instrumēti est necessario prorequisita ad participandum eleuationem Dei, seu actionem ipsius, per quā est producendus effectus per sè intentus à Deo. Videatur Cabr. 3. par. quæstion. 13. art. 2. disput. 1. §. 4. à numer. 88. vsquè ad 96. Secundum in quo solutio consistit est explicatio huius, quod se habet ad modum actionis, quod aliqui cum Caiet. loco modo citato dicunt esse delationem diuini imperij, seùdiuinę virtutis ad effectum, quę est proprium cuiuscunque rei à Deo assumptæ vt instrumēntum ad operationem, quam vult media illa producere, & non aliàs, & dicitur dispositiua, quia est prærequisita: alij vero cum Mag. Bannes, dicunt talem actionem esse quandam veluti determinationem, siue applicationē diuinæ virtutis ad effectum intentum à Deo, quæ actio vocatur dispositiua, quia necessariò prærequisita, eo quòd si illa non ponatur frustra assumeretur instrumentum ad operandum effectum: nam si nihil omnino agit saltim determinando, & applicando virtutē Dei, solum ipse Deus diceretur immediatè se solo operari, & instrumentū propriè loquendo non diceretur operari actionem principalis agentis: Huiusmodi autem actio modo explicata optimè reperitur in omnibus Sacramentis nouæ legis: nam omnia determinant propriam virtutem Dei illam que applicant, siuè deferunt ad effectum producendum in anima intentum per sē ab ipso Deo.

De ista solutione legatur Magist. Bannes 1. part. quæst. 45. art. 5. post 4. concl. vsque ad §. *Ad argumēta respondetur*, & legantur ibi Interpretes D. Thom. in quibus varias expositiones videbitis rationis ipsius, qua probatur ibi nullam creaturam posse assumi, vt instrumentum ad creandū, quę adducta est contra nostram resolutionem in præsenti: legatur etiam Cabr. hic disput. 3. num. 147. & sequentibus, est tamen dissidium inter Authores in hoc, quod aliqui cum Mag. Ban. dicunt, quod vt instrumentū aliquod propriè loquendo dicatur determinare, & applicare virtutem Dei debet per aliquam actionem distinctā, quæ sit propria actio facere illam applicationem, & isti in nullo differūt ab assignantibus primam solutionem, idē docet Caiet. supra quæst. 13. art. 2. §. *Dicendum est ergo ad quæstionem.*

Alij vero cum Mag. Nuño hic difficult. 7. docent, quod sufficit vera, & realis entitas, vt deferat diuinam virtutem, illamque applicet quęlibet solutio, siuè isto modo vltimo, siuè priori explicetur est mihi valdè probabilis; verum tamen fateor primum mo-

dum,

dum dicendi Mag. Bann. esse magis ad mentem D. Thom. loco citato, & in illo melius saluatur, quod nõ possit indiscriminatim quælibet res assumi, vt instrumentum Dei ad quemlibet effectum; sed debet esse necessariò res actiua, seû ipsa actio, quod tamen non videtur saluari in illo modo dicendi Mag. Nuño: siquidem omnis entitas realis, sine aliquo discrimine potest assumi à Deo ad quemlibet effectũ, similiter saluatur optimè, quod nulla creatura possit assumi à Deo, vt instrumentum adcreandum aliã, quia nulla res potest agere propria actione circa nihil, etiam per modum deferentis, & applicantis media tali actione virtutem diuinam ad effectum, quem Deus intendit, qui est productio totius entis in quantũ ens ex nullo præsupposito ente.

Ad confirmationem principalis argumenti respõdetur explicando, seù distinguendo maiorem, debet agere per contactum formalem, & quantitatiuum, nego maiorem, per contactum virtualem, concedo maiorem, & tunc distinguo minorem, non potest contingere animam contactu formali, & entitatiuo, concedo minorẽ propter rationem ibi assignatam; nõ potest cõtingere virtualiter, nego minorem: hunc autem contactum virtualem ego sic intelligo: non quod cõsistat in hoc, quod instrumentum per virtutem participatam à principali agente contingat passum producendo effectum agentis principalis in ipso, sed in hoc quod instrumentum etiam Dei per virtutem suam contingit passum deferendo, & applicando diuinã virtutem ad effectum in ipso producendum, & istum contactum sic expositum iudico, nõ posse suppleri à Deo, quia licet non sit ratio formalis, est tamen conditio essentialis ad agendum tenens se vt dispositio in genere causæ materialis, vt instrumentum recipiat actionem causæ principalis.

Et si contra obiiciat quis, quod cõtactus virtualis est ipsa productio effectus in passo mediante virtute in causa existente, siuè principalis sit, siuè instrumentalis, ergo est petitio principij, & non soluitur argumentum, in quo intendimus, quod contactus distinctus à productione effectus, quę est contactus virtutis, est necessarius vt causa contingat passum sua virtute producendo effectum.

Ad hoc respondetur, quod contactus virtualis, quem nos assignamus est distinctus saltim formaliter à contactu, qui est productio effectus, & ad illum sic constituendum moueor ratione facta, & non sequor rationem communem, quam videre potest quis in Mag. Nuñ. hic difficultate citata, solut. 2. ad 4. arg. ibi inuenientur aliæ duæ solutiones, quæ aliquam probabilitatem habent.

Et si inquiras, quo modo in causa principali intelligendum est, quod debet agere per contactum. Respondetur, quod in agentibus materialibus communiter intelligitur, de contactu physico, & quantitatiuo: nam omne agens physicum vt agat circa aliquod passum requirit approximationẽ quãtitatum, ita vt quantitas agentis contingat quantitatẽm patientis, & sint contigua, & isto modo contactus in prædictis causis est conditio ad agendum, & ita per Dei potentiam supplere potest, & fieri (verbi gratia) quod ignis existens Vallis-Oleti comburat existentes in alio loco, quoniam est conditio extrinseca se tenens ex parte approximationis, seù applicationis passi, & non est intrinseca se tenens ex parte rationis formalis operandi, & in hoc sensu optimè dicunt Doctores in præsenti, quod licet Sacramenta non habeant contactum physicum circa animam, imò neque circa totũ hominem, potest Deus per illa operari gratiam solo contactu virtutis existente.

Si vero loquamur de agente immateriali solum intelligitur illa communis

munis propositio de contactu virtuali, & patet: nam Angelus mouens cœlum solum sic contingit ipsum, imò de causis vniuersalibus solum sic potest intelligi talis propositio: etenim sol, aut etiam cœlum tantum virtualiter contingunt corpora inferiora in quę agunt. Et si inquiras in quo distinguatur iste contactus ab illo, qui est productio effectus.

Respondetur, quod entitatiuè, & realiter non est necessariū, quod distinguatur, sed sufficit, quod velut formaliter distinguatur ad eum modū, quo D. Caiet. 3. part. quæst. 13. art. 2. §. supra citato docet, quod actio propria instrumenti non est distincta realiter ab actione agentis principalis ipsi communicata, sed sufficit quod distinguatur ratione formali, & quēadmodum dixi, quod actio propria instrumenti, & eius contactus proprius virtutis consistit in determinatione virtutis agentis principalis, & applicatione eiusdem ad passum, ita in præsenti dico, quod contactus virtutis necessarius præsuppositiuè in causa principali, vt contingat effectum per cōtactum virtutis, qui est productio eius consistit formaliter in determinatione, & applicatione virtutis, & cōcursus causę primę ad ipsum passum, quę applicatio licet sit eadem actio, quæ est productio effectus, tamē per prius natura consideratur, vt applicatio, & delatio virtutis Dei, quam vt productio effectus, & ideò habet duplicem formalitatem cum ordine explicato.

Ad secundam partem confirmationis respondetur, quod etiam in illo casu saluatur optimè contactus virtutis iam à nobis explicatus. Videatur alia solutio in Mag. Nuño loco citato in 3. solut. ad 4.

Ad secundum principale respondetur, negando antecedens, ad probationem, admisâ maiori, nego minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem, non sunt capacia ad recipiendam virtutem supernaturalem, & spiritualem, quæ sit spiritualis formaliter, & entitatiuè, concedo maiorem propter rationem factam in probatione ipsius maioris, quæ sit spiritualis virtualiter, nego maiorem, est hæc solutio etiam assignata inter arguendum.

Ad replicam respondetur, non potest esse proportionata cum respirituali secundum propriam formam absolutè consideratam, concedo antecedens, consideratam respectiuè, id est, vt est participatio virtutis simpliciter spiritualis, nego antecedens, & tunc distinguo consequens, non potest continere rem spiritualem in sua virtute, quatenus præcisè est corporalis transeat, quatenus ipsa virtus est virtualiter spiritualis, nego consequē tiam, vel aliter distinguo, nō est proportionata res corporea cum re spirituali si sit totaliter, & omnibus modis corporea, concedo antecedens, si aliquo modo sit spiritualis, nego antecedens, & tunc potest negari absolutè consequentia.

Vltimo distinguo, non est proportionata vt causa principalis, concedo antecedens, vt instrumentalis, nego antecedens, & eodem modo dicendū est ad consequens. Sit exemplum huius solutionis in corpore cœlesti, quod mediante suo motu causat vitā in his inferioribus, vt docet D. Tho. 1. part. quæst. 70. art. 3. ad 3. & tamen talis motus non est inse formaliter vitalis, sed naturalis, & corporalis, tamen quia virtualiter est vitalis, scilicet in quantum procedit ex virtute motoris sui, qui est substantia viuens scilicet Angelus; ideò potest causare vitam, quoniam tātum agit vt instrumentum Angeli viuentis.

Ita similiter Sacramentum corporale mediante virtute corporali in ipso recepta, quia quatenus procedit à Deo, qui est substantia simpliciter supernaturalis, & spiritualis est virtualiter spiritualis, potest optimè mediāte illa causare gratiam instrumentaliter

liter in anima, est etiam aliud exemplum huius doctrinę in phantasmatè, quod quidem materiale est, vtpotè actus potētiæ materialis, & tamē quatenus mouetur ab intellectu agente efficitur virtualiter spirituale, & ita virtute talis motionis attingit instrumētaliter intellectum possibilē producitque in illo speciem intelligibilē, idem etiā, his exemplis motus, maxima cum probabilitate dicendū est in præsenti: infrà verò, artic. 4. vbi D. Thom. ex professo inquirit de virtute, quæ cōmunicatur Sacramētis ad productionē gratiæ magis diffusè explicabitur quidditas huius virtutis.

Ad confirmationem resp. primo cōmuni solutione distinguendo maiorem: nulla res potest agere extra sphęrā sui obiecti adæquati tanquā causa principalis concedo maiorē, tanquā causa instrumentalis, nego maiorem. Ratio huius est, quia cum causa principalis sit illa, quæ operatur per virtutē propriā, ratione cuius assimilat sibi effectum, implicat etiam de potentia Dei absoluta, vt eleuetur, vt agat tanquā causa principalis extra suū obiectum adæquatum, & specificatiuū, quoniam ad illud non habet virtutē ordinatam, & ita non potest vt causa principalis concurrere; at verò instrumentum vt sic semper agit extra sphęram suæ natiuę actiuitatis participando actiuitatem agentis principalis, atquè adeò potest agere circa omnem latitudinem obiecti causę principalis, nisi ex alio capite repugnet. Vndè quælibet creatura, siuè corporalis, siuè spiritualis sit, siuè potentia vitalis, siuè non vitalis sit potest eleuari, vt agat tanquam instrumentum vltra latitudinem sui obiecti, dummodo sit infra obiectum actiuitatis causę principalis, aqua eleuatur.

Neque ex hoc potest inferri, quòd potentia visus possit eleuari, vt instrumentaliter audiat: nam respondetur, quod omnis actio vitalis in quantum talis procedit essentialiter à principio intrinseco vitali, tanquam à principio principali. Vnde repugnat ei, quod ab aliquo instrumentaliter procedat: Si autem non esset talis repugnantia benè posset eleuari ad quancumque aliam actionem, vt (verbi gratia) intellectio mea potest assumi à Deo, vt instrumentum ad causandam gratiam, & similiter potentia ipsa intellectiua mediante sua actione potest ad quamlibet actionem non vitalem eleuari, & per hęc patet ad exempla quibus probatur maior in argumento.

Secundo respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem dupliciter, obiectum virtutis corporalis omnibus modis concedo, virtutis corporalis, quæ est virtualiter saltim spiritualis, nego minorem: aliter distinguo minorem: obiectum eius in quantum est virtus constituens causam principalē, concedo minorē propter rationē factam in argumēto. Obiectū eius vt constituit causam instrumentalem ex subordinatione ad causam principalem spiritualem, nego minorem: secundum tamen vt sic est, quidquid spirituale est potest produci à Deo mediante aliquo instrumento. Vndè dicendum est, quod gratia non est extra spheram obiecti Sacramentorum, & virtutis eorum, quatenus formaliter constituuntur ex diuina eleuatione in ratione diuini instrumenti, quoniam vt sic proprium obiectum specificatiuum est omne illud ad quod possunt à Deo eleuari.

Ad vltimam partem argumenti de proportione necessaria inter causam, & effectum.

Respondetur, quod inter causam principalē, & effectū requiritur perfecta proportio, & cōueniētia in forma completa; at verò inter instrumentum, & proprium effectum instrumentalem sufficit, & requiritur pro-

portio imperfecta, & diminuta, quæ consistit in participatione motionis, & virtutis agentis principalis.

Ad tertium argumentum iam patet quid dicendum sit ex dictis in solution. ad 1. & in solution. ad confirmationem secundi argumenti.

Ex quibus dico, quod quælibet res actiua potest assumi à Deo, vt instrumentum ad aliam efficiendam, si aliàs non sit repugnantia specialis, nõ vero potest assumi, vt instrumentum res non actiua. Vndè sequela, qua probatur id esse falsum, nihil probat cõtra istam solutionem: nam in hoc quod eleuetur potentia visiua, vt instrumentum ad eliciendam visionem beatam Dei, est specialis ratio contra dictionis: quia est actio vitalis petèns ex sua natura, quod eliciatur à principio intrinseco vitali coniuncto in vita substantiali: exemplum autẽ, quod ponitur de relatione creata admittitur hic à Suarez disputation. 9. sect. 1. §. *Tertia vero difficultas circa medium*, & posset etiam admitti à tenẽtibus doctrinam Magistri Nuño sup. breuiter citatam. Cæterum in solutionibus, quas nos sequti sumus minimè est admittendum illud posse fieri, quia relatio non est actiua aliquo modo, neque est receptiua immediatè alicuius mutationis, vt docet Aristotel. 3. Physicor. Vndè non potest recipere in se ipsa diuinam eleuationem, cum sit mutatio passiua rei, quæ eleuatur: imò propter hanc rationem existimo, quòd est falsum dicere cum Nuño, omnem entitatem veram, & realem esse eleuabilem à Deo, vt instrumentum ipsius adquamlibet actionem.

Ad illud vero de relationibus diuinis respondetur, quod præter istam rationem repugnantiæ communem ipsis, & creatis est alia ratio contradictionis consistens in hoc, quod relationes diuinę cum sint infinitæ contra suam infinitam perfectionem est, quod assumantur vt instrumentum, quia ratio instrumenti intrinsecam inuoluit imperfectionem (vt optimè aduertit Suar. vbi supra.)

Ad quartum hic Suar. sect. 2. dis. 9. ad 5. docet, quod loquendo propriè de passione Christi prout fuit quædam mutatio iam præterita falsum est dicere, quod est causa physica nostræ iustitiæ: negat tamen consequentiam, & negandum est primo antecedens.

Ad cuius probationem facile ex eius doctrina ibidem, potest dici, quod Sacramenta causant gratiam in virtute passionis Christi, ideſt in virtute, quam Christus sua morte, & passione meruit vt ipsis Sacramentis cõmunicaretur: non tamen quia virtus physica deriuetur per verum influxũ à passione Christi, vt instrumẽto physico vniuersali Dei coniuncto eius diuinitati communicatur ad ipsa Sacramenta, quę solutio vt à disputatione prolixa de modo, quo passio Christi causat gratiam, quæ pertinet ex professo ad locum citatum in argumẽto, & ad quæst. 56. huius partis art. 1. sufficiens erat, & contra illam non militat ratio de non existentia illius facta in argumento. Cæterum, quia hæc solutio videtur contra D. Thom. & omnes eius discipulos.

Secundo ad argumentum respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem, ad probationem primã ex authoritate D. Thom. desumptam. Respondetur, quod ibi expressè videtur ponere causalitatem physicã, non solum, quia solutio argumẽti debet intelligi, iuxta conclusionem in corpore positam, in qua ponit passionem Christi, & omnes actiones, & passiones instrumentum ad nostram salutẽ, sicut ipsa humanitas verbi est instrumentum diuinitatis, quam omnes fatentur instrumentum physicũ esse respectu nostrę salutis, & miraculorum (vt docet ipse D. Thom. sup. q. 13. art. 2. & omnes Theologi cum ipso ibidem) nõ solum ergo propter istam

tam rationem est intelligendū, quod Doctor S. in loco citato in argumento, ponat causalitatem veram, & efficientem physicam in passione Christi, sed quia in verbis ipsis solutionis illud satis indicat dum dicit, quod passio Christi ex diuinitate vnita habet spiritualem virtutem licet sit corporalis ipsa. Statimque subdit: *Et ideò per spiritualem contactum efficatiam sortitur, scilicet per fidem, & fidei Sacramenta.* In quibus verbis ponit Doctor Sanctus contactum spiritualem fidei, vt medium necessarium, vt ipsa passio efficatiam habeat in actu secundo respectu nostræ gratiæ, quia nisi crediderimus passionem Christi, & eius applicationem ad Sacramenta nō causabit in nobis gratiam, & iste contactus fidei etiam est prærequisitus vt ipsa Sacramenta vt instrumenta separata, nos iustificent secundum efficatiam in actu secundo. Vndè Doctor S. tantum abest, quod ibi neget causalitatem physicā passioni Christi respectu nostræ gratiæ, quod potius illā completè explicat cum omnibus requisitis ad actualem operationem, tam ex parte fidei, quam ex parte Sacramentorum: quia sunt instrumenta separata.

Ad probationē autem minoris ex ratione desumptam multis Thomistarum solutionibus relictis. Respondetur distinguendo minorem: non existit modo virtualiter, nego minorem: formaliter concedo minorem, & nego consequentiam, quia sufficit existentia virtualis causæ efficientis ad operationē, vt in multis exēplis physicis inuenies: Si autem inquiras, quid sit illud in quo virtualiter existit modo passio Christi. Respondetur, quod existit in humanitate, quatenus per ipsam fuit realiter immutata, & affecta, & ita passio Christi in facto esse consideratamodo aliquo modo existit, & pro tanto dicitur modo causare gratiam, in quantum humanitas Christi vt sic immutata realiter, & affecta assumitur à Deo, vt instrumentum cōiunctum ad nostram iustificationem causandam, quod videtur insinuare D. Th. in corpore articuli citati, dum ex hoc, quod humanitas Dei est instrumētum infert, quod etiam omnes eius affectiones, & actiones habent rationem instrumenti, quod certè debebat aduertere P. Suar. nè diceret falsum esse, quod communiter sentiunt Thomistę, quia ipse statim in hāc doctrinam videtur incidere, vt patebit legenti. Videte circa istam resolutionem D. Caiet. 3. p. q. 56. art. 1. circa solut. ad 3. Mag. Medin. ibid. Ioann. Vincent. relect. de gratia Christi, fol. 814 Cabr. hic §. 12. in solut. ad 1. & sup. q. 19. art. 1. disp. vnic. num. 61.

Ad quintū resp. pro nunc distinguēdo, seu explicando maiorē, quę debet intelligi quantū est ex parte Sacramētorū: sic enim semper habent virtutē physicam ad causandā gratiā, & tunc nego minorem, quæ eodē modo debet subsumi, ad cuius probationē trāseat consequens. Ex quo non sequitur aliquid contra conclusionē nostram, quæ intelligitur in sensu formali, & perse loquendo: illud autē contingit per accidens, propterea quod, sicut à principio, quando accessit quis fictē ad Sacramentum, defectu conditionis requisitæ ex parte suscipientis Sacramentum non causabit suum effectū, ita postea quando cōfertur in virtute Sacramenti transacti censetur solum moraliter in virtute illius dari: quia tunc deest conditio altera intrinseca ex parte ipsius Sacramēti ad causandum physicè, nempè existentia vera, & realis. Et si dicas etiam ad causandum moraliter requiritur existentia: ergo. Respondetur, quod sufficit existentia moralis, quam habet Sacramentum, sicut alia bona opera transacta in acceptatione diuina manēt moraliter, manet enim acceptū Deo Sacramētū in ordine ad gratiā causandā suo tēpore. Alij verò dicūt, quod etiā in illo casu procedit gratia à Sacramē

to phisicè, quia habet existentiam virtualem ratione mutationis realis voluntatis suscipientis, quæ est effectus immediatus Sacramenti ordinatus ad gratiam causandam, & ratione illius dicitur assumi ipsum Sacramentum à Deo, tanquam instrumentum ad gratiam producendam: sed de hoc forte propriam instituemus disputationem: pro nunc sufficiant dicta.

Ad confirmationem, negatur minor, ad probationem distinguo minorem: tanquam ab instrumento Dei, nego minorem; tanquam à causa principali, concedo minorem, & nego cõsequentiam.

Ad sextum respondetur dupliciter: primò explicando maiorem, debet enim intelligi, non in hoc sensu, quod semper necessario res conseruetur per eandem actionem, per quam res habet esse; non enim ad hoc asserendum est ratio aliqua vrgens; sed optimè potest res ab vna causa fieri, & ab alia per aliam actionem conseruari maximè à Deo, vt calor productus ab igne, bene potest ipso igne perëunte conseruari à Deo; imo etiam à sole per suam propriam actionem.

Vndè illa propositio est vera in hoc sensu, quod sufficienter, & per se loquëdo potest res conseruari per eãdẽ actionẽ, per quam fuit producta, si in ipsa perseueret. Tunc ergò concessa minori argumenti negatur consequẽtia: nam actio per quã fuit gratia phisicè causata à Sacramento cessauit ipso iam transacto, & consequenter cessauit concursus Dei agentis principalis, quo illam causauit; atque adeò toto tempore, quo postea conseruatur, talis conseruatio fit alia actione distincta, à solo Deo pendente, licèt cum ordine ad actionem transactam Sacramenti, & Dei concurrentis cum ipso.

Secundò respondetur admissa maiori negatur minor; ad probationem negatur etiam minor: quia Sacramentum postquam transiuit formaliter, manet virtualiter in mutatione voluntatis suscipientis, sicut dictum est.

Ad septimum respondetur, quod in nostra sententia melius explicantur, & intelliguntur dicta Patrum, & Sanctorum, & Conciliorum, vt patet ex dictis in rationibus factis pro tertia conclusione: ad illud verò de inutilitate respectu nostri, dico, quod licet in ordine ad nostram salutem parum conducat, & ad deuotionem, sic vel sic credere, quod Sacramenta causent gratiam phisicè, an verò tantum moraliter; conducit tamen ad cognoscendam maiorem dignitatem Sacramentorum nouæ legis, & ad propriam intelligentiam scripturæ, vt iam supra dictum est: imo ex hoc ipso mouemur ad maiorem reuerentiam Sacramentis exhibendam, cum in eis virtutem propriè causatiuam gratiæ agnoscamus.

Ad octauum argumentum respondetur, quod Sacramenta causant gratiam in vltimo instanti sui esse nõ intrinseco, sed extrinseco, ad quod sufficit existentia formalis pro tempore præcedenti illud instans, pro quo melius explicando sit dubium quartum.

QVARTVM DVBIVM est.

Vtrùm Sacramentum causet gratiam in aliquo instanti determinato, vel in tempore indeterminato?

IN Hoc dubio ante omnia præmittendum est, & supponendum Sacramentum non conferre gratiam, antequam suscipiatur, ad eum modũ quo omnis causa naturalis nonquã operatur, nisi applicetur: ita enim quia susceptio Sacramenti est applicatio

catio illius ad hominem, qui iustificandus est, vt causet gratiam eget explicata applicatione ad susceptientem.

Ex quo sequitur esse differentiam inter omnia Sacramenta, & Eucharistiam; quod alia Sacramenta solum possunt causare gratiam, quandò efficiuntur: quia tunc solum suscipiũtur, & applicãtur, & Eucharistia, quia non applicatur dum efficitur, tunc nõ causat gratiam, sed postea quandò susciptur. Vndè de omnibus alijs Sacramentis est eadem communis difficultas. Vtrùm causent gratiam in tempore, in quo fiunt, vel in aliquo instanti determinato: de Eucharistia enim proprio loco est specialis difficultas.

Hoc suppositio multiplex sententia refertur ab authoribus, & vnusquisque videtur suã viã excogitasse; omnes tamen ad quinque tantũ breuitati consulendo reducere placet.

Prima asserit Sacramentum causare gratiam in tempore in determinato, & immediato instanti extrinseco, in quo perficitur Sacramentum; ita vt sicut in illo est verum dicere: nunc non est Sacramentum, & immediatè ante fuit, ita de gratia pro illo instanti est verum dicere: nunc non producitur gratia, & immediatè ante hoc producebatur, *ly* autem immediatè refert non aliquam partem temporis determinatam, sed indeterminatam.

Prima ratio huius sententiæ est talis. In instanti extrinseco consummatur Sacramentum extrinsecè: ergo ante illud tempore immediato consummatur intrinsecè, ergo in eodem tempore confert suum effectum Ista consequentia probatur: quia omnis causa efficax statim, atquè est, operatur: rursus, sed illud tẽpus, quod immediatè antecedit illud instans est indeterminatum: cum nulla pars temporis determinata secundum se totam coniungatur alicui instanti, vel antecedat immediatè aliquod instans, ergo Sacramentum causat gratiam in tempore indeterminato, & consequenter dicendum est, quod qualibet parte temporis designata non fiat gratia in tota illa, sed in minori, atquè minori in infinitum versus prædictum instans extrinsecũ, in quo est primum, non esse Sacramenti, atquè adeò in hac sententia optimè infertur, quod in eodem instanti, in quo est verum dicere nunc non est Sacramentum, & immediatè ante hoc fuit, similiter est verum: nunc non producitur gratia, & immediatè ante hoc instans producebatur, sed producta est.

Confirmatur hoc argumentum, nam gratia non potest produci virtute Sacramenti in instanti extrinseco, in quo non est Sacramentum, nec in aliquo tempore determinato, ergo à sufficienti diuisione causatur in tempore indeterminato.

Prima pars antecedentis probatur, quia Sacramentum, non potest causare, quandò non est, sed pro illo instanti iam non est, ergo non potest in illo causare gratiam, Maior probatur, quia actualitas essendi est prima omnium actualitatum, & consequenter est fundamentum omnium aliarum, ergo actualitas causandi in illa debet fundari, & consequenter illa deficiente, non potest saluari ratio causæ in re non existente. Minor vero patet, quia Sacramentum desinit extrinsecè per primum non esse, quod verificatur in illo instanti extrinseco.

Secunda pars antecedentis efficaciter probatur. Sacramentum non causat gratiam, donec totum conficiatur perfectè ex parte materiæ, & ex parte formæ; sed ante illud instans extrinsecum signato quocunque tempore determinato, non est consummatum totum Sacramentum: quoniam toto illo tempore vsque ad illud instans conficitur Sacramentũ,

ita vt nõ detur ante illud aliud in ſtãs immediatum in quo toraliter conficiatur, ergo non poteſt conferri gratia in determinata aliqua parte temporis.

Quod autem iſte modus cauſandi gratiam ſit poſsibilis probant hoc exemplo, & ſit ſecundum argumentum in fauorem huius ſententiæ. Gratia poteſt corrumpi tota ſimul in tempore indeterminato immediato ad inſtans mortis, ergo poterit, etiam produci in eodem tempore indeterminato antecedente inſtans, in quo Sacramentum finitur. Antecedens probatur exemplo. Si aliquis habeat præceptum diligendi Deum, antequam moriatur, & ſciens, & videns non ſeruet illud ante inſtans mortis frangit præceptum, & peccat mortaliter, non in inſtanti mortis, nec in tẽpore aliquo determinato, ergo in tẽpore indeterminato. Probatur minor quoad vtranque partem: Tũm, quia illud præceptum nõ obligat pro inſtanti mortis, ſed pro tempore immediato, tũm etiam, quia quando homo non eſt peccare non poteſt. Tũm etiam, quia non poteſt eſſe, quod homo exiſtens in gratia per totum tempus vitæ illam amittat, quando deſinit eſſe, ergo in tempore antecedenti peccauit, & amiſsit gratiam.

Secunda pars minoris patet: quoniam ſignato quocunque tempore inter illud, & inſtans mortis mediat tẽpus, in quo poteſt homo ſatisfacere præcepto. Similiter etiam inter vnũ inſtans, & aliud inſtans mortis ſemper mediat aliquod tempus, ergo nõ fuit violatum præceptum in tempore aliquo determinato, nec in inſtanti determinato ante inſtans mortis, ergo ſolum in tempore indeterminato violat præceptum, & cõſequenter amittit gratiam, quàm habebat, quæ proinde corrumpitur, & non per primum ſui non eſſe, nec vltimũ ſui eſſe poterit ergo eodem modo à Sacramẽto cauſari.

Secunda ſententia eſt aliorum modernorum aſſerentium gratiam cauſari virtute Sacramenti in tẽpore aliquo certo, & determinato, videlicet in illo, in quo vltima quædam particula ipſius Sacramenti conficitur, quę licet ſucceſsiua ſit, & partes habeat, tamen per totam illam producitur gratia, eo quod in illa intrinſecè conſumatur, & perficitur Sacramentum. Hanc ſententiam refert Suar. præſenti quęſtione, diſp. 8. ſection. 2. ſine fundamento, & ſimiliter alij Doctores; & ideò non pono illud.

Sit ergo tertia ſententia aliorum aſſerentium gratiam cauſari in tempore indeterminato, ſcilicet per vltimum non eſſe ipſius gratiæ, quia Sacramentum eodem modo conſumatur in tempore indeterminato.

Pro cuius explicatione ſupponunt poſſe dari ablutionem ita minimam, quæ propter ſui paruitatem, nõ ſufficiat ad eſſentiam Sacramenti, ita vt talis ablutio habeat terminum extrinſecum paruitatis, quem vocant Phyſici maximum quod non, & ita tunc verificatur ex parte materiæ Baptiſmi, quod tanta ablutio nõ ſuffi cit ad eſſentiam Sacramenti, quælibet autem maior ſufficit. Tunc eſt argumentum pro illa ſententia, poſita illa minima ablutione eſt verum dicere, nunc non eſt Sacramentum, & immediatè poſt hoc erit Sacramentum, ergo eodem modo erit verum dicere: nunc non producitur gratia, & immediatè poſt hoc producetur, ergo incipit per vltimum non eſſe, & fiet in tempore indeterminato, quod deſignatur per *ly* immediatè poſt hoc. Ex parte formæ ſupponunt etiam, quod verſus finẽ prolationis datur aliquod inſtans in quo ſit verum dicere, nunc non eſt conſumatus ſenſus formæ, & immediatè poſt hoc erit conſumatus (v.g.) in forma Baptiſmi non intelligitur conſumatus ſenſus illius, donec incipiat proferri vltima particula totius formæ

mæ, vt est particula *ti*, in dictione illa, *Spiritus Sancti*, statim vero, quòd incipit proferri illa vltima syllaba iã intelligitur consummata forma, quia iam est aliquid illius, quod sufficit ad imprimendam speciem totius propositionis.

Tunc est argumentum simile ei, quod fecimus ex parte materiæ, illa particula incipit proferri per vltimũ non esse, cum prolatio fiat successiue, ergo eodem modo consumatur Sacramentum, & producitur effectus eius, ergo sicut est verum dicere in illo instanti extrinseco prolationis illius particulæ: nunc non est consumata significatio formæ, & immediatè erit, & nunc non est consumatum Sacramentum, & immediatè erit, eodem modo est verum dicere: nunc non producitur gratia, & immediatè post hoc erit.

Quartus modus dicendi est, quem sequitur Suarez 3.tom.3.part.quæst, 62.disput.8.sect. 2. asseritque quod Sacramenta conferunt gratiã non in instanti in quo extrinsecè, sed in instanti in quo intrinsecè perficiuntur, & consumantur: quia licet Sacramentum extrinsecè fieri incipiat per vltimum non esse ablutionis (v. g.) aut prolationis verborum, consumatur tamen in vno instãti, in quo fit aliquod indiuisibile positiuum, & reale, quo intrinsecè completur Sacramentum, & in eodem instanti gratiam ait conferri.

Probat primo Suar. hanc sententiam, quia ex Phylosophia cõstat (ait ipse) dari in omni motu successiuo, quando peruenitur ad terminum eius aliquam mutationem instantaneã, qua consumatur terminus illius motus, per quam mutationem acquiritur in illo instanti aliquid indiuisibile, quod in toto motu antecedenti, non fuerat acquisitum, ergo idem dicendum est in materijs, & formis Sacramentorum: consequentia ex eius doctrina sic in forma probatur: quoniam materiæ Sacramentorum, quæ consistunt in vsu perficiunturper motum localem, vel per aliquem contactum *vt ablutio*, aut *vnctio* (v. g.) ergo intelligi potest contactum, seu motum localem sufficientem ad materiã Sacramenti, perfici in aliquo instanti terminãte motum præcedentem, qui licet extrinsecus sit respectu motus præexistentis, est tamen intrinsecus contactui, qui aliquid reale est, & intrinsecum Sacramento. Antecedens vero probatur ex eius doctrina exemplo intensionis, in qua acquiritur terminus caloris, vt duo vel tria, & sic de singulis gradibus. Ex parte verò formæ Sacramenti conficitur idẽ argumentum: nam forma Sacramenti est oratio aliqua quatenus reddit perfectum, & integrum sensum, sed talis sensus in aliquo instanti intrinsece cõsumatur per aliquem sonum, qui in eodem instanti additur, & realiter existit, tanquam realis terminus totius soni præcedentis: ergo licet Sacramentum sit res successiua, & propterea non possit esse in instanti intrinsecè, neque secundum se totum, neque secundum aliquam partem, tamẽ ratione illius termini indiuisibilis, qui realiter pertinet ad ipsum Sacramẽtum, tanquam complementum intrinsecum dicitur esse sufficienter, vt tũc causet gratiam.

Secundo probat idem hac ratione. Necesse est signare aliquod instans, in quo sit verum dicere Sacramentũ esse, ergo necesse est, quod in illo instanti fiat, & sit aliquid intrinsecũ Sacramenti. Antecedens probatur, quia inconueniens videtur, quod res aliqua fiat, & nunquam possit verificari de illa, quod existat: sed Sacramentũ realiter fit, ergo aliquando debet affirmari de illo quod existat, sed non potest affirmari de illo, quod existat, nisi modo explicato: nam quandiù Sacramentum fit, si aliquid illius restet faciendum nondum potest dici, quod existat, quia nondũ tota essentia eius

facta est, in quo (inquit Doctor ille) differt Sacramentum à motu, & tempore, & huiusmodi entibus successiuis, ergo oportet quod Sacramentū dicatur esse in illo instanti in quo perficitur, quanquam post illud instans, non sit futurum, nec aliquid illius restet faciendum. Consequentia prima ideò probatur ab ipso: nam si nihil esset Sacramenti in illo instanti, nulla ratione posset de eo affirmari, quod existeret tunc, ergo debet esse in illo ratione illius termini indiuisibilis.

Hanc sententiam sic explicaram & probatam ait author iste se colligere ex D. Thom. infra quæst. 75. art. 7. ad 1. & 3. dicente transubstantionem perfici in vltimo instanti prolationis verborum, & quæst. 78. art. 4. ad 3. dicit, quod verba consecrationis habent in vltimo instanti prolationis verborum virtutem in ordine tamen ad præcedentia, quod est dicere, quod in illo instanti producunt suum effectum.

Confirmantur omnia hoc vulgari exemplo, quia si contingat hominē deficere in eo instanti, in quo cōsummatur Sacramentum, ita vt illud instans sit primum non esse hominis, qui Sacramentum recipit, interrogo an tunc Sacramentum conferat gratiā. Si confert gratiam (vt dicunt Thomistæ) quia tunc est consummatum, & perfectum ex hoc multa in commoda sequntur. Primum est, hominem, qui per totam vitam fuit in peccato mortali actuali, vel originali iustificari in termino vitæ, vel etiam glorificari ratione Baptismi, secundū est saluari hominem, qui in hac vita, nec habuit actualem fidem, nec habitualem fidem: Hæc autem inconuenientia facile vitantur in sententia nostra (ait ipse:) ergo illa est tenenda præ alijs omnibus.

Quinta sententia communis inter Thomistas asserit Sacramenta causare gratiam in vltimo instanti sui esse non quidem intrinseco, sed extrinseco. Ratio huius sententiæ est, quia Sacramentum est ens successiuum, quod proinde debet habere esse, & desinere, sicut alia entia successiua, at alia entia successiua (vt de motu patet) non habent esse completum totum simul in aliquo instanti, sed complentur in vltimo instanti extrinseco in quo verum est dicere illa iam non esse, cum tamen antea fuerint, ergo eodem modo dicendum est de Sacramento, & ita in illo instanti extrinseco, in quo verum est dicere, nunc nō est Sacramentum, & immediatè ante hoc fuit, est similiter verum dicere, nunc causatur gratia, & immediatè ante hoc nō causabatur. Pro hac sententia citatur ab omnibus sapientissimus Dominicus Soto in 4. dist. 9. quæstion. 2. art. 7. in solution. argumenti à se obiecti contra suam resolutionē circa modum, quo panis in Eucharistia desinit esse per primum non esse in eodem instanti, in quo perfecta, & completa prolatione verborum formæ incipit esse in Sacramento corpus Christi per primum sui esse. In solutione ergo obiectionis immediate cōtra istam resolutionem facta, ait, optimè posse stare, quod causa operetur in instanti, in quo non est; si tamē fuit toto tempore præcedenti termi nato ad illud instans: hæc enim doctrina applicatur à Thomistis omnibus Sacramentis circa modum quo causant gratiam, quamuis relatus Magister nihil dicat ibi de gratia, ita tenet Nuño hic difficult. 5. & solam istam opinionem probabilem iudicat. Petrus de Cabr. eandem sententiam libenter amplectitur, & communiter omnes alij tam hic, quam 1. 2. quæst. 112. art. 1. Videatur ibi Medin. in solut. ad 2. Videatur etiam Zumel ibidem disput. 5. propè finem post solutionem ad 8. argumentum.

Ad huius rei difficilis explanationem, & declarationem sit prima conclusio contra primam sententiam. Sacramentum non producit gratiam in tem-

tempore indeterminato immediato ad instans vltimum extrinsecum. Probatur primò: quia ille modus incipiẽdi est impossibilis, & contra philosophiam rectam, tantum duos modos incipiendi rei adstruentem, scilicèt per primum sui esse, & per vltimum non esse, sed ille modus incipiendi in tempore indeterminato nõ clauditur sub aliquo illorum: ergo est impossibilis. Minor probatur: tùm quia prædicta sententia affirmat gratiam incipere in tempore indeterminato: ergo nullum signari potest instans, in quo gratia incipiat, nec per primum sui esse, nec per vltimum non esse: tum etiam eadem minor probatur: nam tempus immediatum ante aliquod instans determinatũ non est tale instans, quod antecedit: neque instans, quod subsequitur: ergo si gratia incipit in tempore indeterminato immediato tamen ad instans extrinsecum in quo consummatur Sacramentum, nullo ex dictis modis incipit esse in aliquo instãti intrinseco, neque extrinseco.

Si autem dicant patroni huius sententiæ illam diuisionem inceptionis rei non esse adæquatam maximè in ordine ad potentiam Dei absolutam, sed tantum numerari in illa modos naturales incipiendi, & frequentiores, ac regulares. Contra sic efficaciter insurgo. Esse gratiæ quæ fit immediatè sequitur post non esse illius: ergo necesse est intelligere illa duo, scilicèt esse, & non esse gratiæ, esse quasi contigua, vel continua per coexistentiam ad nostrum tempus: ergò cõsequenter dicendum est esse necessarium, quod datur aliquod instans diuidens esse à non esse, & ita erit terminus, & finis vnius, & initium alterius, atque adeo erit extrinsecum respectu vnius, & intrinsecum respectu alterius. Idemque argumentum fieri debet de esse, & non esse cuiuscunq; rei: sequitur ergo quod omnis res debet incipere esse, vel per vltimum nõ esse, vel per primum sui esse: non est ergo possibilis alius modus incipiendi.

Secundò probatur conclusio supposito, quod Sacramenta physicè causant gratiam (vt diximus) nam maximè difficile videtur, quod Deus vtatur aliqua re, vt instrumento physico determinato ad aliquem effectum, & quod talis res non sit certa, & determinata, & vt sic cognoscatur à Deo: ergo Sacramentum, vt determinatũ in aliquo instanti assumitur à Deo, vt instrumentum: ergo non in tempore indeterminato.

Tertiò, & confirmatur sufficientia modorum incipiendi: nam Sacramentum successiuè fit: ergo non causat gratiam in toto tempore suæ productionis: ergo non confert illam per omnes partes suas: ergo si efficit illã per aliquam partem, dabile est instãs diuidens partes efficientes à partibus non efficientibus. Consequentia ista probatur: quia illæ partes immediatè sibi succedunt, quemadmodum partes vnius motus: ergo inter illas datur instans vniens, & distinguẽs illas interse: ergo in illo instanti erit verũ dicere: vsque ad hoc instãs partes Sacramenti nihil effecerunt post hoc verò efficient, vel è contrario nunc incipiunt efficere, & immediatè ante hoc non dum efficiebant: ergo necessarium est, vt tota efficientia Sacramenti claudatur inter duo instantia, scilicèt inter illud, quod diuidit partes efficientes â non efficientibus, & illud in quo consummatur Sacramentum, ergò si efficientia Sacramẽti est per aliquã partem necesse est, quod sit per aliquam partem determinatã.

Etsi dicat aliquis cum Authoribus secundæ sententiæ, quod hoc argumentum conuincit gratiam causari per Sacramentum in aliquo tempore determinato, scilicèt in illo in quo vltima pars Sacramenti conficitur.

Contrà arguo: nam etiam per hũc modum non saluatur, quod gratia incipiat per primum sui esse, nec per vltimum

timum non esse, ergo semper manet vis argumenti, & talis solutio coincidit cum prima sententia. Antecedens probatur: nam res, quæ incipit per primum sui esse secundum coexistentiã ad nostrum tempus non incipit in ipso tempore, sed in instanti, nec etiam per vltimum non esse: namsi incipere sic esset verum dicere in illo instãti extrinseco rem non esse, & immediatè post illud futurã esse, sed illud tempus immediatum, quod signatur non est determinatum, ergo,

Probatur minor illud tempus, nõ clauditur inter duo instantia, cũ quolibet signato instanti illius temporis immediati sit verum dicere, rem illã antea incepisse, quæ fit immediatè post hoc instans: ergo nunquam potest verificari gratiam fieri in parte temporis determinata. Antecedens secundum se totum probatur: nã gratia cum sit res permanens, & non successiua tota simul debet incipere, ergo si incipit in tempore immediato ad instans, quod est vltimum nõ esse illius debet incipere in prima parte illius temporis immediati, ergo signato instanti medio inter illam partem, & aliam, iam ante illud instans inceperat: ergo cum tota simul debeat incipere, in alia parte non incipit, sed conseruatur: non ergo est verum dicere, quod incipit in tempore determinato, quod immediate sequitur ad illud instans.

Sed dicet quis, hoc argumento probari, quod non incipit gratia in toto illo tempore immediato, sed in prima parte temporis illius. Contra ad est generalis ratio: nam quælibet pars determinata temporis clauditur necessariò inter duo instantia, & diuidi potest in aliàs duas partes cum sit quãta: illæ autem duæ partes alio instanti medio coniunguntur: ergo si incipit gratia tota simul in illo tempore determinato signato instanti medio, iam tota illa inceperat, ergo in reliqua parte non incipit, sed conseruatur, & est idem argumentum, quod præcedens. In intelligibilis certè mihi videtur iste modus philosophandi: nam non potest intelligi, quod aliqua actio, & terminus eius incipiat totus simul indiuisibiliter, & quod incipiat in tempore, quod est successiuũ, & similiter, quod procedat ab agente, quatenus etiam est in continua successione, quod sic ostendo. Aut Sacramentum est consummatum in priori parte illius continuæ successionis, aut non est consummatum vsque ad instans vltimum alterius partis succedentis, quod est primum non esse ipsius, si est consummatum: ergo tunc pars, quæ super est non est de essentia Sacramenti; atquè adeò supponit effectum eius productum, si autem in prima parte temporis non est completum essentialiter Sacramentum: ergo in illa non producit suum effectũ: nam quandiù agens sit, non potest agere.

Deinde generaliter de omnibus agentibus eadem ratione idem probo esse impossibile: nam vel quando actio est tota simul agens à quo depẽdet est simpliciter in suo esse completo, vel non est: esse in suo esse completo implicat: quia si fit in continua successione, vsque tota successio perueniat ad vltimam partem terminatam indiuisibili instanti, non potest completè esse res, quæ est in successione: ergo non potest agere vsque ad vltimum illud instans: si autem non est consequenter, neque actio eius potest simul esse, sed ad multum secundum aliquam sui partem: ergo nõ potest esse causa, vt aliqua res habeat totum suum esse simul in aliqua duratione determinata aliquo fixo instanti, & ita deueniendo ad præsens institutum dicendum est, vel quod gratia non producitur per Sacramentum in aliquo tẽpore determinato, vel quod successiuè, & non tota simul producitur: hoc autem est contra naturam rei permanentis: ergo ista sententia

tia impossibilis est.

Alia omitto, quæ in Magistro Suarez possunt videri sect. 2. citata supra, cum secūdū modū dicendi impugnat specialiter, §. sed licet vsque in finē.

Ad fundamentum ergo primæ sententiæ respondetur. Ad primam rationem admisso antecedenti gratis, potest concedi consequentia prima, & neganda est consequentia secunda, ad cuius probationem distinguenda est propositio prima. Operatur causa efficiens statim atque est, si in modo operandi non sit repugnantia ex parte effectus, transeat: Si autem sit intrinseca repugnātia falsa est propositio, in præsenti autē ex parte gratiæ est repugnantia vt fiat in tempore, propter rationes factas pro nostra conclusione, vndè licet in illo perficiatur intrinsecè Sacramentum, non tamen confert suum effectum in eodem tempore.

Secunda solutio sit, admisso ante cedenti negare consequentiam, & ratio est: quia cum Sacramentum sit ens successiuum nūquam habet esse perfectum intrinsecè, sed tantum extrinsecè, quando iam simpliciter verificatur illud non esse: Hæc est enim differentia inter ens successiuum, & ens permanens, quod successiuum (vt Philosophi docent) habet suum esse imperfecto modo, & ita nunquam habent suū esse completum intrinsecè, quod alij vocāt nominaliter, sed tātū extrinsece, & participialiter, ideſt habet esse cōpletū in instanti, in quo cōsummatur, & finitur successio motus: at vero ens permanens habet suū esse cōpletum intrinsecè pro aliquo instanti: quia habet illud totum simul, & in illo potest durare secundū coexistentiam ad nostrum tempus. Vndè infertur, quod Sacramentum nullo modo potest causare gratiam in tempore immediato ad instans intrinsecum in quo consumatur: quia pro illo nondum est perfectum.

Ad confirmationem, negatur antecedens pro prima parte, ad cuius probationem distinguitur maior (iuxta communem sententiam Thomistarum) quando non est Sacramentum, non potest causare, quando taliter nō est, quòd etiam immediatè antea nō fuit, concedo maiorem: quando autē primo non est, fuit tamen immediatè ante illud, nego maiorem, & quia Sacramentum fuit immediatè ante illud instans, in quo verificatur de illo primo non esse; ideò potest causare. Ratio est, quia sicut secundum præsentiam localem non est necessariū, quòd causa & effectus sint continua; sed sufficit quod sint contigua; ita similiter secundum præsentiam, vel coexistētiam temporis sufficit, quod causa & effectus sint contigua, in præsenti autem saluatur hęc contiguitas inter Sacramentum, & gratiam per hoc, quod ipsum extiterit tempore immediato ad illud instans extrinsecum: quia respectu gratiæ est intrinsecum, & in illo per primum sui esse incipit gratia.

Secundo respondetur admissa maiori sub distinctione, scilicet de Sacramento, quod non est aliquo pacto distinguo minorem: pro illo instanti nō est Sacramentum secundum suam entitatem diuisibilem, & in se ipso concedo minorem, secundum suam consummationem, & terminum, nego minorem, & nego consequentiam: nam vt res successiua causet sufficit, quod habeat existentiam ratione sui termini, quia ille aliquo modo pertinet ad suam entitatem; & hoc est existere eo modo, quo iuxta suam naturam requiritur existentia, vt causet: nam aliter non potest esse, ita vt causet (vt postea patebit, & iam aliquo modo ex dictis in confutatione duarum sententiarum constat) videatur Nuño præsenti dubio supra citato in solutione ad primum primæ sententiæ.

Ad secundum respondetur, negando antecedens, ad probationem dico,

dico, quod illud præceptum frangitur ante instans mortis; non tamen in tempore indeterminato, sed in aliquo instanti, quod licet à nobis designari non possit, in re tamen certum est, & determinatum, & Deus illud cognoscit. Ratio est, quia illud præceptum diligendi Deum ante mortē, cum quis est in periculo mortis tunc primum obligat, cum prudenter iudicat, vel tenetur pręuidere, quod si nō habeat statim actum dilectionis omittet illud, vel se exponet moraliter loquendo periculo illud omittēdi, quia non habebit tempus sufficiens ad actum dilectionis humanum modo humano eliciendum, videlicet ex consilio, & deliberatione; & certè hoc cōmune quid est omnibus præceptis affirmatiuis, quod pro aliquo instāti determinato obligent, & in eo transgrediuntur, licet tale instans non sit nobis in particulari notum; sed sat est, quod moraliter loquēdo sit nobis notum tēpus, pro quo, vel in quo est instans talis obligationis, & ita si aliquis existens in peccato mortali cognoscat se esse proximum morti tenetur ante instans mortis in aliquo instanti temporis immediati habere cōtritionem.

Nec valet contra hoc, quod inter vnum instans, & instans mortis mediat aliquod tempus, in quo possit seruari præceptum (vt in argumēto probatur) nam illud tempus medium potest esse tam breue, vt in eo non possit moraliter loquendo impleri præceptum, eo quod ad eliciendos actus humanos moraliter, & humano modo loquendo, indiget homo aliquo tēpore non ita breui, quod regulariter loquendo est necessarium ad deliberandum, atquè adeò quando homo peruenit ad illas temporis angustias si sit negligens, & omittat actum præceptum, etiamsi cognoscat aliam morulam temporis subsequentem illud instans continuās tales temporis partes pro illo instanti peccat: quia constituitur voluntariè in statu, in quō non potest implere præceptum.

Et si dicas. Contra: nam si Deus communicet alicui plenissimam cognitionem obiecti, & circunstantiarū, & temporis antecedentis mortem, & auferat omnia impedimenta exercendi dilectionem, tunc videtur quod homo habeat potentiam moralem ad ipsam exercendam in quolibet instanti, vel particula temporis medij inter illud, & instans mortis: ergo etiamsi tunc voluntas non diligeret Deū, semper maneret in statu, in quo posset dilectionem elicere in tempore; vel instanti vsque quod vellet differre, & consequenter, si non eliceret, peccatum, & amissio gratiæ contingeret in tempore indeterminato.

Respondetur enim ex dictis ad istam replicam, quod etiam admisso casu isto, vel quod præceptum poneretur animę separatæ, aut Angelo (nolumus enim negare aliquid absolutæ potentiæ Dei, in quo non apparet ita manifestè implicatio aliqua) admisso ergo ex dictis, dico quod etiam tunc frangeretur pręceptum in instanti determinato: quia cum cognosceret intellectus, tunc morulam temporis residuam esse breuissimam, & quod in illa facile posset diuerti, quanto pleniori cognitione pollebat, tanto magis pręuidebat periculum, quod instabat respectu omissionis præcepti, & consequenter si sciens, & videns sineret labi illam morulam temporis in instanti, quod esset initium illius, in quo cognouit practicè hoc, & voluntariè subsistit peccat contra præceptū, & in eodem amittit gratiam per primum non esse, vt alię res permanentes, & non modo imaginato ab authoribus illius sententiæ.

Si autem aliquis velit se liberatio ab istis angustiis dicat, quod ille casus est impossibilis moraliter: non enim potest obligatio pręcepti illo modo terminari extrinsecè. Ratio est, quia (vt ait Suar.) obligatio debet esse accommo-

accommodata actibus humanis, quibus implenda est: talis autem modus obligationis non est accommodatus actibus humanis, qui semper cum permanentes sint in instanti fiunt, in quo debet committi peccatum, & amitti gratia, & oppositum repugnat naturæ gratiæ: quia sicut tota simul incipit propter suam permanentiam, & indiuisibilitatem; ita tota simul desinere debet per primum non esse propter eandem rationem.

SECVNDA CONCLVSIO.

GRATIA non confertur per Sacramentum in tempore indeterminato, in instanti extrinseco, quod est vltimum non esse gratiæ.

Hæc est contra tertium modum dicendi, & probari potest eisdem rationibus, quibus probata est præcedens conclusio contra primam, & secundam sentiam.

Et primò sic confirmo eam: nam si gratia incipit per vltimum non esse, ita vt verum sit dicere in illo instanti, nunc non est gratia, & immediatè post hoc erit gratia, inquiro cum gratia incipiat tota simul, quommodo potest incipere in tempore indeterminato, quòd sequitur immediatè post illud instans extrinsecum: hoc impossibile apparet rectè consideranti modum incipiendi rei permanentis: nam ideò res successiua incipit extrinsecè per primum non esse: quia non est tota simul, & ita incipit in tempore acquirendo vnam partem post aliam, quòd sic explicatur, res nunc non est, & immediatè post hoc erit: ergo si gratiæ modus incipiendi sic exponitur, non incipit sicut res permanens, & erit per primum non esse, & non per vltimum non esse, quod ex eo probatur: quia licet illi Authores dicant verbis incipere per illum modum, tamen in re, & in modo explicandi docent incipere per primum non esse.

Deinde nam talis modus incipiendi est fictitius, nunquam à Philosophis inuentus: manetque iam confutatus supra.

Secundo probatur: nam in illo tempore indeterminato non est consummatum Sacramentum: quia quousque tota forma proferatur, non completur sensus verborum: ergo vsque tota proferatur Sacramentum non causat gratiam, sed completa prolatione vltimæ particulæ incipit gratia in instanti per primum sui esse: ergo Sacramentum causat tunc in instanti, & non in tempore indeterminato (quod amplius, dum propriam proferam sententiam patebit.)

Vltimò. Actio, quæ ex se est indiuisibilis, & secundum coexistentiam ad nostrum tempus incipit per vltimum non esse, necesse est, vt in re duret per aliquod tempus determinatum, cui coexistit, sed effectio gratiæ est indiuisibilis secundum se, cum gratia ipsa tota simul detur: ergo si actio illa incipit per vltimum non esse durat pro aliquo tempore determinato.

Consequentia ex maiori patet, & maior probatur: quia talis actio, non durat semper: ergo desinit esse in aliquo instanti intrinseco, vel extrinseco: ergo durabit necessariò tempore interiecto inter duo illa instantia: sed tempus clausum inter duo instantia determinata, certum, & determinatum est: ergo iam gratia, non producitur in tempore indeterminato: in nullo ergo hæc sententia in re differt à secunda, sed solum in modo loquendi.

Alias impugnationes videantur hic in Mag. Suar.

Ad fundamentum ergo præfactæ opinionis, ad primam partem respondetur, materiam Sacramenti non esse signandam illo modo, sed intrinsecè per minimum quod sic: isto videlicet modo tanta ablutio sufficit, & requiritur ad Sacramentum, & minor non sufficit. Ratio est, quia Sacramentum in re debet esse determinatum, & certum, & ita materia eius debet esse intrinseca, vt etiam sit certa, & determinata.

Deinde, quia quantitas materiæ in tantum determinatur in Sacramentis, in quantum est necessaria ad veram actionem circa corpus exercendam (verbi gratia) vt sit vera ablutio, seù vera vnctio hominis, ad hoc autem requiritur, quod fiat saltim per minimum, scilicet in tanta quantitate determinata, ita vt minor non sufficiat.

Ad secundam partem respondetur etiam, negãdo significationem formæ perfici per indeterminatam inceptionem vltimæ particulæ, sed in aliquo instanti certo, & determinato, in quo vel tota particula est prolata, vel saltim maior pars sufficiens ad significationem completam formæ concipiendam. Ratio est: nam alias etiam non esset forma determinata, nec certus eius sensus, & consequenter ex ista parte totum Sacramentum non esset determinatum, neque certum.

TERTIA CONCLVSIO.

SAcramentum non confert gratiam in aliquo instanti, in quo intrinsecè consummatur & perficitur.

Hæc conclusio est contra quartam sententiam Patris Magistri Suarez, tuenturque in præsenti à Magistro Nuño, & à Cabrera, §. decimum tertium, num. 100. & sequentibus, estque communis inter omnes Thomistas, suntque valida fundamenta pro ipsa, quæ videri possunt in Doctoribus citatis: nobis enim solum duas rationes placet adducere, vt prolixitatem nimiam vitem.

Prima sit destruendo fundamentum, quod videtur supponere relatus Magister: nam falsum est, quod detur instans intrinsecum, in quo perficiatur Sacramentum, quod sic probo: nam omne ens successiuum consummatur extrinsecè, & nullo modo intrinsece: ergo eodem modo debet consummari Sacramentum, cũ sit ens successiuum.

Probatur antecedens. De ratione essentiali entis successiui, vt sic, est quod nunquam sit totum simul in aliquo instanti, sed quod sit secundum partes, ita vt vna sit post aliam.

Vndè (vt ipse Suarez concedit) ens successiuum tunc est, quandò aliquid eius factum est, & aliquid super est faciendum, sed si Sacramentum habeat totum suum esse simul in aliquo instanti, non saluatur esse quo aliquid eius factũ est, & aliquid faciendũ restat: ergo implicat, quod habeat esse suum completum in aliquo instanti.

Confirmatur hoc: nam potissima differentia entis successiui à permanente consistit in hoc, quod res permanens propter sui permanentiam habet esse totum simul, ens autem successiuum in continua diuisione successiua modo explicato, & ratio est clara: quia cum sit diuisibiles in plures partes, quælibet pars signata est amplius, & amplius diuisibilis.

Vndè nunquam deuenitur ad pri-

mam

mam partem, neque ad vltimam, & ita sicut ex parte principij, non datur primum esse motus, ita neque ex parte finis datur vltimum esse: ergo eodem modo dicendum est de Sacramento, aliàs non erit ens successiuum.

Ex quo sequitur falsum, & contra veram Philosophiam, parumque consequenter dicere Suarez, quando ex vna parte docet Sacramentum esse ens successiuum, & incipere per vltimum non esse, & ex alia asserit, quod perficitur in vltimo instanti intrinseco, ita vt in illo habeat totum suum esse simul, implicat enim hoc in adiecto, vt patet ex ratione facta, propter quam omnes Philosophi docent in sexto Physicorum, quod res successiua incipet per vltimum non esse, & desinit per primum non esse, ita vt nunquam sit intrinsecè completè, sed potius tunc est completè, quando iam non est: quia finita est successio motus continui.

Secunda ratio sit: nam in recta Philosophia Aristotelis, & commentatorum licet versus finem motus detur primum mutatum esse mobilis in termino ad quem, tamen illud mutatum esse non est eiusdem rationis cum præcedentibus, ita vt sicut alia sunt veræ mutationes, in quibus verificatur rem mutatam esse, ita illud mutatum esse versus finem datum, sit vera mutatio, sed accipitur primum mutatum esse per hoc, quod est mobile primò incipere esse in termino ad quem vltimo motus (quod optimè explicat Soto sexto Physicorum, quæstion. 3.) & facile potest percipi in motu locali, & alijs motibus, atquè adeo illud instans, in quo intrinsecè verificatur de mobili, iam peruenisse ad terminum vltimum motus, est instans primum extrinsecum durationis eiusdem motus, in quo verificatur non esse, cum immediatè antea fuerit, sed per motum, siuè se tenentem ex parte materiæ, siuè ex parte formæ Sacramentorum non acquiritur alius terminus permanens productus, nisi gratia: ergo quando recipiens Sacramentum, qui consideratur vt mobile motu Sacramentali primò peruenit ad illum terminum, qui est gratia est primum non esse Sacramenti.

Patet consequentia: nam ipsum Sacramentum nihil aliud est, quàm ipsa successio formæ circa legitimam materiam: nunquam ergo Sacramentum habet esse intrinsecè.

Confirmatur: nam si ipsum Sacramentum esset aliquid distinctum realiter productum per modum termini per formam ipsius, scilicet per prolata verba optimè staret doctrina Suarez: at non est talis terminus distinctus productus, sed ipsa verba prolata circa talem, vel talem materiam, sunt ipsum Sacramentum, vt ipse admittit, & teneatur admittere, cum doceat esse ens successiuum, ergo malè, & parum consequenter loquitur, quod totum procedit ex malo intellectu illius principij Philosophiæ: quod autem sit talis intelligentia praua probant Thomistæ veri ratione, qua vtuntur in Philosophia: nam vel illa mutatio vltima est pars motus, vel non, si dicatur primum: ergo non est in instanti indiuisibili, quia cum omnis pars motus sit diuisibilis in partes non potest se tota esse in indiuisibili instanti.

Deinde hoc implicat: cum positione istius Authoris, quia illa mutatio est indiuisibilis, & instantanea (vt ipse fatetur) ergo cum motus sit se toto diuisibilis, non potest componi ex indiuisibili, tanquam ex parte.

Si dicatur secundum: ergo est alia productio distincta à motu: ergo in omni motu secundum sententiam istius Authoris est multiplex productio: quia motus est productio

sui termini, & ex alia parte illa mutatio, quæ in ipso motu constituitur est etiam productio.

Ad fundamentum Suarez respondetur ex dictis in secunda ratione modo à nobis facta, quod in nullo motu est dabilis illa mutatio modo quo cõstituitur ab ipso, sed ea modo, quo à nobis in tali ratione explicatũ est dari secundum rectam omnium Philosophorum sententiam.

Ad exemplum ex motu intensionis desumptum.

Respondetur eodem modo, quod scilicet ex parte finis talis motus non datur illud primum mutatum esse, quod intendit ipse, sed primum peruenisse mobilis, scilicet aquæ ad vltimum terminum illius motus, qui aliquando est calor vt duo, aliquando vt tria, aliquando verò vt octo.

Etsi dicas, calor sub illo vltimo gradu producitur in instanti intrinseco: ergo eodem modo potest dici de Sacramento, quòd videlicet secundum vltimum suum complementum producatur in vltimo instanti motus Sacramentalis, qui sit intrinsecus respectu eius, licet extrinsecè se habeat respectu ipsius motus ablutionis, aut prolationis verborum, & consequenter dabitur illud primum mutatum esse intentum.

Respondetur negando consequentiam: ratio diuersitatis est clara; nam calor secundum vltimum gradum suæ intensionis est res permanens postea finito motu, & antea, quia permanens est, ac si esset res indiuisibilis nullo modo erat, nec prodncebatur sub illa ratione, atquè adeò in instanti potest incipere esse simul, & sub eodem esse conseruatur, sicut aliæ res permanentes; at Sacramentum sub nulla ratione est res permanens, atquè ita nullo modo potest sic incipere, sed eo modo quo ens successiuum. Vndè toto tempore motus ablutionis; & prolationis verborum, est simpliciter, & sit eo modo quo ei debetur esse, & fieri, vndè in vltimo instanti terminatiuo ablutionis, & prolationis verborum, non potest incipere esse, etiam secundum vltimam sui rationem: tùm quia nulla talis ratio est distincta à toto esse Sacramenti: tùm quia si admittatur aliqua vltima pars, illa non est permanens, & ita in eodem instanti desinit esse, chimericum autem est dicere, quòd res desinat esse in eodem instanti intrinseco, in quo incipit.

Deinde de tali ratione vt distincta, & separata ab alijs implicat, quod verificetur esse Sacramenti, cum illud includat totam ablutionem passiuam (verbi gratia) & totam orationẽ prolatam, vndè chimerica mihi videtur ista sententia.

Ad secundam partem prefati fundamenti, in qua idem probatur ex parte formę respondetur eodem modo: negando quod sensus orationis prolatæ consumatur in aliquo instanti intrinseco: quia etiam oratio (vt cõmuniter docent Logici, & Metaphysici) est ens successiuum, atquè adeo extrinsecè debet consumari, sicut alia entia successiua, scilicet in instanti, in quo iam non est, & ita apparet hoc esse certum, vt oppositum intelligi nequeat admissa tali Metaphysica sententia: quam omnes admittũt: Ratio etiam huius solutionis est, quia in vltimo instanti prolationis nõ producitur aliquis sonus permanens alicuius verbi, pro quo possit supponere Sacramentum.

Ad secundum fundamentum respondetur, negando antecedens, sed sufficit, quod toto tempore motus Sacramentis sit (vt patet ex dictis.)

Ad probationem concedo maiorem, & minorem, & consequentiam, ad minorem subsumptam, nego minorem: nam affirmatur de illo, quod sit toto tempore orationis, sicut de aliis entibus successiuis: nam de quali bet re affirmandum est esse iuxta naturam illius.

Ad

Ad probationem in contra scilicèt, quod quandiù fit fi aliquid restat faciendum non potest verificari de illo, quòd sit quia tota essentia eius non est facta.

Respondetur solutione communi quod sicut in alijs entibus successiuis verificatur, quod sint vt successiua sunt in sua propria ratione, & non vt permanentia, quandò illo modo fiũt, ita de Sacramento verificatur etiam quod sit. Pro quo aduertendum est, quod ens successiuum non dicitur esse simpliciter ratione vnius partis factæ vt cunque, & absolutè, sed cũ ordine ad alias partes faciendas, quæ etiam posita prima parte dicuntur saltim initiatiuè fieri ratione continuatiui, vel contiguatiui prioris partis cũ posterioribus, & certè de oratione ita verificatur esse videlicet posita prima parte dicitur esse cum ordine tamen, & dependentia ab alijs partibus ponendis.

Ad authoritatem D. Thom. qua confirmat suam sententiam, patet ex ipsa littera: nam D. Thom. non dicit illud vltimum instans prolationis verborum, in quo sit transubstantiatio esse intrinsecum, & ita admissa illa nihil contra nos, qui dicimus tale instans non posse esse intrinsecum.

Ad confirmationem respondetur in illo casu Sacramentum non cõferre gratiam homini non ex defectu ipsius, sed ex defectu subiecti, quia deficit subiectum gratiæ, quod non est anima separata, sed coniuncta corpori: illudque viuificans, cuius ratio est, quia Sacramentum est instrumẽtum Dei in ordine ad iustificandum totũ hominem prout pertinet ad viã, quod totum deficit finita vita eius. Deinde quia cum Sacramentum sit res corporea ex virtute spirituali, & ipsa re sensibili constans proportionato modo solum potest agere in animam corpori coniunctam, imò vt sup. quæst. 60. art. 4. dicitur, quia Sacramenta ordinantur ad homines sanctificandos, qui sunt constantes ex anima, & corpore, instituta sunt in rebus sensibilibus, & virtus spiritualis ei tributa, vt proportionato modo possint gratiam in anima coniuncta corpori causare, totumque hominem possint iustificare.

Ersi dicat quis, quod ex hac solutione sequitur dari Sacramentum perfectum, & consummatum receptum in homine non ponente obicem gratiæ, sine proprio effectu ipsius, quod est maximum inconueniens derogãs dignitati Sacramenti nouę legis: ergo solutio nulla est. Sequela probatur, quia toto tempore immediato ad instans prolationis verborum fuit Sacramentum, & toto illo tempore fuit etiam homo viuens: ergo recipit Sacramentum, & non recipit gratiam: quia illa causatur in illo instanti, in quo est verum dicere iam non esse Sacramentũ, & immediatè antea fuisse.

Respondetur tamen, quod cum Sacramentum non fuerit completũ in tempore immediato ad illud instans, & ipsum non possit causare gratiam, nisi habeat esse completum, & significatio formæ sit cõsummata de primo ad vltimum sequitur, quod homo nõ durabit tota duratione Sacramenti, quia illud instans licet extrinsecum sit, tamen vt coniunctum tempori immediato pertinet essentialiter ad durationem Sacramenti, & in illo homo non durat: quia respectu hominis, nõ pertinet ad eius durationem tale instans aliquo modo, sed ad non esse totaliter, & ad non durationẽ, quia est permanens res, & instans intrinsecũ quod pertinet ad desitionem rei permanẽtis, nullo modo pertinet ad eius durationem vt duratio est, consequẽter sequitur, quod homo tempore vitæ suæ non recipit Sacramentũ perfectũ, & ita non est inconueniens, quod non recipiat gratiam: quia quãdo deficit vnio, & applicatio necessaria causæ ad passum, seù subiectum necessa-

rium est, quod deficiat actio, & effectus eius. Certe tota hæc solutio verissima est; licet alij fortè propter rationem replicæ aliter soluant argumentum (omitto consulto aliam solutionem, vt vires argumento relinquam) in qua docent multi illum casum moraliter loquendo esse impossibilem: quia ad diuinam prouidentiam pertinebit vt vita hominis non finiatur in eodem instanti, in quo Sacramentum consumatur: videretur enim nimis alienum à misericordia Dei, ipsum velle, hominem accedere ad Sacramentum sufficienter dispositum, & ex alia parte velle illum mori ante consumationem Sacramenti, quandò solum potest gratiam causare, vt iam manifestabimus, & ex parte manet ostensum.

Conclusio quarta, & vltima sententia posterior Thomistarum iure optimo tam glorioso nomine gaudẽtium præomnibus, vt vera est eligenda. Hæc conclusio à sufficienti diuisione ex præcedentibus patet: quia Sacramentum, non potest causare gratiam in tempore indeterminato, nec determinato, neque in instanti intrinseco (vt probatum manet) ergo tantum in extrinseco, quod est primum non esse illius.

Probatur tamen efficacissima ratione omnium Thomistarum. Sacramentum non causat, neque causare potest gratiam vsque ad vltimum instans sui esse, sed non habet vltimum instans sui esse intrinsecum, sed extrinsecum: ergo non producit gratiã, nisi in instanti extrinseco, quod est primum non esse illius. Discursus est optimus; minor patet ex dictis contra Suar. Maior verò probatur, quia Sacramentum non habet causare gratiam, nisi priùs sit essentialiter perfectũ, quia causare in omni re sequitur esse perfectũ, & cõpletũ essentialiter; sed ante illud instãs vltimũ, Sacramẽtum non est essentialiter perfectum: ergo ante illud nõ potest causare gratiam. Probatur minor, (maior enim in omnibus est certa) ante illud instãs non est completa significatio formæ: quia non est prolata tota oratio vocalis, & ita toto illo tempore, antecedenti verificatur, quod aliquid Sacramenti est factum, & aliud supereſt faciendum: ergo restat aliquid actualitatis essentialis Sacramenti: ergo non potest sequi causalitas ad Sacramentum secundum illud esse imperfectũ: ergo vsque ad vltimum instãs extrinsecum non causat Sacramentum.

Confirmatur, quia si ante illud causaret, licet postea non sequeretur Sacramentum perfectum consequeretur gratia, sine proprio agẽte, quod patet: quia agens instrumentale est Sacramentum, sed illud in quocunque minimo tempore, vel instanti intermedio ante vltimũ, nõ est secundũ totam suam veram essentiam: ergo cõsequeretur gratia, sine propria, & vera eius causa Sacramentali.

Secunda ratio sit. Vltima dispositio ad formam ignis causat formã ignis in instanti, in quo non est: quia in instanti in quo introducitur forma substantialis vltima dispositio non est: quia tunc definit esse, sicut & definunt cætera accidentia corrupti: ergo similiter potest dici de Sacramento, sine singularitate aliqua. Idem argumentum fit de dispositionibus præcedentibus vltimã, quæ physicè causant formam substantialem, & ipsam vltimam dispositionem, & tamen in illo instanti, in quo est vltima dispositio, & forma iam non sunt, vt omnes Philosophi fatentur, & licet causent in genere causæ materialis, & nõ efficientis, tamen etiam causa materialis requirit existentiam pro instanti temporis, in quo causat actualiter, licet non expoſcat illam ex proprio cõceptu: ergo si hoc non obstante, vt illæ dispositiones causent physicè formam, sufficit existere tempore antecedenti, idem sufficiet, vt Sacramentum causet.

Tertiæ

Tertia ratio sit ab alijs similibus exemplis desumpta, in primis ipsa morata esse, vel instantia terminatiua motus, & temporis sequūtur ad partem motus, & temporis, quæ in illo instanti, quo ipsum est, ipsa iam non est. Deinde, quandò producitur viuēs in primo instanti sui esse, iam semen non est, quia corrumpitur, & tamen semen instrumentaliter physicè causat viuens. Similiter alteratio præcedens est causa generationis immediatè sequtæ. Cuius ratio est, quia in omnibus his ratione immediati ordinis, & ratione connexionis in duratione, quia vnum immediatè post aliud est, & durat, datur inter causam, & effectum quidam contactus durationis, & temporis sufficiens, vt dicantur aliquo modo esse simul. Vndè sufficit ad agendum sicut sufficit contactus loci, quamuis agens, & patiens non sint simul penetratiue in eodem loco: ergo non est cur, vt mirum, & difficile videatur hoc idem asserere de Sacramento, præsertim cum ratio efficaciter probet aliter illud non posse causare, nisi in tali instanti extrinseco.

Sed contra hanc sententiā sic explicatam sunt aliqua argumenta, quæ obiicit Suar. sup. quæst. 13. art. 2. disput. 31. sect. 7. in prima parte, & in hac quæst. 62. art. primo, disp. & sect. cit. sup. dùm quartum modum dicendi impugnat.

Primum argumentum est. Nihil potest efficere, nisi habeat virtutem naturalem, vel obedientialem ad agendum, aut supernaturalē, sed quod non est nullam virtutem agendi habere potest, vt de se est manifestum: quia quælibet virtus etiam si obedientialis tantum sit, in entitate ipsa fundatur: ergo quod entitatem non habet, non potest à Deo assumi, vt instrumentum.

Secundo, quod fit ab alio, pendet in suo esse ab illo: sed res quę existit non potest pendere à re non existente: ergo gratia existens non potest pendere à Sacramento non existenti. Minor probatur, quia rem pēdere in suo esse ab alia est existentiam eius ita inniti in existentia alterius, vt vna ablata tollatur altera, quæ ab ea dependet.

Tertiò: nam res quę futura est nō potest efficere, antequam sit (vt omnes admittunt) ergo simpliciter res, quæ prætereiit non potest efficere, quandò iam non est, nec in se, nec in sua virtute. Patet consequentia, quia res, quæ fuit, postquam esse desiit, tā omninò nihil est, quam res futura antequam fiat: ergo quod antea fuerit impertinens est ad præsentem actionem, sicut quod res futura sit.

Quarto ex primo loco arguit: nam existentia requiritur ad agendū in causa efficiente: ergo Sacramentū non potest causare quandò non est. Probatur antecedens: nam efficere est dare esse per veram actionem, & influxum realem, sed mente concipi non potest, quomodo talis actio emanet, & procedat ab illo, quòd non est ergo à Sacramento non existente, nō potest intelligi, quod procedat emanatio, quæ est actio producens gratiam.

Quintò, quia alias sequeretur nullam esse repugnantiam, vt creatura assumatur à Deo vt physicum instrumentum ad sui creationem, vel productionem, consequens est falsum: ergo.

Probatur sequela, quia si aliqua repugnantia esset, maximè quòd præsupponeretur res existens antequam esset producta, sed hoc non sequitur iuxta hanc sententiam, siquidem res non existens, quandò non existit, potest agere: ergo.

Sextò, quia eadem ratione posset Deus eleuare creaturam, quę fuit heri, vt agat hodie.

Septimò, quia inter effectum, & causam debet esse relatio realis, at hæc non potest esse, nisi inter extrema realiter existentia: ergo.

Ad omnia hæc argumenta præter vltimum ex dictis ad confirmationem fundamenti primæ sententiæ.

Respondetur illa probare aliquid, si nos poneremus Sacramentum efficere, quandò nullo modo est at (vt ibi dictum est) Sacramentum in illo instãti aliquo modo est, scilicet in suo termino, in quo consumatur. Vndè sicut dicit ipse Suar. in solutione cuiusdam obiectionis contrasè positæ, quod totũ Sacramentum dicitur efficere gratiam in sua sententia absolutè: quia efficit il lam per suum complementum, & per vltimum terminum, quatenus est aliquid Sacramenti, videlicet indiuisibile complens, ita nos dicimus Sacramẽtum in illo instanti, quod dicimus esse terminum extrinsecum existere modo sibi proportionato ad agendũ iuxta suam naturam, & quod aliter nequit habere existentiam requisitam ad agẽdum. Exemplum est in motu, qui est productio caloris, aut vbicationis passiuæ, qui in instanti extrinseco causat vltimum terminũ licet solùm habeat existentiam explicatam. Et ex ista doctrina nullum ex inconuenientibus illatis sequitur, vt constabit studenti attentè.

In primis non sequitur rem non existentem omnino, habere virtutem agẽdi, sed aliquo modo existentem, media virtute supernaturali in illo instanti agere, & hæc solutio in forma primi argumenti.

Similiter non sequitur rem existẽtem pendere à re non existenti omnibus modis, sed aliquo modo sufficienti, vt actio tribuatur ei, quod optimè intelligi mente potest (vt est probatum) & oppositum mente concipi nequit. Hæc solutio secundi.

Deinde non sequitur inconueniens tertij argumenti: nam inter rem existẽtem in suo termino, & complemento, & rem omnino futuram est manifesta diuersitas: quia hæc non habet actualiter aliquid entitatis, ratione cuius dicatur existere, & sit capax eleuationis, & ideò non potest Deus illam assumere ad agendum. Cæterum res existẽs in suo termino habet actualiter aliquid actualitatis ratione cuius est, & ideò capax ad eleuationem. Hæc solutio tertij.

Ad quartum ex dictis modo patet. Ad quintum patet sequelam esse malam, ad probationem admissa maiori, negatur minor, propter rationẽ factam.

Ad sextum etiam patet illud non sequi: quia illa res totaliter præteriit, & nullo modo est aliquid eius, ratione cuius dicatur existere: in præsenti autem res nõ totaliter præteriit, quia est aliquid eius, ratione cuius dicitur esse.

Ad septimum respondetur dupliciter: primò quod relatio realis inter causam, & effectum, si vtrunque sit existens iuxta suam naturam optimè potest esse, etiamsi sit prædicamenta lis: in præsenti autem sic à meponitur gratia existens in illo instanti intrinseco, Sacramentum verò extrinsecè, ideſt in suo termino, & complemento.

Secunda solutio est, quod relatio realis transcendentalis optimè saluatur, etiam quandò vnum extremum non existit realiter, & ita sufficit nobis istam relationem transcendentalem constituere in præsenti.

Etsi contra istam doctrinam obiiciatur, quod hoc modo esse est simpliciter non esse.

Respondetur, quod comparatione ad existentiam rei permanentis, ita est: non verò comparatione ad existentiam entis successiui, sed est existentia, quam consummatum, & completum potest habere in instanti extrinseco.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrùm gratia Sacramentalis aliquid addat supra gratiam virtutum, & donorum?

CONclusio. Gratia Sacramentalis addit super gratiam cõmuniter dictam, & super virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramẽti finem. Hęc probatur in argumẽto, sed contra tali ratione.

Si gratia Sacramentalis non addit aliquid super gratiam virtutum, & donorum frustra Sacramenta conferrentur habentibus gratiam, & virtutes; sed in operibus Dei nihil est frustra: ergo dicendum est, quod gratia Sacramentalis addit aliquid super gratiam virtutum, & donorum.

Secunda ratio in corpore. Gratia secundum se considerata perficit essentiam animæ, in quantũ est quædam participata similitudo diuini esse. Vndè sicut ab essentia animæ deriuantur eius potentiæ, ita ab essentia gratię deriuantur quędam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona, quibus ipsæ potentię ordinantur, & perficiuntur in ordine ad suos actus, sed Sacramenta ordinantur ad quosdam principales effectus necessarios in vita Christiana, sicut Baptismus ordinatur ad quãdam spiritualem regenerationem, & sic de alijs Sacramentis: ergo sicut virtutes, & dona addunt aliquid supra essentiam gratiæ communiter dictæ quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum: ita gratia Sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona quandam perfectionem determinatè ordinantem ad proprium finem Sacramenti. Hæc autem perfectio, quia est in ordine ad talem finem vocatur à D. Thom. auxilium.

CIRCA ISTAM CONCLVsionem est vnicum dubium.

Vtrùm gratia Sacramentalis addat super gratiam communiter dictam habitum distinctum realiter ab habitu gratiæ gratum facientis hominem?

IN hoc dubio est multiplex sententia. Prima asserit gratiam Sacramentalem non addere super gratiam communiter dictam, nisi solum ordinem transcendentalem ad Sacramentum, vt effectus ad suã causam, in quo distinguitur ab altera gratia, quæ immediatè tantum dicit ordinem ad Deum tanquam ad causam immediatam, aqua promanet. Pro hac sententia refertur Bonauent. in 4. distin. 1. par. 1. quęst. 6. similiter Richardus in eadem dist. art. 4. quęst. 4.

Probatur hæc sententia. Primò, quia gratia Sacramentalis, & gratum faciens habent eosdem prorsus effectus, & eiusdem speciei, & solum differunt in hoc, quod Sacramentalis fit minus, & promptius concurrit, quam gratia communiter dicta, sed hæc differentia non infert differẽtiam essentialem gratiarum, sed ad multum maiorem eiusdem gratię perfectionem: ergo tales gratiæ non differunt essentialiter. Discursus est optimus, & probatur maior. Eiusdem rationis specificæ est protestatio fidei in illo, qui nõdum recipit Sacramẽtum Confirmationis, & in illo, qui iam est confirmatus: Et solum differt, quia in confirmato elicitur à gratia cum maiori conatu, & vehementia.

Idem probatur alio exemplo: nam continentia, ad quam ordinatur virtus castitatis coniugalis, est eiusdem rationis cum continentia, adquam ordinatur Sacramentum matrimonij: ergo.

Secundò. Istę gratiæ solum differant sicut genus, & species, sed genus,

&

& ſpecies ſunt idem formaliter realiter, & ſolum ratione diſtinguntur: ergo, &c. Maior probatur, tùm ex D. Thom. hic ad 3. vbi ait, quòd gratia Sacramentalis ſe habet ad gratiam cõmuniter dictam, ſicut ſpecies ad genus: ergo. Tùm etiam probatur ratione, quia gratia communiter dicta abſtrahit ab omni ratione particulari gratiæ, & omnem illam comprehendit: ergo eſt genus ad omnes gratias in potentia ſua illas includens.

Tertiò. Si inter gratiam habitualem, & Sacramentalem eſſet aliqua diſtinctio maximè, quia gratia Sacramentalis ordinatur ad aliquos ſpeciales effectus, ad quos gratia gratum faciens, non ita ſe extendit, ſed hæc ratio eſt inſufficiens: ergo non diſtinguntur. Minor probatur: quia iuſtitia originalis (vt docet D. Thom. 1. part. quæſt. 95. & quæſt. 100. art. 10.) erat idem habitus cum gratia gratum faciente, & nihilominus vt ſic ſe extendebat ad aliquos effectus particulares, ad quos gratia gratum faciens, non ſe extendebat (vt ibi dicitur) vtpotè ad totaliter ſubiiciendum appetitum ſenſitiuum intellectiuo, & alia huiuſmodi: ergo hæc ratio non eſt ſufficiens ad diſtinguendum in præſenti.

Quartò. Si gratia Sacramentalis ſit aliquid diſtinctum à gratia gratum faciente, ſequitur, quod ille, qui poſt receptum aliquod Sacramentum fruſtuoſè peccauit mortaliter, quandò poſtea reſurgit à peccato recipiat vltra gratiam communiter dictam gratiam Sacramentalem, conſequens eſt falſum: quia ex illo ſequitur maximũ inconueniens: ergo dicendum eſt, quod gratia Sacramentalis non eſt aliquid diſtinctum à gratia communiter dicta. Maior admittenda eſt in oppoſita ſententia: Minor verò probatur: nam ex illo ſequitur, quòd ſi duo homines, quorum vnus recepit Baptiſmum, & Confirmationem, alter verò ſolum Baptiſmum, qui tamen exercitio virtutum peruenit ad æqualem gratiam cum altero: ſequitur (inquã) in iſto caſu, quod ſi ambo amittãt gratiam, & poſtea reſurgant cum æquali diſpoſitione, quod nihilominus non recipiant æqualem gradum gratiæ, cõſequens videtur falſum: ergo illud ex quo ſequitur.

Sequela probatur, quia vni datur gratia Sacramentalis Sacramenti Cõfirmationis, quæ tamen non datur alteri: ergo ſi talis gratia addit rationẽ gratiæ diſtinctam à gratia gratum faciente, dabitur maior gradus gratiæ illi, quam alteri, aliàs nihil addet gratia Sacramenti Confirmationis ſupra gratiam communiter dictam, & idem erit de aliorum Sacramentorum gratijs: quod autem conſequẽs ſit falſum probatur: quia cum contritio ſit diſpoſitio ex natura rei ad gratiam, ſi æqualiter accedit vterque contritus, videtur neceſſariò dicendum, quod datur vtrique æqualis gradus gratiæ.

Secunda ſententia docet gratiam Sacramentalem eſſe habitum realiter diſtinctum ab habitu gratiæ gratũ facientis. Pro hac ſententia refertur à Doctoribus Palud. in 4. diſtin. 2. quæſtion. 3. & Capreolus diſt. 3. quæſt. 3. art. 1. concluſ. 1. & 4. & art. 3. ad argumenta contra quartam concluſionem.

Probatur primo hæc ſententia. Primò ex D. Thom. hic ad 3. vbi docet, quod gratia Sacramentalis ſe habet ad gratiam cõmuniter dictam ſicut ſpecies ad genus: ergo gratia Sacramentalis addit rationem habitus particularis gratiæ ad gratiam communiter dictam.

Conſequentia ex eo probatur: quia quando ratio generica eſt habitus, ratio particularis ſpecifica debet eſſe etiam ratio habitus, ſed gratia cõmuniter dicta eſt habitus: ergo Sacramentalis gratia debet eſſe particularis habitus diſtinctus ab altero habitu ſpecifico gratiæ gratum facientis.

Confirmatur. Perfectio conſti-

tutiua

tutiua specie debet esse intrinseca ipsi generi, & speciei constitutæ, sed si gratia Sacramentalis non addit perfectionem habitualem supra gratiam communiter dictam, sed auxilium actuale tantum, perfectio, quàm addit non erit intrinseca gratiæ communiter dictæ: ergo non constituet speciē gratiæ, cuius oppositum videtur docere D. Thom. ad 3. hic (vt dictum est) minor verò probatur: quia auxilium Dei actuale tantum extrinsecè se habet ad habitum gratiæ communiter dictæ.

Secundò. Gratia Sacramentalis diuiditur in plures species gratiæ Sacramentalis iuxta numerum Sacramentorum, sed impossibile est, quod vnus, & idem habitus gratiæ gratum facientis diuidatur in tot species gratiæ: ergo opportet dicere, quod quælibet species gratię Sacramentalis sit habitus superadditus gratiæ gratum facienti.

Tertiò. Ipsæ gratiæ Sacramentales distinguntur interse specie, & cōsequenter debent esse diuersi habitus realiter: ergo etiam distinguntur realiter à gratia communiter dicta.

Consequentia probatur: quia si essent eiusdem speciei, & idem realiter cum gratia communiter dicta, etiam essent idem interse: quoniā quæ sunt eadem vnitertio sunt etiam eadem interse.

Antecedens verò probatur ex D. Thom. infrà quæst. 72. art. 7. ad 3. vbi docet, quod gratia Sacramentalis collata per Sacramentum Confirmationis, quantum ad speciale, quod addit supra gratiam gratum facientem cōmuniter dictam non est eiusdem speciei, cum gratia Baptismali, vt talis est.

Confirmatur hoc argumentū ex doctrina D. Thom. in dicta solutione: nam gratia Sacramentalis collata per confirmationem est principium effectiuum supernaturalis, & specialis effectus distincti ab effectu gratiæ Baptismalis: ergo est habitus distinctus, & consequenter etiam est habitus distinctus à gratia gratum faciente.

Consequentia probatur eadem ratione: nam principium effectiuum effectus supernaturalis necessariò est habitus supernaturalis: ergo principium effectiuū principale diuersi effectus supernaturalis debet esse diuersus habitus: cum ergo effectus cuiuscunque gratię Sacramentalis sit distinctus specie ab effectu gratiæ communiter dictæ, & etiam interse ponendi sunt plures habitus gratiæ Sacramentalis ad tales effectus distincti interse, & ab habitu gratiæ communiter dictæ, quod autem isti effectus sint distincti specie interse patet ex distinctione ipsorum Sacramentorum, quæ specie distinguntur in ratione causæ. Vndè gratiæ Sacramentales, per ordinem ad quas sumitur essentia specifica ipsorum Sacramentorum debent distingui specie, & consequenter ipsi effectus procedentes ab illis gratijs Sacramentalibus: quod autem illi effectus sint distincti ab effectu gratiæ cōmuniter dictæ, patet ex ratione D. Thom. in corpore articuli: quia gratia in sua communi ratione gratiæ immediatè perficit animā in ordine ad Deum: gratia Sacramentalis ordinat immediatè ad aliquas operationes: ergo.

Si autem dicatur, quòd sufficit ad istum specialem effectum auxilium diuinum, sine nouo, & distincto habitu gratiæ.

Contra est: quia istud auxilium extrinsecè se habet ad gratiam communiter dictam licet intrinsecum sit in anima, aut aliqua eius potētia, sed gratia communiter dicta non est sufficiēs principium specialis operationis Sacramentalis: ergo præter illud auxilium debet super addi habitus distinctus.

Secundò, quia Deus secundum suauem suam dispositionem semper confert ad specialem effectum, super-

natu-

turalem ſpecialem habitum, vt patet in virtutibus infuſis ſpei, fidei, & charitatis, & in omnibus alijs, quas tribuit Deus animæ vt ſit inſe connaturaliter diſpoſita, & ſuauiter ad actus ſuperna turales diſtinctos: ergo eadē ratione tribuit animæ diuerſos habitus gratiæ ad diuerſas operationes Sacramentales, & habitum gratię Sacramentalis diuerſum ab habitu gratiæ communiter dictæ.

Vltimo arguitur, qui habet gratiam Sacramentalem poteſt vti illa cum voluerit: ergo ſignum eſt, quod illa addit ſupra gratiam communiter dictam habitum particularem: Antecedens patet in omnibus habentibus aliquam gratiam Sacramentalem alicuius Sacramenti.

Conſequentia verò probatur ex differentia, quæ intereſt inter habitum, & auxilium Dei ſpeciale, ſiue ordinis naturalis, ſiue ſupernaturalis, quod habens habitum poteſt vti illo cum vult; habens verò auxilium tantum, cum mouetur à Deo: quia datur ad actualem operationem.

Tertia ſententia aſſerit gratiam Sacramentalem ſupra gratiam virtutum, & donorum, ſeu communiter dictam, quod idem eſt, addere tantum quoddam auxilium Dei actuale extēſiuum habitus gratiæ communiter dictæ ad effectum proprium Sacramenti. Ita Caiet. hic, & Magiſter Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 3. art. 2. Idem docet Mag. Suar. in præſenti quæſtione, diſput. 7. ſect. 3. concluſ. 2. & putat eſſe ita dicendum ſecundum mentem D. Thom. in preſenti articulo, vbi expreſſè aſſerit gratiam Sacramentalem addere ſupra gratiam communiter dictā; & ſuper virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad conſequēdum Sacramenti finem, & hoc explicat Magiſter citatus, ſecundo fundamento ſuo declarando ſingula auxilia ſpecialia data in ſingulis Sacramētis ad ſuo ſpeculiares fines conſequēdos, vt in confirmatione datur (vt ipſe piè credendum dicit) quoddam ſpeciale auxilium gratiæ ad conſtanter, & firmiter profitendam fidem. Vndè augmentum gratiæ, quod per tale Sacramentum datur ad conſequendum prædictū finem, ait ipſe, eſſe gratiā Sacramentalem talis Sacramenti, quatenus connotat tale ſpeciale auxilium, quòd idem docet Soto, vbi ſupra, putans etiam eſſe mentem D. Thom. ſicut etiam conſtanter credit Caiet.

Pro reſolutione eſt notandum, quod nomine gratiæ communiter dictæ poteſt intelligi gratia ſecundum communem rationem gratiæ, ſecundum quàm abſtrahit à gratia actuali, & habituali, quatenus tantum dicit rationem doni gratuiti, quę ratio ſaluatur in gratia actuali, ideſt in auxilio ſupernaturali, & in gratia habituali: quia de vtroque verificatur, quod eſt donum gratuitum pertinens ad ordinem ſupernaturalē. Ita diuiditur gratia à D. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. & quæſtion. 110. art. 2. & quæſt. 111. art. 2. & in hac generaliſsima ratione dicunt Authores tertię ſententię accipere eam D. Thom. in præſenti articulo, quo ſuppoſito nimis probabile eſt dicere cum ipſis, quod gratia Sacramentalis ſolùm addit ſupra rationem gratię communiter dictæ, auxilium ordinis gratiæ, & hoc eſſe conforme doctrinæ Sancti Doctoris.

Cæterum licet tanti viri id aſſerant, cum alijs etiam doctiſsimis Thomiſtis cenſeo in pręſentiarum D. Th. nomine gratiæ communiter dictę intelligere habituale donum gratiæ, quòd vocatur ab ipſo gratia communiter dicta: quia licet contineat in ſe rationem generalem gratię determinatam per rationem habitus, tamen quia ſecundum ſuam rationem ſpecificam eſt vniuerſalis cauſa, quæ omnem ordinationem ſupernaturalē animæ, & potentiarum eius cauſat perſe ipſam, & per virtutes & dona, quæ ad ipſam conſequuntur; ideò vocatur gratia communiter dicta communita

te non abstractionis, & vniuersalitatis, sed communitate causalitatis, sicut iustitia solet appellari virtus communis, & sol appellatur vniuersalis in causando, & non in prædicando.

Colligitur hæc expositio ex ipso D. Thom. tàm in corpore huius articuli, quàm in solutione ad primum: in corpore namque ait, *quod gratia perficit essentiam animæ, & quod ex illa fluunt virtutes, & dona Spiritus Sancti, sicut ad essentiam animæ sequuntur suæ proprietates.* Hæc autem gratia immediatè animam in sua essentia perficiens, est donum habituale gratiæ sanctificantis, & iustificantis nos: nam gratia actualis cum detur immediatè ad operandum, immediatè nõ animæ essentiam perficit, sed aliquam eius potentiam.

Similiter in solutione ad primum ait, *quod gratia virtutum, & donorum sufficienter perficit essentiam, & potentias animæ quantum ad generalem ordinationem actuum animæ.* Etenim gratia habitualis se ipsa immediatè animam perficit; & mediis virtutibus, & donis ad illam sequutis perficit potentias animæ, & quia, vt sic ordinat animam, & omnes eius actus ad ordinem supernaturalem absolutè sumptum, non determinando istam ordinationem ad aliquẽ finem particularem, vocatur talis gratia communiter dicta, id est causans communem ordinationem supernaturalem repertam in omnibus actibus supernaturalibus, quatenus tamen illi actus, & anima, & potentiæ eius per ipsos ordinantur determinatè ad aliquos speciales effectus, qui requiruntur in vita Christiana, egent gratia secundum aliam rationem magis determinatam, & hanc gratiam vocat D. Thom. Sacramentalem.

Et de hac inquirit in præsenti: vtrum addat aliquid distinctum à gratia virtutum, & donorum, ideſt, à gratia, quæ est principium virtutum, & donorum supernaturalium, quæ est gratia habitualis, & non actualis.

His ergo merito præsuppositis, sit prima conclusio. Gratia Sacramentalis præter respectum ad causam addit aliquid, quod ipsa gratia gratum faciens, secundum se ipsam præcisse sumpta non includit.

Hæc conclusio sic intelligenda est, quod videlicet licèt gratia Sacramentalis sit idem habitus secundum rem cum gratia gratum faciente, tamen vt Sacramentalis est, importat aliquid particulare, quod non importat gratia gratum faciens, vt sic præcisse sumpta, ratione cuius gratia Sacramentalis per se primò habet effectum in anima illam sanctificando, & deinde habet effectum in actiones necessarias ad consequendos speciales effectus Sacramentorum, & hoc est quod D. Thom. explicuit dum ait in sua ratione corporis, *quod Sacramenta per se ordinantur ad quosdam speciales effectus.* Ideo gratia Sacramentalis per ipsa causata, vt Sacramentalis est, addit aliquid ratione cuius iustificatus per ipsam ordinatur ad operationes, quibus consequendus est finis intentus per Sacramentum.

Sic explicata conclusio communis est inter Theologos omnes præter citatos pro prima sententia, contra quam statuitur, & putant illam esse ita certam, vt opposita sententia non careat temeritate, nec sit consona fidei.

Probatur primo ratione: qua D. Thom. probat suam conclusionem.

Secundò: quia si gratia Sacramentalis nihil adderet supra gratiam communiter dictam omnia Sacramenta haberent eundem effec-

tum gratiæ sub eadem ratione formali: consequens autem est falsum: ergo illud ex quo sequitur. Sequela patet: nam omnia Sacramenta causant gratiam gratum facientem: ergo si ratio gratiæ Sacramentalis non addit aliquid particulare supra gratiam gratum facientem per vnum Sacramentũ nihil particulare acquiritur, quod non acquiratur per aliud in ratione gratiæ, & consequenter omnia Sacramenta habebunt eundem effectum formalem gratiæ, quod autem consequens sit falsum patet, tum quia frustra essent diuersa Sacramenta instituta, ad eandem gratiam, cum frustra sint diuersa instrumenta respectu eiusdem effectus formalis.

Si dicas, quod ad augendam gratiam esset necessarium diuersum Sacramentum. Contra est: quia ad tale augmentum sufficiens causa esset idem Sacramentum sæpè repetitum. Tum deinde: quia sequitur idem inconueniens de Sacramentis illis, quæ sunt instituta ad augendam gratiam, omnia enim præter vnum superfluerent: tum etiam: quia consequens illud esset falsum: quia est contra Concilium Florentinum, in decreto illo citato supra articulo præcedenti, vbi sigillatim explicãtur diuersi effectus Sacramentorum: ergo non cõsentit diffinitioni Concilij statuere vnum, & eundem effectum gratiæ in omnibus Sacramentis.

Confirmatur: quia D. Thom. infra, quæst. 65. art. 1. ex professo distinguit effectus omnium Sacramentorum explicando in gratia quæ efficitur per quodlibet Sacramentum, rationẽ formalem diuersam, scilicet in gratia baptismali, rationem formæ regenerantis in vita spirituali, & in gratia confirmationis, rationem roborantis, & confirmantis in tali vita, & in gratia Eucharistiæ, rationem nutrientis, & sic de alijs: ergo quælibet gratia Sacramentalis addit aliquam peculiarem rationem supra gratiam communiter dictam propter rationem primò factam, ex qua sequitur oppositum huius doctrinæ D. Thom. quæ etiam docetur, & approbatur in Concilio citato.

Tertiò. Omnia Sacramenta Ecclesiæ sunt diuersæ speciei: ergo sunt formaliter diuersa in ratione signi, & consequenter significant diuersas gratias Sacramentales: ergo causant diuersas gratias Sacramentales. Patet consequentia: quia Sacramenta causant gratiam, quam significant: si ergo significant diuersas gratias, illas etiam, vt diuersas causabunt. Nec valet dicere diuersitatem sumi ex diuersis characteribus: tum quia illi non sunt effectus principales Sacramentorum; sed minus principales ordinati ad gratiam. Vnde ex illis non potest summi diuersitas essentialis Sacramentorum: tum etiam: quia consulto in omnibus rationibus loquutus sũ de Sacramentis, quatenus significant, & causant gratiam sanctificantem nos. Tum etiam deinde: quia illa solutio, non currit de omnibus Sacramentis; sed tantum de tribus causantibus characterem.

SECVNDA CONCLVSIO.

GRATIA Sacramentalis non addit alium habitum realiter distinctum ab habitu gratiæ communiter dictæ. Hæc conclusio docetur cõmuniter à Theologis in præsenti, estque contra secundam sententiam Paludani, & videtur de summi ex D. Thom. in præsenti articulo; dum explicans id quod addit gratia Sacramentalis supra gratiam virtutum, & donorum, ait esse auxilium; non tamen dicit esse habitum distinctum.

Hæc cõclusio probatur primo: quia si daretur talis habitus, vel esset in essẽ tia

tia animæ, vel in eius potentijs; non primum, nec secundum: ergo non datur talis habitus. Probatur minor quo ad vtrãque partem (maior enim certa est de se) quod non sit in essentia animæ, sic probo: quia habitus gratiæ gratum facientis est in anima, tanquã sufficiẽs principium cuiuscunque iustificationis: ergo frustra ponitur alius habitus in eadem anima ad hunc effectum; qui est iustificatio, etiam secundum particularẽ rationem; cum frustra ad eũdem effectum ponantur diuersa principia; si vnum tantum est per se sufficiens ad illum secundum quamlibet rationem; frustra enim fiunt per plura, quæ per pauciora possunt fieri; quod verò non sit talis habitus in potentijs animæ probatur: nam omnis habitus infusus residens in potentijs animæ est virtus supernaturalis secuta ad gratiam, vel est donum Spiritus Sancti: ergo præter gratiam virtutum, & donorum non est dabilis, nec intelligibilis alius habitus, neque explicari poterit aliquis effectus, ad quem sit per se requisitus.

Secundo probatur: nam si gratia Sacramentalis est alius habitus realiter distinctus ab habitu gratiæ gratum facientis: ergo non est sanctificatiua animæ simpliciter loquendo, & consequenter Sacramentum non erit iustificatiuum simpliciter animæ: consequens autem est falsum: cum Sacramentum sit signum rei sacræ sanctificantis nos: ergo illud ex quo sequitur.

Consequentia prima probatur: nam gratia gratum faciens sub ista ratione tantum sanctificat simpliciter animam; sed gratia Sacramentalis est alius habitus realiter distinctus à gratia gratum faciente in opposita sententia: ergo ratione suæ formalitatis, & entitatis distinctæ non sanctificat simpliciter animam; sed potius præsupponit vt sic animam sacrificatam. Ex quo rursus sequitur, quod omnia Sacramenta ratione gratiæ Sacramentalis, quæ est proprius, & per se effectus illorum sint Sacramenta viuorum: quia talis gratia non dat vt Sacramentalis, sanctitatem simpliciter; sed supponit habitum alium, à quo prouenit.

Et si dicat quis ad hoc vltimum: quod quia talis habitus prior causatur etiam à Sacramentis mortuorum; ideò talia sunt; & dicuntur. Contra est: quia Sacramentum sumit speciem, & denominationem formalem à proprio effectu eius, qui tantum est gratia Sacramentalis, vt sic: ergo si illa nõ sanctificat simpliciter; sed potius præsuponit sanctitatem simpliciter, non erit, neque dicetur Sacramentum mortuorum: hoc autem est contra communem doctrinam Theologorum, imò, & Sanctorum Conciliorum: ergo dicendum est quod gratia Sacramentalis non est habitus alius à gratia virtutum, & donorum.

Vltimo. Et confirmo prædicta, impugnoquè solutionem datam, aliamque dabilem præuenio: nam si Sacramentum causat habitum gratis Sacramentalis, & ille est distinctus ab alio habitu: ergo omne Sacramentum causat per se duplicem habitum gratiæ quod falsum est: quia contra omnes Theologos, & tanquem totaliter nouum reiiciendum est merito à scholis.

Consequentia verò patet: nam causat etiam habitum gratiæ gratum facientis, vel auget talem gratiam (vt fides docet, & secundum illam nos docuimus hoc artic. præced. primò dubio) & præterea causat ipsum habitum gratiæ Sacramentalis: ergo.

Tertia conclusio. Gratia Sacramẽtalis addit supra gratiam cõmuniter dictã specialem quadam perfectionẽ intrinsecam habitualem permanenter in hærentem ipsi gratiæ gratũ facienti, & dicentẽ intrinsecã habitudi-

nem ad diuinum auxilium speciale, quo Deus est paratus concurrere cū homine confirmato (verbi gratia) sensus ergo conclusionis est, quod gratia Sacramentalis cuiuscumque Sacramenti habet quendam perfectionem intrinsecam habitualem, ratione cuius habet vim specialem ad proprium actum Sacramenti efficiēdū, & connotat intrinsecam habitudinem ad auxilium speciale, quod Deus confert ad actualem vsum talis virtutis, & vigoris habitualis; hanc autem perfectionem non habet gratia habitualis non Sacramentalis.

Est exemplum optimum huius, in gratia collata per Christum, quæ habet specialem vim ad confirmandum hominem in Dei amicitia, & exercitio virtutum, quā vim non habebat gratia collata in statu innocētiæ: sic dicendum est de qualibet gratia Sacramentali respectu non Sacramentalis, vt v. g. gratia Sacramenti Confirmationis habet vim ad confessionem fidei fortem, & robustam, quæ est actus proprius illius Sacramenti, & idem dicendum est de alijs gratijs Sacramentalibus.

In hac conclusione sic explicata conueniunt fere omnes Thomistæ vno, vel altero excepto, est tamen contra magistrum Sot. in 4. dist. prima, quæst. 3. art. 2. & contra Caiet. hic.

Probatur primò omnibus rationibus factis pro secunda sententia, quæ adminus illam probāt efficaciter maximè tertia ratio cum sequentibus.

Secundo probatur. Gratia Sacramentalis addit speciale auxilium (vt docet D. Thom. in præsenti articulo) ad effectum proprium Sacramenti: ergo addit necessariò aliquam intrinsecam perfectionem supra habitum gratiæ gratum facientis.

Probatur consequentia. Secundum suauem dispositionem Dei, qua concurrit cum omnibus principijs operatiuis, & cum vtentibus ipsis, & operātibus per ea semper auxilium Dei proportionatur perfectioni virtutis, & principij operantis: ergo si auxilium, quo Deus concurrit cum gratia Sacramentali est speciale, distinctumque ab illo, quo concurrit cum gratia gratum faciēte: ideò est: quia gratia Sacramentalis habet vt sic, aliquam particularem perfectionem ad proprium effectum Sacramēti, quam non habet gratia gratum faciens, vt sic; aliàs non esset necessarium aliud auxilium speciale gratiæ; sed idem sufficeret ad vtranque gratiam.

Patet consequentia clarè: quia ad vtendum eadem virtute eodem modo se habente in omnibus rebus sufficit auxilium eiusdem perfectionis, vt patet discurrendo per omnia, calor enim ignis cuiuscumque, vt operetur in actu secundo non eget in vno igne speciali auxilio, quo non indiget in alio; sed auxilium eiusdem perfectionis sufficit: & idē inueniens in supernaturalibus, in ipsa gratia habituali non Sacramentali, quæ in omnibus, vt se explicet in omnes suos effectus, idem auxilium petit, tanquā sufficiens, & requisitū.

Confirmatur, quia si gratia Sacramentalis nō adderet specialem perfectionem, omnes gratiæ Sacramentales essent eiusdem speciei, cum omnes gratiæ gratum facientes sint eiusdem speciei, sicut omnes habitus charitatis: ergo nō adderent diuersa auxilia diuersæ speciei.

Consequens est falsum; ergo illud, ergo sequitur. Vnde dicendum est, quod omnis gratia Sacramentalis addit particularem perfectionem supram gratiam gratum facientem, & ita quælibet est diuersa specie ab altera gratia Sacramentali, & propterea eget ad sui vsum speciali Dei auxilio gratiæ ad proprium effectum. Discur-

cursus iste est legitimus, & minor patet: nam quodlibet Sacramentum ordinatur ad specialem effectum distinctum specie ab alio: ergo similiter gratia causata per illud respicit talem specialem effectum, sed ad effectum distinctum specie requiritur auxilium diuersum specie: ergo contrarium huius falsissimum est.

Sed inquires: Vndè prouenit hęc maior perfectio, & specialis, quam addit gratia Sacramentalis: nam non videtur procedere à maiori intensione, nec à maiori extensione: ergo non datur talis particularis perfectio.

Consequentia ex eo probatur, quia non videtur aliud principium, à quo sumatur. Antecedens verò probatur: nam gratia collata extra Sacramentũ per contritionem potest esse ita intensa, imò magis quàm collata per Sacramentum, cum id ex maiori radicatione qualitatis in subiecto proueniat, & quælibet gratia possit ex parte subiecti magis radicari, & consequenter magis perfici: ergo non etiã ex maiori extensione: quia gratia nõ Sacramentalis potest se extendere ad omnes effectus, ad quos se extendit gratia Sacramentalis, ergo.

Probatur antecedens, exemplo: gratia hominis non confirmati, per Sacramentum extenditur ad confitẽdum fidem, qui est proprius actus, ad quem se extendit gratia Sacramentalis confirmationis: ergo nec intensio, nec extensio potest esse causa, quare gratia Sacramentalis addat specialem perfectionem supra gratiam communiter dictam.

Ad hoc respondetur, quod vt patet ex tota seriè nostræ conclusionis hęc intrinseca perfectio non consistit, neque in maiori intensione, neque in maiori extensione habitus, si extensio vtcunque sumatur, sed in quoddam intrinseco vigore, quo viget gratia Sacramentalis ad proprium effectum Sacramenti: Hæc autem peculiaris vis est propria habitus gratiæ Sacramentalis, vt Sacramentalis est, quæ non competit gratiæ habituali vt *sic*, quæ desumitur ex ordine ad proprium causam per se gratiæ Sacramentalis. Vndè quantumque remissa sit in anima talis gratia habet ratione suæ propriæ causæ talem perfectionem, sicut firmitas essentialis habitus, seù ratio difficile mobilis à subiecto, quę est differentia habitus, per quàm distinguitur à dispositione conuenit illi ex parte propriæ causæ, non verò ex subiecto, eò quod in illo fit magis intensè.

Etsi vrgeas, quod idem actus efficitur à gratia non Sacramentali, vt patet in exemplo de confessione fidei posito in obiectione præcedenti: ergo gratia Sacramentalis solùm addit auxilium actuale.

Respondetur, quod non efficitur eodem modo, et enim confirmatus ex vi gratiæ illius Sacramenti potest firmiter, & fortiter fidem exterius confiteri, quo modo sine tali perfectione gratiæ Sacramentalis, non potest aliquis saltim persè loquendo firmiter: & fortiter fidem confiteri etiam coram inimicis fidei ex vi solius gratiæ habitualis, non Sacramentalis, propterea quod illa secundum se non est vis ad talem actum firmum, & fortem.

Dixi per se loquendo: quia in casu extraordinario poterit illud contingere, vt potè si Deus conferat homini auxilium extraordinariũ, quod habeat virtutem ad talem actum, qui tunc non tam gratiæ, quam illi auxilio debet tribui. Et si rursus inquiras an ista perfectio pertineat ad speciem gratiæ habitualis, an verò ad aliam.

Respondetur dupliciter. Primò ex mente doctissimi Nuño præsenti articulo, dubio circa ipsum post tertiam conclusionem, §. & si quæras, & §. notandum est etiam. Dico ergo ex doctrina istius Doctoris, quod ista

perfectio pertinet formaliter ad ſpeciem potentiæ, eo quod gratia Sacramentalis vt ſic eſt participatio perfectionis, quàm habuit gratia habitualis Chriſti, ſecundum quod illa habuit rationem propriæ paſsionis in illo ex ordine ad gratiam vnionis, ratione cuius gratia Chriſti habuit modum quendam, vt dicitur ſuprà quæſtion. 7. per quem ſpecie quadam accidentali differt à gratia habituali noſtra; quod autem gratia Sacramentalis ſit participatio gratiæ Chriſti ſpecialiſsima ratione conſtat: quia datur per Sacramentũ ex opere operato; & ideò poteſt participare à gratia Chriſti aliquem modum particularem, ratione cuius diſtinguatur ſpecie quadã accidentali à gratia non Sacramentali, quæ quia non eſt illa ſpeciali ratione effectus gratiæ Chriſti, non habet illum modum perfectionis participatum.

Secundo dico, quod ille modus perfectionis, directè ad nullam ſpeciẽ pertinet: quia eſt aliquid incompletũ: quia tamen formaliter modaliter diſtinguitur ab habitu gratię gratũ facientis, ſic modaliter pertinet ad quãdam ſpeciem modalem habitus accidentalem tamen: quia non eſt modus perſe incluſus in potentia gratiæ vt *ſic*, ſed ſolum accidentaliter quatenus gratia poteſt cauſari ex opere operato per Sacramentum, & ex opere operantis à ſolo Deo, quòd accidit gratiæ, quod ſic vel illo modo cauſetur, & ita etiam accidit modus gratiæ Sacramentalis, atque ita gratia Sacramẽtalis à non Sacramentali differt ſpecie quaddam modali, & eodem modo differunt interſe omnes gratiæ Sacramentales, hac tamen differentia exiſtente, quod ipſe inter ſe eſſentialiter differunt: à gratia verò gratũ faciente ſolum accidentaliter: quia illa perfectio, quę eſt modus accidentalis gratiæ abſolutè conſideratæ eſt eſſentialis reſpectu gratiæ Sacramentalis vt *ſic*, ſicut coloratum eſt accidẽs animalis abſolutè conſiderati, tamen vt album eſt, quid eſſentiale eſt ei ratio colorati, & ita licet album, & nigrum ſint ſpecies accidentales hominis, tamen reſpectu hominis vt colorati eſſentialiter ſe habent.

Dico præterea, quod iſta perfectio diſponit hominem vt ſuauiter, & facile mouetur à Deo recipiendo diuinum auxilium ſpeciale requiſitum, & neceſſariũ ad exercẽdas opurationes proprias correſpõdentes tali, vel tali Sacramẽto, & confert vim habitui, quem modificat, vt iuxta modum proprium habitus ordinet ſubiectũ ad tales operationes, videlicet vt facile, & ſuauiter illas eliciat, & conſequenter ſicut ipſe habitus gratiæ eſt in ſpecie habitus, ita illa perfectio gratię Sacramentalis reducitur ad ipſam ſpeciem habitus gratiæ, ſicut modus rei reducitur ad ſpeciem rei, quãuis formaliter diſtinguatur ab illa, ſicut dicitur de exiſtentia, & de ſubſiſtentia cuiuſcunque creaturæ.

Sed dices contra noſtram concluſionem, eſſe D. Thom. qui in præſenti articulo docet, quod gratia Sacramẽtalis addit ſupra gratiam communiter dictam auxilium, & non dicit addere aliquam perfectionem intrinſecam gratiæ: cum ergo hic inquirat, quid addat talis gratia ad alteram, diminutè proccderet nondicendo totũ quod addit, ergo cum tantum dicat addere auxilium ſolum illud debemus affirmare, quod addit ex mente D. Tho.

Reſpondetur tamen, quòd dicendo explicite D. Thom. quod gratia Sacramentalis addit auxilium ſpeciale, implicitè docuit addere aliquam perfectionem intrinſecam gratiæ abſolutè ſumptæ: quia vt ſupra diximus, auxilium debet eſſe proportionatũ intrinſecæ perfectioni gratiæ, imò non poteſt intelligi, quod ſuperaddat auxilium ſpeciale, & quod non ſuperaddat illam perfectionem ſpecialẽ: quia auxiliũ præſupponit neceſſariò principium determinans, & diſponens hominem

minem ad operationem, ad quam actualiter operandam datur auxilium. Similiter præsupponit dispositionem, qua homo disponatur vt suauiter recipiat illud, vt immediatè ante hoc diximus. Vndè D. Thom. non obscurè apud doctos hanc docuit sententiam, sufficienter qua difficultatem resoluit.

Ad argumenta pro prima opinione respondetur: illis omnibus probari quod gratia Sacramentalis non est alius habitus distinctus realiter ab habitu gratiæ gratum facientis, non verò quod non addat aliquam particulam perfectionem, modo explicato in nostra vltima conclusione.

In forma ergo ad primum respondetur distinguendo maiorem: eosdē effectus secūdum identitatem essentialem concedo maiorem, secundum omnem identitatem, nego maiorem.

Ad probationem in contra ex dictis modo patet, & ex dictis supra in solutione replicæ factæ contra solutionem obiectionis factę contra tertiā conclusionem: dicendum nanque est illum modum firmitatis, & maioris facilitatis, secundūquem elicitur protestatio fidei à gratia Sacramentali, quo modo non elicitur á gratia communiter dicta, causare diuersitatē accidentalem in actibus, & eodem modo differt gratia Sacramentalis à nō Sacramentali.

Idem dicendum est ad exemplū, de continentia coniugali, & non coniugali: gratia enim Sacramentalis collata in matrimonio includit perfectionem intrinsecam, ratione cuius homo eleuatur ad consequendum effectum Sacramenti, ratione cuius ex diuina institutione, & ordinatione est debitum ei auxilium speciale ordinis gratiæ in ordine ad talem effectū consequendum. Ex quo optimè infertur non esse habitus diuersos realiter gratiam Sacramentalem, & non Sacramentalem, non tamen nō habere differentiam à nobis explicatam.

Ad secundum dico, quod gratia Sacramentalis respectu gratiæ gratū facientis non se habet in rigore, sicut species propriè loquēdo respectu sui proprij generis, sed solum impropriè, & secundum aliquam similitudinem, scilicet in quantum gratia Sacramentalis intrinsecè præsupponit, aut includit habitum gratiæ gratum facientis, & addit aliquid modale, quod non totaliter est extra rationem gratiæ, sed modaliter se habet ad illā, vt modus proprius eius, & non alterius habitus.

Vel dicito secundó cum communi doctrina Thomistarum tenentium istam nostram opinionem, quod se habēt sicut species, & genus impropriè: quia se habent vt subiectum perfectibile, & perfectio modalis accidentalis.

Ad probationem in contra ex D. Tho. respondetur: eo modo esse explicandum sicut modo diximus, & fundatur in ipso contextu: nam post verba relata subdit D. Thom. *Vndè sicut non æquiuocè dicitur animal cōmuniter dictum, & pro homine sumptum, ita non æquiuocè dicitur gratia communiter dicta, & gratia Sacramētalis.* Ex quibus verbis colligitur clarè in prioribus, dum dixit, quod gratia Sacramentalis se habēt ad gratiam communiter dictam; sicut species ad genus, per *ly sicut*, non intendit omnimodam proprietatem, & paritatē, sed solum aliquam, quæ sufficiat ad saluandum, quod gratia non dicitur æquiuocè de gratia cōmuniter sumpta, & de gratia Sacramentali, quod est intentum principale ipsius Sancti Doctoris; ad hoc autem saluandum sufficit, quòd gratia Sacramentalis addat supra gratiam communiter dictam, quandam rationem accidentalē, quæ necessariò conuenit gratiæ habituali (vt dictum est iam.)

Ad probationem autem maioris ex ratione desumptam respondetur, quod gratia communiter dicta, sicut

in præsenti vsurpatur, (vt diximus supra) est gratia gratum faciens, & non abstrahens ab habituali, & actuali, illa autem abstrahit ab omnibus habitibus gratiæ in singulari, sicut species abstrahit à suis individuis; si verò cõsideretur in ordine ad gratias Sacramentales, & non Sacramentales abstrahit sicut subiectum determinabile per aliquos modos accidentales abstrahit secundum se ab illis, & est in potentia ad eos, accidentali tamen, & non essentiali, sicut homo abstrahit ab albedine, & non albedine.

Ad tertium concessa maiori negatur minor. Ad cuius probationem respondetur D. Thom. potius docere oppositum in illo loco citato solutione ad secundum, vbi ait, quod gratia gratum faciens radix fuit iustitiæ originalis; radix autem semper distinguitur realiter à radicato. Vnde hanc sententiam tenet Bannez, 1. part. q. 95. art. 1. dub. 2. conclusione prima, vbi verba D. Thom. in art. citato quæstionis 100. refert & perpendit, sed tamen admissa maiori, vt fert probabilis opinio aliquorum Thomistarum.

Respondetur, quod etiam gratia Sacramentalis est idem cum gratia gratum faciente; tamen sicut iustitia originalis sub ista formalitate aliquo modo distinguebatur, (vt omnes dicunt) ab habitu gratiæ gratum facientis propter rationem factam in argumento, ita nos dicimus de gratia Sacramentali, quod aliquo modo differt à gratia gratum faciente modo iam sæpe exposito.

Ad quartum concedo sequelam, & nego minorem, ad cuius probationem negatur antecedens ad probationem dico, quod illud, quod ibi infertur in casu argumenti non est inconueniens quoniam excessus gratiæ, qui correspondet illi, qui fuit confirmatus, non est excessus in ratione gratiæ vt gratum facientis, sed in accidentali quaddam perfectione scilicet gratiæ Sacramentalis correspondentis perfectioni antiquæ causatæ à Sacramento Confirmationis.

Ad probationem in contra respõdetur, illa probari, quod detur æqualis perfectio gratiæ in ratione essentiali gratiæ: non verò in ratione accidentali gratiæ Sacramentalis: quia ad hanc rationem non est dispositio cõtritio, cum detur ex opere operato in virtute antiqui Sacramenti. Vnde solum se habet vt remouens prohibens respectu reuiuiscentiæ, quantum ad illam perfectionem, imò in propria materia quiddam Doctores dicunt, quod respectu gratiæ, quæ reuiuiscit, & omnium meritorum contritio non est propriè loquendo dispositio per se, sed conditio remouens impedimentum. Vnde in quacunque opinione certissimum est illum modum resurgendi hominis cõfirmati in gratia esse necessarium, & non inconuenientem.

Ad argumenta pro secunda sententia. Respondetur omnia illa probare nostram tertiam conclusionem, & nihil amplius; nam ad saluanda ea omnia, quæ illis probantur, sufficit, quod gratia Sacramentalis addat perfectionem habitualem modo explicato, quæ facit habitum gratiæ constitui in specie quaddam accidentali incompleta ad minus, diximus etiam, quod illa perfectio licet respectu gratiæ communiter dictæ sit accidentalis, tamen respectu illius vt Sacramentalis est essentialis, & consequenter omnes gratiæ Sacramentales differũt essentialiter inter se, non in ratione essentiali gratiæ gratum facientis, sed per comparationem ad rationem superiorem gratiæ Sacramentalis.

De tertia opinione, etiam in resolutione dubij patet quomodo non sit vera pro ea parte, qua excludit perfectionem intrinsecam ipsius habitus gratiæ, licet dicat verum, quantum ad aliquid, quod nos etiam asserimus. Et hæc de hoc dubio, & articulo.

Arti-

ARTICVLVS III.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis contineant gratiam?

PRIMA conclusio est. Gratia cõtinetur in Sacramento tãquã insigno. Ratio est: quia Sacramentum est signum gratiæ.

Secunda conclusio. Gratia cõtinetur in Sacramento, sicut in causa instrumentali. Ratio huius conclusionis est: quia gratia continetur in Sacramẽto sicut in causa (vt dictum est art. præced.) non vniuoca, nec æquiuoca: ergo instrumentali.

Probatur minor quoad vtranque partem: nam Sacramentum continet gratiam non secundum similitudinẽ speciei, sicut effectus causæ vniuocæ continetur in ipsa, vt homo genitus continetur in homine generante; neque secundum aliquam formam propriam, & permanentem proportionatem ad talem effectum, sicut sunt effectus in causis æquiuocis: ergo restat, quod tantum contineat gratiam secũdum aliquam virtutem instrumentalem, & consequenter, quod tantum sit gratia contenta in Sacramento, sicut in causa instrumentali.

Circa istum articulum solũ est aduertendum, id quod docet D. Tho. in fine corporis, dum ait, quod virtus instrumentalis ratione cuius Sacramentum dicitur continere gratiã est fluẽs, & incompleta in esse naturæ, & consequenter ad istam doctrinam in solutione ad tertium docet, quod gratia tantum habet esse fluens, & incompletum in Sacramento.

Ex quo sequitur, quod cum gratiã esse in Sacramento non possit verificari secũdum suum esse formale: quia non est in illo sicut in subiecto, vt docet ad primum, debet tantum verificari de illa secundum suum esse virtuale; hoc est ratione virtutis instrumentariæ. Vnde idem est dicere gratiam esse in Sacramento secundum esse fluens, & incompletũ, & dicere, quod virtus causatiua gratiæ est in Sacramento incompletè, & per modum fluentis, & transeuntis.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm in Sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiuæ?

PRIMA conclusio. Necessario dicendum est, quòd in Sacramentis est aliqua virtus instrumentalis respectu gratiæ. Hæc probatur à D. Thom. in argumento; sed contra ex: illo celebri dicto Augustini super Ioan. *Vnde tanta vis aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Aug. & ex illo Bedæ. *Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regenerativã, contulit aquis*: Ergo aliqua virtus est, in baptismo ad proprium effectum, qui est regeneratio spiritualis animæ. Et idem debemus dicere, de alijs Sacramentis.

Deinde in corpore: quia Sacramenta sunt instrumenta causatiua gratiæ (vt dictum est primò articulo) sed non potest hoc saluari, si in eis nõ ponitur aliqua virtus instrumentalis respectu gratiæ, quam dicuntur causare: ergo necesse est dicere, quod in illis est aliqua virtus causatiua gratiæ.

Secunda conclusio. Hæc virtus habet esse in Sacramentis incompletum; & transiens. Ratio huius conclusionis est. Virtus instrumentalis comparatur ad virtutem perfectam alicuius rei scilicet agentis principalis; sicut comparatur instrumentum ad ipsum agens principale, sed instrumentum (vt dictum est) non operatur nisi in quantum est motum à principali agente: ergo virtus eius habet esse eo modo quo motus; sed motus in mobili est actus imperfectus habens esse incompletum, scilicet transiens ab agente in patiens: ergo virtus instrumentalis Sacramentorum habet esse

esse in illis incompletum, & transiens à Deo in Sacramentis in ipsum patiens, scilicèt in animam, quæ est subiectum, in quo causatur gratia.

CIRCA SECVNDAM conclusionem. Dubium est.

Vtrùm virtus Sacramentalis sit aliquid distinctum à motu?

IN hoc dubio multæ sunt sententiæ. Prima asserit nouissimè, virtutem per quam Sacramenta constituuntur in actu primo ad operandum esse non aliquid superadditum entitati ipsorum, sed ipsam entitatem naturalem rei, quatenus eo ipso, quod creata est, & subordinata primo agenti est in potentia obedientiali activa, vt efficiat quidquid non implicat contradictionem respectu eius. Hanc sententiam tenet P. Suarez 3. tomo, suæ 3. part. quæst. præsenti, disp. 9. sect. 1. §. tertia verò difficultas, in vltima parte sectionis, & refert se ad 1. tom. disp. 31. & in posteriori editione disp. 36. sect. 6. vbi multa de hac potentia obedientiali ait se dixisse, ideoquè in presenti paucis hoc negotium compleuit, solùm aduertendo, quod hæc potentia est communis omnibus rebus: tamen in Sacramẽtis respicit specialem Dei eleuationem, quę in hoc præcisse consistit, quod Deus altiori modo concurrit cùm illis tribuendo auxilium sufficiẽs, vt res operetur secundum hanc potentiam.

Hæc sententia probatur ex argumentis, quæ cõstituit in primo tomo, loco citato. Et primum sit desumptum ex D. Thom. in 3. dist. 8. quæst. 2. ad 4. vbi expressè asserit: *Sicut creaturæ in est obedientiæ potentia, vt in ea fiat quidquid creator dispoſuerit, ita etiam, vt ea mediante, quod est ratio instrumenti*: ergo ex mente D. Thoratio instrumenti consistit in hac potentia obedientiali activa.

D. Tho.

Secundò arguitur ratione pro hac sententia, quia nullam inuoluit repugnantiam, & ista sententia constituta, non difficile expediuntur difficultates, quæ in hoc negotio occurrunt: ergo ita dicendum est; cum mirum non sit Sacramentum esse in potentia obedientiali activa explicata: quia est ens creatum, & consequenter participatio Primi entis, & illi subordinatum.

Tertiò. Certum est, quod omnis res creata est in potentia obedientiali passiua, vt in ea, & ex ea Deus faciat quidquid voluerit; cur ergo nõ erit in potẽtia obediẽtiali activa, vt efficiat? vel Deus per ipsam quidquid non repugnauerit it: fieri. Cõsequentia ista ex eius doctrina, ita probatur: quia nõ implicat contradictionem, Deum ita creaturas instituere, & alias est maior perfectio; ergo dicendum est, quod Deus illas sic instituit, quod sit maior perfectio, ita probatur: quia sic magis, ac perfectius subiicitur omnis creatura Deo, cum subiiciatur non solum ad recipiendum, sed etiam ad agendum: ergo.

Quartò. Licet vnum corpus naturaliter sua quantitate non possit nisi vnum locum replere, tamen supernaturaliter potest duo nulla quantitate sibi addita. Similiter duo corpora non possunt naturaliter simul esse in eodẽ loco, & tamen Deus facit, vt possint esse simul etiam sine mutatione quantitatum eorum, aut alicuius dispositionis. Similiter licèt anima rationalis nõ possit sua natura informare, nisi corpus tantæ quantitatis facere potest Deus, vt det vitam corpori maioris quantitatis, & quod vna albedo informet duo subiecta: ergo sicut est in rebus potentia obedientialis ad hæc omnia, ita est potentia obedientialis activa, vt vltra terminos naturæ agant.

Quintò. Iuxta hanc potẽtiam obediẽtialem, potentiæ nostræ, scilicèt intellectus, & voluntas eliciunt actus supernaturales, quoad substantiam, &

& interdum sine habitibus; cùm solo auxilio supernaturali: ergo dicendū est, quod talis potentia datur in qualibet re respectu actus super excedentis suam naturam. Consequentia ex paritate rationis probatur: antecedēs autem videtur manifestum: quia actionem supernaturalem non potest efficere intellectus virtute naturali: ergo solum virtute obedientiali.

Confirmantur omnia hoc: exemplo calor est virtus naturalis ignis secundum multorum sententiam, & instrumentum ad producendum formam ignis; ex eo solùm quod est connaturalis ei facultas quamuis hoc non augeat, neque immutet caloris perfectionem: ergo non mirum, quod Sacramentum sit instrumentum Dei, quatenus per potentiam obedientialem ei subordinatur. Iuxta hanc sententiam intendit exponere, quomodo saluetur proportio inter causam, & effectum; quamuis ex naturâ rei non sit aliqua connexio inter illa.

Secunda sententia asserit virtutem instrumentalem Sacramentorum esse qualitatem aliquam supernaturalem additam ipsis, per quam in actu primò constituuntur respectu gratiæ producēdæ. Ita Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1. Capreolus ibidem artic. 1. conclus: 4. Ferrara 4. contrag. cap. 56. in solutione ad 1. Scoti in fine capitis implicitè indicat eadem sententiam, clarius tamen in solutione ad 4. id docet: Præcipuum fondamentum huius sententiæ est: quia entitas cuiuscunque Sacramenti per se ipsam est insufficiens ad producendam gratiam: ergo, vt constituatur potens debet super addi ei aliqua virtus; sed talis virtus non videtur posse esse alia, nisi aliqua qualitas ordinis supernaturalis saltim per modum intentionis, & transeunter communicata: ergo ita dicendum est de facto contigere.

Confirmatur hoc, ex D. Thom. præsenti articulo: vbi videtur ponere in Sacramentis virtutem instrumentalem distinctam à motu: ergo debet esse qualitas aliqua. Probatur antecedens: nam in corpore ait talem virtutem esse incompletam, & habere esse transiens in Sacramento, sicut ipse motus: comparat ergo D. Thom. virtutem instrumentalem cùm motu in modo essendi: ergo cùm comparatio debeat esse inter extrema distincta, sequitur quod D. Thom. sentiat in Sacramentis esse virtutem distinctam à motu. Similiter in solutione ad primum ait talem virtutem esse spiritualem, & in solutione ad secundum illam reduci ad genus virtutis perfectæ productiuę gratiæ, at virtus perfecta est qualitas, & virtus spiritualis necessariò debet distingui à motu Sacramentorum, qui corporalis necessariò est, sicut ipsa Sacramenta. Denique in solutione ad tertium docet, hanc virtutem communicari instrumentis ex hoc quod mouentur à causa principali, vbi ponit distinctionem inter virtutem, & motum, quo instrumentum applicatur ad operationem: dicendum ergo est in sententia D. Thom. virtutem instrumentalem Sacramentorum esse aliquam qualitatem distinctam.

Secundò arguitur. In instrumentis separatis imprimitur impetus quidam, & virtus, quædam distincta à motu ipsorum: ergo similiter in Sacramentis.

Consequentia probatur: quia Sacramenta sunt instrumenta Dei separata; antecedens patet in sagitta proiecta, in qua à sagitante imprimitur impetus quidam virtuosus à motu ipsius sagittę distinctus. Idem contingit in motu baculi, cùm quis vtitur ipso ad aliquid operandum, hoc etiam vniuersaliter docet, Arist. contingere in omnibus instrumentis separatis, 8. phisicorum.

Tertiò. Sacerdos constituitur in actu primò ad consecrandum, & ad remittendum peccata in ratione instrumenti per characterem, qui est qualitas quædam actiua ad illa operā

fa

ra (vt docet D. Thom. infra quæst. 63. art. 2.) ergo idem dicendum est de Sacramentis, quod scilicèt constituantur in ratione instrumenti respectu gratiæ per aliquam qualitatem superadditam.

Quartò. Sacramentum necessariò debet constitui in ratione instrumenti supernaturalis effectiui gratiæ per aliquam virtutem instrumentalem; sed illa virtus, non potest esse motus, quo ab agente principali scilicèt Deo mouetur ad gratiam producendam, actualiter: ergo debet esse aliqua qualitas. Antecedens probatur: nam ille motus prout receptus in Sacramento est passiuum aliquid formaliter: ergo non potest esse virtus instrumentalis illius. Consequentia patet: quia virtus instrumentalis debet esse actiua, antecedens probatur, quia per illum, vt receptum denominatur Sacramentum patiens, & mobile: ergo ille motus, vt receptus in Sacramento est de genere passiui.

Quintò. Iste motus, quicunque ille sit, est actus imperfectus Sacramenti, scilicèt via, fieri, & tendentia gratiæ, seu alterius qualitatis: ergo non potest constituere ipsum in ratione instrumenti actiui, consequentia probatur, quia actus imperfectus non constituit aliquid agens.

Confirmatur. Iste motus debet esse motus, quo Sacramentum mouetur ad actualiter causandum gratiam: ergo vt actio est habet rationem productionis gratiæ: ergo non constituit agens; sed potius præsupponit: quia productio vt productio, principium producens necessariò præsupponit; vt passim iam probatum. Quod non est constituit sub ratione formali motus probatur: quia est fieri ipsius gratiæ; sed fieri rei non constituit agens; sed mobile, vt tendens ad terminum: ergo non constituitur Sacramentum instrumentum Dei per motum diuinum in ipso receptum.

Tertia opinio asserit virtutem instrumentalem Sacramentorum esse motum ipsum, quo à Deo mouentur & eleuantur ad causandum gratiam, & idem dicunt de alijs instrumentis.

Pro quo aduertunt, quod duplex est motus rei, quæ est instrumentum alicuius agentis principalis, quidam est simplex, ad quem tantum requiritur principium motiuum efficiens, scilicèt potentia motiua, & forma rei motæ quodammodo se habet, vt virtus, & perfectio, cui talis motus proportionatur, alter est motus artificiosus, qui est quasi cõpositus, ex materiali, & formali, consideratus materialiter proportionatur formę naturali rei motę, & ex parte termini correspõdet ei effectus naturalis ipsius rei, quę est instrumẽtũ: formaliter verò cõsideratur pro vt est artificiosus, & ista ratione habet pro principio efficienti non tantum potentiam motiuam; sed potentiam vt perfectam per artem, & ex parte termini ad quem habet pro termino effectũ artis, & principalis agentis. Exemplum huius à signatur à Caietan. in præsenti articulo in motu fidium citharæ: et enim fides, seu chordæ eius possunt moueri à non musico, & à musico, motus ille, quo mouẽtur à nõ musico est motus simplex earum: quia habet pro principio tantum potentiam motiuam nudam, & ex parte effectus, seu termini ad quem, habet sonum tantum, qui est effectus proportionatus formæ ipsarum fidium: motus autem quo mouentur ab habente musicam est motus artificiosus: quia habet pro principio potentiam motiuam, vt perfectam per formam artis musicæ, & ita ex parte termini correspondet ei effectus artis, vtpote sonus musicus, & ita ducit ad effectum non proportionatum formæ naturali ipsarum fidium; sed formæ artificiali, & ideò vt sic formaliter inspectus, dicitur habere in se vim, & virtutem artis, & vocatur motus virtuosus, idem potest exponi in exemplo serræ in motu eius, qui est scissio ligni

a::

artificiosa: dicit ergo ista sententia, quod motus prior consideratione contemplatus non constituit instrumentum in actu primo ad effectum principalis agentis, quia vt sic tantum ducit ad effectum ipsi proportionatum: motus verò artificiosus, & virtuosus formaliter vt sic consideratus constituit instrumentum in actu primo in ordine ad effectum principalis agentis, vt patet in exemplis constitutis.

Ita similiter proportione seruata dicũt Auctores huius sententiæ, quod Sacramẽtũ cõstituitur in ratione instrumenti in actu primo respectu gratiæ per motum ipsius non simplicẽ, & quasi materialiter consideratum, sed per motum eius quasi artificiosum, & virtuosum formaliter consideratum, quatenus est motus Sacramentalis procedens a Deo vt Auctore gratiæ in ordine ad ipsam producendam, & non est necessarium aliam superaddere virtutem distinctam entitatiuè ab ipso motu diuino.

Hanc sententiam sic explicatam, expresse tenet Caietan, hic & sup. quæstion. 13. articul. 2. & Magister Dominicus de Soto in 4. distinction. 1. quæst. 3. articul. 4. Cabrera sup. quæst. 13. artic. 2. disputation. 4. conclus. vltima, Zumel 12. quæstio. 112. art. 1. disputation. 3. concl. 9. & magis communiter tenetur à Thomistis locis citatis.

Hanc sententiam putant omnes tenentes eam esse expressam D. Thomæ.

Sit ergo primum fundamentum eius desumptum ex primo articulo huius quæstionis in corpore, vbi expresse asserit: *Quod causa instrumentalis, vt talis operatur solum per motum, quo mouetur à principali agente.*

Ecce in dictione illa exclusiua excludit D. Thom. omnem aliam rationem agendi distinctam à motu, quo instrumentum mouetur à principali agente.

Idem videtur repetere in corpore istius articuli quarti, dum ait: *Quod instrumentum non operatur, nisi in quantum est motum à principali agente,* & refert, hoc dictum esse supra articul. 1. vbi illud aduerbium, *ni si* idem pollet, quod *solum.*

Similiter etiam id indicare videtur in solutione ad primum huius articuli, dũ ait: *Quod sicut in voce sensibili est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis, in quantum procedit a conceptione mentis: hoc modo in Sacramentis est virtus spiritualis, in quantum ordinantur a Deo ad effectum spiritualem.*

Hæc enim vis Sacramẽtalis ponitur in Sacramentis per hoc solùm, quod ordinantur ad effectum spiritualem, ordinantur autem sufficiẽter per motum diuinum, quo à Deo mouentur ad gratiam producendam.

Id etiam confirmat exemplum vocis sensibilis, in qua nulla alia vis est ad excitandum intellectum hominis ad suum signatum cognoscẽdum, nisi vsus quo mens illa vtitur in ordine ad excitandam mentem auditoris: ergo sine dubio aliquo sentiẽdum est istam sententiam esse Diu. Thom. quem citant Cabrera, & Zumel locis supra citatis in quæstion. 22. de veritat. articul. primo, distinguentem motum in simplicem, & artificiosum, sed ego non inuenio in meis disputatis.

Secundum fundamentum desumitur ex primo: quia res, & entitates non sunt multiplicandæ, sine necessitate, sed nulla talis est ad multiplicandum entitatem motus diuini, & artificiosi, ac virtuosi, & virtus instrumentalis in omnibus instrumentis: ergo non est ponenda aliqua vis entitatiuè distincta à motu diuino Sacramentorum, per quam in

actu primò constituantur in ratione instrumenti diuini gratiæ. Minor probatur à Caietan. in præsenti: quia sine tali virtute superaddita entitatiuè distincta à motu Sacramentorum saluatur causalitas Sacramentorum, & in vniuersum causalitas instrumentalis effectiua, saluantur etiam omnia dicta D. Thom. ergo non est necessaria virtus alia distincta entitatiue à motu.

Pro resolutione huius dubij est præmittendum primò: dupliciter posse intelligi quod aliqua res constituatur in actu primò ad operandum aliquem effectum per aliquam entitatem ipsi superadditam.

Primò modo tanquam per formam, vel actum dantem ei totam virtutem agendi, sicut aqua constituitur in actu primò ad calefaciendum per calorem.

Secundo modo tanquam per formam, vel actum complétem virtutem agendi: quia aliquo modo erat actiuitas in altera entitate præsupposita non tamen erat completa: isto modo species intelligibilis constituit in actu primò intellectum: quia complet actiuitatem ipsius; supponit enim actiuitatem ex parte potentiæ intellectiuæ ad intelligendum, & addit aliam actiuitatem ex parte obiecti requisitam ad determinatam intellectionem huius, vel illius obiecti. In præsenti ergo cùm de actiuitate causæ instrumentalis formaliter vt sic consideratæ agamus respectu effectus principalis agentis, in ordine ad quem actiuitas propria nihil conducit nisi tantum materialiter, & præsuppositiuè (vt articulo primò explicatum est, & docet, Caietan. sup. quæst. 13. art. 2.) inquirimus: Vtrum hæc actiuitas conueniat ei per propriam entitatem secundum quod habet obedientiam ad Deum, vel per aliquam virtutem propriæ entitati superadditam, quæ constituat rem in actu primò, primo modo, scilicèt conferendo ei totam vim actiuam ad illum effectum.

Prima conclusio. Vt aliquid agat in actu secundo non sufficit subordinatio eius ad diuinam virtutem; sed necessariò debet præsupponi in operante aliqua vis actiua ordinata ad effectum quem posteà in actu secundo producit. In hac conclusione conueniunt omnes Theologi vno, aut altero excepto, eamque eruditè manifestat Suar. loco supra citato sect. 6.

Probatur à nobis primò. Omnis actus secundus præsupponit actum primum: ergo agens in actu secundo præsupponit agens in actu primò, tursus. Sed nihil potest esse agens in actu primò nisi habeat vim actiuam, vel per informationem ei vnitam, vel per identitatem, vel nisi sit ipsa vis, & potentia actiua: ergo si deficit aliquid horum nihil potest intelligi, vt actiuum: sed subordinatio rei ad Deum non confert vim actiuam, nec est actiuitas ipsa vnita ipsi rei per informationem, vel per identitatem: ergo non sufficit ad agendum in actu secundò; sed debet præsupponere actiuitatem. Minor patet eo quod talis ordinatio nihil intrinsecum ponit in re, quæ ordinatur ad diuinam virtutem, neque ipsa subordinatio est aliquid intrinsecum communicatum rei, vt actu secundo operetur in ipso momento operationis, sed tantum est extrinseca denominatio: ergo non constituit rem in ratione agentis.

Probatur antecedens: nam si esset quid intrinsecum, & constitueret agens, daret rei aliquod esse saltim formaliter diuersum ab entitate rei, & consequenter præintelligeretur sub illo esse intrinseco res actiua in actu primò, siuè vt causa instrumentalis, siuè vt principalis: quod est intentum nostrum: ergo vera est nostra conclusio.

Sed

Secundo: nam talis subordinatio, so lum ponit diuinã virtutẽ assistentem creaturæ: ergo non facit creaturam agere; sed tantum ipse Deus agit assistens creaturæ. Consequentia ista probatur ex doctrina D. Thom. in probatione conclusionis huius articuli: quia nihil potest esse agens nisi habeat virtutem actiuam, & ideò ait D. Thom. quod ponendo Sacramenta esse causas instrumentales effectrices gratiæ, necessariò est ponenda virtus in illis. Antecedens patet: quia diuina virtus est subsistens per se, & essentialis Deo: ergo non potest coniungi per se ipsam formaliter alicui creaturæ, vt actuet ipsam, & constituat operatiuam: sola ergo coniunctio, & subordinatio actualis ad Deum operantem, facit diuinam virtutem, & ipsum Deum esse assistentem. Et si dicas, Subordinatio, & coniunctio creaturæ inferioris ad superiorem sine aliquo superaddito facit creaturam inferiorem potentiorem ad aliquos effectus, quam antea: ergo similiter poterit facere simpliciter actiuam.

Consequentia ex paritate rationis probatur: antecedens verò aliquibus exemplis. In primis calor per coniunctionem ad animam est productiuus carnis sine aliqua virtute superaddita, sicut per coniunctionem ad formam ignis est productiuus ignis. Deinde calor ex coniunctione ad lucem fit potens ad immutandum sensum per species visibiles in potentia proxima, qui tamen proximè ante coniunctionem prædictam non poterat illas causare. Deinde phantasma ex sola coniunctione ad intellectum agentem absque superaddita entitate fit potens in actu primo vt proximè possit instrumentaliter immutare intellectum possibilem. Vltimo, motus cæli quatenus procedit ab intelligentia est instrumentum ad producendum viuentia inferiora sine superaddita virtute: ergo idem potest dici de Sacramẽtis, quod per solam subordinationem ad Deum agentem fiunt potentia ad instrumentaliter causandum gratiam.

Propter hæc exempla Mag. Ioan. Vincentius in relatione de gratia Christi quæstion. 6. sententiam, quæ illis probatur tenuit constanter. Sed tamen illa expressè videtur esse contra D. Thom. in præsenti articulo, in quo expressè docet Sacramenta non posse agere instrumentaliter sine virtute instrumentali superaddita. Vnde ad soluendam obiectionem istam explicare opportet, quomodo sit intelligenda in proprio sensu ista propositio. *Omnis natura inferior perficitur ex coniunctione, seu subordinatione ad superiorem*, quæ propositio fundamentum habet in doctrina D. Thom. 1. part. quæst. 85. art. 1. ad 4. vbi asserit, quod pars sensitiua ex coniunctione ad intellectiuam redditur virtuosior: ad huius ergo doctrinalis propositionis expositionem aduertendum est dupliciter posse intelligi; vno modo, ita quod res potens aliquem effectum producere ex coniunctione ad superiorem, illum perfectius possit efficere, quam si non esset coniuncta. Secundo modo, ita vt res omnino impotens ad aliquem effectum ex præcisa coniunctione ad naturã superiorem reddatur potens, sine eo quodaliquam virtutem recipiat. In priori sensu omnes Doctores admittunt illam propositionem: quia vnaquæque res intra propriam speciem perficitur magis ex coniunctione ad naturam superiorem, quam sit in se ipsa absolutè considerata.

Exemplum huius est in parte sensitiua hominis, quæ prout in homine magis perficitur, quam secundum se ipsam petat: vnde in homine aliquos effectus habet, quos non habet in equo, cæterum id est intra propriam speciem; ita vt quælibet potentia sensitiua hominis perfectiùs operatur circa obiectum ma-

teriale, quam in ęquo, & ita in cogitatiua est aliquis discursus circa ipsa singularia materialia; non verò ex tali coniunctione potest discurrere circa obiecta vniuersalia, & immaterialia.

Ratio primi est: nam nulla apparet implicatio in hoc, quod res operatiua recipiat intra propriam rationem aliquam perfectionem ex prædicta coniunctione ratione connaturalitatis. Ratio verò secundi est: quia operationes superioris naturæ nullo modo possunt communicari inferiori etiam sibi coniunctæ, nisi communicetur ei aliqua virtus superioris naturæ aliquo modo, vt aqua implicat quod quantuncunque ponamus illam subordinari igni, aut soli, recipiat calefactionem nisi prius recipiat calorem, quo calefaciat actiuè; & huius ratio est: quia implicat aliquid operari aliquem effectum nisi ipsum in se aliquo modo contineat, hæc autem continentia necessariò debet esse virtualis, quæ præsupponit in continente virtutem operatiuam: ergo implicat rem non habentem virtutem ad aliquem effectum perfici, vt ipsum possit producere ex sola coniunctione. Relinquitur ergo, quod propositio illa, quam explicamus solum est vera in priori sensu, non verò in posteriori.

Ad obiectionem ergo patet ex dictis, prima enim propositio solum est vera de effectibus clausis intra sphæram actiuitatis præsuppositæ in re. Vnde negatur consequentia. Ad primum exemplum nego quod calor ex præcisa coniunctione habeat illum effectum producere; sed quia illa est virtus operatiua, & connaturalis animæ, ad illum effectum. Et præterea dico, quod ad actualem nutritionem, & conuersionem alimenti in carnem aliti eget motione animæ, quæ ei superadditur, vt virtus instrumentalis ad illum effectum. Ita docet Bannez. 1. part. quæst. 79. art. 3. dub. 2. in ratione 2. primæ conclusionis.

Ad aliud exemplum de colore. Respondetur illum ex vi sua esse actiuum respectu immutationis potentiæ visiuæ, coniunctio autem ad lucem est quædam conditio sine qua non respectu actualis operationis.

Ad tertium exemplum, nego quod phantasma sit instrumentum ex sola coniunctione, sed per motum, quo ab intellectu agente mouetur, & eleuatur ad speciem intelligibilem causandam, quod diffusè hic non oportet explicare. Videatur Bann. loco citato, & etiam in dubio penultimo super illum articulum, vbi optimè explicat quo modo phantasma concurrit ad talem operationem.

Ad vltimum exemplum, etiam nego quod motus cęli ex præcisa coniunctione, seu subordinatione ad intelligentiam sit vitalis virtualiter, & proinde nec est vis productiua vitæ; sed vtrumque habet in quantum dimanat, & procedit ab angelo mouente, qui cùm sit viuens benè potest omnibus suis operationibus communicare saltim virtualiter suam vitalitatem, & hac ratione cum ille motus sit effectus angeli, necessariò habet vitalitatem sui principij virtualiter, & vt sic instrumentum est ad vitam in his inferioribus causandam.

Secunda conclusio. Nulla creatura constituitur in actu primò in ratione instrumenti diuini ad effectus supernaturales per potentiam obedientialem actiuam. Hæc conclusio est contra Suar. communiter tamen docetur à Theologis etiam alieni instituti. Et quidem Gabriel Vazquez 2. tom. 1. part. disp. 176. cap. 4. multis talem potentiam obedientialem actiuam impugnat, alienāque à recta Philosophia iudicat, minimeque necessariam ad misteria fidei explicanda. Enriquez lib. 1. de Sacrament. cap. 18. §. 3. Cabrer. & Zumel locis supra citatis.

Et probatur tripliciter. Primò, sic:

sic: Illa potentia obedientialis activa nullo modo datur in rebus creatis respectu effectuum supernaturalium: ergo non constituit creaturam in ratione instrumenti. Consequentia est clara: quia quod non est, non potest constituere rem in aliqua ratione. Antecedens verò probatur: nâ si datur talis potentia obedientialis activa innata ei à propria entitate: ergo est activa rei creatæ, vtpote à propriis eius principijs orta: quia scilicèt creata est: ergo ratione illius dicetur res constitui, vt causa principalis respectu effectus.

Probatur consequentia: quia illa est causa principalis, quæ operatur per propriam virtutem, vt communiter docent omnes Philosophi. Nec valet dicere, quod talis activitas est incompleta, & ideò non constituit rem simpliciter potentem; sed solum capacem ad eleuationem à Deo. Ita Suar. in fine sectionis 5. citatæ primi tomi eius in tertiam partem. Non, inquam, valet hoc: nam licèt illa activitas sit incompleta tamen activitas vera est (aliàs ratione illius non est dicenda res esse in potentia activa, sed passiua, quod nos ingenuè fatemur) ergo constituit rem potentem in ordine ad effectū licèt incompletè. Consequentia patet: quia quælibet activitas denominat rem cui ineſt eo modo, quo est activitas; sicut omnis alia forma constituit, & denominat rem cui ineſt secundum suam propriam rationem: ergo cum talis activitas sit activa ab intrinseco, & propria rei, constituit illā, causam principalem, & si in adęquatā, & in completam. ¶ Confirmatur: nam, vel illa potentia obedientialis activa est activa simpliciter, & secundum rem, vel tantum nomine tenus: quia respicit eleuationem Dei in ordine ad agendum, non secundum: quia illud etiam nos fatebimur propter rationem modo factam, & quia illud tantum est ponere potentiam obedientialem passiuam formaliter, & simpliciter: ergo est activa simpliciter in opinione illius auctoris: ergo necessariò reddit omnem creaturam simpliciter potentem in ordine ad effectus supernaturales: ergo parum consequenter loquitur iste auctor, dum loco citato id negat, cum esse activum aliquid, & esse potentem, sint termini synonomi.

Secundò confirmatur: nam licèt intellectus sine specie intelligibili non sit potentia activa completè respectu intellectionis secundum particularē rationem, tamen simpliciter informatus specie concurrit, vt causa principalis ad intellectionem, quia ab intrinseco habet activitatem aliquam: ergo eadem ratione idem fatendum est in nostro proposito

Secunda ratio sit: nam implicat contradictionem, quod in principijs naturalibus rei, fundetur activitas respectu effectus supernaturalis etiam si sit incompleta: ergo implicatoria est ista potentia activa. Consequentia patet: nam ita adstruitur talis activa potentia ab isto Doctore: antecedens, verò probatur: nam omnis activitas naturaliter conueniens rei proportionatur eum esse rei, ad quod sequitur: quia omnis activitas supponit esse, vt principium, & non potest excedere illud in sua perfectione: ergo in esse naturali rei non potest fundari activitas respectu supernaturalis effectus.

Antecedens est euidens in omni bona Philosophia, ex qua vt compertum habemus, quod effectus nō post superare causam in perfectione sua nisi sit causa instrumentalis; consequentia verò probatur: quia ens naturale quantumuis perfectum, est ordinis inferioris ad rem supernaturalem: ergo nullo modo potest continere illam in sua virtute naturali, & consequenter implicat quod ad esse naturale rei sequatur activitas respectu effectus supernaturalis.

Confirmatur: quia sequeretur,

quod res naturalis haberet perfectio rem proprietatem, quam essentiam cõsequens est falsum: ergo. Minor patet ex ratione modo facta. Sequela probatur: quia illa potẽtia obedientialis actiua esset necessariò supernaturalis, cũ cõtineret in se effectus super naturales omne autem supernaturale est quid perfectius, quam quodlibet ens naturale ergo.

Tertia ratio sit ex concessis à Suar. Ista porentia obedientialis actiua est, in completa egens actuali concursu extrinseco Dei, vt actualiter operetur: ergo impertinenter ponitur talis actiuitas. Patet consequentia: nam per talem concursum nihil intrinsecũ ponitur in re per quod compleatur actiuitas in completa eius: ergo eodem modo est intrinsece in completa, sicut antea; sed antea: quia incompleta erat non poterat in actu secundo operari: ergo neque posito illo cõcursu potest operari. Patet consequentia euidenter: quia nihil operatur in actu secundo nisi habeat principium operatiuum completum: ergo si ille concursus nõ complet talem potentiam res per illã, non efficit effectum supernaturalem gratiæ, aut alicuius miraculi, quod autem compleat extrinsecè nihil est: nã semper intrinsecè manet improportionata, & consequenter solũ Deus operabitur gratiam per specialem suum concursum assistentem creaturę, creatura verò, non operabitur ex defectu principij operatiui completi.

Multis alijs possem impugnere præfatam potentiam obedientialem actiuam; sed quia ex professo illa confutatur supra quæst. 13. ab omnibus Theologis, & ab aliquibus in materia de creatione ideò libenter ea omitto: sufficit enim aduertere, quod omnes rationes, quę expresse hic non sunt positæ includuntur in factis, etiam illa, quæ infert in conueniens sapiens, doctrinam Pelagianam de continentia effectus supernaturalis in virtute naturali, cum talis potentia obedientialij videatur naturalis propter rationem primam.

Vnde ad argumenta primæ sententiæ. Respondetur. Ad primũ desumptum ex D. Thom. Dico quod mens illius ibi, tantum est explicare, quod creatura non solum est in potẽtia obedientiali ad recipiendum formas supernaturales non actiuas; sed perficiẽtes eam in aliquo esse supernaturali; sed etiam ad recipiendas formas actiuas constituentes eam immediatè non in esse absolutè; sed in ratione agentis & in esse operatiuo: hoc autem habet creatura per eandem potentiam obedientialem passiuam. Nec obstat, quod D. Thom. illam rationem potentiæ obedientialis ad agendum dixit esse rationem instrumẽti: nam solum vult dicere, quod est ratio instrumenti diuini non formaliter: & absolute; sed quasi fundamentaliter, & quantum ad capacitatem, & sensus est, quod ratione illius obedientiæ omnis creatura est capax, vt à Deo assumatur tanquã instrumentum mediante impressione alicuius virtutis superadditæ. Ratio huius est: quia ex isto articulo, & articulo primo præcedenti constat, D. Thom. perpetuum esse in hac doctrina, quod vt Sacramentum operetur instrumentaliter gratiam eget virtute speciali superaddita, & idem sentit de omnibus alijs instrumentis, vt patebit cuicunque legenti.

Ad secundum argumentum ex ratione desumptum. Respondetur talẽ potentiam obedientialem actiuam, vt ab illo auctore constituitur implicationem importare, vt ex rationibus nostræ conclusionis patet.

Ad tertium eodem modo. Respondetur negando consequentiam ad cuius probationem negatur antecedens; nam implicat contradictionem Deum instituere creaturas, vt sint illo modo in potentia obedientiali actiua. Ad secundam partem antecedentis dico, quod ita instituere Deum res est maior perfectio impossibilis, & ita quia

non

non est possibilis per non suppositionem extremorum redditur propositio illa falsa, & sine tali potentia obedientiali activa subiicitur res Deo ad recipiendum, & ad agendum, vt patet ex solutione ad primum.

Ad quartum potest brebiter diei, quod illi effectus, qui ponuntur in antecedenti non implicant contradictionem in opinione aliquorum Theologorum; id autem quod ponitur in cõsequenti implicat, vnde dato antecedenti negatur consequentia. Ratio quare implicat potentia obedientialis activa in ordine ad effectus supernaturales (præter supra factas pro secunda conclusione) est: quia omnis creatura substantialis procedit à Deo, vt auctor naturæ, & vt continet perfectiones naturales in sua eminẽti actualitate; vnde non participant ab illo nisi activitatem ad ordinem naturalem pertinentem; nec est possibile participare naturaliter activitatem, nec aliã perfectionem ad ordinam superiorẽ, qualis est supernaturalis, pertinẽtem. Quid autem sit de exemplis positis in antecedenti dicendum secundum rei veritatem videre potest in Cabrera, sup. quæst. 13. art. 2. disp. citata, nu. 134. vsque ad num. 138. & in 4 Phisicorum: apud aliquos Thomistas quia nobis non vacat in illis immorari.

Ad quintum nego antecedens absolutè, & formaliter loquẽdo, ad probationem distinguo antecedens: virtute naturali nudè sumpta, concede antecedens: informata dono supernaturali, quod est principium simpliciter operatiuum, nego antecedens, & negatur consequentia: sed intellectus, & voluntas habent rationem potentiæ obedientialis, vt possint perfici per habitus supernaturales, & per auxilia necessaria eiusdem ordinis, & medijs illis ascendunt ad ordinem supernaturalem, & reduntur proportionatè potentiæ ad eliciendum actum visionis per lumen gloriæ communicatum intellectui, & amorem Dei per Charitatem cnosummatam in termino, & idem dicendum est de alijs actibus supernaturalibus, qui in via conueniunt præfatis potentijs.

Et si dicas, quod aliquid speciale habent illæ potentiæ, quod non habent res insensibiles, neque potẽtiæ sensitiuæ: ergo est potentia obedientialis, activa. Respondetur, quod speciale quod habent est esse potentias vitales, spirituales, quæ respiciunt obiectũ spirituale proportionatum, secundum quod ad ordinem naturalem pertinet & obiectum specificatiuum ens, & bonum sub sua abstracta ratione à naturali, & supernaturali, vndè saltim implicitè respiciunt partes illius obiecti, & ita respiciunt visionem, & amorem supernaturalem; & quia ista obiecta supernaturalia sunt improportionata cum potentijs illis, non possunt amplecti ab eis per suam virtutem naturalem; sed egent eleuatione per principia supernaturalia: quia tamen, continentur sub obiecto specificatiuo, & quia potẽtiæ immateriales sunt habent capacitatem ad talem eleuationem, quam tamen non habent aliæ res: hęc autem capacitas magis est dicenda potentia passiua, quia est in ordine ad recipienda principia supernaturalia, quam activa. Vtrum verò saltim radicaliter, & mediata possit dici activa, non veto istud affirmatiuè dici, cum potentia intellectiua dicat ordinem principij activi ad totum suum obiectum, scilicèt ordinem principij cognoscitiui, imò multi Thomistæ 1. part. quæst. 12. ita loquuntur. Cæterum proximè, & immediatè debet dici passiua, & ille modus activitatis radicalis, non est potentia obedientialis activa, sicut eam ponit Suar. quia ipse non ponit eleuationem per principium super additum, sicut nos, qui licet in illis potentijs ratione iam dicta ponamus istam activitatem radicalem, dicimus necessariò complendam per virtutem superadditam. Deinde: nos non ponimus obedientialem

poten-

potentiam actiuam in omnibus rebus; sed in illis potentijs propter rationem specialem. Nec ponimus illam immediatè ad actum supernaturalem, vt talis est in se determinatè sicut ponit Suar. in omnibus rebus, sed implicitè ad illud, & mediatè, quatenus vt sic secundum proportionem analogicam clauditur sub obiecto specificatiuo.

Ad confirmationem patet ex dictis ad exemplum eiusdem caloris positum in obiectione contra primam conclusionem, vbi explicuimus quomodo calor ex eo quod sit naturalis facultas ignis habet, quod sit virtus operatiua eiusdem ignis respectu calefactionis, vt principium principale: respectu autem productionis formæ ignis instrumentum, quod operatur vt motum à principali agente: ex hoc autem non infertur optimè, quod nullo superaddito possit quælibet creatura assumi, vt instrumentum ad effectus supernaturales, quoniam non datur, nec est dabilis potentia illa obedientialis actiua, cum in tota natura non detur proportio cùm ente supernaturali, ratione cuius contineatur in aliqua virtute actiua rei naturalis ipsi connaturali, & congenita ab intrinseco.

Tertia conclusio. Secunda opinio est probabilis: hæc autem conclusio non aliter probatur quam ex fundamentis constitutis pro ea, quæ saltim probabilem eam ostendunt, quæ omnia hac vnica ratione confirmantur.

Ratio principij operatiui pertinet ad prædicamentum qualitatis, scilicèt ad secundam illius speciem, quæ est potentia aut impotentia: ergo omnis virtus operatiua est de genere qualitatis: ergo quando Deus vtitur aliqua re ad aliquem effectum supernaturalem producendum per eam, confert illi aliquam qualitatem.

Sed contra istam sententiam sunt aliqua argumenta, quę obiiciunt multitàm ex familia nostra, quàm ex aliena. Primò: quia videtur contra mentem, S. Thom. in 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. vbi ait, quod *impossibilis est qualitas supernaturalis habens vim etiam instrumentariam efficiendi miracula*: ergo similiter repugnat dari qualitatem, quæ ex se ipsa sit effectrix gratiæ.

Secundo: quia data tali qualitate, constitueret Sacramenta, in ratione causæ secundæ principalis, & non per modum instrumenti: hoc autem est falsum: quoniam solus Deus potest esse causa principalis gratię: ergo illud ex quo sequitur. Sequela probatur: nam in hoc differt causa principalis ab instrumentali quod illa agit per virtutem ex se proportionatam cum effectu; instrumentalis autem solum per eleuationem causæ principalis: ergo si in Sacramentis datur virtus præter eleuationem proportionata cùm effectu, constituentur per illam in ratione causæ principalis. Et si dicas huiusmodi qualitatem esse transeuntèr, & non permanenter, & ideò non constituere in ratione causę principalis.

Contra est: quia vel illa qualitas habet vim secundum se proportionatam cùm effectu gratiæ, vel non: si primum: ergo constituit in ratione causæ principalis saltim pro nunc transitus, & fluxus: si autem non, ergo impertinenter ponitur, siquidem erit necessaria alia virtus complens illam, de qua est quærendum idem.

Tertiò: quia non videtur per quam actionem fiat huiusmodi qualitas: nam non potest fieri per creationem, neque per alterationem: ergo non est dabilis talis qualitas. Probatur antecedens quo ad primam partem: quia accidens non potest creari, cùm dependeat in esse, & in conseruari à subiecto: ergo cum talis qualitas, si daretur esset accidens, nõ haberet esse per creationem: quoad secundam partem etiam probatur: nam neque producitur immediatè à solo Deo, neque mediatè actione

tione ministri: ergo non fit per alterationem. Probatur quod nõ à solo Deo: nam si ita fit: ergo Deus tantum erit causa gratiæ medio Sacramento, & non minister; cum iste nullo modo causet vim actiuam Sacramenti, quod verò minister non attingat productionem illius qualitatis. Probatur: quia non est assignabilis actio ministri circa talem qualitatem, cũ actio illa debeat esse supernaturalis, ad quam minister eget etiam virtute supernaturali, & ita semper manet eadem difficultas.

Vltimo: nam vel talis qualitas est tota virtus proxima ex parte instrumenti ad agendum, aut ex tali virtute, & entitate propria ipsius instrumẽti coalescit vnum principium proximum productiuum gratiæ, si primum: ergo Sacramentum per illam non propriè, dicitur agere, sed impropriè scilicet, vt sustentans illam virtutem, sicut dicitur aqua calida agere per calorem: si verò dicatur secundum: ergo in ipsa entitate Sacramenti prẽexistebat aliqua virtus inchoata; sed hac existente sufficit specialis Dei concursus sine qualitate superaddita, & est incidere in primam Suarez opinionem de obedientiali potentia actiua, quam nullus Thomista admittit: ergo falsum est ponere talem qualitatem.

Ad primum horum respondetur: mentem, D. Thom. in illo loco solum esse negare qualitatem permanentẽ in creatura, quæ sit virtus faciendi miracula, non verò negat qualitatẽ transeunter communicatam respectu alicuius effectus, & miraculi in particulari; sed potius illam implicitè admittit, dum air, *mentem hominis posse moueri à Deo ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi:* & ratio quare negat primum tãtum currit respectu qualitatis permanentis: quia est, ex eo quod operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum est causa diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ cõmunicari potest. Ex quo infert S. D. impossibile esse, quod principium operandi miracula sit qualitas aliqua habitualiter permanens, in anima, vbi videtur clara nostra expositio, & quod loquatur de qualitate respiciente vniuersaliter quidquid non implicat contradictionem, non verò de qualitate ordinata ad aliquem effectum determinatum, quo modo ponũt auctores citati qualitatem in Sacramentis respectu tamen gratiæ producendæ.

Ad secundum negatur sequela. Ad cuius probationem explico antecedens, vel distinguo, per virtutem proportionatam proportione æqualis, aut maioris perfectionis concedo antecedens, proportione inferioris in æqualis perfectionis, nego antecedens, causa enim principalis est illa, quæ operatur per virtutem æqualis perfectionis cùm effectu, si fuerit causa vniuoca; maioris verò si fuerit causa æquiuoca: hæc autem virtus sic proportionata deficit illi qualitati: quia licèt sit eiusdem ordinis supernaturalis, est tamen inferioris perfectionis, & in esse entis & in esse virtutis cum gratia producenda, & ideò solum potest operari instrumentaliter dependenter ab speciali eleuatione, & concursu Dei, vt iam iã dicimus, & ita intelligenda est secunda pars illius propositionis sumptæ in antecedenti.

Ad replicam inter arguendum: quia potest etiam obiici contra istam solutionem. Respondetur talem qualitatem habere vim proportionatam, non præcisè secundum se, sed vt coniungitur speciali concursui Dei ratione cuius completur ad actum secundum producendum. Et tunc nego cõsequentiam: quia non est necessaria alia virtus constituens instrumentũ in actu primo potẽs, sed solum, vt actualiter emanet ab illo actio: vnde illa qualitas necessariò ponẽda est prẽsupposituè ex parte actus primi, vt cõstituat Sacramentũ in actu primo potẽs:

quia

quia omnis operatio actualis præsupponit agentem constitutum in actu primo. Et si dicas: ergo ille actus primus est completus, sicut actus primus causæ principalis, & ita Sacramentum erit causa principalis. Respondetur non esse ita completum absolutè, sed in suo ordine, scilicèt actus primi instrumentarij. Ratio est: quia principium principale ad actualem operationem non eget speciali concursu; sed tantum communi; & generali debito ex propria natura ordinis agentium.

Ad tertium Respondetur istam qualitatem produci non per creationem, sed per actionem eductiuam formæ supernaturalis ex potentia obedientiali animę sicut ipsa gratia. Ad illud verò quæsitum: Vtrum à solo Deo, vel à Deo, & à ministro causetur: mihi videtur dicendum causari à solo Deo per dictam actionem supernaturalem alterius ordinis, & rationis ab ordine cuiuscunque alterationis nominatæ, & cognitæ à Philosopho naturali, & tunc dico, quod solum respectu Dei est propria virtus instrumẽtalis, & tantum Sacramentum dicitur operari, vt instrumentum, & Deus per illud, minister verò tantum dicitur causare gratiam ministerialiter, quia profert verba quibus cùm debita intentione prolatis infallibiliter adest dicta diuina virtus ex se ipsa productiua gratiæ.

Aliqui dicunt posse defendi etiam, quod illa qualitas causetur etiam à ministro. Sed certè hoc non est necessarium, nec consonum rectæ Philosophiæ, secũdum quam edocemur quod agens principale est, quod communicat virtutem suam instrumento, dum per illud operatur, & ita à Deo debet participari illa virtus immediatè, & non per ministrum. Tum etiam difficile est credere, quod Deus communicet alteram qualitatem ministro, vt per illam alteram producat in Sacramento, & quia de illa est eadem difficultas, vt patet de se cùm à solo Deo produceretur, taliſque superfluè, & inutiliter ponatur: quia ad elevationem Sacramenti respectu gratiæ causandæ impertinens est, quod eius virtus instrumentalis causetur à Deo media actione ministri productiua talis virtutis. Verum tamen est, & necessariò dicendum, quod Deus confert illam virtutem Sacramento mediante actione ministri conficiente ipsum Sacramentum, non verò vt producente illam qualitatem virtuosam.

Sed inquires: Vtrum actio per quã Deus producit illam virtutem Sacramentalem sit distincta à motu, per quẽ mouetur ipsum Sacramentum ad ipsum effectum causandum. Respondetur etiam, non esse necessarium assignare aliam actionem realiter distinctam, sed tantum formaliter, ita vt eadem actio diuina, per quam intendit Deus causare gratiam medio Sacramento, prius natura eleuet Sacramentum imprimendo in illo talem qualitatem, & posterius natura intelligitur attingere effectum gratiæ per ipsum Sacramentum in actu primo constitutum per talem qualitatem. Ita dicitur à D. Thom. sup. quæst. 19. art. 1. in corpore, quod actio instrumenti, & agentis principalis est eadem realiter licèt diuersa formaliter, quatenus agentis principalis est: quia procedit ab ipso per propriam, & natiuam virtutem: instrumenti verò, quatenus quia mouetur à causa principali participat illam eandem actionem media virtute instrumentali recepta in ipso à quo procedit.

Ad vltimum. Respondetur quod qualitas illa est tota vis agendi instrumento, & nego consequentiam; neque est simile de aqua; quia calor ex propria natura est virtus principalis ignis ad calefaciendum, & instrumentalis ad igniendum, & ita quia non est propria forma aquæ; sed est in illa tanquam in subiecto extraneo, proprie non dicitur agere per talem formam,

at qualitas illa, vt est participatio producta diuinæ virtutis non habet aliud subiectum connaturale, quod propriè per ipsam operari possit, sed solum habet subiectum obedientiale: vnde ex diuina ordinatione efficitur quasi propria illius rei, cui Deus de facto illam communicat, atque adeò Sacramentum per illam propriè dicitur operari gratiam, tanquam instrumentum diuinū, neque est possibilis alius modus operandi instrumentaliter, quod idem inuenietur in instrumētis artis respectu actionis artificialis quam participant à principali agente.

M. Fr. Laurentius Gutierrez Complutensis Dominicanus.

Aliqui dicunt non in conuenire concedere illud, quod infertur in consequenti illo: quia dicunt quod ille modus operandi per modum sustentantis virtutem operatiuam est quidam modus concurrendi instrumentaliter: quia virtus instrumentalis, non agit, nisi coniuncta entitati Sacramenti, & sustentata intrinsecè in illo, & hæc de probabilitate illius sententiæ sufficiant.

Quarta, & vltima conclusio. Vltima sententia, videtur mihi probabilior, & magis ad mentem, D. Thom. Hæc conclusio ex fundamentis illius sententiæ constat: Cōfirmāturque omnia modo ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 110. art. 2. in corpore, vbi ait, quod *duplex effectus gratuitæ voluntatis Dei potest esse in anima hominis. Primus est, quando aliquis adiuuatur à Deo per hoc quod mens eius mouetur ad aliquid agendum, & iste effectus gratuitus non est qualitas, sed motus quidam animæ.* Sed virtus causatiua gratię in Sacramentis est effectus gratuitus Dei, quo mouentur ad gratiam causandam, cùm non sit donum debitum nisi suppositā gratia diuinæ institutionis: ergo talis virtus est motus quo actualiter mouentur ad gratiam causandam.

Et si dicas, quod iste motus videtur aliquid imprimere in ipsa re, quam Deus mouet ad operandum: illud autem debet esse virtus operatiua: ergo. Respondetur, quod nihil addit, nec imprimit: quia ille solus vt motus virtuosus est ordinat Sacramentum ad effectum, quem intendit per illud producere (vt diximus supra) Vnde solum existo motu resultat (vt aliqui dicunt) quidam modus relationis transcendētalis, per quem ordinatur Sacramentum ad effectum actualiter producendum, & subiicitur immediatè Deo actualiter mouenti ad operationem, cōmunicantique efficatiam diuini imperij, vt illud deferat ad effectum, seu ad subiectum, in quo est producendus effectus. Si autem iste Doctor ponat modum realem distinctum à motu ipso non acquiesco eius doctrinæ propter eadem rationes, quibus refelletur opinio ponentium qualitatem, imò in talis modi constitutione videtur sequi dictam opinionem, quia ait illam esse actiuam, & incompletam, compleri tamen præexistentem, in quibus verbis aliqua ex parte sententiæ Suar. quibus ipse vltimam Caietani ait esse præferēdam videtur fauere, imò aliam nouam sententiam mixtam videtur inuentasse: nobis ergo sententiam Caiet. modo communi Thomistarum explicatam iam amplectendo, ad argumenta in oppositum respondere oportet.

Idem M. Gutierrez.

Ad primum concessa prima consequentia, negatur minor sub sumpta; sed sufficit motus virtuosus, quatenus vt procedit à Deo ordinatur ad gratiam producendam, nam sic est participatio virtutis diuinæ, vt effectricis perfectionum supernaturalium.

Ad confirmationem. Respondetur negando antecedens, ad cuius probationem admisso antecedenti, distinguo consequens, comparat ea ratione formalitatis diuersę repertæ in eadem entitate, concedo consequentiam, ratione diuersitatis in entitate, nego consequentiam. Pro ista solutione aduertendum est ex Caiet. hic: quod in motu Sacramentorum, quo à Deo mouentur sunt tria ratione formali distincta,

tincta, & est ratio motus simplicis; *vt ablutio*, verbi gratia, absolutè considerata, & est ratio motus virtuosi, & vltimatè in motu virtuoso datur ratio virtutis, & principij operatiui. Dico ergo, quod quia hæc omnia inueniuntur in vnica entitate motus ratione formalis distinctionis inter virtutem, & motum etiam virtuosum facit D. Thom. comparationem illam, sicut ratione eiusdem distinctionis formalis vocat virtutem Sacramentalem virtutem spiritualem, & reducit ad prædicamentum virtutis perfectæ, quod est prædicamentum qualitatis. Similiter docet quod talis virtus communicatur Sacramentis per motū; sed hæc vltima propositio solem debet intelligi in illo sensu, in quo passio dicitur communicari per motū, scilicet: quia est talis formalitas virtutis connexa cùm entitate illius motus, vt virtuosus est, taliter quod sicut ratio motus in naturalibus, & simplicibus motibus consideratur prius, quam ratio actionis, seu passionis, ita in motu diuino virtuoso, prius consideratur ratio motus per respectum ad mobile, & mouentem, quam ratio virtutis per respectū ad effectum supernaturalem. Et per hæc patet ad totam illam confirmationem: quia nos idem concedimus, & dicimus cum S. Thom. in locis citatis in sententia Caiet. & in nostra cōclusione, quod ratione coincidentiæ, seu identitatis motus non additur alia virtus, sed quod Sacramentum operatur per motum eo modo, quo à nostro Santo Doctore conceditur dicta propositio.

Ad secundum argumentum distinguo: in instrumentis totaliter separatis ab agente principali concedo antecedens: in instrumentis aliquomodo coniunctis nego antecedens, & nego consequentiam: quia Sacramenta non sunt instrumenta totaliter separata à Deo agente, sicut sunt ea; quæ in argumento ponuntur, sed aliquomodo coniuncta: quia diuina virtus immediatè Sacramentis assistit, ideò non est necessarium: quod in illis imprimatur aliqua virtus distincta à motu. Pro quo notandum, quo instrumentum dupliciter dici potest coniunctum, vno modo, quia est coniunctum agenti vnitum suæ personę tanquam pars illius, vel tanquam accidens inhærens illi intrinsecè: alio modo, quia est contiguum, & immediatùm agenti principali, vt baculus, quo aliquis mouet lapidem. Similiter dupliciter potest dici aliquod instrumentum separatum per negationem vtriusque prædictæ rationis: instrumenta Dei sunt separata aliquomodo, quatenus non sunt vnita personaliter ei, non tamen sunt separata per negationem posteriorisrationis, sed sunt contigua ratione iam dicta. Ita communiter omnes Thomistæ.

Ad tertium respondetur illo probari posse Deum communicare Sacramentis aliam virtutem similem characteri si esset aliquod motiuum ad id inducens, sed quia non est tale motiuum, & omnis alia entitas distincta à motu est superflua, ideò dicimus nō esse de facto aliam virtutem Sacramētis communicatam, vt autem ministris Ecclesiæ dentur characteres permanentes est propter aliquem finem extrinsecum, ratione cuius conueniēs est, vt illi sint specialiter consecrati ad illos actus; cognoscaturque per hoc distinctio illorum ab alijs Christianis merè laicis.

Secundò. Respondetur admisso antecedenti negando consequentiam: quia cum illa virtus characteris sit incompleta adhuc eget vltimatè constitui in actu primò per motum actualē, quo mouetur minister à Deo in ordine ad tales effectus: motus autem affert secum rationem virtutis completæ vltimatè constituentis instrumentum diuinum in actu primo, & ideò quia Sacramentum antecedenter ad actualem vsum illius ad sanctificandum hominem non eget virtute actiua,

ua, sed solum institutione diuina, vt fiat in tali materia cum certa verborũ forma, & in ipso actuali vsu recipit virtutem completam inclusam in eadem entitate motus, vt procedit à Deo vt agente; ideò dicimus nullam qualitatem distinctam entitatiuè à motu illis superaddi: quia quælibet illa sit superflua, & minimè necessaria est.

Tertia solutio potest esse dicendo dato antecedenti consequentiam nullam esse, quia modus ille constitutionis Sacerdotis, aut Diachoni in ratione instrumenti est per accidens, & non persè requisitus necessariò, ex illis verò, quæ accidentaliter conueniunt, non licèt inferre aliquid contra illud, quod est persè: quia ergo de ratione instrumenti persè est requisitum, quod participet virtutem non permanentem, sed potius transeuntem, & per modum motus (vt colligitur ex D. Tho. in præsenti articulo) cuius ratio ea potissima est: quia solum est necessaria illi pro tempore, vel instanti, pro quo assumitur à causa principali ad productionem sui effectus; ideò nos dicimus, quod Sacramenta non participant qualitatem permanentem, & quod nec transeuntem: quia non est necessaria ratione iam dicta.

Ad quartum respondetur concessa maiori negatur minor, ad cuius probationem respondetur, quod ille motus provt receptus reduplicatiuè habet rationem passionis sub illa formalitate; si verò specificatiuè sumatur, non tantum est motus, aut passio adæquatè, sed etiam est participatio virtutis diuinæ, & secundum istam considerationem recipitur in Sacramento: vndè sicut ab alijs denominatur Sacramentum mobile, & patiens, ita ab ista formalitate denominatur, & constituitur agens actiuè, & hoc argumentum non habet aliam difficultatem nouam, quæ non currat etiam de receptione cuiuscunque qualitatis: nam provt recipitur etiam est passio, & recipiens est patiens vt sic, & per hæc patet ad omnes alias probationes.

Ad quintum respõdetur, quod sub illa formalitate viæ, & tendentiæ nõ constituitur agens, cæterũ sub formalitate participationis virtutis diuinæ constituit Sacramentum in ratione instrumenti, vt patet ex dictis ad primum.

Ad confirmationem respondetur, admisso antecedenti distinguendo cõsequens, non constituit agens in actu secundo, nego consequẽtiam, in actu primo concedo consequentiam. Et ad vltimam consequentiam dico, quod in sensu formali Sacramentum, non constituitur per motum sub ratione motus, identicè tamen constituitur per ipsum. Si autem inquiras: quomodo ergo constituit si nõ vt motus, nec vt actio, aut passio, dico: quod constituit illa entitas motus, quatenus in ratione motus virtuosi habet in se participatam virtutem Dei agentis principalis, ideſt constituit quatenus est participatio transiens virtutis Dei vt agens supernaturale est, sicut motus artificiosus constituit instrumentum artis, vt est formaliter participatio virtutis artis in ordine ad proprium effectum artis, quod videtur sentire D. Thom. in præsenti articulo in solutione ad primum, dum ait: *In Sacramento esse virtutem spiritualem, in quantum ordinatur à Deo ad effectum spiritualem*, quod est dicere virtutem spiritualem conuenire Sacramento, ex eo quòd mouetur à Deo in ordine ad gratiam producendam, in qua doctrina imbibitur, quod motus virtuosus Sacramenti, ideò habet rationem virtutis, in quantum procedit à Deo vt intendente agere gratiam per illud Sacramentum, quod mouetur ab ipso. Hæc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM EST.

Vtrùm hæc virtus Sacramentalis sit spiritualis, aut corporalis?

IN hoc dubio etiam inter Thomistas est varius modus dicendi: quidam enim tenent, quod talis virtus formaliter est corporalis, virtualiter tamen spiritualis (sicut supra diximus articulo secundo.)

Fundamentum huius est: quia accidens spirituale non potest subiectari in corpore, sed virtus Sacramentalis subiectatur in Sacramento, quod est res corporea, & sensibilis: ergo formaliter debet esse corporalis. Maior probatur, quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, si recipiens est corporale; per modū rei corporalis, & diuisibilis debet recipi talis virtus in Sacramento: hoc autem implicat cum natura rei spiritualis: ergo.

Confirmatur: hæc virtus in opinione D. Thom. certiori) vt vidimus dubio præcedenti) est motus Sacramenti, sed motus non distinguitur à mobili (vt docet Philosophus in 3. Physicorum) ergo sicut mobile, quod est Sacramentum est corporale formaliter, ita & motus virtuosus est corporalis formaliter, & entitatiuè.

Alij dicunt, quod ista virtus materialiter, & identicè corporea est, formaliter verò, & in esse virtutis est spiritualis simpliciter, cum procedat à Deo, vt formaliter est agens spirituale, & illius vt sic sit formaliter participatio ordinata ad effectum spiritualem.

Hoc explicant isto èxemplo: etenim relatio similitudinis specificè inter Petrum, & Paulum identificatur in opinione probabili cum substantia materialiter loquendo, & entitatiuè, & tamen formaliter est accidens de prædicamento relationis; ita ergo probabiliter dici potest, quod hæc virtus materialiter, & identicè est corporalis, quia est idem cum entitate matariali, & corporali Sacramenti, formaliter verò benè potest esse spiritualis.

Fundamentum huius pro prima parte potest esse ratio facta pro confirmatione primæ opinionis: quia si hęc virtus est motus rei corporalis, videtur quod debet esse corporalis, quia motus est continuus, & diuisibilis; & ideò dicitur, quod est actus entis in potentia secundum quod in potentia, quia secundum vnam partem sui actuat mobile, quod erat in potentia ad illam, & relinquit illud in potētia ad alteram partem eiusdem motus: ergo debet esse corporalis materialiter.

Pro secunda verò parte potest probari ista ratione. Ratio formalis cuiuscunque virtutis operatiuæ desumitur ex ordine ad effectum, ad quem producendum ordinatur, vel per ordinem ad principium, à quo dimanat, vel cuius est participatio, sed hęc virtus Sacramentalis respicit effectū formaliter spiritualem, qui est gratia, & in re corporea, in qua recipitur nō est principium corporale, à quo dimanet (vt visum est dubio prędcedenti) & principium principale, cuius est participatio est formaliter spirituale, quia est virtus Dei vt agens est supernaturale: ergo hæc virtus formaliter est spiritualis.

Alij denique asserunt talem virtutem esse formaliter, & simpliciter spiritualem in se ipsa absolutè, & sine aliqua distinctione. Ita Magist. Nuño in hac quæstione, articul. 5. difficultate vnicā.

Fundamentum potissimum huius Auctoris est: quia solutio D. Th. ad primum apertè hoc indicat, cū in illa dicitur, quod virtus spiritualis non potest esse in corpore permanēter, & cōpletè. Ratio est, quia si talis virtus Sacramentalis esse corporea formaliter nulla esset implicatio in hoc, quod permanen-

manenter existeret in Sacramẽto corporali, siquidem sua entitas esset corporalis simpliciter: ergo mediante illa ratio spiritualitatis virtualis, seù in ratione virtutis formaliter spiritualis optimè posset esse in corpore permanenter.

Pro resolutione huius brebiter est notandum, quod illi Thomistę, qui tenent in Sacramentis recipi virtutẽ aliquam distinctam à motu ipsorum, quæ est aliqua qualitas supernaturalis, consequenter, & optimè dicunt talem virtutem formaliter esse spiritualem in se ipsa, & docent, quod quẽadmodum anima rationalis est indiuisibiliter in corpore tota, scilicet in toto, & tota in qualibet parte, ita similiter virtus hæc est in Sacramentis tota in toto Sacramento, & tota in qualibet parte iuxta modum formæ indiuisibilis. Ita Ferrara 4. contrag. cap. 59. citato, dubio præcedenti solutione ad primum. Caietanus verò, & alij tenentes cum ipso talem virtutem, non esse aliquid distinctum entitatiuè à motu ipsorum, etiam consequenter videntur loqui in sua opinione, dum dicunt talem virtutem esse corporalem identice, vel formaliter iuxta duos modos priores relatos: quia motus rei corporalis sipropriè motus est, etiam debet esse materialis, & diuisibilis, vt probatur in modo secundo dicendi in fundamento pro prima parte constituto.

Hoc ergo supposito, sit conclusio prima. Ex istis modis dicendi primus probabilis, secundus probabilior, & magis proprius mihi videtur, tertius verò modus dicendi in opinione dicẽtium, quod virtus Sacramentalis est qualitas distincta à motu necessariò sustinendus, & est valde probabilis. Hæc conclusio patet quoad priorem partem ex fundamentis supra positis, quoad secundam verò patet, ex eo quod illa qualitas est virtus supernaturalis, & spiritualis ex propria ratione formali, cum procedat à Deo authore supernaturali, & in ordine ad effectum supernaturalem: ergo si entitatiuè distinguitur à motu Sacramenti, in sua entitate erit spiritualis.

Sed quæres. Vtrũ qui tenẽt, quod virtus instrumentalis Sacramentorũ est motus virtuosus ipsorum, possint dicere, quod talis sit spiritualis formaliter, & entitatiuè, quia D. Thom. videtur docere vtrunque in isto articulo, dum ex vna parte docet, quod Sacramenta operantur, in quantum mouentur à Deo, & ex alia docet, quod talis virtus, quia spiritualis est solum potest esse in Sacramentis per modũ formæ incompletæ, & transeuntis.

Respondetur, quod adhoc asserendum, est necessariũ dicere, quod motus, quo aqua Baptismi constituitur in actu primo ad causandum gratiam nõ est ille motus corporalis, qui est ablutio passiua v. g. etiam vt fit subcerta verborum forma, sed quod est quædã motio supernaturalis, qua illa eadem ablutio vt sub tali forma fit eleuatur ad sanctificandam animam, & ordinatur ad talem effectum. Et certè hoc videtur mihi sentire D. Thom. in præsenti propter rationem factam supra, quia supposito, quod motus constituit Sacramentum in ratione instrumẽti, ille est virtus instrumentalis in illo, cum ergo dicat S. Tho. quod talis virtus est spiritualis; & ideò solum transeunter recipitur in Sacramẽto, quia corporeum est, illum eundem motũ spiritualem intelligit, & receptum transeunter, nam aliàs ex improportione, quæ est inter corpus, & spiritũ non rectè inferret talem virtutem recipi in subiecto corporeo transeunter, posset enim dici, quod illa virtus secundum suam entitatem est corporalis, & ita non incõuenire, quod subiectaretur in Sacramẽto. Verũtamen est, quod ex alia parte illa virtus nõ posset esse, nisi trãseunter in subiecto, quia de ratione virtutis instrumẽtalis cõpletæ constituentis instrumẽtum in actu primo est, quod solum habeat

beat esse transiens ab agente in instrumento ad effectum, seu ad passum, in quo effectus est producendus, & ita tantum habet esse quandiu instrumentum assumitur à causa principali, & ab ipsa mouetur actualiter ad effectu producendum per ipsum instrumentum. Ita videtur colligi ex D. Thom. in corpore articuli, dum ait, quod instrumentum non operatur, nisi in quantum mouetur ab agente principali, quod perse operatur, & dum ait, quod virtus instrumentalis tantum habet esse transiens, sicut & motus, indicat enim in his verbis, quod quia virtus instrumentalis datur instrumento à principali agente, quando actu mouet ipsum ad operandum, & motus solum habet esse transiens, ita & talis virtus solum potest habere esse transiens. Hoc etiam docet Ferrar. vbi supra solutione ad tertium Scoti.

Secunda conclusio. Etiam in nostra opinione, in qua diximus dubio præcedenti, quod virtus instrumentalis Sacramentorum non est aliqua entitas distincta ab entitate motus, magis conforme doctrinę D. Thom. est asserere talem virtutem esse spiritualem formaliter, & entitatiuè. Ita videtur sentire Mag. Nuño hic artic. 5. diffin. vnica in sua decisione; hæc autem cõclusio defendi debet ponendo motum diuinum supernaturalem distinctum à motu corporali Sacramentorum, vt dictum est iam in solutione ad præcedentem obiectionem.

Ad cuius exactam intelligentiam est aduertendum, quod quemadmodum infra quæst. 75. art. 7. & quæst. 78. art. 4. dicunt Theologi, quod actio conuersiua panis in corpus Christi non est eadem actio cum consecratione, quia hęc ad ipsa verba terminatur, vt sunt sonus quidam, & est actio sensibilis, & materialis, quæ successiuè fit, conuersio autem est instantanea, vt docet D. Thom. in artic. 7. quæstionis citatæ, & supernaturalis, ad hanc actionem instrumentaliter concurrunt verba ipsa cõsecrata, vt colligitur ex D. Thom. art. 4. citatæ quæstionis 78. in solutione ad 3. (videatur de hoc Suar. loco citato, quæst. 75. disput. 50 sect. 3. §. ante secundum dictum) sicut ergo ibi conuersio est distincta actio entitatiuè à consecratione, ita in omnibus Sacramentis operatio instrumentalis, quæ est productio gratiæ est distincta à prolatione formæ ipsorum: quia correspondet Sacramento compositio ex materia, & forma iam prolata à legitimo ministro. Vndè virtus instrumentalis ipsorum non est ille motus prolationis, neque vsus materiæ Sacramenti, quia totum hoc præsuppositiuè se habet, & Sacramentum confectum per tales actiones est, quod in vltimo instanti prolationis verborum assumitur, vt instrumentum: vndè pro illo tunc debemus intelligere virtutem spiritualem, & supernaturalem eiusdem ordinis cum gratia communicari ipsi Sacramento: cum ergo pro tunc non sit aliquis motus materialis Sacramenti restat solum, qnèd sit motus quidam supernaturalis entitatiuè distinctus à motu præcedenti formæ prolatæ. Vtrùm autem ille motus sit distinctus ab ipsa actione, quæ, est productio gratiæ, vel non, si loquamur de distinctione entitatiua quoad præsens attinet parum refert affirmatiuè, vel negatiuè respondere: sufficit tamen distinctio formalis, vt sic sub vna formalitate intelligatur constituere Sacramentum in ratione instrumenti in actu primo, & sub altera in ratione productionis gratiæ in actu secundo. De quo recolenda sunt ea, quæ diximus in dubio præcedenti in fine solutionis ad quintum, & eius cõfirmationem.

Ad fundamentum primi modi dicendi respondetur distinguendo maiorem; non potest subiectari in corpore tanquam in subiecto sibi connaturali, concedo maiorem, ex quo sequitur, quòd nõ possit esse in illo per manen-

manenter, non potest subiectari in illo supernaturaliter, & tanquam in subiecto obedienciali, nego minorem, ex quo sequitur, quod tantū possit esse in illo per modum transeuntis, sicut calor in subiecto extraneo tãtum est transeunter.

Ad probationem autem maioris, quæ potest obiici contra solutionem istam, dico illam maximã, debere intelligi de illo, quod recipitur in aliquo primo modo, non verò secundo: quia benè potest Deus facere, quod accidens spirituale recipiatur in corpore non diuisibiliter, & per modum corporis, sed indiuisibiliter, ita vt sit tota entitas in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis sicut anima rationalis. Et ita est intelligenda solutio D. Thom. ad 1. huius articuli. Alii qui dicunt illam maximam esse intelligendam, quandò illud quod recipitur in alio est eiusdem ordinis cum illo in quo recipitur, quandò autem est ordinis superioris, non est necessariũ, quod trahatur ad imperfectionem subiecti, quia potius eleuat ipsum ad ordinem altiorem, & perficit in illa ratione perfectione excedente: ex hoc eodem principio sequitur, quod ratione improportionis in entitatibus, cum forma accidentalis debeat habere esse inhærens in subiecto, si sit spiritualis non possit esse permanenter, & completè.

Et si dicas, quòd de ratione spiritualis est, quòd vt sic constituatur per independentiam à re corporali.

Respondetur id esse intelligendũ de independentia, quæ dicit negationem dependentiæ connaturalis, non verò de illa, quæ negat omnem dependentiam etiam obedientialem, & per ordinem ad potentiã Dei. Ratio est, quia hęc dependentia formæ spiritualis non respicit corpus, quatenus corpus formaliter est, sed tantum materialiter, quia formaliter respicit illud vt ens creatũ est, & participatũ, ratione cuius est in potentia obedientiali (vt ex dubio præcedenti patet) ad recipiendas formas supernaturales actiuas.

Nec valet dicere, ex his sequi quod accidés corporale possit recipi in re spirituali, vt in anima, vel in Angelo.

Respòdetur id nõ sequi, ex eo quod ratione maioris perfectionis rei spiritualis, non est capax, neque naturaliter, neque obedientialiter primarij effectus formæ corporalis cuiuscunque perfectionis sit: at verò creatura corporalis, quia ens creatũ est capax est primarij effectus formæ actiuę supernaturalis recepti saltim instrumẽtaliter, & per modũ transeuntis, quatenus per potentiã obedientialẽ respicit Deũ vt ab ipso perficiatur perfectionibus supernaturalibus possibilibus. Vndè licet non possit perfici effectu formali cuiuscũque formę spiritualis, potest tamẽ perfici effectu formali virtutis supernaturalis actiuæ.

Ad confirmationem concessa maiori in sensu iam explicato, explico minorem Philosophi, debet enim intelligi, vt sit vniuersaliter vera de motu, quo mobile mouetur ad perfectionem eiusdem ordinis cum ipso; nõ verò de motu, quo mouetur ad perfectionem superioris ordinis, quia tunc sicut ipsa perfectio, quæ terminat motum est alterius ordinis, & proinde alterius entitatis, ita & motus, qui identificatur vniuersaliter cum suo termino. Hoc patet in motu iustificationis, quo anima mouetur ad iustitiam, qui realiter distinguitur ab ipsa anima, est tamen idem cum gratia terminante illum.

Ad fundamentum primæ partis secundi modi dicendi. Respondetur illud conuincere de motu strictè dicto, prout attinet ad Physicũ, & agitur de illo in 5. lib. Physicorũ: nõ verò de motu largè dicto, prout includit mutationẽ omnẽ instantaneã, siuè supernaturalem, siuè naturalem, motio verò qua Sacramenta constituuntur in ratione instrumenti in actu primo est

instantanea, & supernaturalis, sicut ipsa productio gratiæ, ille verò modus actuandi imperfectus mobile relinquendo ipsum in potentia ad alteram partem etiam propriè loquendo tantum conuenit motui phisico riguroso, mutationibus verò instantaneis solum secundumquid, & impropriè secundum instantia naturæ diuersa, quæ in vno instanti indiuisibili per nostrum intellectum distinguntur.

Etsi inquiras, an talis virtus Sacramentalis sit vna simplex, an verò sit aggregata ex multis virtutibus partialibus.

Respondetur ex Ferrar. loco supra citato solutione ad secundum Scoti, quod talis virtus est vna simplex, quę conuenit vltimæ syllabæ formæ Sacramenti, vt dicit ordinem ad præcedentes, sicut virtus conuertendi panẽ in corpus Christi docet D. Thom. quod conuenit vltimæ syllabæ prolatæ, quatenus ad illam sequitur completa significatio formæ. Ita infra q. 78. art. 4. iam citato solutione ad 3. Secundo potest dici cum eodem Ferrar. ibidem, quod hæc virtus est vna completa virtus continens plures in completas existentes in singulis syllabis formarum Sacramentorum, neque hoc reputatur aliquod inconueniẽs, quia omnes integrant vnam virtutẽ completam.

Sed certe mihi prima solutio verior, & melior apparet, quia non sunt multiplicandæ virtutes sine necessitate, & nulla talis est assignandi tot virtutes incompletas, vt patet, imò inutiliter ponuntur, cum vsque ad consumationem formæ (vt diximus supra) Sacramuntum non egeat virtute ad causandum, quia solum causat in illo instanti, in quo extrinsecè consumatur. Hæc de hoc dubio, & articulo.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant virtutem ex passione Christi?

Conclusio est affirmatiua, deduciturque sub hac verborum forma. Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi. Hæc conclusio probatur primo in argumento, sed cõtra ex Glossa super illud Pauli ad Roman. 5. *In similitudinem præuaricationis Adæ, dicente: quod ex latere Christi dormientis in Cruce fluxerunt Sacramenta per quæ saluata est Ecclesia*; ergo Sacramenta habent virtutem specialiter ex passione Christi. Rom. 5. Deinde in corpore probatur duplici ratione, & quia secunda magis determinatè procedit de passione, & prima videtur immediatè procedere probando de humanitate Christi, vt hic annotat Caiet. in Commentario; ideò solum secundam placet formare, quæ sic formari potest. Gratia Sacramentalis ad duo præcipuè ordinatur, scilicet ad liberandum à peccatis, & ad perficiendam animam in his, quæ ad cultum Dei pertinent, sed manifestum est, quod Christus liberauit nos à peccatis præcipuè per passionẽ suam efficienter meritoriè, & per modum satisfactionis, & etiam initiauit ritum, & cultum Christianæ religionis: ergo gratia Sacramentalis, & consequenter virtus illius causatiua specialiter procedit à passione Christi. Discursus videtur optimus. Maior est certa, minor verò quoad primam partem relinquitur à D. Thom. vt nota ex dictis supra dum de passione, & morte Christi sermonem instituit. Quoad secũdam verò probatur, quia in passione Christus obtulit se ipsum oblationem, & hostiam Deo, vt dicitur ad Ephesios 5. *Tradidit semetipsum oblationem, & hostiam Deo in odo-* Eph. 5.

odorem suauitatis: ergo incepit tunc nouum sacrificium, nouumque ritū, & cultum Deo exhibendum in sacrificiorum oblatione.

DVBIVM EST IN HOC ARticulo.

Vtrùm conclusio D. Thom. sit vera?

ARguitur ad probandū quod non. Primo, quia omnes operationes Christi fuerunt æqualis meriti: ergo æqualiter influxum habent in Sacramenta. Antecedens probatur, quia omnis operatio Christi fuit infinitè meritoria: ergo in ratione meriti æqualiter emanat virtus Sacramētorum aqualibet Christi operatione: siquidem ratione infinitatis repertæ in omnibus operationibus est eadē ratio influendi in omnibus.

Secundò. Aliqua Sacramenta fuerunt instituta ante Christi mortem, & passionem: ergo saltim illa nō possunt habere virtutem ab illa participatam. Cōsequētia probatur, quia nulla res potest accipere virtutem à re non existente. Antecedens verò probatur, quia Sacramētum Eucharistiæ fuit institutum in nocte cœnæ à Christo *pridie, quam pateretur*, vt constat ex Matthæi 26. & ex aliis Euangelistis locis propriis. Similiter Baptismus fuit institutus, quandò Christus fuit in Iordane à Ioanne Baptizatus multo ante passionem: tunc enim dicitur, quod Dominus vim regenerativam contulit aquis: ergo ista Sacramenta ab aliis operationibus Christi accepe runt virtutem.

Tertiò. Ratio qua probat suam conclusionem in argumento sed cōtra, est insufficiens: ergo. Probatur antecedens: quia quando dicitur à Doctoribus, & D. Thom. hic, quod ex latere Christi exiuit sanguis per quē denotatur Sacramentum Eucharistiæ, & aqua, per quam denotatur Baptismus, tunc temporis Christus nō potuit mereri, quia erat iam mortuus: ergo ex illo fluxu sanguinis, & aquæ non accipiunt talia Sacramenta aliquam virtutem.

Antecedens patet, quia de ratione meriti est, quod operatio procedat ab homine viatore, sed Christus Dominus, tunc temporis, neque erat homo, nec viator: ergo non potuit mereri.

His tamen non obstantibus sit vnica conclusio. Quamuis nostra iustitia, & Sacramenta, quæ sunt instrumēta ad illam dependeant ex omnibus operationibus Christi, tamen speciali quadam ratione dicuntur pendere, & accipere virtutem à passione ipsius. Ista conclusio est legitima expositio conclusionis D. Thom. prima eius pars probatur primo argumento ex positis, cùm enim quælibet Christi operatio per totum vitæ decursum ab ipso elicita, fuerit infinita in ratione meriti, quatenus procedebat à persona Christi infinitè grata debuit se extendere ad omne, ad quod potest virtus infinita: ergo cum nostra iustificatio sit capax pēdere ab illa, & Sacramenta nostra sint capacia accipiendi virtutem sanctificativam ab illa ratione meriti infiniti, dicēdum est accipere illam à talibus operationibus.

Secundo probatur eadem pars ex illo Psalm. 30. *Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*, quæ verba explicantes Doctores docent, quod tota Christi vita, & omnes dolores, quos pertulit, fuerunt tanquam vnus dolor, & gemitus continuatus per totum spacium vitæ oblatus in satisfactionem pro delictis nostris, ergo remissio illorum, & nostra sanctificatio, quę fit per Sacramēta, dependet à virtute illius satisfactionis constantis ex pluribus doloribus quasi partialibus. Huic consonat doctrina, quam tradit Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 5. *Psal. 30.*

§. in

§. in imagine responsio legitima vbi ait, quod de tota vita Christi quantũ ad meritum, & efficaciam sentiendũ est, atq; si fuisset tota vnicus actus ex pluribus partialibus constans, qui in passione fuit consumatus, sed tota illa vita per modũ vnius actus fuit oblata in passione ex intentione Christi pro nostra iustificatione per Sacramẽta nostra facienda: ergo debet correspondere virtus Sacramentorum illis. Patet consequentia, quia Christi oblatio fuit efficax: vndè debuit vt talis acceptari à Patre.

Secunda pars conclusionis probatur ex modo dictis; nam licet quælibet operatio Christi fuerit infinitè meritoria quantum ad sufficientiam, tamen quantum ad efficaciam, & applicationem non fuit applicata, vt totale meritum, & plenarium, sed tanquam pars illius meriti, quod erat cõsumandum per passionem: ergo quatenus talis applicatio fuit facta in passione, speciali quadã ratione correspondet ei virtus Sacramentalis, & nostra iustificatio. Patet consequentia, quia illa ratio applicationis, & consumationis totius meriti integri est aliquid speciale, quod correspondet passioni vt complenti alia opera ex intentione, & applicatione Christi, & non correspondet aliis operibus.

Confirmatur, quia forte propter istam rationem in sacris literis semper nostra redemptio, & iustitia tribuitur passioni Christi, & non ieiunio eius, aut alteri simili operationi meritoriæ, vt patet ex loco citato à D. Thom. in ratione à nobis formata, & multis aliis, quos hic coaceruant Interpretes, inter quos est ille locus ad Rom. 3. vbi sic dicitur: *Rom. 3.* *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, &c.* ergo signum est, quod speciali quadam ratione correspondet iustificatio, & virtus Sacramẽtalis passioni Christi.

Secundo probatur, ratione ipsius D. Thom. in Commentario à nobis formata, quæ debet intelligi quoad primam eius partem iuxta doctrinam modo positã in nostra ratione, quoad secundam verò debet intelligi, quia in Cruce sacrificium, quod Christus obtulit in Cruce fuit primum, & perfectissimum sacrificium legis nouæ, eo quod sicut de ratione sacrificij perfecti antiquæ legis erat, quod hostia totaliter consumeretur, & ita holocaustum erat perfectum sacrificium, quoniam in illo tota hostia consumebatur, ita in Cruce Christus se totum obtulit Patri nihil reseruãdo sibi, sed totum voluit consumi pro redemptione nostra. Ex quo sequitur, quod sacrificium, quod offertur in missa specialiter correspondeat illi sacrificio cruento, sicut illud fuit præfiguratum specialiter per holocaustum antiquum.

Ad argumenta ergo: Respondetur ad primum distinguendo antecedens quoad sufficientiam concedo, quoad efficaciã applicationis, & oblationis, nego antecedens. Ratio est, quia licet quodlibet opus Christi ratione dignitatis suppositi habuerit æqualem rationem meriti, tamẽ quoad efficacem applicationem maiorem virtutem, & vim merendi habent omnia opera Christi collectiuè sumpta, quia (vt dicebam supra) Christus applicuit omnia collectiuè, tanquã vnũ meritum totale, & vnam passionem prolixam, & singula obtulit, tanquã partem huius meriti integri, & huius cõtinuatæ passionis. Secundo potest dici, & in idem redit, quod si considerẽtur opera Christi ex parte suppositi secundum se eandem vim habent: si verò considerentur vt consumata, non habent eandem vim respectu applicationis: quia consumantur per passionem, & ita maior vis, seu specialis correspondet passioni, quam aliis Christi operationibus. Ex quo infertur à Doctoribus, quod si Christus Dominus

minus non fecisset tot opera sicut fecit, quoad efficaciam, & de facto non daretur nobis tanta gratia, nec tantus fructus meritorum, aliàs superuacanea essent tot Christi opera inordine ad nos, cum per vnum tantum opus eadem gratia cum æquali perfectione nobis daretur: hoc autem falsissimum est, quia vt ait Soto (vbi supra in solutione ad primum argumentũ ex suis) omnia & singula opera Christi, & totam eius vitam in nostrum commodum dispendit.

Ad secundum respondetur dupliciter. Primo distinguendo consequẽs admisso antecedenti, non habent virtutem ab illa participatam, ab illa vt existente in re, concedo consequentiam, ab illa vt præuisa, oblata, & acceptata vt sic à Deo, nego consequentiam. Itaque, quia Sacramenta illa instituta sunt vt durarent post passionem, & mortem Christi pro semper; ideò acceperunt virtutem ab illa, vt præuisa, ac si essent instituta posita iam in re, quia ex meritis ipsius passionis attentis in præuisione Dei, & Christi vt hominis instituta fuerunt.

Secundo respondetur distinguendo idem consequens, non acceperunt virtutem à passione Christi provt inchoata, & in fieri, nego consequentiam, prout completa, & in facto esse concedo consequentiam. Itaque, quia (vt sup. dixi) omnes actiones Christi, & tota eius vita fuerunt vna passio continuata, & prolixa, quæ vt sic per modum vnius passionis fuit oblata Deo; ideò quælibet actio fuit passio in fieri, & qualibet actione vt passio in fieri, acceperunt illa Sacramenta virtutem.

Si autem inquiras: vtrùm postquam Christi passio completè fuit posita in esse contulerit maiorem virtutem illis Sacramentis, quam antea.

Respondetur, quod aliqui ita tenent, & videtur consequenter loqui prædictos Doctores ad doctrinam supra traditam, in qua dictum est, quod tota Christi vita, vt consumata in ratione meriti per passionem, & morté Christi, fuit magis meritoria quoad efficaciam, & ita ex illa maiori ratione meriti optimè potest intelligi, quod deriuetur maior virtus ad Sacramenta. Cæterum in nostra prima solutione videtur dicendum meo videri, quod non acquisierint maiorẽ virtutem, ex eo quod ipsa passio etiam vt consumatio meritorum præcedentium fuit præuisa, & vt præuisa fuit causa influens virtutem in illis Sacramentis: vndè quia vt tota pœna continuata communicauit illis virtutem, communicauit illam secundum totũ suum meritum: vndè dico, quod passio vt exhibita in re ingenere causæ efficientis communicat, seù conseruat eandem virtutem, quam in genere causæ finalis communicauit illis Sacramentis prout præuisa.

Ad tertium distinguo consequẽs: non accipiunt virtutem Sacramenta ab illis duobus, tanquam à causa meritoria, concedo consequentiã, propter rationem ibi factam, tanquam à causa efficiẽte, nego consequentiam, quia corpus Christi, & etiam anima post mortem sunt instrumentum coniunctũ verbi diuini, & ita ille fluxus sanguinis, & aquæ, quatenus fuit passio corporis vniti, & fuit fluxus humoris, quod erat vnitum verbo, ideò potuerunt efficienter causare virtutem Sacramentorum. Et hęc de hoc dubio, & articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Sacramenta veteris legis gratiam causarent?

PRIMA conclusio. Sacramenta veteris legis non causabãt gratiam virtute propria. Ratio huius est in argumento sed contra desumpta ex Apostolo ad Galat. cap. 4. vbi dicitur: *Conuertimini iterum ad infirma, & egena elemẽta,* Galat. 4

11, vbi Glossa, *idest ad legem quæ dicitur infirma, quia non iustificat perfectè*; sed gratia perfectè iustificat: ergo Sacramenta veteris legis gratiam nõ conferebãt. Deinde in corpore, quia si Sacramenta illa cõferrent gratiam virtute propria non fuisset necessaria passio Christi: hoc autem est hæreticum: ergo illud ex quo sequitur falsum est.

Probatur maior ex illo Pauli ad Galat. 2. *Si ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est*: ergo cum Christus mortuus fuerit necessariò supposito decreto de nostra per eius mortem redemptione euidens est, quod illa Sacramenta antiqua erant vacua à virtute causatiua gratiæ. *Galat. 2*

Secunda conclusio. Sacramenta veteris legis non causabant gratiam ex virtute participata à passione Christi. Hæc probatur tali ratione, supponendo prius, quod virtus passionis Christi copulatur nobis per fidem, & per Sacramenta, tamen diuerso modo, nam continuatio, quæ est per fidem fit per actum animæ, continuatio verò, quæ est per Sacramenta fit per vsum rerum exteriorum.

Hoc ergo supposito, sic formatur ratio. Coniunctio alicuius per vsum exteriorum rerum est coniũctio causæ efficientis, sicut coniunctio causæ medio actu animæ est coniunctio causæ finalis, sed illud, quod non existit in rerum natura, non potest mouere, neque agere per modũ causæ efficientis: ergo passio Christi nõ potuit coniungi animabus per vsum exteriorum Sacramentorum antiquæ legis. Consequentia patet, quia nondum erat posita in executione passio Christi.

Maior ex præsuppositio patet: minor verò est euidens in Philosophia, quia de ratione causæ efficientis est quod non sit posterior duratione suo effectu, vel instrumento, cui coniungitur vt talis causa efficiens, & in hoc distinguitur à causa finali, vt patet ex phisica disciplina, & optimè adnotauit hic Caiet. in suo Commentario: ergo non potuerunt Sacramenta antiqua participare in se virtutem ex passione futura vt efficienter gratiã causarent.

Tertia conclusio in solutione ad tertium. Circuncisio erat solum signum fidei iustificantis, sicut & alia Sacramenta. Hæc conclusio, præterquã ex præcedenti cum sua ratione patet, quia vniuersaliter probat de omnibus Sacramentis antiquis, cum respectu omnium passio Christi solum comparetur propriè vt causa finalis, quia cõparatur vt futura, adhuc tamen probatur ratione D. Thom. In circuncisione conferebatur gratia in quantũ erat signum passionis Christi futuræ (vt infrà proprio loco dicitur:) ergo non causabat gratiam per virtutem in se receptam; atque adeò absolutè nõ conferebat gratiam. Antecedẽs probatur ex illo Pauli ad Rom. 4. vbi dicitur: *Quod Abraham accepit signũ circuncisionis signaculum iustitiæ fidei*, vbi circuncisio ponitur solum signum exterius iustitiæ causatæ per fidem passionis futuræ significatã per ipsum Sacramentum. *Rom. 4.*

Circa istam tertiam conclusionem poterat esse dubium, quod hic mouent aliqui interrogantes vtrùm circuncisio daret gratiam ex opere operato, vel esset tantum signũ exterius fidei, & iustitiæ datæ merito fidei ministri applicatæ paruulo.

Cæterum, quia ista disputatio ex professo pertinet ad quęstionem 70. huius tertiæ partis, ideò ab illa supersedere decreui. Solum notando contra Scotum in 4. dist. 1. quæst. 6. & 7. falsissimum esse id, quod asserit ibi, dum docet tale Sacramentum contulisse gratiam ex opere operato paruulis: videtur namque contra Concilium Florentinum in decreto vnionis Græcorum, & Armęnorum supra citato art. 2. vbi inter omnia Sacramenta antiqua, & nostra ponit differentiam in hoc

hoc consistentem, quod illa tantum gratiam dandam præfigurabant, nostra verò, & continent, & causant gratiam, quam significant. Similiter in Concilio Tridentino Sess. 7. Canone 2. damnantur qui dixerint nostra Sacramenta tantum differre à Sacramentis antiquæ legis, quia sunt aliæ cæremoniæ, & alij ritus externi, & Canone 6. de nostris Sacramentis dicitur, quod causant, & continent gratiam, & oppositum dicens damnatur; ergo non est tutum in fide asserere circuncisionem contulisse gratiam virtute propria.

Secundo aduertendum est contra Vazquez 1. 2. disputat. 184. cap. 4. quod circuncisio non solùm fuit signum externum fidei, & iustitiæ causatæ in ipsa, sed etiam concurrisse per modum conditionis, *sine qua non* ad gratiam remissiuam peccati originalis. Ratio est, quia Deus ad præsentiã illius Sacramenti, & non aliter, ex pacto, & promissione conferebat gratiam iustificantem: ergo etiam si daretur virtute fidei, quam minister applicabat paruulo dicendum est ipsam circuncisionem, per quam applicabatur fides illius, fuisse conditionem requisitam ex pacto diuino. Ita communiter tenent omnes Thomistæ, & omnes Theologi vno, vel altero excepto. Et ita intelligendi sunt Patres Sancti, quandò dicunt circuncisionem fuisse remedium contra originale peccatum, sicut & Baptismus, nõ enim intendunt docere, quod illud Sacramentũ iustificabat virtute propria sicut modo Baptismus, sed quod fuit institutum vt ad præsentiam illius Deus iustificaret paruulũ ex sua diuina promissione, de qua constat in sacris literis, vbi ponitur præceptum circuncisionis. Videatur Suarez hic disputat. 10. sect. 1. propè finem, solum enim ponunt Patres proportionem, & conuenientiam in fine, propterquem vtrunque Sacramentũ fuit institutum, non tamen in modo, quo ille finis consequitur per vnumquodque illorum. Et sic intelligendus est Beda citatus à D. Thom. in argumento tertio, & per hunc modum intelligenda est solutio ipsius D. Thom.

Et si dicas, quod paruulis aliquando dabatur gratia vltra meritum ministri applicantis fidem: imò aliquando poterat minister esse infidelis, & tamen si conferret Sacramentum cũ intentione recta, sicut si modo aliquis hæreticus conferret Baptismum alicui paruulo recta intentione faciendi, scilicet quod facit Ecclesia in ordine ad remissionem culpæ originalis verè conferretur gratia, & tamen nõ ex merito ministri, neque paruuli, quia ille sicut non poterat habere actum proprium, ita non poterat mereri: ergo.

Respondetur hoc argumento probari, quod Deus aliquando dabat gratiam absque merito ministri, vel vltra meritum: hoc tamen procedebat ex liberalitate, & misericordia Dei propter necessitatem suscipientis Sacramentum (vt optimè dicit Suar. loco citato in fine sectionis secundę) nõ tamen prouenichat ex virtute ipsius Sacramenti. Secundo potest dici hoc argumento probari, quod ratione diuini pacti circuncisio erat cõditio, *sine qua non*, ad cuius præsentiam Deus causabat gratiam supplés inefficaciam eius. Et hæc de hoc articulo, & de tota quæstione.

(?)

QVAES-

QVÆSTIO LXIII.

DE EFFECTV SACRAMENtorum, qui est character.

ARTICVLVS PRIMVS.

Virùm Sacramentum imprimat aliquem characterem in anima?

CONCLVSIO est affirmatiua. Fideles per Sacramenta aliquo charactere spirituali insigniuntur. Vt hanc conclusionem probet D. Thom. in principio corporis articuli repetit principium à se edoctum quæst. præcedenti art. 5. videlicet, quod Sacramenta nouæ legis ad duo ordinantur, scilicet ad remedium contra peccatum, & ad cultum Dei secundum ritum Christianæ vitæ, quo supposito principio sic formatur ratio in corpore. Quicunque ad aliquid certum deputatur consueuit ad illud consignari, sed fideles per Sacramenta deputantur ad aliquid certum, & spirituale ad cultum Dei pertinens: ergo aliquo charactere spirituali consignantur.

Maior probatur exemplo militũ, qui antiquitus quandò ad militiam adscribebantur quibusdam corporalibus characteribus solebant insigniri, eo quod ad aliquid corporale, scilicet ad actum militiæ corporalis deputabantur, vt patet ex authoritate Augustini 2. contra Parmenianum, vbi dicitur: *Si militiæ charecterem in corpore suo, nõ militans pauidus ex horruit & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fussa, & venia impetrata militare iam cæperit, nunquid homine liberato, atque correcto character ille repetitur, ac non potius agnitus approbatur? An forte minus haberent Sacramenta Christiana, quam corporalis hæc nota?* Aug. Ecce patet in hac authoritate milites corporales antiquitus corporali charactere insigniri, qui non tollebatur per hoc, quod aliquis liberaretur ab Imperatore ab obligatione pugnandi, nec repetebatur per hoc, quod quis militare cæpisset. Et in comparatione ad nostra Sacramenta firma inhęsione designatur etiam, quod idem character, nec repetitur, nec tollitur ab anima, postquam semel illo insignita est, & ita ista doctrina August. tota ratio D. Th. confirmatur: minor verò ex principio præsuppositio patet: quia scilicet per Sacramenta homines ordinantur ad cultum diuinum.

DVBIVM EST:

Vtrùm conclusio D. Thom sit certa secundum fidem?

AD huius dubij intelligentiam præmittendum est, quod istud nomen character est nomen Græcum, & significat idem,

idem, quod apud Latinos signum impressum firmiter alicui, seu figura eodem modo alicui impressa firmiterque illi inhærés, sicut ex impressione ferri cãdẽtis solet imprimi pecudibus aliqua figura, per quam obes cognoscuntur cuius domini sunt, & distinguntur ab alijs alterius Domini, & sic olim homines solent signare sua mancipia figura indelebili in signum seruituris, quæ figura dicitur character, & in ista acceptione (vt aduertunt hic omnes Commentatores) vsurpatur nomen character Apocalypsis 13. & 14. nihilominus licet significet dictũ nomen secundũ suã primeuã suã significationẽ signũ aliquod sensibile, tamen à Theologis extensum est hoc vocabulum ad significandum quodlibet signum spirituale. Vndè ad Hæbræos 1. vbi nostra vulgata legit de filio Dei, *quod est figura substantiæ Patris*, vertit Grecus, *cum sit character hypostasis, &c.* & in hac larga acceptione sumitur hic, ad denotandum signum spirituale, quo signantur fideles in Baptismo (verbi gratia) tanquam obes Christi: in Confirmatione tanquam milites Christi, & in Ordine tanquam ministri ipsorum Sacramentorum. *Hebr. 1*

Hoc supposito controuersia est inter Hæreticos, & Catholicos, nam quidam hæretici dicunt, quod non est de fide tria Sacramenta, scilicet Baptismum Confirmationem, & Ordinem imprimere characterem. Huius erroris primus Author fuit Ioannes Vvicleph, vt refert Vvaldensis lib. 2. de Sacrament. quæst. 109. quem postea sequti sunt hæretici huius temporis sequentes Lutherum, qui istum errorem iam oblitum denuo suscitauit. Hæreticos istos refert Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 18.

Fundamentum istius erroris est. Tùm quia apud Sanctos Patres non est constans traditio prædicta Sacramenta imprimere characterem, imò primus Author, qui hanc doctrinam tradidit videtur fuisse Innocẽtius Tertius in cap. *maioris de Baptismo*: Tùm etiam, quia hæc doctrina non est concors sententia Doctorum Scholasticorum, vt ipsi videntur insinuare: tũ quia ex sacris literis, non constat aliquod Sacramentum ex illis tribus imprimere characterem: ergo rationabilius videtur negare talem doctrinam.

Inter Catholicos autem non est vniformis sententia. Nam Scotus in 4. dist. 6. quæst. 9. tenet conclusionẽ D. Thom. non habere solidum fundamentum, neque in sacris literis, neque in traditione Patrum, sed duntaxat in diffinitione Ecclesiæ, quæ habetur in *cap. maiores* de Baptismo, iam citato, vbi Innocentius Tertius diffinit Baptismum imprimere characterem indelebilem in anima. Huic consentit Gabriel distinction. eadem. quæstion. 2. & Durand. in distinction. 4. quæstion. 1. existimat hanc sententiam de charactere non pertinere ad fidem, sed esse communem opinionem, quam sequebantur Doctores sui temporis. Vltimo Caietan. in præsenti putat veritatem conclusionis D. Thom. non haberi ex sacra Scriptura, sed ex Ecclesiæ authorate non multum antiqua, sed temporis Innocentii in capite iam citato.

Fundamentum Caietani est, quia quæstiones antiquæ de reiteratione Baptismi, quas Patres disputauerunt non habuissent locum, si Ecclesia iam determinasset Baptismum imprimere characterem: ergo signũ est, quod talis veritas non habetur ex antiqua determinatione Ecclesiæ.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio. Quod tria Sacramenta, scilicet Baptismus Confirmatio, & Ordo imprimant Characterem est veritas de fide antiqua in Ecclesia, & non noua. Hæc conclusio habet duas partes, prima contra Hæreticos citatos est, secunda verò contra Caietan.

Probatur ergo quoad primam partem ex Concilio Tridentin. Sessione septima, Canon. 9. vbi expressè diffinitur tria Sacramenta numerata imprimere characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, ex quo infert Concilium ea iterari non posse. Idem sub eisdem ferè verbis diffinitur in Concilio Florentino in decreto citato sæpè facto ad vnionem Græcorum, & Latinorum dum de Sacramentis agitur, vbi dicitur, quod tria, scilicet Baptismus Confirmatio, & ordo imprimunt characterem in anima, idest spirituale quoddam signum à cæteris distinctum indelebile que: *Vndè in eadem persona non reiterantur*: verba expressa sunt Concilij: ergo veritas ista est de fide.

Pro quo est aduertendum, quod Ecclesia nunquam diffinit res de fide, quia eas cognoscat per nouas reuelationes, sed quia eas cognoscit esse de fide colligendo eas ex sacris literis, vel ex traditionibus Apostolorum, vt ex professo docent Theologi 2.2. quæstion. 1. articul. 1. & alij art. 7. Et ratio huius est, quia Ecclesia in suis diffinitionibus solum explicat istam, aut illam veritatem ad fidem pertinere, non tamen facit illam esse de fide.

Hoc supposito formatur talis ratio pro conclusione. Vniuersalis Ecclesia Romana vnanimi consensu conspirat in hac veritate, quod tria Sacramenta numerata imprimūt characterem indelebilem in anima, & ex hoc principio infertur, quod ista Sacramenta reiterari non possunt vt patet ex diffinitionibus Conciliorum citatis: ergo habenda est vt de fide. Patet consequentia, quia conspiratio, seù determinatio, & consensus communis Ecclesiæ explicat veritatem, de qua est cōsensus, & determinatio, esse de fide, licet illam non faciat esse de fide, & mediante tali determinatione proponit veritatem aliquā omnibus fidelibus vt credendam tanquam de fide, sed sic se habet veritas, quam explicamus: ergo est de fide.

Secunda pars conclusionis non est de fide: cæterum ita certa est, vt sit falsum, & temerarium illam negare. Ita Interpretes D. Thom. in præsenti. Et probatur primo ex principio præsuppositio, quia Ecclesia in suis diffinitionibus tradit doctrinam fidei antiquam, illam ex sacris literis, aut ex Apostolica traditione deducendo: ergo hæc veritas, quam diffiniuit Ecclesia locis citatis, & in cap. *maiores* non est fides noua, sed vt antiquam accepit illam ex traditione Apostolica.

Et confirmatur, quia Concilia citata, & Innocentius Tertius in capite citato de ista veritate loquūtur, tanquā de veritate statuta, & firmata olim in Ecclesia, & eodem modo Sancti Patres, quos citant Doctores in præsenti: ergo est antiqua fides.

Secunda conclusio. Hæc veritas habet solidum fundamentum, tùm in sacris literis, tùm etiam in traditione Sanctorum Patrum. Hæc conclusio intelligenda est suppositā certitudine huius veritatis ex traditione antiqua Ecclesiæ, & in hoc sensu stabilitur hæc assertio contra Scotum citatum.

Probatur primo ex loco Pauli, quem adducit D. Thom. in argumento sed contra, desumpto, ex 2. ad Corinth. cap. 1. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Hunc locum etiam adducit Catechismus Romanus de Sacramentis in genere affirmans illa voce *signauit* characterem designari: quod autem Paulus loquatur de vnctione, & signatione interna ex illis verbis *in cordibus nostris* manifestè colligitur. 2. Ad Corinth.

Hic autem videtur Apostolus loqui de Sacramento Confirmationis,

nis, vt designant verba immediatè antecedentia, quæ sic se habent: *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo*, id est in fide Christi. De aliis duobus Sacramentis alia loca adducunt Theologi. De Baptismo est insignis locus ad Ephesios, cap. 4. *Nolite contristari Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis.* De ordine verò non tam clarus locus: tamen aliqua probabilitate infertur hæc veritas ex illo primo ad Thimotheum 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum præsbyteri*, vbi nomine gratiæ intelligitur character, qui dicitur gratia non gratum faciens; sed quia est donum spirituale gratis datum ad executionem ordinis; & ad denotandam indelebilitatem ponitur illa particula *in te*. Plura alia loca videantur in Cabrera, Nuño, & Suarez & alij: hæc enim nobis sufficiant.

Ephes. 4.

1. Thim. 4.

Secundo probatur ex Patribus, quorum plura testimonia congerit hic Suarez disputation. 11. section. 1. in probatione secunda sui dicti: alia etiam plura congerit Magistr. Cabrera in præsenti, & alij Expositores tàm hic, quàm in quarto sententiarum in locis supra citatis, ex quibus omnibus vnum, aut alium placet adducere. Sit ergo primus D. Basilius homil. decima tertia, quæ est exhortatio ad Baptismum, vbi sic ait: *Nisi characterem in te cognoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quo modo (inquam) dicis Deus sum, signa non ostendens, &c.*

D. Basil.

Secundus sit ex Doctoribus Latinis Augustinus princeps omnium, qui multis in locis agens de charactere nominat *characterem Regium*, & lib. 6. de Baptismo, cap. 1. vocat illum *dominicum characterem*: specialiter autem tractatu quinto, & sexto in Ioann. sic ait: *Si Baptizatus charitatem non habet, characterem quidem impositum habet*: vbi expressè ponit duplicem effectum Baptismi distinctum vnum ab alio quorum vnus saluatur sine alio, scilicet charitatem, & gratiam, & characterem, qui saluatur in baptizato, etiam si non accedat dispositus ad gratiam regenerantem, & charitatem inde resultantem: ergo hæc veritas firmum, & stabile fundamentum habet in Sanctis Patribus.

August.

Ioann. 6.

Ex quo infertur falsò loquutum fuisse Scotum, cum expressè videatur Sancti sententia contra illum, & loca sacræ Scripturæ; ex quibus ante omnem determinationem Ecclesiæ satis probabiliter, licet non efficaciter, & euidenter infertur nostra veritas: supposita tamen determinatione fundata in traditione Apostolica, maiorem probabilitatem, & firmitatem habent loca Scripturæ, vt communiter asserunt Doctores.

Infertur etiam ex rationibus primę conclusionis doctrinam Caietani nullo modo esse sequendam, quia nō est ita consentanea fidei, sicut quæ à nobis explicata est, quod probo: eo quod in partibus D. Thom. impressis Romæ auspiciis Pij Quinti ex Commentario Caietani huius articuli deletum est id, quod asserit de charatere, dum docet doctrinam de eius impressione in anima, esse nouam in Ecclesia, & solum ponitur aduertentia ipsius circa rationem congruentiæ D. Thom. qua persuasibilem (vt ipse Caietan. dicit) facit Doctor Sanctus doctrinam Ecclesiasticam de charactere: signum ergo est, quod doctrina Caietani opposita displicuit Pio Quinto, tanquam minus consentanea fidei, & ideò non irrationabiliter iudicanda est modò periculosa.

Ad fundamentum Hæreticorum respondetur: ad primam partem, quod Sacramenta aliqua imprimere characterem, est constans traditio Patrum, tàm Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ, vt constabit legen-

ci Interpretes D. Thom. in præsenti, neque primus author huius veritatis fuit Innocentius Tertius: imò ipse illam didicit ab aliis vt veritatem communiter receptam in Ecclesia vt de fide (sicut iam dictum est prima cõclusione.)

Ad secundam partem dico, omnes Doctores Catholicos in substantia huius veritatis conuenire, licet dissideant aliqui ab aliis in modo defendendi, & explicandi, an sit antiqua fides illius, an noua, an habeat fundamentum stabile in Sanctis, an verò non. Similiter est dissidium in assignãda natura characteris, & ratione quare imprimatur; cæterum ipsam veritatem substantialiter omnes fatentur, & etiam Gabriel, quem Hæretici citant pro se vltimatè propter authoritatem Ecclesiæ conuinctus est illam admittere.

Ad tertiam partem dico, quod non constat clarè ex sacris literis nostra veritas, deducitur tamen satis probabiliter ex interpretatione Sanctorum; nihilominus tamen est de fide: quia vt aliqua veritas sit de fide sufficit, quod diffiniatur in aliquo Concilio, & quod habeatur, vt certa ex traditione Apostolica, vt omnes Theologi docent in materia de fide 2.2. quæst. 1.

Ad fundamentum Caietan. Respondetur, quod illę quæstiones habuerunt locum: quia (vt optimè aduertit hic Crabrera numer. 12.) Patres antiqui illas induxerunt ad refellendos Hæreticos, qui dicebant baptismum debere iterari in eadem persona, ipsi autem Sancti Patres, & Doctores Catholici, ex eo quod baptismus consignabat Christianum charactere spirituali indelebili inferebant contra illos, non esse iterandum quod & modo faciunt Concilia iam à me citata.

Pro alijs argumentis minoris momenti videatur Cabrera hic. Hæc de isto dubio, & articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm character sit spiritualis potestas?

PRIMA Conclusio. Character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt diuini cultus.

Ratio huius conclusionis est. Character imprimitur à Sacramentis, in quantum per ea deputantur homines ad cultum Dei secundum ritum Christianæ vitæ, & Religionis, sed Christianus cultus consistit, vel in recipiendo aliqua, vel in tradendo aliis: ergo character spiritualis Sacramentorum consistit in quadã spirituali potestate.

Antecedens supponitur ex articulo præcedenti, & probatur etiam authoritate Dionisij in secundo cap. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, vbi postquam dixit, quod Deus in quoddam signo tradit sui participationem accedenti ad Baptismum, subiungit, *perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum*, id est perficiens eum qualitate supernaturali, per quam ordinatur ad communicandum diuina, & ad participandum diuina per alia Sacramenta causata.

Consequentia verò probatur: quia tam ad recipiendum, quam ad tradendum requiritur potentia, ad recipiendum passiua, ad tradendum verò actiua, sed per characterem homo deputatur ad hæc, quatenus sunt propria diuini cultus: ergo importat potestatem spiritualem.

Secunda conclusio. Hæc spiritualis potestas est instrumentalis.

Ratio huius conclusionis est desumpta ex parte subiecti: quia scilicet hæc potestas conuenit ministris Christi,

Christi vt sic, sed minister se habet per modum instrumenti: ergo est potestas instrumentalis, sicut virtus Sacramentorum est instrumentalis.

Tertia conclusio. Character non est per se, & propriè in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciè qualitatis.

Quarta conclusio, quæ deducitur ex solutionibus argumentorum. Character non est in quarta specie qualitatis, neque in tertia, neque in genere relationis, quamuis oppositum aliqui docuerint. Rationes huius habentur clare in solutionibus argumentorum.

Circa istum articulum resoluuntur dubio luquædam.

PRIMVM est: Vtrùm character sit ens reale, vel rationis, in quo omnes resoluunt contra Durandum esse ens reale: quia vt homo deputatus maneat ad ea, quæ sunt cultus Dei, vel recipiendo, vel tradendo non sufficit denominatio extrinseca, quia est deputatio per intrinsecam formam, cum sit perfectiua animæ, qualiter solum Deus potest deputare, & non princeps humanus.

Hæcquè resolutio est consormis doctrinæ Conciliorum iam citatæ, modo etiam loquendi Sancti Thom. in his articulis, & aliorum Sanctorum Patrum, omnes enim vtuntur nominibus significantibus entitatem realem, cum docent imprimi characterem per tria Sacramenta, nam nihil imprimitur per causam realem, vt verus eius effectus, nisi etiam sit ens reale. Vndè Caietan. in Commentario putat sententiam Durandi esse, contra determinationem Ecclesiæ extra de Baptismo, & eius effectu in cap. maior in fine.

Secundum dubium solet moueri: Vtrùm sit character in aliquo prædicamentali genere, cuius communis resolutio consistit in duobus dictis. Primum est contra Ricardum in 4. distinction. 5. quæstion. 1. vbi existimat characterem, quia ens supernaturale est in nullo ex decem prædicamentis Aristotelis constitui, quia illa constant ex entibus naturalibus, quæ tantum cognouit Aristoteles.

Primum ergo dictum est. Character Sacramentalis ponitur in aliquo genere prædicamentali. Ratio est, quia licet Aristoteles tantum cognouerit res ordinis naturæ; tamen Theologi, qui per fidem, & Theologiam cognoscunt entia supernaturalia ea ponunt in seriè prædicamentali, eo quod cum prædicamentum sit prædicatorum ordinatio, in qua superiora de suis inferioribus quidditatiuè prædicantur, & in entibus supernaturalibus sit huiusmodi prædicatorum ordinatio; ideò optimè illa in prædicamento collocantur, & nè diuersa prædicamenta fiant ab illis, quæ distincta, & constituta sunt ab Aristotele, quælibet entia supernaturalia reponunt in prædicamentis Aristotelis iuxta propriam cuiuscunque naturam; relatiua enim constituunt in prædicamento relationis, & genus generalissimum faciunt relationem creatam realem abstrahentem à naturali, & supernaturali, absoluta verò entia in prædicamentis absolutis constituunt, & ita omnes habitus virtutum infusarum constituunt in prædicamento qualitatis in prima eius specie, & ita genus generalissimum illius prædicamenti, apud Theologos, & Philosophos Christianos debet esse qualitas creata abstrahens à naturali, & supernaturali, & sic de alijs.

Secundum dictum est contra Scotum, qui in quarto distinction. 6. quæstion. 10. docet characterem

Sacramentalem constitui in prædicamento relationis dicens, quod est relatio extrinsecus aduenies; & ideò posse esse terminum mutationis.

Secundum ergo dictum contra istum Doctorem est. Character nō ponitur in prædicamento relationis, sed in prædicamento qualitatis. Ratio huius conclusionis est, quam habet D. Thom. ad tertium, quia omnis relatio, quæ essentialiter relatio est debet fundari in aliquo absoluto: ergo si character est relatio debet habere aliquid absolutum, præsuppositum, in quo fundetur, sed illud non potest esse essentia animæ: quia sic conueniret omni animę naturaliter, neque est aliqua qualitas naturalis, quia ipse character est supernaturalis; vndè debet habere pro fundamento aliquam entitatem supernaturalem superadditam animæ: ergo illa entitas supernaturalis est ipsa essentia characteris, quia illa entitas non est gratia, neque alius habitus supernaturalis, neque est donum actuale, sed permanens, & indelebile: ergo est ipsa essentia characteris. Ita docet expresse D. Thom. in prædicta solutione, ex qua ratione infertur euidenter secunda pars conclusionis, quia illa entitas est accidēs supernaturale absolutum: ergo est de genere qualitatis. Patet consequentia, quia non est actio, sed potius principium actionis, siuè actiuum ad agendum illam, siuè passiuum ad recipiendum illam.

Etsi obiicias, quod character (vt docet Concilium Tridentin. vbi supra) est signum spirituale, signum autem formaliter importat relationē: ergo.

Respond. quod hęc prędicatio nō est essentialis, & quidditatiua, sed descriptiua, & denominatiua in qua prædicatur aliquid cōsequēs essentiā characteris cōsistētē in entitate illa absoluta: Vtrùm autem in tali essentia includatur respectus transcendentalis principij potentialis ad suum actum. Dico, quod qui dixerit in quacunque potentia creata includi talem respectum essentialiter, idem tenetur dicere de charactere: ex hoc autem non sequitur poni in prædicamento relationis: nam respectus transcendentales non ponuntur in tali prædicamento, sed in illo, in quo ponuntur res illæ, quibus sunt intrinsecè annexi.

Qui autem dixerit (vt mihi videtur dicendum) quod potentia non includit essentialiter ordinem ad actū, sed quod ratio principij actiui dicitur includere ordinem ad actum, quia nō potest intelligi, neque explicari, nisi cum ordine ad suum actum, idem debet dicere de charactere. De quo videantur Logici, & Metaphysici, ex quibus alij primo, alij secundo modo loquuntur: in quo modo dicendum est, quod ratio essentialis potentiæ consistit in recto, in actualitate propria, ratione cuius continet virtualiter actus, quorum est productiua, de connotato tamen, & quasi in obliquo importat illam habitudinam transcēdentalem, quæ propriè loquendo nō est relatio, sed quidam modus explicatus per modum relatiui.

Dices secundo contra resolutionem, quod qualitas naturalis, & supernaturales non conueniunt vniuocè in aliquo genere, & idem dices de relationibus.

Respondetur negādo, quia licet in propriis differentiis specificis sit aliqua inæqualitas, tamen in ratione superiori qualitatis creatæ abstractæ nō est inæqualitas, neque dependentia in eius participatione: Vndè optimè possunt in eodem prædicamento cōstitui. Tota hæc doctrina videtur præsupponi vt certa à D. Thom. in præsenti articulo, in quo, supposito quod character est in aliquo genere, quærit an sit in aliqua specie qualitatis, quod intelligendum est per reductionem, siquidem eo modo collocatur in genere propter eius in completam entitatem. His ergo dubiolis explicatis bre-

brebiter: quia minoris momẽti sunt, quę tamen magis diffusè resoluũtur in præsenti à Mag. Nuño, Cabrer. & aliis.

SIT DVBIVM CELEBRE.

Vtrùm character sit in specie potentiæ, an in alia specie qualitatis?

IN quo dubio relicta sententia quorundam Theologorum, qui constituunt characterem in quarta specie qualitatis, cuius meminit D. Thom. hic in solutione ad primum, quam etiam optimè impugnat, quia ratio figuræ est qnædam terminatio quantitatis, & ita solum reperitur in rebus corporalibus propriè loquendo, in rebus autem spiritualibus tantum secundum aliquam metaphorã, cum ergo res non ponatur in aliquo genere, vel in specie secundum illud, quod metaphoricè ei conuenit, sed secundum illud, quod propriè ei conuenit, & character sit spiritualis qualitas, & supernaturalis falsum est asserere, quod ponatur in quarta specie qualitatis.

Relicta ergo ista sententia: quia ista ratione sufficienter manet impugnata, est quædam noua sententia, quã tenent moderni quidam Interpretes D. Thom. super istum articulum dicentes, quod character ponitur in prima specie qualitatis, sicut quidam habitus, seù dispositio disponens, & perficiens animam non inordine ad operationem, sed vt secundum se ipsam, benè se habeat, quemadmodum sanitas, vel pulchritudo est bona corporis dispositio. Ita Suarez disput. 11. section. 3. §. vltimo ergo, &c. qui licèt aliqualiter explicet D. Thom. tamen qaia non sibi satisfacit sua expositio concludit dicendo, quod rationes à se factæ illum cogunt vt à sententia D. Thom. discedat, in re (vt ipse dicit) non magni momenti. Eandem sententiam sequitur Vazquez.

Fundamentum primum Suarez tale est in formam summariam redactum, multa namque consumit illud constituens, quod confusionem generat magnam, proceditque de charactere Baptismi. Talis character non habet rationem potentię phisicæ actiuæ, nec passiuæ: ergo non constituitur in ratione potentiæ. Consequentia patet, antecedens verò quoad primam partem (ait ipse) omnes admittunt.

Probatur ergo quoad secundam. Potentia physica passiua est, quæ recipit actum, & per illum actuatur, sed character Baptismi non ordinatur ad recipiendum aliquem actum supernaturalem aliquo modo: ergo non est potentia passiua.

Probatur minor: nam non est potentia passiua ad recipienda alia Sacramenta, neque ad recipiendum effectum gratiæ, qui per illa datur, neque ad recipiendos alios characteres aliorum Sacramentorũ: ergo non est potentia passiua ordinata ad aliquid supernaturale recipiendum.

Probatur antecedens quoad singulas partes: quod non ad recipienda alia Sacramenta sic: quia illa nõ in anima, sed in corpore recipiuntur, vel recipi dicuntur: quia licet physicè non recipiantur, tamẽ quia proferũtur, ita vt possint audiri de se, vel quia localiter coniunguntur, aut tanguntur: hæc autem omnia constat fieri circa corpus: ergo character non est dispositio animæ ad Sacramenta recipienda.

Secunda pars probatur: quia gratia habitualis immediatè recipitur in anima, etiam si Sacramẽtalis sit, eo quod anima est immediatè persè ipsam capax ad recipiendam gratiam, & per suas potentias capax recipiendi virtutes, & dona, quæ ipsam consequuntur: ergo character non est potentia passiua respectu effectus Sacramenti, qui est gratia. Quoad tertiam sit probatur antecedens illud: quia sicut anima persè ipsam, & suas potentias est imme-

immediatè capax recipiendi vnũ cha racterem sic & alios: ergo.

Secundo probatur idem de cha ractere ordinis, qui ex communi sententia non est potentia phisica passiua, quod verò non sit actiua probant: nam vel habet rationem potentiæ actiuæ respectu Sacramentorum, quãdò à Sacerdotibus dantur, vel respectu effectuum talium Sacramentorũ: neutrum horum potest dici: ergo.

Probatur minor in sex ordinum inferiorum characteribus vsque ad Diaconatum: nam per illos nõ datur homini facultas ad conferenda aliqua Sacramenta, quia licet Diacono detur facultas baptizandi, vel conferendi aliquando Eucharistiam, hoc potius est vt iure, & licitè id faciat, quã vt factum teneat, quod est dicere: est facultas ad modum, & non ad substantiam administrandi illa Sacramenta: ergo illi characteres non habent rationem potentiæ actiuæ.

Probatur verò idem de charactere Sacerdotali: quia omnia Sacramenta consistunt in actione aliqua sensibili (præter Eucharistiam) sed ad omnẽ actionem sensibilem, in qua Sacramẽtum consistit, sufficiunt organa corporis cum suis naturalibus potentiis, vt ad lauandum, & ad proferendaverba sufficit manus cum suo motu naturali, & lingua similiter: ergo nulla alia potentia phisica ad hoc est necessaria.

Secunda pars minoris, quod scilicet character non habeat rationem potentiæ respectu effectuum Sacramentorum aliorum probatur: quia si character ordinis haberet rationẽ potentiæ respectu illorum ex propria specie, & essentia sua necessariò esset propter aliquam operationem sibi cõnaturalem; sed nulla talis actio potest assignari: ergo.

Probatur minor: nam non est potentia actiua propter effectionem gratię: ergo non est propter talem operationem. Antecedens probatur: nam character Sacerdotalis ea tantum ratione dicitur influere in gratiã, quatenus applicat, vel efficit Sacramentum causatiuum illius: ergo non habet efficientiam in ipsam gratiam. Consequẽtia probatur, & simul antecedẽs, quia omnis efficientia præter assignatam est ficitia, & sine fundamento.

Confirmatur: nam quandò qui confert Sacramentum Baptismi non habet characterem, quia non est Sacerdos, tunc tota efficiẽtia gratiæ est mediante Sacramento, & Ministernõ habet aliam, quam applicationem Sacramenti, seu confectionem eius: ergo idem est dicendum, etiam si sit Sacerdos: Consequentia probatur, quia Sacramentum confectum à Sacerdote non habet minorem efficaciam, quam aliud.

Vltimo idem probatur respectu Sacramenti Eucharistiæ: nam neque respectu effectus verborum, neque respectu effectus gratiæ Sacramentalis habet character Sacerdotalis aliquam efficientiam, ergo.

Probatur antecedens pro prima parte, quia actio supernaturalis transubstãtiationis tota est immediatè ab ipsis verbis, vbi minister nullam aliã operationem habet, nisi prolationem verborum, vt docet D. Thom. infrà quæst. 78. art. 1. ergo talis character etiam respectu transubstantiationis non habet rationem potentiæ actiuę.

Pro secunda etiam parte probatur, quia in actione productiua gratiæ Eucharistiæ solum se habet Sacerdos, vt applicans Sacramentum iam factum, & in illo non est necessarius simpliciter character ad effectum Sacramenti, sed solum ordinariè requiritur, vt legitimè fiat dispensatio: ergo respectu illius Sacramenti character ordinis, non habet rationem potẽtiæ actiuæ, neque respectu effectus eius.

Tertio arguitur. In charactere confirmationis, illud enim quod, §. designato per literam B. *Et incipit solum posset*, dicit de charactere Episcopali,

li, quasi paleam, & fœnum superfluũ relinquo, quia pertinet ad materiam de Sacramento ordinis, & quod dicit de charactere ordinis, quãdo simplex Sacerdos ex commissione Pontificis confirmat, pertinet ad materiam de Sacramento Confirmationis.

Est ergo argumentum tertium eiusmam character confirmationis, neque est potentia actiua, neque passiua: ergo.

Probatur, quod non sit passiua, quia talis character non est simpliciter necessarius, vt alia Sacramenta recipiantur valide, sed solum secundũ quandam rationem congruentię prærequiritur ante ordinem, & matrimonium: sequitur ergo, quod talis character non sit potentia physica passiua, quod verò non sit actiua probatur. Si esset potentia actiua maximè, quia est potestas spiritualis ad agendũ ea, quæ pertinent ad pugnam spiritualem cõtra hostes fidei, vt docet D. Thom. infrà qæst. 72. art. 5. sed ea sunt actiones sacræ fidei Charitatis, aut fortitudinis, & Religionis exterioris, qui ab internis eiusdem rationis procedunt, vel sunt auxilia gratiæ, quæ dantur ad huiusmodi actiones exercendas, ad has tamen actiones non est necessaria potestas actiua, quæ detur per Sacramentum Confirmationis: ergo.

Probatur minor, quia ad illas efficiendas sufficiunt potentiæ animę elevatæ habitibus, & auxiliis supernaturalibus: ergo non est necessarius character actiuus pro talibus actionibus.

Confirmatur, quia ab homine non confirmato efficiuntur etiam de lege ordinaria omnes illi actus fidei, &c. necessarij ad pugnam spiritualem: ergo character confirmationis non datur vt potentia simpliciter necessaria ad istos actus, sed solum vt aliquis illos efficiat, vt miles deputatus ex officio ad talem pugnam.

Ex quo infert Suar. characterem habere solum rationem potentiæ secundum moralem considerationem per modum signi ex diuina institutione ordinati ad hoc, vt qui illo insignitus fuerit aptus sit ex officio ad tale ministerium. Ex quo alia etiã infert pro sua sententia, & contra nostram. Videantur in illa, non enim difficultatem ingerunt aliquam præter explicatam in argumentis constitutis.

Quarto arguitur in fauorem eiusdem sententiæ: nam si character non esset in prima specie qualitatis maximè quia est principium operationum supernaturalium, non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiã, sed hæc ratio est nulla: ergo.

Probatur minor, quia habitus supernaturales, etiam sunt principia supernaturalium actionum quoad substantiam, & tamen ponuntur in prima specie qualitatis: ergo idem potest dici de charactere.

Quinto. Si character poneretur in specie potentiæ maximè propter rationem D. Thom. in argumẽto sed contra, quia scilicet habitus est principium determinatum ad benè, vel malè, character verò ad vtrunque se habet, quasi indifferens, seù abstrahens ab vtroque, sed hæc ratio est insufficiens: ergo.

Probatur minor, quia character procedit à Deo vt est author gratiæ: ergo ex natura sua est principium boni actus.

Probatur consequentia: quia vnũquodque, quod procedit à Deo vt est author gratiæ tendit determinatè in bonum, & odinatur in finem gratiæ.

Confirmatur, quia character est potentia instrumentalis Christi, sed actus instrumenti reducitur in causam principalem: ergo si causa principalis non potest concurrere ad actum malum, ita etiam neque instrumentalis, sed Christus Dominus non potest esse causa mali actus: ergo neque character.

Confirmatur secundo. Vt aliqua qualitas sit determinata ad bonum sufficit, quod erga propriam materiã

sit

sit determinata ad bonum, licet ab extrinseco possit ordinari in malũ, sed character Sacramentalis est huiusmodi: ergo ex propria natura est determinatus in bonũ. Maior patet in omnibus habitibus intellectualibus. Minor probatur. Character subiectatur in intellectu (vt docet D. Thom. art. 4. huius quæstionis solutione ad tertium) ergo vt sit determinatus ad bonum in propria materia sufficit, quod sit determinatus ad verum, sed ita est quod intrinsecè est determinatus ad verum, scilicet ad verè tradere, & accipere Sacramenta: ergo parũ refert quod hoc aliquando irreligiosè fiat, vt dicatur propterea esse qualitatem secundæ speciei.

Sexto probatur. Omnis potentia necessariò sequitur aliquã essentiã, vt illius proprietas, sed character nullã essentiam necessariò sequitur: ergo non est potentia.

Maior probatur, ex eo quod omnis potentia est quędam virtus essentię ad operandum vt proprietas illius (vt inductiuè ostẽditur facilè à quocunque.) Minor probatur: nam character cum sit forma supernaturalis non potest sequi essentiam naturalem animæ, neque etiam potest sequi essentiam supernaturalem habitus gratiæ, cum possit sine illa esse, & infundi à principio quando videlicet recipitur verum Sacramentum informe tamẽ: ergo character non est potentia.

Septimo, quia ex opposita sententia sequeretur ministrum esse causam principalem effectus Sacramentalis. Consequens est falsum: ergo.

Probatur sequela, quia illa est causa principalis, quę operatur per virtutem sibi inhęrentem; sed minister per characterem inhærentem, vt per potentiam, concurrit ad conficiendum corpus Christi in Eucharistia, & ad iustificandum hominem in Sacramẽto Pœnitentiæ: ergo est principalis causa gratiæ.

Vltimo, quia sequeretur poni directè in secũda specie qualitatis, quod est contra D. Thom. in præsenti, sicut in opposita sententia directè ponitur ab aliis in prima specie qualitatis; nec obstat esse potentiam instrumentalẽ, quia omnis potentia etiam naturalis est instrumentalis respectu agentis principalis, cuius est potentia, vt videre est in potentia calefactiua, & tamen directè ponitur in specie potentię: ergo idem est dicendum de charactere, vel quod non est potentia.

Pro resolutione sit prima conclusio. Character Sacramentalis per sè primo confertur homini, vt ipsum faciat aptum ad cultum diuinum dando, vel recipiendo. Secundo, ordinatur ad configurandum hominem cũ Christo. Vltimo tandẽ ad distinguendum illum ab aliis. Hæc cõclusio colligitur expressè, ex doctrina D. Tho. tàm in hoc articulo, quàm in præcedenti, nam in corpore huius articuli docet primam partem illius. dum docet, quod character importat potestatem spiritualem, ad ea quæ sunt diuini cultus.

In solutione ad primum videtur supponere characterem habere rationem figurę spiritualis, nam hoc supposito satisfacit argumento, quod nõ aliter est intelligẽdum, nisi quatenus configurat hominem Christianum cũ Christo: articulo verò præcedenti in solutione ad primum, & ad tertiũ docet vltimam partem: ad primũ enim concedit, quod character est signum distinctiuum, & quod homo distingui tur per illum ab aliis, non per deputationem ad gloriam, quia ad hoc sufficit prædestinatio Dei, sed per modũ deputati ad actus conuenientes præsenti Ecclesię: ad 3. etiam concedit, quod per characterem distinguntur fideles ab infidelibus, & quod Sacramenta nouæ legis ratione suæ excellentiæ habent virtutem ad causandũ illum: Sacramenta vero antiqua istã virtutem non habebant, & ideò sufficiebat illis corporalis quædam significatio.

Ad

Ad huius conclusionis plenam intelligentiam, placet explicare naturã omnium characterum, triplex nanque est numerus illorum, iuxta numerum Sacramentorũ, quos illa imprimunt, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, & ordo (vt dictum manet in præcedenti articulo) character Baptismalis habet rationem potentiæ passiuæ, qua homo fit aptus ad recipiendum alia Sacramenta dignè, & fructuosè, & sine illo est prorsus ineptus respectu receptionis aliorum. Character vero Confirmationis partim est potentia actiua, & partim passiua secundum rationem quandam congruentiæ, & ad benè esse: nam facit aptum secundum quandã congruentiam ad recipiendos ordines: actiua vero, quia reddit hominem aptum ad protestandam fidem, cum vigore, & ex officio. Vbi est aduertendum, quod iste character principaliter est potestas actiua, & non est æque principaliter passiua. Ratio est, quia sine illo tenent Sacramenta recepta, quod tamen nõ esset, si perse primo ordinatur ad illa Sacramenta recipienda, sicut quia character Baptismi perse primo ad id ordinatur, sine illo nullus potest validè alia Sacramenta recipere, ita vt teneãt Character ordinis est potestas omni ex parte actiua, quia ordinatur administranda Sacramenta aliis, & ad conficienda, & etiam ordinatur ad producendos effectus Sacramentorum, qui communi lege gratiæ fiunt. Etenim Sacerdos virtute characteris habet potestatem faciendi hominem filium Dei adoptiuum, dum in Sacramento Pœnitentiæ dicit. *Ego te absoluo*, & per eundem characterem concurrit actiuè ad consecrationem hostiæ.

Hoc supposito probatur prima pars conclusionis ratione facta à D. Tho. in primo articulo, quæ est quædam congruentia tantum: nam in omni Republica, qui ad aliquod munus deputantur signo aliquo consignari solent, sed qui recipiunt tria Sacramẽta (quæ dicimus characterem in primere) deputantur ad aliquid certum, pertinẽs ad cultum Dei, vel in se recipiendo aliquid, vel aliis tradendo aliquid: ergo aliquo characterе consignantur, qui deputet illos perse primò ad talẽ cultum, vel recipiendo Sacramentũ in se, vel dando aliis. Ex hoc autem primario effecto, sequitur secundus. Ratio est, quia cum potestas characteris sit quædam quasi participatio potestatis Christi, qui vt supremus Sacerdos habet super excellentem potestatem in omnia Sacramenta, & in effectus eorum; ideò character configurat nos Christo faciendo nos similiores illi, quam alij qui non habent characterem. Ex hoc ergo secundo, sequitur manifestè tertium, videlicet quod ratione istius spiritualis similitudinis Baptizati distinguntur à nõ Baptizatis, Cõfirmati à non Confirmatis, & Sacerdotes, aut alij Ministri ordinati, ab aliis qui sunt meri laici. Ex quo fit clara intelligentia illius, quod cõmuniter dicitur, scilicet characterem esse rem, & Sacramentum simul: quia character cum sit effectus Sacramenti, quod est signum externum est res Sacramenti: quia tamen est signum huius, quod est hominem esse Deo consecratum, & Christi militem, & etiam signum gratiæ; ideò vocatur, & est Sacramentum, atquè ita est res, & Sacramentum simul, signum verò exterius Sacramentum tãtum: gratia verò res Sacracramenti tantum.

Secunda conclusio. Character Sacramentalis est potentia physica actiua, vel passiua iuxta naturam cuiuscũque characteris, & consequenter in secunda specie qualitatis, & nõ in prima est collocandus. Hæc est communis sententia Thomistarum, & cõtra Modernos citatos, est etiam pro nobis Valentia tom. 4. disp. 3. sect. 2. punct. 3. & etiam sequuntur D. Tho. plures alij recentiores doctissimi.

Sit prima ratio nostræ conclusionis,

nis, quę habetur in argumento sed cõtra articuli: quia de ratione qualitatis, quæ est potentia phisica est, quod sit principium agendi, vel patiendi simpliciter abstrahendo à benè, vel malè, sed character Sacramentalis habet determinatam habitudinem principij cum indifferentia, & abstractione à benè, vel malè: ergo est potentia phisica.

Confirmatur, quia de ratione potẽtiæ phisicæ, est, quod posita illa possit sequi actus, & illa sublata non possit aliquo modo sequi: sed character se habet hoc modo: et enim posito charactere ordinis (verbi gratia) sic se habet, vt ad illum possit efficaciter sequi quicunque actus proprius ordinis, vt consecrare, & absoluere, & traditio Sacramentorũ alijs, & illo sublato vanè fiunt omnia illa, quæ sunt proprij actus charecteris ordinis: ergo habet rationem potentiæ.

Secundo de ratione intrinseca potentiæ phisicæ est, vt nõ possit intẽdi, sed character Sacerdotalis est huiusmodi: ergo. Probatur minor (nã maior exphisica est clara, & euidẽs) quãuis Sacerdos frequẽter vtatur suo charactere non proinde augetur, aut intenditur, & licet illo rarò vtatur, aut nunquam non ideò remittitur, aut diminuitur: ergo habet rationem potentiæ. Nec valet dicere, quod de potentia Dei absoluta potest intendi: nam tum id sine fundamento dicitur, tùm id non sufficit vt non sit potentia phisica, quia vt sic talis potentia sufficit, quod ex natura sua nõ sit intensibilis, aut remissibilis, sicut qualitas primæ speciei ex natura sua habet, quod possit intendi, & remitti.

Tertia ratio sit desumpta ex corpore articuli. Homo per characterem deputatur intrinsecè deputatione perficiente intrinsecè animam inordine ad ea, quæ sunt actus diuini cultus secundum Religionem Christianam, sed iste Diuinus cultus consistit formaliter in recipere, vel in dare, aut in dare, & recipere simul: ergo est potẽtia ad tales actus recipiendos, vel dandos. Probatur consequentia eleganter à Cajetano hic: quia perficere intrinsecè ad recipiendum, vel dandũ est tribuere perfectibili posse recipere, & dare, sed id quo aliquis est potens formaliter, est potentia: ergo character est spiritualis potentia, qua homo secundum animam constituitur potens recipere, & dare ea quæ sunt Christianæ Religioni propria. Nec valet dicere, quod hæc argumenta cõuincunt characterem habere rationẽ potentiæ moralis; non vero phisicæ; quia habitudo, quam habet quilibet character conuenit illi ex Christi institutione. Nam contra sic arguitur. Ex Christi Dõmini institutione habent Sacramenta esse causas phisicas gratiæ: quia ratione illius communicatur illis virtus phisica causatiua gratiæ (vt concedit ipse Suarez proprio loco) sed mediante eadem virtute phisica, Sacramenta imprimunt characterem: ergo est quid phisicum: ergo si est potentia, est phisica, & non moralis. Patet consequentia: quia causa phisico influxu operante, effectus phisicus, & non moralis tantum procedit, vt quilibet euidenter conspicit, quia etiam si non sit effectus primarius, sed secundarius, & minus principalis, tamen cum procedat per influxum phisicum debet participare esse phisicum à tali causa vt phisicè operante. Deinde: quia ratio tertia, quæ est D. Thom. in corpore, vt à me formata conuincit characterẽ esse perfectionem phisicam, cũ intrinsecè perficiat animam, quod etiam probat locus Dionisij explicatus à nobis in cõmentario articuli: ergo inanis est talis euasio. Item *verbum imprimi*, quo vtuntur Concilia (vt supra notauimus in præcedenti articulo) sonat characterẽ esse effectũ phisicum, & realẽ, vndè quidquid habet potentiæ debet esse in genere phisico, atquè ita magis ad men-

mentem Conciliorum est nostra sententia, quæ est D. Thom. conclusio.

Vltimo: nam non implicat contradictionem, quod Deus producat qualitates supernaturales, quæ sint ex sua natura potentiæ ad actus supernaturales Christianę Religionis proprios, quibus Deus in tali Religione colitur verò cultu Deo debito: ergo non est ratio cogens, vt dicamus de facto ita Deum non producere characteres Sacramentales, sed potius cum melius, & conuenientius explicetur, & intelligatur munus characteris in modo defendendi nostram sententiam, dicendum est cum Doctore Sancto de facto Deum mediis Sacramentis imprimentibus characterem producere qualitatem supernaturalem, quæ sit potentia quædam phisica supernaturalis ad actus cultus diuini incompleta, & instrumentalis, sicut eam constituit D. Thom. in charactere.

His rationibus conuincitur secundariò characterem, non esse in prima specie qualitatis. Prima tamen ratio D. Thom. potest sic formari pro ista parte: nam prima species qualitatis determinatè respicit bonum, aut malum, sed character (vt probatum est) dicit in differentiam ad bonũ, & malum: ergo non est prima species qualitatis; maior est certa, quia habitu virtutis nullus potest vti, nisi benè, sicut neque habitu vitioso potest quis vti, nisi malè: quia potentia vtitur habitu secundum suam determinatam rationem boni, aut mali. Vndè totus discursus clarus relinquitur, quod vero non sit in prima specie, tanquam dispositio etiam patet, tùm ratione iam facta: quia cum qualitas illa sit medium inter potentiam, & actum non potest habere eandem vniuersalitatem, neque abstractionem in ratione principij, vndè etiam determinatè est ad bonũ, vel ad malum, tùm etiam quia dispositio ex natura sua est facilè mobilis à subiecto; character verò ex natura sua immobilis: vndè etiam reperitur in via in Hæreticis, & in alia vita in damnatis: ergo character nõ est in prima specie qualitatis, tanquam dispositio. Nec valet dicere, quod character est habitus nõ operatiuus, sed quo benè se habet anima secundum se ipsam, vt dicit Suarez, & etiam Vazq. Non inquam, valet hoc, quoniam rationes factæ probant characterem esse qualitatem operatiuam, vel receptiuam operationis ad cultum Dei pertinentis, quod indicat satis clarè Dionisius in loco citato à D. Th. in corpore articuli, & explicato â nobis in Commentario literæ ait enim, quòd homo per characterem (quem intelligit Dionisius, dũ ait: *Quod Deus in quodam signo*) perficitur diuinus, quia efficitur capax ad receptionem Sacramentorum, & efficitur communicator diuinorum, scilicet traditor ipsorum Sacramentorũ: primum efficitur per characterẽ Baptismi, secũdũ per characterẽ Ordinis.

His ergo suppositis probationibus nostrę sententię: Opportet soluere argumenta, ostendendo quàm leuiter conuictus fuerit Suar. vt à sententia D. Th. recederet, nec credo ipsum nõ posse soluere rationes â se factas, sed quod volũtariè illud addidit ne videretur pro sua libera volũtate tãtũ, & vt sibi cõsuleret relinquere D. Tho.

Ad primum ergo respondetur, negando antecedens, dicimus enim, quod character Baptismi est potentia passiua: Ad probationẽ in contra distinguo maiorem dupliciter: primò iuxta solutionẽ modo cõmunẽ inter Thomistas: potẽtia passiua principalis, & in principali agẽte residẽs, concedo maiorẽ; talis enim est receptiua alicuius actus in se ipsa, per quẽ actuatur; potentia verò instrumẽtalis purè, & quę non residet in agente principali, nego maiorem, talis enim nullius actus est receptiua in se ipsa, sed sufficit ad rationem potentiæ phisicæ passiuæ, quod disponat subiectum in quo

est, vt modo quasi connaturali recipiat aliquem actum in se ipso, & talis est character Baptismi, dicitur enim & est verè, & propria potentia passiua phisica, instrumentalis tamen, non quia in se possit recipere aliquem actum supernaturalem, sed quia disponit hominem, vt possit recipere alia Sacramenta, & suos effectus, tanquam subiectum aptum, & idoneum connaturaliter. Vndè admissa maiori in sensu explicato, nego consequentiam.

Ad probationem minoris ibi positam patet ex dictis, quo modo character est potentia passiua phisica, & ad Sacramenta, & ad effectus Sacramentorum, ad quod non inconuenit Sacramenta recipi immediatè in corpore: quia cum Sacramentum receptum in corpore immediatè immutet ratione suæ virtutis totum hominem, etiam quantum ad animam, & potentias eius, non potest homo esse aptus ad illa valide, & verè recipienda in ratione Sacramenti propria, nisi sit supernaturaliter dispositus in anima. Et per hæc patet ad totum argumentum: nam ad secundam partem antecedẽtis, quæ probatur dico, quod anima non est capax recipiendi gratiam Sacramentalem, vt sic, nisi medio charactere. Loquor de capacitate proxima respectu gratiæ aliorum Sacramentorum, Baptismi autem sufficit sit simul, & concomittanter necessariò supposita institutione, neque etiam est capax recipiendi proximè alium characterem, nisi disponatur per characterẽ, Baptismi per illum enim fit capax proximè, vt connaturaliter recipiat gratiam Sacramentalem, & characterem aliorum Sacramentorum. Secundo distinguo maiorem, vt quo, vel vt quod admitto maiorem, vt quod determinatè, nego maiorẽ, & distinguo minorem, vt quo, nego minorem, vt quod transeat minor, & nego consequentiam, quia vt character sit potentia passiua phisica sufficit, quod se habeat, vt rario quare homo recipiat alia Sacramenta, & proprios eius effectus. Exemplum sit in quantitate, quæ habet rationem potentiæ passiuæ phisicæ respectu omnium accidentiũ materialium, & tamen non recipit illa in se ipsa, sed solum est id quo substantia materialis est capax ad recipiẽdum illa. Idem inuenies in vna passione respectu alterius, quod ergo naturaliter contingit in his rebus, quæ sunt potẽtiæ principales, quare supernaturaliter negabit Suar. fieri in charactere, qui tantum est potentia instrumentalis pura? (vt dixi in prima solutione communi.)

Ad secundum argumentum concedo, quod character Ordinis non habet rationem potentiæ passiuę, habet tamen rationem potentiæ actiuæ.

Ad impugnationem huius dico, quod character Sacerdotalis habet rationem potentiæ actiuæ ad omnia, quæ in argumento ponuntur. Ad illud quod obiicitur de charactere dato per ordines inferiores dico, quod ille non habet rationem potentiæ simpliciter necessarię ad actiones ad quas ordinatur, scilicet ad actus ministrandi ad altere, sed solum datur per modum potestatis necessariè, vt illi actus fiant solemniter ab aliquo, tanquam à deputato ex officio, quia sine characteribus illorum Ordinũ possunt fieri tales actus quoad substantiam. Vndè quandò dicitur à Theologis, quod per Sacramentum Ordinis datur homini potestas conficiendi, & ministrandi Sacramenta debet intelligi, nõ de omni ordine, sed de Sacerdotio.

Ad huius improbationem respondetur, distinguo maiorem, consistunt in actione sensibili vtcũque, nego maiorem, in actione sensibili, vt simul cũ determinatione formæ, & eius significationis supernaturalis efficitur vnũ compositum artificiale supernaturale (vt ipse Suar. concedit sup. quæst. 60.) concedo maiorem, & tunc distinguo minorem, ad omnem actionem sen-

sensibilem materialiter consideratam transeat minor, formaliter vt Sacramentalis est modo exposito, nego minorem. Itaque in substantia est dicendum, quod nisi homo sit elevatus supernaturaliter per characterem Sacerdotalem, quamuis proferat verba consecrationis, vel absolutionis, & faciat aliam actionem sensibilem pertinentem ad substantiam alicuius Sacramenti non efficit Sacramentum formaliter in quantum Sacramentum est.

Ad secundam partem argumenti, in qua probatur talem characterem non esse potentiam physicam actiuam respectu effectuum Sacramentorum, nego hoc.

Ad probationem concessa maiori, nego minorem, ad cuius probationem dico, quod est potentia actiua, propter actionem, quæ est confectio Sacramenti, & etiam effectio gratiæ suo modo iuxta naturam cuiuscunque Sacramenti, & talis actio est connaturalis ipsi characteri.

Ad probationem in contra, nego antecedens, & ad probationem, nego etiam antecedens, imò fictitium est negare, quod minister Sacramenti Pœnitentiæ, & Sacerdos, quandò confert Sacramentum Baptismi, non concurrat instrumentaliter ad gratiam Sacramentalem illorum Sacramentorum, cum verba formæ, quæ profert minister significent remissionem peccati, & sanctificationem per gratiam fieri ab ipsa: hoc enim significat verbum *absolvo*, & verbum *baptizo*. Vndè dico, quod ex Sacramento, & ministro efficitur vnum integrum instrumentum Dei causatiuum gratiæ.

Ad confirmationem, quæ procedit contra istam solutionem, transeat antecedens, & nego consequentiam, quia quandò minister Baptismi non est Sacerdos, ex defectu characteris solum habet applicare Sacramentum ad gratiam causandam, quia ipsum Sacramentum virtute elevationis diuinæ concurrit, tunc quasi integrum instrumentum, eo quod propter maximam necessitatem illius potest in casu necessitatis confici à non habente characterem aliquem, & ideò tunc assumitur à Deo, vt integrum instrumentum: hoc tamen non contingit in aliis casibus ordinariis, in quibus illud Sacramentum datur, & conficitur à Sacerdote.

Secundo respondetur, cum Magistro Nuño, quod etiam in illo casu Baptizans simul cum Sacramento elevatur ad gratiam causandam, aliter tamen, quam in casu ordinario, in quo habens characterem, ministrat tale Sacramentum: nam in primo casu solum minister est instrumentum ratione elevationis, in secundo verò ratione illius, & potentiæ instrumentariæ, cui debetur talis elevatio. Vndè meo videri est dicendum, quod minister Baptismi ex charactere Sacerdotali supposita institutione præsenti ordinis gratiæ est instrumentum connaturale, quia habet potentiam supernaturalem actiuam, cui connaturaliter debetur elevatio actualis ad gratiam Sacramentalem, in altero vero casu solum est instrumentum ratione obedientiæ, & virtutis elevantis, quasi gratis collatæ, quia non est debita illi.

Ad vltimam partem argumenti, in qua probatur idem respectu Eucharistiæ.

Respondetur characterem Sacerdotalem esse potentiam actiuam respectu ipsius transubstantiationis, & confectionis Sacramenti, & simul respectu gratiæ Sacramentalis.

Ad probationem in contra. Dico, quod actio trâ substãtiationis est à solis verbis cõsecrationis, quatenus proferũtur à Sacerdote habẽte characterẽ cum intentione conficiendi hoc Sacramentum; non tamen à verbis à quo-

quocunque prolatis, vt patet secundum fidem, non enim alter, quam Sacerdos, etiam si dicat illa verba conficit Eucharistiam: signum ergo est, quod character Sacerdotalis requiritur, vt potentia simpliciter necessaria ad transubstantiandum panem in corpus Christi. Nec D. Thom. vbi citatur à Suarez, dicit oppositum, sed hoc idem vt patebit legenti, vndè vanè adducitur ab illo in fauorem sui intenti. Certè vt ignaros: & non legentes ipsum Sanctum Doctorem in suam falsam sententiam decipiat.

Ad alteram probationem respectu actionis productiuæ gratiæ. Dico, quod proximè, & immediatè Sacerdos in Eucharistia solum concurrit vt applicans; cæterum remote etiam physicè attingit productionem gratiæ illius Sacramenti: quia concurrit proximè ad confectionem Eucharistiæ in ordine ad talem effectum causandum in suscipiente, qui nullatenus causaretur, nisi in Eucharistia iam esset Sacramentum factum ex vi characteris.

Ad tertium respondetur characterem Confirmationis esse potentiam passiuam secundum quandam congruitatem ex dispositione Dei ad Sacramentum Ordinis, & ad matrimonium in ratione Sacramenti recipiendum, esse verò potentiam actiuam simpliciter ad protestandam fidem fortiter, & modo connaturali coram inimicis Christianæ Religionis, tanquam miles deputatus ex officio ad talè protestationem faciendam, & ad isto modo protestandum fidem, & alias actiones exercendas ad hunc finem necessarias non sufficiunt potentiæ animæ eleuatæ per virtutes supernaturales. Concessa ergo maiori argumenti modo explicato, negatur minor, ad cuius probationem, distinguo antecedens: ad illas actiones vtcunque faciendas transeat antecedens; modo connaturali, & ita fortiter, & tanquam miles ad id deputatus, nego antecedens, & nego consequentiam.

Ad confirmationem patet ex dictis. Nec valet dicere cum Suarez, quod efficere illas actiones per modum militis deputati arguit solum potentiam præsuppositam esse moralem. Non, inquam, valet hoc, nam nos dicimus, quod hæc deputatio est per intrinsecam perfectionem, & non per extrinsecam denominationem, sicut contingit in milite humano. Vndè illa intrinseca perfectio debet esse qualitas physica, & cum ordinet ad operationes dictas eliciendas debet esse actiua, atquè ita potentia.

Et si dicas, qui non est confirmatus potest habere fidem magis intensam, quam confirmatus, & habere ocasionem, vt teneatur confiteri illam coram inimicis Christi: ergo poterit per illam fidem, & auxilium illi proportionatum ita firmiter protestari fidem, & cum tam intenso conatu.

Respondetur, quod licet materialiter, & quoad intensionem possit esse protestatio illa ita perfecta, & firma, sicut quæ procedit à Confirmato, imò fortè aliquando poterit esse maior, tamen formaliter semper illa firmitas est alterius rationis excellentioris in Confirmato, quàm in alio, quia est firmitas fundata non solum in ipso habitu fidei, sed in charactere Sacramenti, & in auxilio sibi debito, quod semper est perfectius quolibet alio, quia est auxilium debitum ex vi Sacramenti prius recepti. Vndè ordinatur ad excellentissimum finem, qui non tantum est propria salus, sed etiam bonum commune Religionis fidei illæsum conseruare, & propter istã rationẽ videtur certe mihi sub lapsus cẽsura sempercorrespõdere maiorẽ firmitatẽ, etiã in ipso modo protendi

tendi fidem confessioni Confirmati, quam non Confirmati. De hoc autem videatur D. Thom. infrà loco citato in argumento, & ibi Interpretes, qui ex professo id agunt.

Si verò quis adhuc insistat, & inquirat in quo consistat illa maior firmitas, siquidem potest etiam non Baptizatus esse ita firmus in sua confessione, vt vitam amittat libenter.

Ad hoc potest dici, quod illa maior firmitas consistit in hoc, quod per se ex natura rei habet illam confessio, quæ fit à Confirmato, quia participat illam ex propria causa supernaturali, quæ est character Confirmationis, & auxilium fortius ipsi debitum ad actualem operationem, quod non habet alia confessio: vnde solum ex aliquo accidenti potest habere illam firmitatem æqualem adhuc materialiter.

Ad quod melius capiendum reuocandum est in memoriam, id quod supra dixi de perfectione gratiæ Sacramentalis vt sic, in qua semper excedit gratiam gratum facientem non Sacramentalem.

Secundò, potest ad replicam principalem dici, quod quamuis illud contingere possit, tamen in modo protestationis est maxima differentia consistens in hoc, quod in Confirmato fit modo, quasi connaturali, quia supponit potentiam ordinatam ad actum cum illa firmitate in tali circunstantia, quo modo nunquam fit ab homine non confirmato.

Ad quartum respondetur: primò rationem positam in illo non esse, qua nos vsi sumus ad probandum nostrã conclusionem, sed quia characternõ determinat ad benè, neque ad malè, quod pertinet ad primam speciem qualitatis, per quod primò, & per sè differt prima species à secunda specie qualitatis. De quo videndus est D. Thom. 1. 2. quæstion. 49. articul. 2. prope finem corporis. Vnde fundamentum argumenti non stat.

Secundo admissa maiori, negatur minor. Ad cuius probationem distinguo maiorem, quoad substantiam specificam, concedo maiorem, quoad substantiam etiam genericam, nego maiorem. & concessa minori, negatur consequentia. Ratio diuersitatis consistit in hoc, quod habitus supernaturales præsupponunt potentiam actiuam, simpliciter in ordine ad rationem communem saltim analogam: fides enim supponit intellectum in ratione potentiæ actiuæ simpliciter respectu intellectionis absolutè cuiuscunque entis in ratione entis, secundumquam rationem actus fidei conuenit cum aliis intellectionibus particularibus aliorum obiectorum, & etiam ipsius Dei, quatenus naturaliter est cognoscibilis, & ita aliquo modo determinat vniuersalitatem potentiæ actiuę respectu obiecti particularis; at character nullo modo præsupponit potentiam actiuam respectu consecrationis, aut absolutionis Sacramentalis, etiam secundum aliquam rationem communem analogam in tali ratione consecrationis, aut absolutionis, & ita est totaliter principium illarum operationum, etiam quoad substantiam earum quocumque modo consideratam.

Tertio potest dici, quod illi habitus non solum determinãt ad substantiam, sed simul ad modum faciliter, & delectabiliter operandi, imò etiam ad benè, quia quantum est ex parte sui sunt principium actus meritorij, & virtutis (vt in propria materia dicitur) at character nullo modo ex parte sui determinat ad modum, nec ad benè, & ita præcisè est principium quoad substantiam simpliciter, & propterea tantum potest poni in specie potentiæ.

Ad quintum concessa maiori negat-

tur minor: ad cuius probationem admisso antecedenti, negatur consequentia: ad cuius probationem distinguo antecedens: si illud, quod procedit à Deo authore gratiæ procedat ab illo per modum formæ participatis perfectè habitudinem Dei, vt respicit finem gratiæ, concedo antecedens: si verò procedat tanquam forma imperfecta participans talem habitudinem, nego antecedens, & nego consequentiam, quia character procedit à Deo, vt quid imperfectũ, & consequenter vt imperfectè participans habitudinem Dei, vt est author gratiæ, & cultus Sacramentalis: vndè solum participat habitudinem ad actum diuini cultus, qui est bonus ex genere suo, & ex obiecto in genere naturæ consideratus; non tamen tendit ad illum, quatenus determinatè est bonus; sed potius sistit in illa substantia actus, quæ vt sic potest habere bonitatem, & malitiam ex bono, vel malo vsu operantis.

Hæc solutio sub ista formalitate assignata mihi videtur bona, quia aliis attentè inspectis multa contra illas mihi se offerebant, quæ tamen contra istam non militant. Legat illas in Nuño, & Cabrera. Ingeniosus discipulus, & ita inueniet cum ponãt prædicti authores characterem inclinantem ex se ad actum bonum, licet quatenus est in subiecto possit esse principium actus mali, cuius malitia solum ex subiecto desumitur.

Contra hoc hac vnica ratione insurgo. Character recipitur in anima secundum suam formalem rationẽ, secundumquam procedit à Deo, vt est author gratiæ; sed vt sic determinatè respicit bonum licet imperfectè: ergo saltim imperfectè participat rationem formalem primæ speciei qualitatis, quæ est inclinatio determinata ad bonum. Certe hæc ratio ingens est meo videri ad probandum magis conforme veritati D. Thom. esse asserere characterem non inclinare ex vi sua ad actum bonum, vt bonus est formaliter, sed solum ad actum, qui bonus est materialiter; modo explicato: sic enim melius apparet abstractio inclinationis characteris à bono, & malo.

Etsi dicas: ergo quando quis exercet actum ordinis irreligiosè, illa irreligiositas potest refundi in ipsum characterem, & consequenter in ipsum Deũ: consequens est falsum: ergo. Sequela probatur, quia character æquè primo abstrahit à malo, & à bono: (vt dictum est) ergo sicut bonitas refunditur in ipsum characterem, ita & malitia.

Respondetur vtramque rationem proximè conuenire actui ordinis ex intentione operantis, radicaliter verò comparatur ad characterem tanquam ad principium determinans ad substantiam, in differens tamen ad bonum, & ad malum, fatendum tamen est bonitatem speciali ratione posse refundi in ipsum characterem, quatenus est magis conformis suę naturæ, quatenus vt procedit à Deo authore gratiæ magis tendebat ad bonum, quam ad malum, ita vt si esset participatio adæquata habitudinis, quam importat Deus, vt author Sacramentorum, esset determinata habitudo ad bonum, & nullo modo in differens ad malum. Hæc autem replica, cui modo satisfeci etiam currit contra communem solutionẽ, quatenus necessariò ponit aliquam in differentiam in charactere ad bonum, & ad malum.

Ad confirmationem primam respondetur distinguendo maiorẽ: respectu operationis, quatenus adæquatè inspicitur à Christo, nego maiorem, respectu operationis inadæquatè, concedo maiorem, & tunc cõcessa minori, concedo etiam consequentiam primam, & tunc distinguo vltimum consequens, ita vt determinatè concurrat vt principium actuum malitiæ, concedo consequentiam, ita

ita vt concurrat ad substantiam, cui annectitur malitia ex malo vsu operantis, nego consequentiam. Ex hoc autem non licet inferre, quod determinatè inclinet in bonum actū, sed quod non inclinare possit ad malum, (& vt vnico verbo quid sētiam dicā) probat argumētum, quod character, eo quòd est instrumentalis potestas in ordine ad Christum repugnat inclinatio in malum: non tamē quod necessariò conueniat determinata inclinatio ad bonum, vt bonum formaliter, quia non participat virtutem Christi agentis principalis adæquatè vt ordinatur ad substantiam actus diuini cultus, & ad bonum actus, quia quantum ad hunc subditur libero arbitrio operantis.

Ad secundam confirmationem concessa maiori, negatur minor. Ad probationem respondetur, quod character subiectatur in intellectu practico; & non in intellectu speculatiuo, & tunc distinguo consequens, quod sit determinatus ad verū practicum, quatenus includit aliquid boni moralis, concedo consequentiam, ad verum speculatiuum purum, nego consequentiam, & ad minorem subsumptam nego, quod sit determinatus character ad verum practicum explicatum; sed solum ad verum speculatiuum. Ratio huius solutionis, quia character (vt ex doctrina D. Th. in his articulis 1. & 2. patet) disponit hominem ordinādo illū ad cultū diuinum exhibitum in confectione Sacramentorum, receptione, & traditione illorum: iste autem cultus intrinsecè includit actiones Religionis. Vnde vt character determinet ad bonum in tali materia cultus, non sufficit quod inclinet ad actiones, quæ includant in sua substantia veritatem cultus speculatiuam consistentem in illo, quod ponitur in argumēto, sed vlterius, quod includant veritatem practicam diuini cultus consistentem in hoc, quod tales actiones religiosè fiant: quia ergo character non determinat ad istum cultum secundum istum modum; ideò est indifferens in propria materia ad bonū, & malum.

Et si obiicias, quia actus in quos ordinantur scientia, & ars boni possunt esse, & mali, & tamen huiusmodi qualitates sunt habitus primæ speciei: ergo idem hic.

Respondetur facile, negando cōsequentiam. Ratio disparitatis est: nā scientia, & ars nullo modo respiciūt proprios actus, vt sunt capaces bonitatis, aut malitiæ moralis, sed solum in quantum bonitas illorum propria est pertinens ad veritatem, quæ est præcisè obiectum intellectus, scientia veritatem speculatiuam, ars practicam, tamen quæ nullo modo pertinet ad voluntatem, vt sequitur regulas moris, quare bonitas, & malitia moralis, quæ in illis actibus accidere potest totaliter est extrinseca ad materiā, & obiectum alterius rationis. Cæterum actus, in quos ordinatur character præcisè possunt habere bonitatem moralem pertinentem ad virtutem Religionis, quæ etiam habet elicere actus intellectus practici ad cultum Dei ordinatos. Vndè, quia character non determinatur ex natura sua ad istam bonitatem, sed potius possunt actus ex illo procedentes esse boni, & mali; ideò ipse character ponitur principium indifferens.

Sed contra est argumentū aduersariorum: quia ex ista solutione videtur sequi characterem esse habitum, quod probo: quia respicit actum, qui ex proprio obiecto includit bonitatem aliquam moralem: ergo iam determinatur ad bonum. Antecedens patet: nam actus characteris habet pro obiecto cultum, & reuerentiam Dei; sed istud obiectum est intrinsecè bonum: ergo respicit actum bonū ex obiecto, & consequenter determinat ad bonum morale.

Res-

Respondetur, hoc argumento potius nostram doctrinam confirmari: nam vt aliqua qualitas sit habitus requiritur, quod inclinet ad actus bonos simpliciter, & absolutè tribuendo potentiæ actiuitatem completam ad actus sub illa bonitate exercēdos: character verò solum inclinat ad actum, qui ex obiecto est bonus, non verò quatenus absolutè est bonus, sed potius sistit in substantia actus, quatenus vt sic est capax recipiendi bonitatem ex imperio religionis, & malitiā ex prauo vsu operantis, quia quamuis obiectum actuum characteris sit obiectum religionis, aut fidei, tamen solum sunt à virtute Religionis actus illi (verbi gratia) administratio, & susceptio, aut confectio Sacramentorū, quandò sunt boni bonitate absoluta, quæ desumitur, non tantum ex obiecto, sed etiam ex omnibus circunstantiis, quare quandè aliqua circunstantia deficit, & vitiantur ex illa, nullo modo sunt ex virtute Religionis, quia illa est virtus tendens in honestatem absolutam actus, sunt tamen simpliciter à charactere.

Ex quo sequitur euidenter ipsum non esse determinatum ad bonum, aut malum, sed potius indifferentem, atque adeò esse potentiam, & non habitum. In forma ergo respondetur distinguendo illam propositionem, qua sequela probatur. Respicit actum qui ex obiecto est bonus, formaliter vt bonus est, nego, materialiter, & quantum ad substantiam, concedo, & nego consequentiam propter rationem assignatam. Sed dices: Habitus fidei ex propria ratione est habitus, & tamen potest homo benè, vel malè vti illo, vtpotè si vellit credere propter vanam gloriam: ergo non obstāte, quod charactere possit quis vti benè, vel malè erit habitus. Consequentia ex paritate rationis probatur, & non aliter. Minor supponitur ex 2.2. quæst. 4. artic. 5. Vbi Theologi aliqui de difficultate ibi inclusa disputant, alij verò quęstio. 5. art. 2.

Respondetur tamen, quod admissa illa minori, quia in locis citatis, & in 1.2. quęstion. 55. art. 5. multi Theologi admittunt posse contingere, quod habitus fidei, siuè informis, siuè formatæ habitualitèr potest esse principium actus, qui sit peccatum veniale ratione prauæ intentionis volūtatis operantis.

Respondetur, inquam, illa sentētia admissa (aliqui nanque oppositum docent, quia est contra rationem virtutis esse principium mali actus) distinguendo minorem: potest malè vti aliquis fide ex defectu ipsius virtutis nego minorem, ex prava ordinatione operantis, ex qua actus virtutis ordinatur ad alium finem extrinsecum, concedo minorem, & negatur consequentia, quia quod aliquis possit vti malè charactere prouenit ex defectu ipsius, scilicèt ex imperfectione eius, quia eo quod est imperfecta participatio potestatis Christi in quantū author gratiæ Sacramentalis, & Sacramentorum, non est determinata inclinatio potentiæ ad bonum (sicut iam dictum est.)

Secundo potest dici, quod fide nullus potest malè vti in ordine ad proprium finem talis virtutis, & sic non potest vti illa vt principio mali actus, potest tamen malè vti illa, ideſt malè ordinare actum ipsius bonum ex obiecto, & fine proprio, vt procedit abipso habitu ordinando illum ex prava ipsius intentione ad alium finem extrinsecum. Ita docet Caietan, in loco citat. 1.2. in secunda expositione propositionis, quam nos explicamus; at charactere potest quis malè vti in ordine ad proprium finem, qui est cultus Dei exhibendus in receptione, & administratione, seù confectione Sacramentorum faciendo ipsum cultū in propria ratione cultus esse malum, quia deficit ei proprius finis Religionis ex parte characteris, quia non deter-

determinat perfecte ad illum.

Et si dicas: ergo concurrit ad malitiam, quod est falsum propter rationem factam supra in confirmatione prima quinti argumenti, quia scilicet concurrit vt instrumentum Christi.

Respõdetur, ex ea parte qua subordinatur potentiæ transeat, ex ea parte qua subordinatur Christo nego: sic enim solum comparatur ad substantiam actus (vt dictum est in solutione ad præfatam confirmationem:) ita enim dicitur de intellectu creato, & de voluntate, quod vt procedunt à Deo non ordinantur in bonum tantũ apparens, & in verum tantum apparens, sed potius in bonum, & in verũ, quod re vera est tale: tamen vt procedit à creatura, & recipitur in creatura defectibili ordinantur in malum, & in falsum.

Ad sextum distinguo maiorem, potentia quæ habet rationẽ proprietatis naturalis, & directè ponitur in specie, & prædicamento, concedo maiorem: potentia quæ superuenit ab extrinseco rei constitutæ iam in suo esse perfecto ei debito, & quæ tãtum est instrumentalis, ponitur què proinde in prædicamento, & specie reductiuè, nego maiorem, talis autẽ est potentia characteris. Vndè, nego consequentiam admissa minori.

Secundo poterat dici, quod sequitur non essentiam naturalem rei, neque essentiam gratiæ, sed sequitur essentiam veri Sacramenti vt verum recepti in facto esse in homine.

Ad septimum negatur sequela. Ad probationem distinguo maiorem si virtus inhærens sit completa directè posita in prædicamento, & in aliqua specie concedo maiorem, si verò sit virtus incompleta, & reductiuè posita in prædicamento, nego maiorem, & quia talis imperfecta potentia est character; ideò non ponitur, vt principium potens constituere causam principalem rem cui in est.

Hæc solutio patet in instrumentis artis, quæ habent aliquam potentiam actiuam respectu effectus artificiosi, & tamen non constituuntur in ratione causæ principalis per illam, quia est actiuitas incompleta.

Ad octauum negatur sequela. Ratio est, quia character est pura potentia instrumentalis, non habens rationem principij principalis respectu alicuius effectus, neque est simile exemplum allatum de potentiis naturalibus, quoniam illæ licet sint instrumẽtales respectu effectus principalis agentis, in quo residentà natura, tamẽ respectu effectuum sibi correspondẽtium secundum proportionẽ ad propriam actiuitatem sunt causæ principales, vt patet in potentia calefactiua ignis, quę licet sit instrumentalis respectu generationis ignis, tamen respectu caloris producti antecedenter est causa principalis, quia assimilat sibi calidum in proprio esse, & in propria virtute, & præterea sunt directè in prædicamento, & in specie potentiæ.

Hæc de hoc dubio pro viribus elaborato, quia licet aliquia alia argumẽta possem adducere, tamen sunt leuia respectu positorum, & quæ ex doctrina tradita à nobis in solutionibus argumentorum hic constitutorum, facilè possunt dissolui.

ARTICVLVS III.

Vtrùm character Sacramentalis sit character Christi?

CONclusio D. Thom. propẽ finem corporis articuli talis est. Character Sacramentalis specialiter est character Christi. Ratio huius est, quia homo fidelis per characterem deputatur ad recipiendum, vel tradendum ea, quæ sunt cultus Dei, sed totus cultus Christianę Religionis deriuatur à Sacerdotio Christi: ergo character est quædam participatio Sacerdotij Christi

Christi ab illo deriuatus, & ideò per illum quilibet fidelis configuratur Sacerdotio ipsius Christi.

Pro conclusionis istius intelligentia est obseruandum, quod vt ex ratione patet, nomine characteris Christi non intelligitur aliquis character, quam habuerit Christus, sed potestas excellentiæ, quam Christus in quantum homo habuit, per quam fuit Summus Sacerdos, & author Sacramẽtorum, & institutor Christianæ Religionis: hæc enim potestas intelligitur per Sacerdotium Christi, quia per illam constitutus est Summus Pontifex, & institutor totius Christianæ Religionis, per quam operatus est, & modo operatur in quantum instrumentum totius diuinitatis quidquid Sacerdotes faciunt mediis suis characteribus, & per quam potuit protestari fidem illam docendo coram inimicis, defendendoque à calumniis omniũ calumniantium eam moti ex inuidia contra ipsum, qualiter Iudęi incredu li fuerunt. Secundo est obseruãdum, quod huic potestati assimilantur fideles per characterẽ, quia eius est quædam imperfecta participatio consignans, & configurans suscipientes ipsi Christo in tali potestate, quatenus per characterem Sacramentalem ordinantur ad actus Christianæ Religionis exercẽdos, similes illis, quos Christus per suam excellentiæ potestatẽ exercuit. Et hæc de hoc articulo. Videantur Intrepretes.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm character sit in potentiis animæ, sicut in subiecto?

CONclusio. Character non est in essentia animæ sicut in subiecto, sed in eius potẽtiis. Ratio est: quia character ordinat hominem ad ea, quę sunt diuini cultus, sed ea sunt actus quidã, vel recepti, vel traditi: ergo character subiectatur in potentia animæ. Patet consequentia, quia potentia est, quæ ordinatur ad actus propriè loquendo, & immediatè, sicut essentia animæ ordinatur ad esse.

Secunda conclusio in solutione ad tertium: character est in potentia cognoscitiua animæ, in qua est fides. Ratio, quia diuinus cultus, adquem ordinatur character est quædam protestatio fidei per exteriora signa: ergo esse debet in eodem subiecto, in quo est habitus fidei.

DVBIVM GRAVE EST.

Vtrùm character subiectetur immediatè in intellectu, an vero in anima, aut alia eius potentia?

RElictis aliquibus sententiis nimis à veritate alienis, quas hic referunt Moderni, & antiqui Interpretes D. Thom. & impugnant. Prima sententia est, quam tenet Scotus in 4. distin. 6. quæst. 11. asserens, quod character subiectatur immediatè in voluntate, & non in intellectu.

Fundamentum eius est, quia character est dispositio ad gratiam, sed gratia subiectatur in voluntate: ergo & character. Maior probatur, quia dispositio ad aliquam perfectionem debet esse in eodem subiecto, in quo est illa perfectio. Minor probatur, quia gratia est idem habitus cum charitate.

Confirmatur, quia character est prima radix obligationis Christianæ, sed hæc proximè pertinet ad voluntatem, & non ad intellectum: ergo character pertinet ad voluntatem.

Confirmatur secũdo à nobis, quia Religio pertinet ad voluntatem, & non ad intellectum, sed character ordinatur perse ad aliquos actus Religionis: ergo pertinet ad voluntatem. Maior supponitur ex proprio loco, quia actus proprius Religionis versa-

tur

tur circa obiectum voluntatis scilicet circa bonum Dei, cum exhibeat Deo reuerentiam debitam; & ideò pertinere debet ad illam potentiam, cuius obiectum est bonum: ergo cum character respiciat idem obiectum scilicet cultum Dei, ad eandem potentiã debet pertinere, & consequenter nõ ad intellectum.

Secunda sententia est, quam tenuit Marsilius in 4. quæst. 4. art. 1. qui docet characterem immediatè subiectari in essentia animæ.

Probatur primo hæc sententia ex Concilijs supra citatis, quæ vno ore dicunt characterem imprimi in anima, & non dicunt imprimi in aliqua eius potentia, sed anima designat essentiam eius, & non potentias: ergo. Secundo, quia character est dispositio ad gratiam, sed gratia immediatè recipitur in essentia animæ: ergo & character. Consequentia probatur eo modo quo probata manet maior fundamenti Scoti.

Hanc sententiam tenet Suar. disput. 11. sect. 4. etiam tenet Vazquez, cap. 4. super istum articulum, Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 19. Fundamentum primum Suar. est tale, & sit tertium argumentum pro hac sententia, desumiturque ex munere, seu officio signi, quod est proprium munus characteris. Quandò aliquid imprimitur alicui rei, vt sit signum manifestans destinationem eius ad aliquod munus debet constitui in illa parte, quæ est notior, & altior ad notificãdã eãdẽ rem, sed substantia animæ est notior secundum se, & prior quam eius potentia: ergo cum character sit signum spirituale, & deputatiuum ad aliquod munus, distinctiuumque à cæteris, & proportionatũ ipsis rebus quatenus secũdum se cognoscibiles sunt debet poni in ipsa substantia animæ.

Quartò. Character nõ est principiũ alicuius actus intellectus, aut voluntatis pertinentis ad cultum Dei, vel vsum Sacramentorum; ergo non est constituendus in intellectu, aut voluntate. Antecedens probatur discurrendo per singulos characteres: nam character Baptismi est potentia passiua ad recipienda alia Sacramẽta: character verò Confirmationis ordinatur ad constantem fidei professionẽ: character Ordinis ad Sacramenta ministranda, sed ad istos fines non est necessarius aliquis actus intellectus, aut voluntatis procedens à characterẽ: ergo non est in potentia animæ, sed in eius essentia. Probatur minor, ad receptionem aliorum Sacramentorũ si requiritur aliquis actus intellectus ille est fidei, aut prudentiæ infusæ, & bona dispositiò ad recipiendum ea fructuosè, ad priores actus concurrit actiuè fides, & habitus prudentiæ infusę, ad bonam dispositionem sufficit virtus Pœnitentię: ergo character Baptismi, non elicit aliquem actum intellectus, aut voluntatis, vt propterea sit ponendus in potentia animæ, & non in eius substantia. Probatur idem de characterẽ Confirmationis: nam omnes actus requisiti, tã ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis ad confessionem constantem fidei possunt elici per habitus virtutum existentes in talibus potentiis: ergo non est necessarius character Confirmationis, tanquam principium illorum, atque adeò non debet constitui in intellectu, neque voluntate. De characterẽ Ordinis probatur eadem minor argumenti: nam ad ministranda Sacramenta nullus actus intellectus, vel voluntatis requiritur ad substantiam Sacramenti præter intentionem faciendi Sacramentum, sed actus requisiti ad istam intentionem si naturales sunt non egent supernaturali potẽtia: si verò supernaturales, sufficit fides pro actu intellectus, & charitas, vel Religio pro actu voluntatis in quo consistit formaliter ipsa intentio: ergo character Ordinis non debet constitui in intellectu, aut voluntate propter istos actus.

Quin-

Quinto ex dictis eius in fine sectionis: nam valde dubitabile est, quod potentiæ animę sint capaces alicuius qualitatis, quæ neque est actus secundus, neque actus primus dans virtutē ad simpliciter operandum, vel ad facilius operandum actum talis potentiæ, sed talis est character: ergo non ponitur in aliqua potentia.

Vltimo character ideò ponitur in potentia animę in sententia D. Thom. quia dicit vim operandi, sed character Baptismi non est operativus: ergo saltim prædictus character non ponitur in intellectu; sed in ipsa essentia animæ.

Pro lucè huius quæstionis est notandum, quod characterem imprimi in essentia animæ est veritas de fide: quia ita diffinitur in Conciliis citatis supra Trident. & Florent. dum dicitur, *quod imprimitur in anima, & est indelebilis*: quia si in corpore imprimeretur esset corruptibilis cum corpore esset que extensus, & diuisibilis, cum qualitas spiritualis, nō possit esse in corpore; sicut in subiecto proprio, & permanentèr. Vndè totū dissidium inter Catholicos Doctores esse debet in præsenti dubio, an sit character immediatè in ipsa essentia animæ, sicut in subiecto proximo, an verò in aliqua eius potentia.

Sit ergo prima conclusio. Character non subiectatur immediatè in ipsa essentia animæ. Hæc conclusio est D. Thom. in presenti articulo, & colligitur ex dictis in art. 2. Probatur primo ratione, quam habet D. Sanctus in corpore istius articuli: nā character ordinat animam immediatè ad actus diuini cultus producendos, vel recipiendos: ergo non subiectatur immediatè in ipsa essentia animę. Probatur consequentia: quia essentia animæ non est immediatè operativa, neque receptiva alicuius operationis: ergo illud, quod est principium aduenies ab extrinseco, & determinans immediatè ad operandum, vel ad recipiendum non potest in ipsa animæ essentia recipi.

Confirmatur, quia propter istam rationem omnes habitus operativi, non recipiūtur in essentia animę, sed in eius potentijs: ergo idem est dicendum de charactere.

Secunda conclusio. Character non est in voluntate, tanquam in subiecto, sed in intellectu. Ista conclusio etiam est D. Thom. in isto articulo, quem sequitur vniuersa eius schola. Probatur primo ex D. Dionisio cap. 2. de Eccles. Hierarchia, vbi ait: *Quod character est lumen diuinum illuminans nos, & configurans Christo*: sed lumen non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum: ergo character non est in voluntate, sed in intellectu.

Secundo probatur ratione desumpta ex doctrina D. Thom. in isto articulo specialiter solutione ad tertium. Character perse ordinatur ad confessionem fidei faciendam aliquo cultu externo, vel recipiendo, vel tradendo, & conficiendo Sacramenta, sed profiteri fidē etiam exterius pertinet ad intellectum, & non ad voluntatem: ergo character non in voluntate, sed in intellectu debet esse.

Tertiò, character consignat nos, & configurat consignatione pertinēte ad maximam dignitatem: ergo est constituendus in excellentissima potentia, qualis est intellectus, & non voluntas.

Quartò, character immediatè nō respicit bonum, aut malum morale: ergo non est in voluntate. Patet consequentia, quia voluntas proximè, & immediatè est principium bonæ, vel malæ operationis. Antecedens verò ex dictis supra patet, quia character abstrahit à bono, & malo.

Vltimò, character est fundamentum omnium actionum, & passionum pertinentium ad Ecclesiasticam Hierarchiam: ergo debet constitui in ea potentia, in qua est fundamentum to-

tius

rius ædificij spiritualis: hæc autem potentia est intellectus, & non voluntas, quoniam in intellectu est fides, quæ est radix totius ædificij spiritualis: ergo character, non in voluntate, sed in intellectu debet esse sicut in subiecto. Prima consequentia probatur, quia perfectio debet esse proportionata subiecto perfectibili per ipsam: ergo si character est perfectio fundamentalis in Ecclesiastica Hierarchia eius perfectibile propriũ debere esse potentia, in qua sit fundamentum ipsius Ecclesiasticæ Hierarchiæ.

Ad argumenta ergo primæ sententiæ respondetur: ad primum iuxta ea quæ docet D. Thom. hic in solutione ad 1. quod character non disponit proximè ad gratiam, sed ad actus diuini cultus exequendos: vndè quamuis gratia esset in voluntate non propterea debet esse character in illa, quia dispositio remota, & indirecta ad formam aliquam non debet esse in eodem subiecto, in quo est forma. Præterea falsum est gratiam esse in voluntate, sed est in ipsa essentia animæ (vt omnes Theologi docent loco proprio.)

Ad confirmationem respondetur, negando maiorem, sed potius est signum obligationis Christianæ, quæ cõsurgit; & caulatur in homine Baptizato ex professione fidei facta in Baptismi receptione, quare non est necessarium vt ponatur in voluntate, sed potius debet poni in intellectu, quia disponit Baptizatum ad implenda ea, ad quæ tenetur recipiendo Sacramenta alia, quæ sunt actus diuini cultus: vndè quamuis admittatur obligationem Christianam reduci proximè in voluntatem, negatur consequentia propter rationem dictam. Altera solutio assignatur huic argumento. Videatur in Cabrer.

Ad cõfirmationem secundam respondetur distinguendo minorẽ: ordinatur ad illos actus, quatenus formaliter sunt actus Religionis nego minorẽ, quia nõ ordinatur ad illos sub ratione boni moralis: ordinatur ad illos sub ratione veri, concedo minorẽ, & nego consequentiã. Ratio est, quia ordinatur ad illos quantum ad substantiã determinando ad verum Sacramentũ recipiendum, conficiendum, & tradẽdũ, quatenus tales actiones exteriores habent rationẽ exterioris manifestationis, & protestationis fidei; ideoque in potentia, vbi est fides est collocandus (vt ait D. Tho. ad 3.)

Etsi dicas contra hęc: manifestatiõ & protestatio exterior fidei ordinatur in cultũ Dei: ergo pertinet ad virtutẽ Religionis, & consequẽter pertinet ad volũtatẽ. Distinguo cõsequẽs, vt procedit à charactere, nego consequentiam, sub alia ratione, concedo consequentiã. Ratio est, nam à charactere procedit quantũ ad substãtiam, & sub ratione veri, tamen quia in illa reperitur aliqua ratio pertinẽs ad Religionẽ, scilicet, quando religio sẽ sit omnibus bonis circũstãtiis seruatis, tũc illa ratio procedit à religione.

Et vt hoc melius percipiatur aduertere placet, quod tripliciter potest cõsiderari protestatio exterior fidei facta per externa signa: vno modo quatenus procedit ab homine deputato diuino cultui, ideſt, ad exequenda opera externa, quę secũdũse proportionata sunt diuino cultui, tamẽ inspiciũtur cum indifferentia, vt scilicet possunt benè, vel malè fieri, & vt sic est actus procedẽs à charactere Sacramẽtali, & sub ista formalitate sumitur à D. Tho. hic ad 3. Secundo modo potest considerari, quatenus est quidam cultus debito modo exercitus, & cõsequenter bonus moraliter, & vt sic procedit à Religione, & pertinet ad voluntatẽ. Vltimo tandẽ potest considerari, vt est quędã fidei professio exterior, & ita procedit à virtute fidei, & etiam pertinet ad intellectum.

Sed dices, sequitur, quod character, nullo modo sit in intellectu, ne-

què in alia potentia ſpirituali animæ, conſequens eſt contra D. Th. ergo ſolutio modo aſsignata eſt falſa. Probatur ſequela, nã character ordinatur ad exequẽdaopera externa, ſed illa exercentur mẽbris exterioribus, & nõ intellectu: ergo non eſt conſtituendus character in intellectu, ſed in corpore (vt voluit Duran. in 4. diſt. 4. q. 1.)

Confirmatur, nam qualitas exiſtẽs in aliqua potentia perficit ipſam in ordine ad proprium actum, ſed character non perficit intellectum in ordine ad cognitionem, ſed inordine ad exequenda opera externa quibus cõficitur, ſuſcipitur, vel traditur Sacramentũ (vt probaui ſequi ex ſolutione precedenti) ergo nullo modo eſt cõſtituendus in intellectu.

Ad horum ſolutionẽ prænorandum eſt, quod dupliciter perficitur intellectus aliqua qualitate, vno modo tanquam illuminante illũ, vt aliquod obiectũ intelligat: alio modo, vt conferente efficaciã actui intellectus ad efficiendũ aliquid, quod ſine illo non poterat facere, vel non poterat æquè benè. Hoc ſuppoſito dico, quod character perficit intellectum ſecũdomodo: nam actus intellectus, qui ſine illo non poterat efficere Sacramẽtum illo addito poteſt illud efficere. Vndè explicatur maior, qua probatur ſequela: character ordinat ad exequenda opera externa, tanquam principiũ eliciens illa immediatè perſe ipſum, nego maiorẽ, tanquã principium tribuẽs efficaciam actui intellectus practici, vt dirigat, & applicet mẽbra externa ad illa opera, quæ ſunt diuino cultui proportionata, concedo maiorẽ, & ſic conceſſa minori, negatur cõſequẽtia: quia ars eſt in intellectu practico, licet intellectus inſe immediatè non conficiat opera externa, ſed mediis inſtrumentis exterioribus corporis, tamẽ quia homo agit vt inſtrumentũ animatũ mouet manus, & alia membra per intellectum arte perfectum. Ita ſimiliter in confectione Sacramentorũ, vel in receptione homo procedit vt inſtrumentũ animatum Dei, atquè ita ſe applicat ad ſuſcipiendum, vel conficiendũ, aut tradendũ Sacramentum per intellectum practicum, vt perfectum per potentiam inſtrumentalem, quæ eſt character.

Ad confirmationem reſpondetur conceſſa maiori, & minori, negatur conſequentia: quia datur alius actus intellectus practici, ad quem perficit, qui eſt applicatio, ſeù intimatio per modum imperij ad exequenda ea, quæ ſecundum tale, vel tale dictamẽ practicũ ſunt fienda. Et ita character diſponit intellectũ practicũ ad iſtum actũ, & hoc ſufficit vt ſit in intellectu quia munus intellectus practici non ſolũ eſt intelligere cognitione practica, ſed etiã exequi obiecta practica, propter quod concedunt Theologi, quod licet in Deo ſit potẽtia executiua diſtincta ratione ab intellectu, & volũtate, tamen ad ipſum intellectũ practicũ Dei pertinet magis, quam ad aliã vim, eo quod per imperiũ practicũ habet vim executiuã: character ergo eſt potentia inſtrumẽtalis executiua, & ita intellectũ practicũ noſtrũ eleuat ad dictã actionẽ exequentem, in quantũ eſt imperfecta participatio imperij Dei exequentis.

Secundo reſpond. quod meo videri character eleuat intellectũ practicũ ad cognitionẽ directiuã operũ externorũ, quæ ſunt proportionata ad cultũ Dei, tã recipiendo, quam tradẽdo, vel conficiendo Sacramenta.

Ad argumenta ſecundæ ſentẽtiæ. Ad primum reſpondetur, quod Concilia in illis diffinitionibus intendunt diſtinguere animam â corpore: & ita ex illis infertur optimè characterem non eſſe in corpore, ſicut in ſubiecto; non tamen intendunt diſtinguere eſſentiã animæ à ſuis potentiis, nam quod recipitur in potentiis animæ etiã recipitur in ipſa anima, imò principalius recipitur in anima, quam in potentiis, & ſi non ita immediatè.

Ad

Ad secundum admissa maiori sine distinctione, negatur consequentia, quia etiam dispositio proxima ad formam non est necessarium, quod recipiatur in eodem subiecto immediato in quo recipitur forma, vt patet in cō tritione, quæ est proxima dispositio ad gratiam, & tamen est actus receptus immediatè in voluntate, & non in essentia animæ, in qua recipitur ipsa gratia.

Secundo respondetur, quod character non est dispositio ad gratiam Sacramentalē, quatenus dicit habitum iustificantem cū perfectione illa (quā quæstione præcedēti explicuimus artic. 2.) nā hęc per se loquēdo prior est charactere, sicut prius est esse supernaturale, quā posse supernaturaliter operari, seu est dispositio ad gratiā actualē idest, ad auxiliū gratiæ necessarium, vt homo habēs characterē recte vtatur illo, quod consonat manifeste literæ D. Th. dum in solut. ad 1. huius art. docet, quod character ideò ex consequenti disponit ad gratiā, quia immediate, & directè disponit adea, quæ sunt diuini cultus, & talia nō possunt benè fieri: sine auxilio gratię; ideò ex consequenti disponit ad gratiō: quoniam diuina largitas ex consequenti recipientibus characterē largitur gratiam, per quam dignè impleant ea, ad quæ deputantur. Vbi nomine gratiæ intelligitur actualis auxilians: siquidē ista est, quæ est necessaria ad actum secundum characteris. Sic intelligit D. Thom. Dominus Caiet. in præsenti, qua supposita intelligentia, argumentum nullam habet vim.

Ad tertiū, quod est primum Suar. primo admissa maiori, & minori distinguo consequens: est signum per se primò, nego, secundario, concedo, & ita nego, quod ponatur in essētia animę: quia in illo subiecto est constituendus, quod est magis proportionatum, cum sua ratione essentiali, quæ est ratio potentiæ receptiuæ, vel actiuæ Sacramentorum, & ad protestandam fidem, & sic in intellectu, & non in voluntate est constituendus.

Secundo respondetur: signum debere esse in parte notiori, & non in parte altiori si non sit ita nota quoad nos, quia ergo potentia animæ est notior nobis, quā essentia eius, ideò in potentia, & non in essentia animæ debet poni character, etiāsi admittatur sine aliqua distinctione esse signū gratię, quæ per Sacramenta confertur. Videatur alia solutio in Cabr. præsenti art. disp. 1. solutione ad 3. secundæ opinionis.

Ad quartum respōdetur: characterem eleuare intellectum practicū ad eliciendū actum, qui est directiuus voluntatis, & aliarum potentiarum, qui actus est simpliciter necessarius, vt per ipsum homo sit dispositus ad recipiendum, vel cōferendum saltim ex officio, vel simpliciter aliquod Sacramentum: noluit ergo Deus vt de facto talis directio intellectus esset potens, & legitima, nisi ab intellectu eleuato per characterem, qui ponitur in illo immediatè, ad hoc vt faciat ipsum connaturaliter capacem elicien di illum actū, quo dirigit voluntatē, & alias potentias ad exercēdas actiones necessarias ad recipienda, conferenda, seù conficienda Sacramenta. Secundum istam solutionem dicendum est, quod etiam character Baptismi est actiuus illius actus directiui, tamen simpliciter dicitur passiuus, quia ille actus est vt via ad recipiendum Sacramenta, quod est proprius finis illius, à quo & esse passiuā potētiam, & denominari sic, desumit.

Alij verò characteres simpliciter sunt actiui: quia illi actus directiuus ad quem concurrunt ordinatur per modum exequentis ad alias actiones externas proportionatas cultui diuino, quod est proprius finis illorū, à quo etiam denominantur, & sunt actiui. De charactere verò Confirmationis magis clare patet solutio, cum ille ordinetur ad connaturaliter eli-

ciendam constantem professionem fidei coram inimicis eius, atquè ita in intellectu necessariò est cõstituẽdus.

Secundo respondetur, ad illud de Baptismi charactere, quod vt non sit in essentia animę immediatè sufficit, quod sit potestas receptiua actionis intellectus necessariæ ad recipiendã alia Sacramẽta: quia essentia animæ, neque immediatè passiua, neque actiua est: vndè character in potentia debet esse, & in illa, quæ immediatè producit actionem, cuius est receptiuus, quæ est actio intellectus iam explicata.

Ad quintum respondetur distinguendo maiorem: quę sit actus primus dans virtutem ad operandũ determinatè, nego maiorem, dans virtutem ad operandum, vel disponendo ad recipiendum proximè aliquam operationem concedo, & sic character Baptismi ponitur in intellectu ad recipiendum, character Confirmationis ad confessionem fidei exterius faciendam, character verò ordinis ad conferendum, & sic constituunt intellectum in ratione principij instrumentalis saltem inchoatiuè. Videatur in Cabrera alia solutio ad septimũ disputationis citatæ.

Ad vltimum respondetur rationẽ esse, quia character dicit vim operatiuam, vel rationem principij proximi passiui. Vndè quamuis character Baptismi non sit actiuus, tamen est immediatè principium passiuum libere recipiendi operationem, & per eã protestandi fidem, vel recipiendi ipsam in ratione protestationis fidei, & consequenter cum sit principium proximum debet constitui in illa potentia, quæ est principium proximum operationis, & quia protestatio fidei pertinet ad intellectum in illo debet constitui character Baptismi.

Deinde potest dici ad ista duo vltima argumenta, quod etiam character Baptismi est aliquo modo actiuus, quatenus disponit (vt dixi ad 4.) ad eliciendum actum intellectus, qui dirigit, & mouet potentias alias, & etiã voluntatem ad exercendas actiones necessarias ad recipienda validè, & fructuosè alia Sacramenta, & hæc de hoc dubio.

DVBIVM SECVNDVM ETS.

Vtrùm character sit principalis effectus Sacramentorũ illum imprimẽtium, an verò gratia Sacramẽtalis?

PRo tituli intelligentia est aduertendũ, quod non intendimus explicare; an character sit in esse qualitatis excellentior, quã habitus gratiæ, quia res constãs est habitũ gratiæ esse excellẽtioré, cum sit forma redens animã consortẽ diuinæ naturæ, quẽ effectũ character nõ præstat, sed solũ dubitamus, an ẽsto hoc ita sit per Sacramenta imprimẽtia character principalius intẽdatur causare characterẽ, quã gratiã Sacramẽtalem.

In hoc dubio Suar. disp. 11. sect. 1. §. *sed dubitauit aliquis*, dicit duo primũ est, quod Baptismus, & Confirmatio principaliter sunt instituta propter gratiã regenerantẽ, & propter plenitudinẽ Spiritus Sancti causandã, & ex consequenti, & minus principaliter, propter singulos, & proprios characteres. Secundum est. Sacramentum Ordinis principaliter fuisse institutum, propter characterẽ causandũ, quo homini datur potestas ad consecrãdum, & absoluendum â peccatis.

Fundamentũ huius sentẽtiæ, quoad istã vltimã partẽ, quantũ ex doctrina authoris potest colligi, est huiusmodi. Gratia in Sacramẽto Ordinis datur propter officiũ, seu ministeriũ Sacerdotale: ergo character est principalior effectus Sacramẽti. Cõsequentia probatur: quia character est forma constituẽs hominẽ Sacerdotẽ, & ministrum diuini cultus, sed gratia datur propter actũ huius formæ, vt videlicet dignè exerceatur: ergo ipse character qui ordinat per se ad talem actum est principalior, quia propter quod vnumquodque

quodque tale, & illud magis: si ergo Sacramentum confert gratiam propter vsum characteris, confert propter ipsum characterem, & sic ille erit principalior effectus.

Præterea dicit, quod moraliter loquendo prius datur per Sacramentorũ character, quam gratia Sacramẽtalis. Ratio huius est, quia gratia requirit characterem, & non ècontrario: nam nemini datur gratia, cui non detur characher, multis autem confertur character, quibus non datur gratia. Hoc autem probat inductione: nam in Sacramento Ordinis gratia datur propter vsum potestatis, vt bonus fiat: ergo supponit potestatem ad efficiendos actus diuini cultus.

Item in Confirmatione prius est aliquem in militem deputati, quam ei conferri arma, & auxilia ad militandum: ergo licet ordine intentionis prior sit gratia in hoc Sacramento, quam character, ordine tamen executionis prior est impressio characteris, quam gratiæ. Vltimo in Baptismo, quia eius character est potentia ad alia Sacramenta recipienda, sicut Sacramentum est ianua ad Sacramenta, & etiam est potentia ad ipsam gratiam Sacramentalem: ergo naturaliter est prior illa. Denique de fide, quæ datur per Baptismum, dicit etiam quod in nullo genere causæ consequitur character fidem, quod probat, quia character conseruari, & imprimi potest, sine fide: ergo cum vtrumque possit per Sacramentum causari dicendum est propter easdem rationes prius causari characterem, quam fidem.

Contraria sententia asserit, quod gratia est principalior effectus, quam character in omnibus tribus Sacramentis characterem imprimentibus. Ita Dominus Caietan. in Commentario huius articuli, §. *Caue hic, &c.* Dominicus de Soto in 4. distinct. 1. quæstion. 4. art. 4. circa solutionem ad 1. D. Thom. vbi etiam docet, quod gratia Sacramentalis prius infunditur animæ, quam character per se loquendo, & similiter in Baptismo etiã prius infunditur fides, quam character, qui est veluti potentia ipsius fidei, quando autem Sacramentum aliquod ex istis imprimit characterem priusquã gratiam, est per accidens, quando eo quod homo accedens ad illud ponit obicem non est capax recipiendi gratiam, est autem capax recipiendi characterem, sicut est capax recipiendi fidem mortuam. Hanc sententiam tenent, vt veriorem omnes Thomistæ.

Pro huius expositione notandum est, quod de gratia Sacramentali possumus loqui dupliciter: primo modo de habitu ipso gratiæ sanctificantis, secundumquod habet perfectionem quandam intrinsecam propriam ipsi, vt Sacramentalis est, quæ non conuenit ipsi habitui gratiæ secundum se (quam sup. quæst. præced. art. 3. explicuimus.) Secundo modo possumus loqui de illa quantum ad auxilium gratię actualis, quæ datur ad vsum actuũ Sacramentalium, vt Religiosè, & benè exerceantur, quod auxilium gratiæ diximus etiam ibi addere gratiam Sacramentalem, supra gratiam virtutum, & donorum, quia ipsi debetur connaturaliter ex vi Sacramenti ad actus propriose exercendos, ad quos ordinatur Sacramentum.

Prima conclusio. Loquẽdo de gratia Sacramentali primo modo absque dubio dicendum est, illam esse principaliorẽ effectum Sacramentorum imprimentium characterem, quam ipsum characterem. Probatur primo authoritate D. Thom. qui in titulo præcedentis quæstionis ait agere in illa: *De effectu principali Sacramentorum, qui est gratia*, & in titulo istius quæstionis solum ait esse agendum de effectu alio, qui est character: ergo absolutè dicendum est, quod gratia Sacramentalis est potior, & principalior effectus, quam character in sententia D. Thom.

Secundò, omnia Sacramenta ex sua institutione primò, & perse ordinantur ad animam sanctificandam, siuè causando primam gratiam, siue secundam (vt ipse Suarez cõcedit quæstion. præcedenti, disput. 7. sect. 2.) ergo parum consequenter, & falsò loquitur, dum hic ait Sacramentum Ordinis immediatè ordinari ad conferendum potestatem Ordinis. Antecedens ex ibi dictis patet, quia omnia Sacramenta primo, & perse ordinãtur, vt sint medicinæ hominum recipientium ipsa, & sunt instituta contra peccatum, sed totum hoc efficiunt causando gratiam: ergo primo, & perse ad hunc effectum sunt instituta, & nõ ad characterem causandum.

Secunda conclusio. Sacramenta imprimentia characterem perse loquendo, nisi subiectum obicem ponat prius natura, & ordine executionis tribuunt gratiam, & ex consequenti characterem, tanquam effectum secũdarium. Ratio huius est contra Suarez, quia quemadmodum in esse naturali rei prior est forma dans esse primum, & substantiale, quam eius potentiæ, quæ se habent, tanquam passiones eius, ita in esse supernaturali prius debet esse gratia, quam omnes potentiæ supernaturales: ergo prius quam character. Antecedens patet, nam gratia est prima forma dans esse supernaturale: consequẽtia verò probatur euidenter ex dictis artic. 2. nam habet rationem potentiæ supernaturalis saltim instrumentalis: ergo per se loquendo præsupponit gratiam in anima: ergo Sacramentum imprimẽs characterem perse primò via executionis confert gratiam Sacramentalẽ, & ex consequenti characterem, tanquam eius potentiam.

Secundo probatur. Character habet rationem potentiæ fidei, sed fides perse loquẽdo supponit gratiã, quam consequitur: ergo de primo ad vltimum character fidei præsupponit gratiam. Discursus est legitimus. Maior probatur: nã character ordinatur ad professionẽ fidei, quæ fit per ipsa exteriora signa, vel ad actus diuini cultus, quatenus, vt ait D. Thom. ad tertium, in illis exercetur, vel vt illi sunt quædam protestatio fidei: ergo habet rationem potentiæ fidei, per quam ipsa fides, tanquam per potentiam instrumentalem ordinatur ad colendũ Deum cultu externo, sicut ipsa docet. Videatur circa hoc Magister Soto loco supr. citat. in confutatione opinionis Durandi, §. *Ad eius ergo argutionem*: Minor verò discursus patet: nam quemadmodum ad animæ essentiam naturalem sequuntur potẽtiæ naturales, ita ad essentiam gratiæ sequuntur proprietates supernaturales, quæ sunt omnes habitus per sè infusi, sed fides est habitus perse infusus: ergo ex natura sua sequitur ad gratiam: ergo character, qui propter rationem assignatam sequitur fidem vt potentia eius præsupponit gratiam Sacramentalem.

Tertia conclusio. Per accidens aliquando infunditur character, sine gratia; non tamen sine fide mortua. Prima pars patet: nam quandò homo ponit obicem ad gratiam Baptismi, vel Confirmationis, tunc recipit characterem (vt est in confessò apud omnes) ergo in tali casu accidentaliter homo recipit characterem sine gratia. Secunda pars probatur ratione secunda iam facta pro præcedenti conclusione: & præterea: quia *character est quodam signum sanctæ communionis fidei datum à Hierarcha* (vt diffinit D. Thom. sup. art. 2. in 3. arg.) ergo necessariò supponit fidẽ, vel mortuam, vel viuam, sed in casu conclusionis non infunditur fides viua, sed mortua propter indispositionem subiecti: ergo consequitur fidem mortuam.

Confirmatur ex ratione citata: nam character ordinatur, vt potentia practica ad fidem protestandam, sed potentia practica non potest habere actum

actum istum, nisi sit habitus fidei, nam sine fide nullus potest vti charactere ad actum, qui sit fidei protestatio: quia ipse character (vt diximus dubio præcedenti) non est potentia cognoscitiua obiecti fidei, nec alterius, sed tantum est potentia determinans ipsum intellectum habitu fidei formatū ad eliciendum actum directiuum aliarū potentiarum sui ad exercendas actiones, quæ necessariæ sunt ad talē protestationem fidei faciendam: ergo implicat ipsum non consequi in sui prima productione habitum fidei saltem mortuæ.

Quarta conclusio. Si loquamur de charactere comparatione ad gratiam Sacramentalem sumptam pro auxilio superaddito, etiam gratia Sacramentalis est principalior effectus Sacramentorum, quam ipse character.

Contra Laurentium Gutierr. & in manuscriptis.

Hęc conclusio est contra aliquos Thomistas tenētes oppositum loquēdo de gratia Sacramentali in ista acceptione. Cæterum (esto hoc cum aliqua probabilitate dici possit) tamen probabilius, & conformius doctrinæ communi grauissimorum Thomistarum mihi attentè consideranti appareret nostra assertio.

Probatur hac ratione. Ab vna quaque causa respicitur vt principalior effectus eius illud, quod vt procedit ab illa est perfectius altero, sed gratia Sacramentalis adhuc in ista acceptione sumpta procedit à Sacramēto imprimente characterem, vt quid principalius ipso charactere: ergo est effectus principalior. Discursus est euidens, & maior est euidens, nam tunc talis effectus in ratione entis, & in esse effectus est nobilior: quia secundū illam maiorem perfectionem inspicitur à causa respectu alterius minùs principalis in esse entis. Minor verò probatur, nam quidquid se tenet ex parte actus secundi est nobilius omni actu primò, maximè quandò actus primus est incompletus, & imperfectus in illo genere, sed illa gratia auxiliās se tenet ex parte actus secundi vt complementum ipsius characteris: ergo si secundum istam considerationē efficitur à Sacramento sequitur euidenter, quod intendatur vt potissimus, & vltimus effectus eius, sed vt sic procedit à Sacramento, quia ideò Sacramentum causat illam gratiam, vt character compleatur per illam in ratione principij actualiter operantis (vt constat ex dictis supra quæstion. præcedenti articul. 3.) & etiam ex doctrina D. Thomæ præsenti art. solutione ad 1. vbi ait: *Gratiam Sacramentalem dari à diuina largitate per Sacramentum imprimens characterē vt fideles dignè impleāt ea ad quæ deputantur per characterem*, vbi loquitur de gratia in ista acceptione (vt dubio præcedenti ponderaui) ergo talis gratia causatur à Sacramento, tanquā quid principalius.

Confirmatur ex dictis D. Thom. ibi: nam talis gratia est necessaria, vt faciat rectum vsum characteris, sed Sacramentum imprimens characterem principaliter, & perse primò intendit rectum vsum characteris, & non vsum vtcunque: ergo à Sacramēto intenditur vt principalis effectus gratia Sacramentalis, & non character. Probatur minor, nam primò, & principaliter ordine intentionis intēdunt bonitatem, & sanctitatem diuini cultus, & minus principaliter substātiam cultus, quia quodcunque Sacramentum semper secundum quamcūque rationem communem, & particularem ordinatur ad Sanctitatem etiam operationum cultus diuini.

Ex quo sequitur, quod ipsa gratia habitualis Sacramentalis possit considerari dupliciter: vno modo in ordine ad animam per modum formæ sanctificantis: alio modo quatenus in quātum principium radicale respicit vsū characteris vt forma faciens ipsum bonum, & Religiosum simpliciter, & considerando gratiam Sacramentalem

lem habitualem secundum istam consideratione secundariam etiam est principalior effectus, quem character propter rationem assignatam modo, & ista ratione considerando gratiam Sacramentalem potest dici character disponere ad ipsam, idest ad vsum illius actiuitatis radicalis, qui est vsus secundarius eius: atque ita intelligitur D. Thom. in solut. ad 1. communiter à Thomistis, estquè optima, & vera expositio non discordans à nostra supra assignata dubio præcedenti.

Sed contra primam, & vltimam conclusionem est vnicum argumentum (aliis omissis minoris momenti, quæ communiter ponunt Interpretes D. Thom. in præsenti, & ex doctrina tradita in nostris conclusionibus facile dissolui possunt.)

Arguitur ergo sic. Ista Sacramenta in ratione signi, & causę distinguntur ab alijs quatuor, characterem non imprimentibus, quia significant, & causant characterem: ergo principalior effectus istorum Sacramentorum est character, quam gratia.

Respondetur, quod à priori non distinguntur per hoc, sed à posteriori, sicut homo ab equo per risibile, & actum ridendi distinguitur à posteriori, & non à priori: quia sic per formã essentialem diuersam distinguntur, ita in præsenti, distinctio essentialis Sacramentorum imprimentium characterem ab aliis illum non imprimentibus est ratio signi, & causæ specialis gratiæ Sacramẽtalis, quæ in sua ratione particulari, vt talis gratia Sacramẽtalis est, Baptismi scilicet, vel Confirmationis est radix huius, vel illius characteris, quia ipsa gratia in sua ratione, vt Sacramentalis est, ordinatur remotè ad actus Sacramentales, & ad actus cultus diuini, qui sine characterе superaddito vt potentia necessaria effici non possunt: ex quo prouenit, quod Sacramentum causans gratiam talẽ Sacramentalẽ perse primò, perse secundò causat proprium characterẽ.

Ad fundamentum ergo opinionis Suar. Respondetur *ly propter* non importare causalitatem finalem, sed solum denotare causam, quasi efficiẽtem ex parte gratiæ Sacramentalis sumptæ pro habitu, & ex parte ministerij Sacerdotalis denotat effectũ ipsius gratiæ: quia si sumatur ministeriũ in actu primo, sic character constituit hominem ministrum, & ille dimanat à gratia Sacramentali perse loquendo vt potentia eius; (sicut dixi in secunda conclusione) si autem sumatur ministerium pro actu secundo Ordinis, tunc est etiam effectus ipsius gratiæ habitualis concurrentis remotè ad illum. Vndè sicut non valet ista consequentia: Essentia hominis datur propter discursiuum: ergo discursiuum est principalior effectus Dei, quam anima: propter rationem assignatam, ita nec in præsenti.

Sed inquires quid dicendum sit ad tale argumentum, si fiat de gratia Sacramentali sumpta pro auxilio superaddito: nam ista omnibus modis perse loquendo supponit characterem, & tamen datur propter illum, vt scilicet quis Religiosum faciat eius vsum: ergo non se habet vt causa characteris, & consequenter, neque erit principalior ipso.

Respondetur iuxta rationem nostræ vltimæ conclusionis, quod datur propter illum, non tanquam propter finem, sed etiam vt propter effectũ quia datur propter ipsum complendũ in ratione principij, non solum vt eliciat actus cultus diuini materialiter, sed etiam formaliter, vt bonos, & Religiosos: vndè distinguo consequens: non se habet vt causa, aqua dimanat concedo consequentiam, vt causa cõplens formaliter, & perficiens, nego consequẽtiam, atquè ita sequitur esse nobiliorem effectum Sacramenti, quam ipsum characterem, licet character sit prior ordine executionis ipsa gratia Sacramentali sic sumpta.

Ad alteram partem sententiæ

Suar.

Suar. Respõdetur etiã esse falsam (vt in secunda conclusione probaui.)

Ad rationem eius. Respondetur, quod perse loquendo etiam character requirit gratiam, quod sui infusione, sicut quælibet potentia propria præ-requirit essentiam, adquam consequitur, & ita perse loquendo nemini datur gratia Sacramentalis Sacramenti Baptismi, cui non detur character, neque character cui non detur gratia ipsius, nisi in aliquo casu accidentali (vt patet ex tertia conclusione.)

Ad inductionem verò factam respondetur ad primum discursum de gratia Sacramenti Ordinis, quod loquẽdo de gratia habituali datur propter illum vsum, non perse primò, sed secundariò, quia primò, & perse datur ad sanctificandum hominem, & licet secũdariò ordinetur ad vsum characteris, adhuc non sequitur, quod vt sic præsupponat characterem, quia datur vt principium remotũ, quod semper est prius natura, quam proximũ, loquendo vero de gratia Sacramentali pro auxilio, fateor dari propter illũ vsum perse primò, vt complementũ ipsius characteris, & ita concedo illã præsupponere characterem, quia non datur, nisi quando opportet vt homo exeat in actum secundum characteris.

Ad alteram probationem procedentem de gratia Sacramentali Confirmationis, & eius charactere.

Respondetur probari illa, quod prius infunditur character, quam gratia auxilians, quæ est vis data ad militandum actualiter, non verò quod infundatur priusquam gratia Sacramentalis sumpta pro habitu, quia illa vt sic propriè loquendo, non habet rationẽ armorum, sed principij radicalis adquod perse loquẽdo sequitur character, tãquam potentia proxima actuũ cultus diuini.

Ad discursum de Baptismo dico idem, quod scilicet proprius eius character est potentia dispositiua ad recipiendam gratiam auxiliantem talis Sacramentis, non verò gratiã habitualẽ.

Ad vltimam partem, in qua loquitur de charactere probando non pendere à fide patet ex tertia conclusione, etiam falsum esse: nam licet character possit conseruari, sine fide in hæretico, tamen perse loquendo nunquã potest infundi, sine fide propter rationem assignatam in probatione illius, quia est potentia ipsius fidei: Vndè in sui fieri, & infundi necessariò pendet à fide, quod autem postea conseruetur, sine fide est per accidens respectu connexionis perse inter vtrumque, quod ortum habet ex eius immobilitate, & indelebilitate: nam inhæret ad modum potentiæ naturalis, quæ est inseparabilis à subiecto. Et hæc de hoc dubio.

DVBIVM TERTIVM ANNEXUM præcedenti.

An in Sacramento Ordinis idem sit dicendum, atque in aliis duobus Sacramentis imprimentibus characterem?

IN hoc dubio est prima sententia affirmans characterem esse principaliorem effectum, gratiam autem minus principalem, ita Suar. vbi citaui eum dubio præcedenti. Eandẽ sententiam tenet Mag. Nuño 2. tom. in 3. part. D. Thom. quæst. 34. additionum art. 2. circa solutionem ad 2. D. Thom. soluendo argumentum secundum quod ponit contra doctrinam Sãcti, tũm inter arguendum, tũm postea in solutione ad illud: docet namque ibi expresse, quod licet gratia sanctificans in esse entis sit principalior charactere, tamen character in ratione effectus Sacramenti est principalior, & per hanc doctrinam explicat eam, quam docet D. Sanctus in illa solutione citata.

Fundamentum principale istius sententiæ est desumptum ex D. Tho. loco

loco citato, vbi in solutione ad 2. ponit differentiam inter potestatem spiritualem, quæ confertur in Baptismo ad recipienda alia Sacramenta, & inter potestatem spiritualem, quæ tribuitur in Ordine, in hoc, quod Baptismus principaliter importat ablutionem interiorem, quam docet esse effectum principalem Baptismi, characterem verò minus principalem; at verò in Ordine principaliter, ait, importatur potestas spiritualis, & subdit verba sequentia. *Et ideò character, qui est spiritualis potestas in diffinitione Ordinis ponitur: non autem in diffinitione Baptismi*: ergo secundum doctrinam D. Thom. dicendum est characterem esse principalem effectum Ordinis, non autem gratiam Sacramentalem.

Confirmatur primò. Illud est principalius in qualibet re, quod in eius diffinitione explicatur, per quam diffinitur secundum rationem specialé, in qua distinguitur ab aliis contentis in eodem genere, sed Sacramentum Ordinis, quatenus distinguitur ab aliis duobus imprimentibus characterem diffinitur per potestatem dandi aliis alia Sacramenta, & ordinatis, similem potestatem (sic enim diffinitur: *Est signaculum quodam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato*:) ergo Sacramentum Ordinis importat talẽ potestatem (in qua character consistit) principaliùs, quã gratiam Sacramentalem.

Confirmatur secundò ex doctrina D. Thom. quæst. 34. additionum, art. 4. in corp. vbi docet, quod Sacramentum Ordinis principaliter consistit in potestate tradita, & subdit: *Et quia potentiæ innotescunt per actus, ideò in forma Ordinis exprimitur vsus Ordinis per actum, qui importatur, &c.* ergo iuxta mentem D. Thom. character est principalior effectus prædicti Sacramenti.

Confirmatur tertio ex solut. ad 1. eiusdem articuli, in qua docet D. Thom. *Quod alia Sacramenta non ordinantur principaliter ad effectus similes potestati, per quam dispensantur, sicut hoc Sacramentu*, & ideò docet: *In tali Sacramento esse quandam communicationem, quasi vniuocam: vndè in aliis Sacramentis exprimitur in forma aliquid ex parte diuinitatis, cui assimilatur effectus Sacramenti, non autem in hoc Sacramento*: ergo differentia inter istud Sacramentum, & alia duo imprimentia characterem constituitur à D. Sancto in hoc, quod Sacramentum Ordinis, tanquam signum practicum principaliter significat, & causat characterem similem characteri ordinantis in ipsis ordinatis, non autem gratiam Sacramentalem.

Secundo principaliter arguitur. Illud est principalius in ratione effectus alicuius Secramenti; quod expressè, & formaliter significatur per formam Sacramenti, sed per formam Sacramenti Ordinis expressè, & formaliter significatur character, & non gratia: ergo ille est principalior effectus eius. Maior probatur, quia causalitas Sacramentorum commensuratur significationi formę, illamque cõsequitur: ergo causalitas principalis Sacramenti debet explicari in forma illius, simulque effectus eius. minor etiam probatur. Forma Sacramenti Ordinis hæc est (vt desumitur ex Cõcilio Florentino in instructione Armenorum.). *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia Dei sacrificium, tam pro viuis, quam defunctis*: Hæc enim est forma Ordinis Sacerdotalis constituta in Concilio Florent. loco citato, & forma cuiuscunque Ordinis inferioris constituitur in Pontificali Romano, sed in tali forma non exprimitur gratia, sed character; ergo ille est effectus principalis talis Sacramenti, & non gratia, siquidem ista solum implicitè significatur, & subintelligitur.

Si dicatur huic argumento, quod

quando

quandò forma potest explicare claro & artificioso modo signatum essentiale primarium, & simul secundariũ intrinsecè ei annexum, ita vt notificetur nobis adæquata significatio, & causalitas, maior est vera: quandò autem non ita potest explicari adæquatum significatum, modo nobis noto nõ est id necessarium, sed sufficit explicare secundariam intrinsecè annexam primariæ: & hoc contingit in forma Sacramenti Ordinis, qua vtitur Ecclesia.

Contra, quia in aliis Sacramentis imprimentibus characterem forma explicat artificioso modo primariũ significatum, & primarium effectum eius, vt patet in forma Baptismi: *Ego te Baptizo, &c.* cur ergo in Sacramẽto Ordinis, eius forma non potest explicare artificioso modo, & nobis noto primarium eius significatum, si illud est gratia?

Tertio principaliter arguitur pro eadem sententia. Illud est principalius in ratione effectus alicuius causæ, quod habet maiorem connexionem cum illa in ratione causæ actualiter operantis; sed character Ordinis habet perse primò maiorem connexionem cum ipso Sacramento, vt actualiter operante: ergo est principalior effectus eius, & non gratia Sacramentalis. Maior de se videtur nota, quia in vnaquaque re illud est principalius, quod magis inseparabiliter ei conuenit. Minor verò probatur ex doctrina Suarez ibidem, quia istud Sacramentum semper indefectibiliter causat in intellectu ordinati characterem; non autem ita inseparabiliter causat gratiam Sacramentalem: ergo character est principalior effectus eius.

Secunda sententia affirmat, quod etiam in Sacramento Ordinis est dicendum idem, atque dicitur de Baptismo, & Confirmatione, scilicet principalem effectum eius esse gratiam Sacramentalem, siuè sumptam pro habitu sanctificante animam ordinati, siuè pro auxilio actuali, quod datur ad rectum vsum characteris, ipsum verò characterem esse secundarium, & minus principalem effectum. Hãc sententiam tenent omnes Thomistę, quos vide (excepto Magistro Nuño) non solum qui sunt ex nostra familia, sed etiam, qui sunt ex aliena, tã Scholastici, quam Summistæ, dum de Sacramento Ordinis sermonem instituunt: nam peruenientes ad tractatũ de effectibus talis Sacramenti primo loco agunt de gratia Sacramentali, vt de principali effectu eius, & secundo de charactere, vt de secundario, & minus principali prædicto ordine illos numerando, inter quos non infimioris notæ fuit Didacus Enriquez de Salas in traductione summæ Toleti Iesuitæ ex Latino in vulgarem sermonem.

Hanc sententiam tenuit noster Dominicus de Soto in 4. dist. 1. quæstion. 4. art. 4. §. *Hæc autem responsio.* Eandem tenuit dist. 24. quæst. 1. art. 4. vbi docet Sacramentum Ordinis causare gratiam excellentem, per quam Sacerdos aliis communibus Christianis eminet. Eandem tenent Cabr. hic contra Suar. disp. 2. Araujo in hac eadem, quæst. 63. art. 1. in cuius Commentario breui expresse docet characterem esse secundariũ effectum Sacramentorum imprimentiũ characterem, sicque explicat verba tituli quæstionis D. Thom. quæ sunt hæc *de alio effectu Sacramentorum, qui est character.* Idem supponit AEgidius Coninch. tam hic, quam in secũdo tomo de Sacramentis, disput. 20. dub. 8.

Pro resolutione dubij præmittendum est primò necessarium esse reuidere omnia, quæ dicta sunt dubio præcedenti principali circa articulum, circa distinctionem gratiæ Sacramentalis sumptæ pro habitu sanctificante ordinatum, & pro auxilio connaturaliter debito, & vt est principium radi-

cale

cale actionum pertinentium speciali modo ad cultum diuinum, quatenus quodlibet Sacramentum particulare ex diuina institutione ad illas ordinatur.

Secundo est præmittendum, quod est magna differentia inter gratiam Sacramentalem Sacramenti Ordinis, & aliorum Sacramentorum imprimẽtium characterem in modo sanctificandi animam recipientis illa: nam alia Sacramenta causant gratiam sanctificantem animam recipientis illa, quatenus est persona particularis accedens ad illa recipienda intendens tantum bonum spirituale eius propter quod talia Sacramenta sunt instituta: At verò Sacramentum Ordinis causat gratiam sanctificantem animã ordinati, non tantum præcisè, quatenus est persona particularis intendẽs proprium commodum in accessu ad illud, sed etiam vt est persona publice constituta in gradu superiori ad alios Christianos, vt curet de bono spirituali eorum dispensando eis alia Sacramenta, & ad significandam istam specialem rationem gratiæ in forma talis Sacramenti dicitur: *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia Dei, &c.*, vt significetur per illã, quod gratia Sacramẽtalis, quę per Sacramẽtum Ordinis confertur ordinato cõstituit eum ministrum publicum ad dispensandum aliis Sacramentum Eucharistiæ, & alia Sacramenta, & ad communicandum ordinandis in ipsorum ordinatione similem potestatem. Videatur Mag. Soto in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. §. *Ad quæstionem*, circa medium.

Tertio est præmittendum, quod hæc doctrina desumitur ex D. Sãcto in additionibus ad tertiam partem, quæstion. 35. art. 1. in corpore, vbi ex eo, quod ad aliorum Sacramentorum dispensationem dignè exequendam requiritur gratia infert, quod in Sacramento Ordinis confertur gratia, quia ordinatur ad aliorum Sacramentorum dispensationem, & in solutione ad 3. docet, quod per Sacramentum Ordinis confertur gratia excellens: quia ad idoneã executionẽ Ordinũ nõ sufficit qualiscũque bonitas, sed bonitas excellens, vt sicut ille, qui Ordinẽ suscipit constituitur in gradu superiori super plebem gradu Ordinis, ita & superior fiat merito sanctitatis, & ideò (ait:) *Ad susceptionem Ordinis præexigitur gratia, quæ sufficiebat, vt dignè connumeraretur in plebe Christi, sed confertur in ipsa Ordinis susceptione amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei.*

His præmissis sit conclusio. Hęc secunda sententia est vera, & ita conformis doctrinæ nostri Sancti Præceptoris, vt nullus verus Thomista possit contrariam sustinere, nisi fortè defectu attentę cõsiderationis ad ordinẽ doctrinę eius. Probatur primò rationibus factis dubio præcedenti, pro prima, & quarta conclusione, quia illæ æqualiter procedunt de omnibus Sacramentis; cum omnia fuerint instituta propter eundem finem primarium, qui est sanctificare accedentes ad ea dignè, & finis secundarius fuit cultus diuinus exhibitus Deo in ipsorum vsu.

Secundo probatur. Illud quod est res, & Sacramentum simul in aliquo Sacramento, non potest esse principalis effectus eius, sed in Sacramento Ordinis character est res, & Sacramentũ simul: ergo non potest esse principalis effectus eius. Maior probatur: nam de ratione principalis effectus alicuius Sacramenti est, quod omnia ordinentur ad illum, tanquam ad finem principalem, & vltimum à tali Sacramento inspectum, & intentum, sed de ratione illius, quod est res, & Sacramentum simul est, quod in tali ratione respiciat illud, quod in tali Sacramento est res tantum: ergo maior illa est vera, & cõsequẽter character, non est effectus principalis talis Sacra-

cra-

erameni. Minor istius discursus probatur.

Illud, quod est res, & Sacramentum simul in aliquo Sacramento ea ratione, qua Sacramentum est respicit id, quod est res tantum, quia illud significat, quamuis qua ratione est res significetur per illud, quod est Sacramentum tantum: Minor verò primi discursus est constans apud omnes: nam in tribus Sacramentis imprimentibus characterem, nihil aliud est, quod possit habere rationem rei, & Sacramenti simul, nisi character (vt supponit tanquam certum de Sacramento Ordinis Doctor Sanctus in additionibus, quæstion. 34. articul. 2. in argumento primo, & eius solutione, quod in aliis duobus Sacramentis eadem ratione docetur à Theologis.) Minor ergo illius primi discursus est vera, & consequentia bona.

Confirmatur. Illud, quod est res tantum in quolibet Sacramento est effectus per se primò intentus ab illo; sed in Sacramento Ordinis gratia excellens est res tantum: ergo est principalis effectus eius.

Confirmatur secundo. Ratio essentialis cuiuslibet Sacramenti est significatio practica rei sacræ sanctificantis, vt sanctificantis nos: ergo ratio essentialis talis Sacramenti est significatio talis gratiæ specialimodo sanctificantis: ergo illa res sacra taliter sanctificans nos est primarius effectus per se primò intentus ab illo Sacramento.

Prima consequentia patet: nam omnis differentia constituens aliquam speciem rei debet contrahere rationem genericam, vt inclusa in eius potentialitate: non enim extrahit genus à propria ratione essentiali, sed tantum determinat, & contrahit per diuersam rationem specialem inclusam in eius potentialitate generis, vt patebit discurrendo per species essentiales alicuius genericæ rationis, vt in specie hominis, & in specie equi respectu animalis contracti, & determinati per differentias constitutiuas illarum specierum.

Secunda consequentia probatur, quia cum ratio Sacramentis sit significatio practica, illud quod immediatè significatur, est quod immediatè, & per se primo causatur ab illo, tanquam principalis effectus eius, & si causat aliquid aliud, illud erit secundarius effectus eius, & minus principalis: ergo eodem modo loquendum est de Sacramento Ordinis in ratione talis signi practici significantis talem rem sacram sanctificantem, vt talem, quod illa, scilicet, gratia erit principale, & immediatum significatum, & consequenter principalis effectus eius: nam character, & si sit res sacra non est forma sanctificans, siquidem in peccatore manet indelebiliter.

Secunda pars conclusionis probatur adducendo aliqua loca D. Thomæ in quibus apparet perpetuum esse in doctrina tradita in secunda sententia.

Primus locus sit ex titulo quæstionis præcedentis cuius forma talis est *de principali effectu Sacramentorum, qui est gratia*, circa quem titulum Caietan. aduertit pro nouitiis, illam quęstionem distingui à præsenti, in qua agit de alio effectu Sacramentorum, qui est character: ergo sentit Doctor Sanctus illum esse minus principalem effectum, & secundarium.

Consequentia ex eo probatur, quia aliàs inutilis esset præsens quæstio, in qua agit de tali effectu, vt ab alio distincto â gratia sanctificante: si ergo est distinctus effectus à gratia, & illam docet Sanctus Doctor esse principalem effectum sentit characterem esse secundarium, & minus principa-

lem etiam respectu gratiæ sumptæ, pro auxilio connaturaliter debito ad rectum vsum characteris: nam Sanctus in distincte, & doctrinaliter loquitur in titulo vtriusque quæstionis, & ita eum intelligit Dominus Caietan. in Commentario articuli primi, quem sequuntur communiter alij Interpretes.

Secundus locus sit desumptus ex ordine doctrinæ tam hic, quam in additionibus ad 3. part. quæstion. 35. articul. 1. vbi inquirit: *Vtrùm in Sacramento Ordinis conferatur gratia gratum faciens.*

Et respondet affirmatiuè explicans simul rationem specialem talis gratiæ, tùm in corpor. tùm etiam in solution. ad secundum, & articul. 2. inquirit: *Vtrùm in Sacramento Ordinis character imprimatur*, & respondet cum opinione communi illius temporis imprimi etiam quantum ad omnes Ordines, cuius rationem assignat dicendo esse: *Quia per quemlibet Ordinem suscipiens illum constitutur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatæ ad Sacramentorum dispensationem.*

Iste ergo doctrinæ ordo manifestat mentem Sancti Doctoris esse gratiam Sacramentalem Ordinis esse secundum communem opinionem etiam illius temporis, quandò scripsit illas quæstiones, quæ in supplementum tertiæ partis circunferuntur in tali Sacramento esse principalem effectum eius; & ideò agit de illa primo loco, vt de principali effectu Sacramentali. Characterem verò esse minus principalem; & ideò ad manifestendum hoc agit de illo secundo loco. Et certè miror virum doctissimum Didacum Nuño, & attentum ad litteram D. Thom. oppositam sententiam tenuisse, & quod putaret esse de mente sui Præceptoris in illo articulo, & in illa solutione ad secundum.

Ad fundamentum præcipuum illiut. Respondetur primò mentem Sancti Doctoris ibi esse tantum ponere differentiam inter Sacramentum Baptismi, & Sacramentum Ordinis, quantum ad modum quo vnum, & aliud diffinitur, vt patet ex titulo articuli: Vndè quandò dicit, quod ordo principaliter importat potestatem: non autem Baptismus vult docere, quod comparatione facta inter talia Sacramenta Sacramentum Ordinis, non ita minus principaliter importat potestatem characteris, atquè importat illam Baptismus: non autem vult dicere, quod Sacramentum Ordinis absolutè importat characterem, vt principalem eius effectum, & primarium comparatione facta inter ipsum, & gratiam Sacramentalem eius: Benè enim stat, quod vnum Sacramentum respiciat suum effectum minus principalem, & secundarium magis per se, & magis principaliter, quam aliud respiciat suum proprium effectum secundarium, & minus principalem, & propterea ad manifestandum istam differentiam opportere, quod vnum diffiniatur per ordinem ad minus principalem effectum, non autem ad aliud. Patet istum esse sensum legitimum verborum, quæ explicamus ex illis verbis contextus: *Sed ablutio interior propterquam fieret Baptismus etiam priori causa, non existente, sed ordo potestatem principaliter importat*, quæ scilicet non existente non esset tale Sacramentum: sic enim intelligenda est aduersatiua, vt significetur differentia inter vtrumque Sacramentum, ad quam explicandam, atquè intelligendam sufficit, quod character Sacramenti Ordinis, licet sit effectus secundarius inspiciatur magis per se, & magis principaliter, quã inspiciatur à Baptismo eius effectus secundarius, qui est potestas passiua ad recipienda alia Sacramẽta.

Etsi

Et si inquiras rationem huius. Dico eam esse: quia scilicet Baptismus fuit institutus ad sanctificandam animam Baptizati mundando, & lauando eam, vt est Baptizatus persona quædam particularis egens lauari à culpa maculæ originalis, quæ sanctificatio oriri potest esse causa, vt institueretur tale Sacramentum, etiam si non tribueretur ei virtus ad causandam potestatem spiritualem ad recipienda alia Sacramenta; sicut ipsa ablutio interior potest fieri, sine illa vt de facto contingit, quandò aliquis mundatur, & sanctificatur per votum Baptismi recipiendi, dum opportunitas dederit locum, at Sacramentum Ordinis fuit institutum ad sanctificandum hominem, quatenus est persona publica constituta in gradu superiori respectu aliorum de communi plebe Christi, vt curet de bono illorum: Hæc autem sanctificatio, non potest esse, nisi simul adsit potestas ad exercendas actiones, quæ necessariæ sunt ad prouidendum aliis de bono spirituali eorum per dispensationem aliorum Sacramentorum.

Hunc sensum videntur mihi habere verba illa D. Thom. dum subdit: *Quod quamuis per Baptismum conferatur quædam potestas spiritualis recipiendi alia Sacramenta, ratione cuius characterem imprimit, non tamen hic est effectus principalis eius, sed ablutio interior animæ, propterquam fieret Baptismus, etiam prima causa non existente*, id est, etiam si non instituerentur cum vi ad causandum characterem, dummodo haberet vim ad ablutionem interiorem animæ Baptizati.

Secundo respondetur, quod D. Thom. intelligendus est in isto sensu, quod scilicet character in Sacramento Ordinis habet necessariam connexionem per se cum primo, & principali effectu eius, qui est gratia Sacramentalis, eo quòd illa vt talis est, respicit sanctificationem ordinati, non tantum vt persona particularis est, sed vt publica, & vt minister sanctitatis Sacramentalis aliorum Sacramentorum cæteris Christianis: vt communicande illis per ministrum Ecclesiasticum deputatu, ex vi Ordinis ad talem effectum exercendum, circa cæteros Christianos: Vndè aliquo modo respicit sanctitatem illorum, at verò character Baptismi, non habet necessariam connexionem, cum gratia Baptismali: quia est tantum sanctificativa Baptizati, vt est persona particulares, non deputata per se ad alia Sacramenta ministranda, cæteris Christianis, & ideò non respicit in hoc effectu formali præstando alia Sacramenta; atquè adeò in tali Sacramento nullo modo habet rationem effectus principalis, neque se tenet per se ex parte illius.

Et si arguas, quòd attendendo ad institutionem vtriusque Sacramenti de facto etiam gratia Baptismalis habet necessariam connexionem cum charactere: siquidem se habet vt dans primum esse supernaturale, quod se habet ad modum essentiæ subsiantialis in illo ordine, & sic vt radix cuiuscunque potentiæ supernaturalis: ergo non potest esse, sine charactere vt connexo per se cum illa; sicut potentiæ habent connexionem per se cum essentia, à qua procedunt. Et consequenter eodem modo loquendum est de vtroque Sacramento.

Respondetur, quod attendendo ad institutionem de facto factam quantum ad omnia, quæ Christi voluntas de facto voluit verum est antecedens: quia Dominus voluit de facto dare tribus Sacramentis virtutem ad causandam gratiam,

& simul characterem vnicuique proprium; at vero attendendo ad eandem institutionem de facto quantum ad motiuum per se primò intentum ab ipso Christo, antecedens est falsum: nam tale motiuum in Sacramento Baptismi tantum fuit regeneratio spiritualis animæ Baptizati; & ideò contulit ei virtutem ad causandum in ea gratiam regenerativam, quæ vt sic respicit personam regeneratam, vt particularis persona est, sine respectu ad alia: sicut in naturalibus, generatio, & forma producta per illam, tantum respicit personam geniti, sine respectu ad alias personas: vndè isto motiuo consecuto saluaretur essentia Baptismi.

Hoc certe est, quod indicant verba ipsa relata D. Thom. vndè ablutione interiori existente posset Baptismus fieri, etiam non existente altero motiuo, scilicet characterе.

Cæterum præuidens Christus defectum naturæ humanæ, propterquem homines regenerati amissuri erant gratiam illam, vt possent congruentius per alia Sacramenta ad vitam spiritualem reuocari contulit virtutem Sacramento Baptismi, vt causaret characterem, qui per modum potentiæ passiuæ disponeret Baptizatum, vt posset recipere congruentius Sacramentum Pœnitentiæ, & alia; at in Sacramento Ordinis motiuum principale fuit bonum commune totius Reipublicæ Christianæ; & ideò contulit virtutem tali Sacramento, vt causaret in Ordinato gratiam iustificantem ipsum, vt personam publicam (vt supra dictum est) & ideò talis gratia secundum in adæquatum conceptum veluti secundarium respicit bonum aliorum; atquè ita exposcit characterem, per quem proximè ad illud ordinetur, vt per propriam potentiam: quapropter deficiente isto motiuo deficeret Sacramentum.

Ita intelligo verba illa D. Tho. *Sed ordo potestatem principaliter importat.* Desumitur doctrina tradita ex eodem Sancto Doctore, quæstion. 35. citat. addit. articul. 1. in corpore, & clarius ad primum, vbi docet, quod Sacramentum Ordinis datur non in remedium vnius personæ tantum, sed in remedium totius Ecclesiæ; & ideò suscipiens Ordinem proficitur ad pellendam ignorantiam in plebe, & in solutione ad tertium, docet: quod *suscipientibus Ordinem confertur amplius gratiæ munus, per quod ad maiora reddantur idonei*, cuius rationem paulò antea assignauit dicens, *Quod sicut illi, qui Ordinem suscipiunt constituuntur super plebem gradu Ordinis, ita & superiores sint merito sanctitatis.* Legatur tota solutio à principio vsque ad finem.

Ad confirmationem primam respondetur, distinguendo maiorem: si diffinitio sit quidditatiua, concedo maiorem, quia illa si est Metaphysice datur per proprium genus proximum, & propriam differentiam, vel per materiam, & formam physicam, si est physica diffinitio.

Si autem diffinitio sit quædam descriptio per genus proximum, vel remotum, & quandam proprietatem, per quam nobis innotescit melius essentia diffiniti, nego maiorem: isto ergo modo est diffinitio Sacramenti Ordinis, quam tradit Magister in quarto, & approbat D. Thom. in additionibus, quæstion. 34. art. 1. 2. vbi videantur Interpretes. Exemplum sit in diffinitione hominis per animal discursiuum, aut admiratiuum, quæ diffinitio datur per genus, & proprietatem.

Ad secundam confirmationem respondetur primò iuxta secundam explicationem D. Thom. assignatam

ad

ad fundamentum principale, illa verba Doctoris Sancto intelligenda esse adhunc sensum, quod Sacramentum Ordinis importat potestatem, quasi effectum per se connexum cum gratia Sacramentali, non verò quod importet illam per se primò. Etiam possunt intelligi, iuxta primam expositionem eorundem verborum.

Secundo respondetur, quod Doctor Sanctus vtitur illo nomine *Sacramentum Ordinis*, secundum generalem rationem, secundum quam significat id, quod est Sacramentum tantum, & id quod est res, & Sacramentum simul, & quia in Sacramento Ordinis character est res, & Sacramentum simul; ideò verificantur illa verba, sicut verificantur in Sacramento Altaris, hæc verba: *Sacramentum Eucharistiæ principaliter cõsistit in corporea Christi*, quia illud est in tali Sacramento res, & Sacramentum simul, non tamen inde infertur, quod Corpus Christi sit principalis effectus Sacramenti sumpti pro speciebus consecratis, de quibus verificatur, quod sunt Sacramentum tantum, quia est gratia cibans conseruans vitam spiritualem, quam supponit.

Ita in præsenti doctrina D. Thom. intellecta modo â nobis tradito non licet inferre characterem esse effectum principalem Sacramenti Ordinis, quod est Sacramentum tantum, imò oppositum: quia illud quod in quolibet Sacramento habet rationem rei tantum est principalior effectus: quia est finis principaliter intentus à quolibet Sacramento. Et ita optimè intelliguntur alia verba relata ibidem, scilicet: *Et quia potentiæ innotescunt per actus, ideò in forma Ordinis exprimitur vsus Ordinis per actum, qui imperatur.*

Dico ergo, quod hæc verba subdidit Sanctus Doctor ad explicandum immediatè id, quod in Ordine est res, & Sacramentum simul,

Ad tertiam confirmationem respondetur primo, iuxta expositiones datas verbis eiusdem Sancti relatis in principali fundamento, quod scilicèt eodem modo sunt exponenda, quę referuntur in dicta confirmatione.

Secundo respondetur in prædictis verbis loqui D. Thom. vel de ordinatione radicali per ipsam gratiam Sacramentalem, quæ quia respicit non solum remedium personæ ordinari, sed etiam totius Ecclesiæ; ideò vt principium radicale respicit sanctificationem aliorum quibus Sacramenta dispensantur, & quia principium radicale operatur per potentiam radicatam in ipso, vt per principium proximum, propterea Sacramentum Ordinis ordinatur ad effectus similes potestati per quam Sacramenta dispensantur, & radicaliter per gratiam, & proximè per characterem, quod nullo modo reperitur in aliis Sacramentis; atquè ita verificantur omnia verba sequentia D. Thom.

Indè tamẽ, non infertur benè conclusio illata in confirmatione: vndè negatur consequentia, si intelligatur consequens de ordinatione immediata illius, quod est Sacramentum tantum, conceditur tamen de eo, quod est res, & Sacramentum simul; ex hoc autem non licet inferre, quia illud non inuenitur in aliis duobus Sacramentis imprimentibus characterem, differentiam à priori consistere inter illa, & Ordinem, in potestate characteris, licet à posteriori cognoscatur per illam, vt per proprietatem.

Ad secundum respondetur primo, negando maiorem absolutè, sed sufficit, quod effectus principalis, & primarius explicetur virtualiter, & implicite, patet hoc in forma Sacramẽti Eucharistię, quę cõsistit in illis verbis: *Hoc est Corpus meum.* Per quæ verba solũ implicitè explicatur gratia cibãs,

Idem in forma mātrimonij, quæ consistit in illis verbis exprimentibus cōsensum interiorem vtriusque coniugis: *Accipio te in meam*, quatenus habent rationem acceptationis consensus alterius, & expressionis eius, quæ tamen verba non significant expressè gratiam vnionis coniugij inter sponsos ad procreandos filios, & educandos secundum legem Christi.

Secundo respondetur, sicut ibi dictum est. Et ad replicam: Respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, & ratio discriminis consistit in hoc, quod alia Sacramenta, vt dictum est, ordinantur præcisè in remedium vnius personę: Sacramē tum verò Ordinis nō ordinatur præcisse in remedium ordinati, sed etiam in remedium totius Reipublicæ; ideò forma aliorum explicatur breui, & artificiosso modo per verba explicitè significantia primarium signatum, & effectum vt: *Ego te abluo: Ego te absoluo, &c.* At forma Sacramenti Ordinis ratione facta non potest explicare congruenti, & artificiosso modo primarium, & essentiale significatū, & effectum, nisi per verba: *Accipe potestatem, &c.* quibus vtitur Ecclesia, quia sic breuiter, & artificiosse implicitè, & virtualitèr significatur gratia excellens sanctificans Ordinatū prefiendo eum aliis, vt conferat alia Sacramenta.

Si autem aliquis vrgeat adhuc probando talem formam, non esse bonam. Dico rationem à priori eius non posse nos assignare, quia quod illa sit forma conueniens est de fide, cum expressè constituatur à Concilio Florē tin. sub Eugenio IV. celebrato super vnionem orientalis Ecclesiæ cum Latina in numeratione septem Sacramē torum Ecclesiæ, dum numerat sextū, qui est ordo, vbi vt formam in dubitatam præscribit assignatam pro Ordine Sacerdotali, & alias similes pro aliis Ordinibus. Vndè creditur traditione Apostolica receptum esse, quod illa instituerit Christus Dominus. Ibi etiam Sacrum Concilium declarādo effectum talis Sacramenti nulla facta mentione characteris dicit esse augmentum gratiæ, vt quis sit idoneus minister, & sic videtur supponere, quod character est effectus secūdarius, cuius mentionem non oportuit facere expressè, quia manifestato primario implicitè manifestatur secundarius, de quo etiam mentionem expressam fecerat in §. 2. decret. de septem Ecclesiæ Sacramentis.

Si autem aliquis inquirat, quo modo diffinitione metaphisica possit diffiniri ordo. Dico, quod isto: *Est signū gratiæ excellentis sanctificantis ordinatum in ordine ad idoneam dispensationem aliorum Sacramentorum, & rectum vsum Ordinis.*

Ad tertium respondetur concessa maiori, loquendo de connexione per se, negando minorem. Ad probationem respondetur: distinguo antecedens, per se, & quantum est ex parte sui, nego antecedens, per accidens ex deffectu dispositionis subiecti, concedo antecedens, & negatur consequētia, quia illud quod contingit per accidens, non aufert illud, quod est per se.

Etsi quærat aliquis, quare indefectibiliter ordo causat characterem in ordinato: Dico rationem esse: quia ordinatus ad illum effectum recipiēdum semper, quod est dispositus ad recipiendum validè Sacramentum est sufficienter dispositus: quia talis dispositio est voluntas recipiendi Ordinem cum illa intentione, quam habet Ecclesia, & habuit Christus, in eius institutione, & collatione, dum ordinauit Apostolos. Hæc de dubio annexo præcedenti propter difficultatem, quæ tangitur in doctrina D. Thom. relata in principali fundamento, & eius Confirmationibus, quæ nondum ab aliis Thomistis declarata est, licet viderim plures. Hæc etiam de articulo quarto.

AR-

ARTICVLVS. V.

Vtrùm character insit animæ indelebiliter?

CONclusio est affirmatiua. Ratio est, quia character Sacramentalis est quædã participatio Sacerdotij Christi in fidelibus eius, sed Sacerdotium Christi est æternum, secundum illud Psalmi. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*: ergo character est indelebiliter in anima. Consequẽtia probatur: omnis sanctificatio, quæ fit per Sacerdotium Christi à ministris eius est perpetua, re cõsecrata manente, vt patet in rebus in animatis; etenim Ecclesiæ consecratio, altaris, vel Calicis, semper manet quandiù tales res manent, sed hoc prouenit ex eo, quod talis consecratio prouenit à Sacerdotio Christi mediante charactere ministrorum: ergo ipse character in quantum est participatio talis Sacerdoti: est perpetuus, ex alia etiã parte est participatio recepta in anima intellectiua secundum illam partem, in qua est fides (vt dictum est articulo præcedenti) ergo est indelebilis in ipsa anima, & habet perpetuitatem, quam habet ipsa anima.

Circa istam conclusionem primo est notandum ipsam esse de fide, quia expresse diffinita est in Concilio Trident. Sess. 7. Can. 9. & in Cõcilio Florent. vbi supra in illo decreto vnionis: ex quo Trident. infert Sacramenta imprimentia characterem iterari non posse. Suppetunt huic veritati Sãcti Patres, inter quos legendus est August. lib. 1. *de Baptismo contra Donatistas*, cap. 1. & lib. 2. *contra Parmen.* cap. 13. vbi docet Sacramenta Baptismi, & Ordinis manere in Apostatis, quia scilicet manent in aliquo effectu nempè in charactere.

Secundo est notandum, quod supposita fide istius veritatis, ratio D. Thom. facta pro ipsa est optima, & efficax, quę fundatur non solum in perpetuitate subiecti, & in æternitate Sacerdotij Christi, cuius est quædã imperfecta participatio character, sed in his duobus, & in eo quod supposito decreto, quo Deus decreuit illum in perpetuum inhærere animæ (habendo in hoc similitudinem cum potentia naturali, quæ immobiliter inest suo subiecto) non est ex parte Dei aliquid à quo pereat; similiter cum non habeat aliquod contrarium, à quo expelli possit, sequitur per optimam cõsequentiam, quod indelebiliter hæreat animæ: quod non habeat contrarium aliquod probatur: nam peccatũ mortale, etiam hæresis ei non contrariatur, cum semel Baptizati, Confirmati, & Ordinati, propter peccata quã tumuis enormia, non rebaptizentur, confirmentur, neque ordinentur. Ex quo sequitur, non rectè opponi ab aliquibus Theologis gratiam esse primarium effectum Sacerdotij Christi, & esse in anima incorruptibili, & tamen esse corruptibilem. Similiter etiam non rectè nobis opponunt fidẽ, quæ etiamsi sit in intellectu, qui est incorruptibilis, adhuc corrumpitur. Nõ (inquam) rectè opponunt nobis hæc contra rationem D. Thom. quia illa non fundatur in immutabilitate subiecti respectu corruptionis, sed in tribus principiis assignatis, ex quibus deficit tertium in exemplis allatis: quia Deus non statuit dare gratiam, & fidem inamissibiliter attendendo ad naturas harum qualitatum, quæ habent contrarium, à quo expelli possunt, & de facto expelluntur: et enim gratiæ contrariatur quodcunque peccatum mortale, & fidei contrariatur peccatum hæresis, & in fidelitas contraria.

EST,

EST TAMEN DVBIOEVM.

Vtrùm character ita sit indelebilis vt etiam de potentia Dei absolutè nō possit destrui, & ab anima deleri?

RATIO dubitandi pro parte negatiua est: quia ratio D. Thom. videtur probare etiam respectu potētiæ absolutę Dei: ergo. Probatur antecedens, quia res consecrata à Sacerdote ait D. Thom. semel consecrata nunquam consecrationem āmittit, nisi destruatur subiectum, etiam de potentia Dei absoluta (vt constat in Calice, & aliis) sed character est indelebilis, quia est quædam consecratio animæ, quam semel consecrata non potest amittere: ergo ex ista ratione infertur etiam de potentia Dei absoluta non posse characterem deleri ab anima.

Hoc tamen non obstante dico, quod de potentia Dei absoluta potest character ab anima separari, & deleri per sui destructionem. Ratio huius est euidens: quia omnis qualitas realis nō habens necessariam connexionem cū subiecto in omnium opinione potest deleri, & separari à subiecto ipso incorrupto manente: imò omnes Thomistæ id sentiunt vt probabilius de propriis passionibus, quæ sunt potentiæ superadditæ proprio subiecto, sed character est qualitas superaddita animæ, non habens connexionem necessariam cum illa: ergo potest à Deo de sua potentia absoluta deleri. Maior patet, nam omnis entitas realis conseruatur à Deo per suam actionē, sed Deus potest de potentia sua absoluta suspendere suum concursum, quo res in esse conseruat: ergo potest suspendere concursum, quo characterem in anima conseruat, & consequenter potest illum corrumpere.

Ad rationem in contrarium respondetur conclusionem, & rationem D. Thom. applicatam characteri solum procedere loquēdo de illo de facto, & secundum legem ordinariam: vndè dico similitudinem illam nō tenere in omnibus, quia consecratio in Calice, & aliis rebus nō est aliqua entitas, sed denominatio extrinseca ab actu præterito proueniens, & quoniā ad præteritum non est potentia; ideò illa consecratio censetur manēte subiecto ex natura rei in amissibilis etiā de potentia absoluta Dei, at character qui est consecratio animæ est entitas realis pendens à Deo in sui conseruatione; & ideò potest ab ipso saltem de potentia absoluta deleri, & corrumpi.

Secundo respondetur, negando antecedens, & ad probationem iterum antecedens negatur: quia benè potest fieri per potentiam Dei absolutam, quod Calix, & quælibet res consecrata consecrationem amittat, vel execrando, & maledicendo illam aliquibus cæremonijs, vel actibus contrariis, vel certè statuendo, quod amplius ad sacros vsus non destinata, & ordinata sit, sicut cessante veteri lege factum est vt templum, & vasa eius, quæ ante erant quodammodo sacra, suum statum, & dignitatem amitterent. Idem patet in aliquibus moralibus denominationibus, quæ cessant per contrariam voluntatem Principis. Etenim multoties aliquis deputatur ad aliquod officium, quæ deputatio licet ex natura rei sit perpetua, tamen ab habente potestatem sufficientem reuocatur per contrariam voluntatem. Cum ergo D. Thom. docet, quod res semel consecrata si maneat non potest amittere consecrationem, intelligitur secundum legem ordinariam Dei, & quantum ex parte rei ipsius potest colligi, aut ex natura talis consecrationis, si perpetua sit: nam etiam potest fieri ad tempus certum, & tunc finito, & transacto illo tempore cessauit cōsecratio (vt patet de se) Videatur Suar. circa totum istum articulum, qui optimè explicat conclu-

sionem

sionem D. Thom. & aliqua curiosa docet, in quibus non aduersatur doctrinę D. Thom. videatur etiam Caiet. super istum articulū, quia aliqua curiosa, & scitu digna docet contra Scotum. Et hęc de hoc dubiolo.

Circa solutionem ad 1. & 2. aduertenda maximè est doctrina, quam tradidit D. Sanctus, explicando ad primum, quo modo forma incompleta, qualis est virtus instrumentalis attenda est secundum conditionem agentis principalis, & nō subiecti, quia illam conditionem sequitur: in solutione verò ad 2. notanda est ratio huius, quam assignat D. Thom. dum ait: *Quod cum ratio instrumenti consistat in hoc, quod ab alio moueatur, & nō in hoc, quod seipsum moueat quamtūcunque voluntas moueatur, non tamen character remouetur ab anima propter immobilitatē principalis mouentis*: est enim hæc doctrina optima pro illis, quæ dicta sunt à nobis, quæstione præcedenti in dub. 2. & 3. de virtute Sacramentorum ad causandū gratiam, quod scilicet, sit motus quo à Deo mouentur ad effectum Sacramē talem producendum. Et hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm per omnia Sacramenta nouæ legis imprimatur character?

COnclusio. Per tria tantum Sacramenta imprimitur character, scilicet per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Hęc conclusio probatur ratione D. Thom. in corpor. supponendo ex supra dictis, quod character est potentia ad recipiendum, vel tradendum aliis ea, quæ sunt cultus diuini. Hoc principio suppositio tanquam necessario ad intellectum rationis (vt hic aduertit Caiet.) ratio sic formatur. Illa Sacramenta imprimunt characterem, per quæ homo deputatur ad recipiendum, vel tradendum aliis ea, quę sunt cultus diuini, sed tantum per tria Sacramenta sic homo deputatur: ergo illa tantum imprimunt characterem: Discursus est optimus. Maior implicitè habetur tantum in litera D. Thom. dum docet S. D. quod non omnia Sacramenta directè ordinantur in cultum diuinum, quæ doctrina secundum maiorem discursus debet intelligi, quod scilicet non ordinantur directè ad cultum per modū deputantis immediatè ad talem cultum, & ex hoc principio suppositio habetur certa. Et probatur minor: nam tripliciter aliquid ordinatur in cultū diuinum: vno modo per modū actionis, sicut ordinatur Eucharistia. Secūdo modo per modum agentis, & tertio per modum recipientis, sed illud Sacramentum, quod ordinatur per modum actionis non causat characterem: ergo solum causant characterē illa, quę secundo & tertio modo ordinantur. Minor probatur, quia Eucharistia, quæ illo modo ordinatur ad cultum, tanquam actio sacra, in qua potissimum consistit diuinus cultus in quantum est Ecclesię sacrificium non ordinat hominem ad aliquid vlterius agendum, vel recipiendum in Sacramentis, cum sit ipsum finis, & consummatio omnium Sacramentorum: ergo Sacramentum, quod ordinatur ad cultum diuinum per modum actionis non causat characterem: relinquitur ergo vt certum, quod sola Sacramenta, quæ ordinantur ad cultum diuinū secundo, & tertio modo characterem imprimant: illa vero tātum sunt tria: ordo qui ordinatur ad cultum per modum agentis, quia per illud Sacramē tum deputatur homo ad actiuè conficienda Sacramenta alia, & tradenda aliis; & ideò homo indiget potestate ad tales actiones, & consequenter tale Sacramentum imprimit characterem. Baptismus, & Confirmatio ordinantur ad cultum diuinum per modum recipientis; & ideò in illis datur

potestas

potestas ad recipienda alia Sacramenta. Circa illam conclusionem D. Th. est notandum illam esse de fide, sicut & conclusio præcedentis articuli, estque diffinita in eisdem locis in quibus diffinitur præcedens in Conciliis citatis, quod scilicet tria Sacramenta numerata imprimunt characterem, & nullum aliud ab illis imprimit illũ qua supposita veritate, ratio D. Tho. est efficax, supponendum tamen est, quod ratio primaria à priori desumpta huius veritatis solum potest assignari institutio Dei sic volentis, & statuentis.

CIRCA TOTVM DISCVRsum articuli est dubium breue.

Vtrùm tota doctrina D. Thom. in illo tradita sit vera?

ARguitur pro parte negatiua contra illud, quod in principio corporis docet D. Th. scilicet, Sacramentum Pœnitentiæ non ordinari directè ad diuinum cultum.

Contra. Tale Sacramentum ordinatur ad diuinum cultum per modũ patientis: ergo directè, & consequenter etiam imprimere debet characterem. Probatur antecedens, quia per Sacramentum Pœnitentiæ homo ordinatur ad sumptionem Eucharistiæ debita dispositione, sed in tali Sacramento potissimè diuinus cultus consistit: ergo, &c.

Secundo contra. Contra illam propositionem, in qua ait D. Tho. *Quod non omnia Sacramenta ordinantur directè ad diuinum cultum*, & contra illam quam docet dum ait: *Quod Eucharistia per modum actionis ordinatur ad cultum diuinum directè*. Contra vtramque est argumentum, quia omnia Sacramenta (vt docet ipse Sanctus in initio corporis articuli) directè ordinantur ad cultum diuinum per modum actionis sacræ: ergo id nõ est specialiter concedendum Eucharistiæ, & negandum aliis. Antecedens probatur, quia omnia Sacramẽta sunt actiones sacræ, & cæremoniæ religiosæ, propterquam rationem omnes Theologi, supra quæst. 60. docẽt, quod directè ordinantur ad cultum diuinum: imò principalius, quam ad nostram sanctificationem: ergo antecedens illud est verum.

Confirmatur: nam qui suscipit Sacramentum aliquod in peccato mortali peccat peccatum irreligionis: ergo legitima susceptio est actus religionis, & consequenter omnia Sacramenta respiciunt cultum diuinum directè.

Ad horum solutionem præmittendum est primò, quod aliquod Sacramentum ordinari ad cultum diuinum stat dupliciter, primò modo quasi materialiter in hoc sensu, quod sit in se ipso actus quidam sacer, quo de facto Deo tribuitur cultus diuinus sibi gratus, & acceptus: alio verò modo formaliter in hoc sensu, quod non solum ipsum Sacramentum in se ipso sit actio religiosa, & sacra, sed quod ex modo, quo celebratur exhibeatur per se primò ad honorem Dei. Primò modo omnia Sacramenta ordinantur directè ad cultum diuinum propter rationem factam in secundo argumento: Secundo verò modo, vel per modum actionis formaliter, quo pacto ordinatur Eucharistia, vel per modum conferentis ius ad actiones sacras Sacramentales quo modo ordinantur directè tria Sacramenta imprimentia characterem.

Secundo prænotandum est, quod de Eucharistia possumus loqui, vel in quantum est Sacramentum, vel in quantum est sacrificium, est enim diuersa ratio Sacramenti, & sacrificii formaliter: nam vt Sacramentũ exercetur eius actio sacra per modum cibi, & potus spiritualis animæ, & ita per se primò est signum gratiæ cibans gratis, & ordinatur per se primò ad gratiam

tiam cibãtem cauſandam in anima, vt patet ex eius forma: *Hoc eſt corpus, &c.* In quantum vero Sacrificium reſpicit immediate honorem Deo exhibendum, in quantum cauſa noſtræ ſalutis, & Dominus illius eſt: vnde in ratione Sacrificij quatenus ſub tali ratione exhibetur ex modo proprio quo exhibetur immediate reſpicit diuinum honorẽ, & cultũ: quoniam potiſsimus Dei cultus in Sacrificio, & oblatione exercetur: quando ergo D. Thom. ponit diſtinctionem inter Euchariſtiam, & alia Sacramenta in hoc, quod eſt ordinari ad Cultum Diuinum directe, vel indirecte, loquitur de Euchariſtia ſub ratione Sacrificij (vt patet ex illis verbis, *In quantum eſt Eccleſiæ Sacrificium*) & non loquitur de illa, in quantum eſt Sacramentum, ſic enim commune eſt illi cum alijs Sacramẽtis ordinari ad Cultum Diuinũ, materialiter, & non formaliter: quia nõ conferuntius ad actiones ſacras, neque exhibentur per modum actionis ordinatæ ad cultum Dei, ſed potius ordinatę immediate in commodum ſpirituale animarum, vt ex formis omnium Sacramentorum conſtat.

Ad primum ergo negatur antecedens. Ad cuius probationem diſtinguo maiorem: ordinatur ad ſumptionem religioſam, & fructuoſam Euchariſtiæ primo, & perſe nego maiorem, ſecundario, & indirecte concedo maiorem: vnde ad miſſa minori negatur conſequentia. Ratio ſolutionis eſt: quia (vt ex propria materia Pœnitentiæ habetur) tale Sacramẽtum inſtitutum eſt perſe, vt medicina ſanãs à peccato mortali: & vt medium ad ſalutem, ex conſequenti verò ordinatur ad alia Sacramenta viuorum recipienda, & hoc non vt cõferens ius ad illa recipienda, ſed vt remouens prohibens: quia Sacramẽta viuorum, qualis eſt Euchariſtia nõ poteſt fructuoſe, imo, neque vere recipi licite ab homine exiſtẽte cũ cõſcientia peccati mortalis. Ex quo ſequitur, quod directe Sacramentum Pœnitentiæ non ordinatur in cultũ Dei formaliter.

Ad ſecundum patet ex dictis in noſtris duobus notabilibus, & reſpõdetur in forma, negando antecedens in ſenſu formali. Ad cuius probationem dico, quod illa doctrina intelligitur de ordinatione Sacramentorum materialiter, ſeù ex parte rei in ſe, non verò formaliter, & ex parte modi quo conferuntur homini, & cõficiuntur, & hoc tantum probat ratio facta, & ita intelligendus eſt D. Th. in initio corporis articuli, dum docet: *Omnia Sacramenta nouæ legis ad duo ordinari, ſcilicet, ad remediũ contra peccatum, & ad cultũ Dei.* Quia, ſcilicet, taliter ſunt remedium contra peccatum, quod etiam ſunt ceremoniæ ſacræ, quibus de facto Deus colitur, non tamen exhibentur per modum actionis ad id primò, & per ſe tendentis, neque vt conferẽtia ius ad agendum, vel patiendum aliquid diſtinctum, ſcilicet ad actiones alias ſacras Sacramentales, vel ad confeſſionem fidei exteriorem, quatenus illis ſpecialiter Deus colitur. D. Thom.

Ad confirmationem. Reſpondetur admiſſo antecedenti, & conſequẽtia pro prima parte, negatur pro ſecunda, quia vt illegitima ſuſceptio Sacramenti alicuius ſit actus irreligionis ſufficit, quod ipſum Sacramẽtum ſit in ſe ſacra ceremonia, & quod ratione ſuæ ſanctitatis petat hominem accedere ad ipſum, ſine conſcientia peccati mortalis, in quo omnia Sacramenta conueniunt etiam mortuorum, ſi verò in particulari ſermò ſit de Sacramento Pœnitẽtiæ de illo dico, quod male accedere ad illud immediate, & directe eſt actus oppoſitus virtuti Pœnitentiæ, quatenus actus talis virtutis eſt pars eſſentialis talis Sacramenti, qui non compatitur in homine accedente ad

illud

illud cum conscientia peccati mortalis, consequenter verò est contra ipsam sanctitatem Sacramenti, ratione cuius petit, vt religiosè, & sancte recipiatur. Secundo distinguo consequens pro illa secunda parte: ordinantur directe ad cultum Dei in se ipsis consistentem, transeat, ad cultum Dei extra ipsa Sacramenta, nego consequentiam. Volo dicere, quod vnumquodque Sacramentum directè respicit cultum diuinum, qui exhibetur in vsu ipsius Sacramenti: non verò ordinatur vnumquodque ad cultum, qui exhibetur in aliis Sacramentis, sicut dicit D. Thom. de Eucharistia in corpore articuli: Vndè sicut propter istam rationem Eucharistia, non imprimit characterem, ita neque alia, quia solum tria numerata conferunt ius ad alia Sacramenta ministranda, vel recipienda, & consequenter solum illa ordinantur formaliter ad cultum diuinum directè depurando ad cultum exhibendum in aliis Sacramentis. Hæc de hoc articulo, & de tota hac quæstione ista, & materia.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXIV.

DE CAVSA SACRAMENTORUM.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm solus Deus operetur interius ad effectum Sacramenti?

PRIMA conclusio: Solus Deus operatur interiorem effectum Sacramenti per modum agentis principalis. Ratio huius conclusionis est, quia gratia, quæ est potissimus inter interiores Sacramenti effectus, est à solo Deo (vt docet ipse Sanctus Doctor 1. 2. quæstion. 112.) character vero, qui in aliquibus Sacramentis est minus principalis effectus interior etiam solum est à Deo: ergo, &c. Antecedens pro prima parte probatur ex illo ad Roman. 8. *Deus est qui iustificat*, cuius sensus est, quod solus Deus est agens principale gratiæ iustificantis, & ad istum sensum adducit D. Thom. istũ locum in argumento *sed contra* istius articuli: ergo gratia est à solo Deo vt ab agente principali. Probatur antecedens illud pro secunda parte. Character est virtus instrumentalis, quæ manat immediatè à principali agente, qui est Deus: ergo solum est à Deo.

Secunda conclusio. Homo potest operari interiorem effectum Sacramenti instrumentaliter. Ratio huius est, quia eadem ratio est ministri, & instrumenti: sed homo operatur per modum ministri: ergo per modũ instrumenti. Probatur maior, quia actio ministri, sicut instrumenti effectus interioris Sacramenti exterius adhibetur, & attingit effectum interiorem Sacramenti ex virtute principalis agentis, quod est Deus. Circa primam conclusionem D. Thom. nihil est in præsenti agendum: quia propriam sedem sibi vendicat apud ipsum Doctorem 1. 2. quæstion. 112. vbi ex professo agitur: vtrũ solus Deus sit causa principalis gratiæ: vndè solũ circa secundam conclusionem volo tractatum brebẽ traditæ materiæ inferere de causa ministeriali gratiæ Sacramentalis.

SIT ERGO PRIMVM DVB.

Vtrùm minister Sacramenti sit causa gratiæ illam producendo in illo, qui suscipit Sacramentum?

RAtio dubitandi pro parte negatiua ex D. August. desumitur lib. 2. de peccatorũ meritis, & remissione c. 14. vbi probare contendit solum Christum iustificare homines, & addit Paulũ quidẽ dicere potuisse: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi, sed nõ iustificamini à me, sicut & ego à Christo sum iustificatus*, & in aliis locis idem vide-

tur docere (vt citant Interpretes) cui consonat illud, quod D. Thom. docet in art. isto solutione ad 1. vbi docet, quod purgatio secundum quod ministris Ecclesiæ attribuitur non est à peccato: ergo videtur quod ministri non sunt veræ causæ gratię.

Confirmatur, quia minister solum concurrit vt applicans formam materiæ Sacramentali, vel vt conferens Sacramentum suscipienti, sed applicans vt sic non verè est causa effectus: ergo minister non est causa perse gratiæ.

Sis conclusio. Minister consecratus est propriè causa gratiæ Sacramẽtalis ingenere moris, & ingenere physico. Hanc conclusionem docent communiter omnes Thomistæ. Et probatur prima pars ex locis sacræ Scripturæ. Sit primus desumptus ex Matth. cap. vltimo. *Baptizantes eos in nomine Patris, & filij, &c.* Baptizantes, idest abluentes: ergo sicut ipse Baptismus est ablutio, non tantum exterior, sed interior animæ per gratiam regenerantem, ita minister deputatus abluit interius animam, & consequenter est causa gratiæ. Secundus locus sit desumptus ex illo Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ex quibus verbis colligunt Sancti Patres, quod Sacerdotes habent potestatem remittẽdi peccata, sed peccata non remittuntur, nisi per gratiam: ergo habent potestatem causandi gratiam.

Confirmatur ex diffinitionibus Conciliorum. In Florent. in decreto sępe citato dicitur, quod Sacramenta tribus perficiuntur materia, videlicet forma, & persona ministri, sed forma, & materia Sacramenti causant gratiam: ergo similiter, & persona ministri. In Tridentin. Session. 14. cap. 6. & Canon 9. & 10. Sessione. 23. c. 1. & Canon 1. diffinitur etiam Sacerdotes remittere peccata: ergo in eadem diffinitione continetur esse causas gratiæ.

Secunda pars conclusionis, quod causent illam moraliter, explicari debet iuxta illum modum, quo supra diximus de ipsis Sacramentis esse causas morales gratiæ, & brebitèr nunc probatur: quia minister quando exhibet Sacramentum operatur, vt causa moralis, quia operatur per liberum arbitrium se mouens per rectam intentionem necessariam ad valorem, & effectum Sacramenti: ergo operatur moraliter effectum Sacramenti.

Tertia, & vltima pars probatur hac ratione: nam minister consecratus physicè est causa Sacramenti causantis gratiam: ergo est causa gratiæ. Probatur consequentia ex illo communi proloquio: quidquid est causa causæ est causa causati, sed minister efficienter physicè causat Sacramentum: ergo in eodem genere causat gratiam ipsius Sacramenti.

Secundo probatur tota conclusio quoad omnes partes hac ratione desumpta ex formis ipsorum Sacramentorũ. Sacramenta efficiunt, quod significant, sed formæ Sacramentorum significant ipsos effectus Sacramentorum perse produci à ministris: ergo ministri causant gratiam Sacramentalem. Discursus est euidens, maior certa: quia Sacramentum est signum practicum: minor ex locis supra citatis habetur: quia ex illis colligitur, quod forma Baptismi est hæc: *Ego te Baptizo, &c.* in Pœnitentia forma eius est: *Ego te absoluo*: hæc autem verba expressè significant, quod ministri lauant, & absoluunt animam à peccatis: ergo conferunt gratiam tollentem peccata.

Vnde ad rationem dubitandi. Respondetur Augustt. & alios Sanctos Patres intendere excludere causalitatem principalis agentis à ministris Ecclesiæ, tam genere moris, in quo genere Christus, vt homo est causa nostræ salutis, & gratiæ quam in genere physico, non tamen intendunt excludere causalitatem ministerialem, & instrumentalem.

lem. Ad verba D. Tho. eodem modo dicitur, quod ibi loquitur de purgatione, quæ fit à ministris in genere causæ principalis, quia illa non est à peccato, cum nullus præter Deum sit causa principalis mundans à peccato, vt causa physica: et in genere moris nullus præter Christū est etiã causa principalis mundans à peccato: per hoc autem non intendit D. Thom. tollere à ministris purgationem à peccato ministerialitèr, & instrumentalitèr, vt constat ex secunda parte solutionis, in qua docet quod *Sacerdotes non illuminant populum gratiam infundẽdo, sed Sacramenta gratiæ tradendo*, in quibus verbis aperte negat D. Thom. Sacerdotibus infusionem gratiæ procedentem ab illis, vt ab agẽtibus principalibus, non verò vt ab instrumentis, sed potius cõcedit, quod eo modo quo Sacramenta ipsa infundunt gratiã instrumentalitèr, ita, & ipsi Sacramentorum ministri, concurrunt instrumẽtalitèr.

Alij aliter exponunt dicẽdo, quod D. Th. loquitur in illa solutione in eo dẽ sensu, in quo D. Dionis. 5. c. cęlestis Hierarchiæ ait, actionẽ purgandi spiritualitèr animas specialiter tribui illis ministris ad quos spectat docere, admonere, atquè disponere fideles ad Sacramentorum receptionẽ, quasactiones faciunt tales ministri, vt causæ principales, vt patet in exemplis positis à D. Thom. de Diaconibus, qui principalitèr eiiciunt immundos, â cætu fidelium.

Ad confirmationem respondetur, negando antecedens, sed etiam concurrit, vt exhibens Sacramentum ipsum causans gratiam, tanquam verus minister, & necessarius ad valorem, & fructum Sacramenti; vndè ex ministro, & ipso Sacramento fit vnũ instrumentum adæquatum causans physicè gratiam mediante eleuatione virtutis diuinæ. Hæc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM EST:

Vtrùm omnes ministri Sacramentorũ etiam non consecrati, & deputati ex officio causent gratiam Sacramentalem?

IN hoc dubio duas inuenio sententias inter Theologos asserẽtes Sacramenta esse propriè causas gratiæ: nam quidam dicunt, quod ministri non deputati per characterẽ administrandum Sacramenta, & conficienda non causant gratiam propriè loquendo, sed solum se habent, vt cõditiones *sine quibus non*: quia si laicus (v.g.) qui in casu necessitatis est minister Baptismi illum non cõferret puero periclitanti Baptismus non causaret gratiam. Placuit iste modus dicendi Capreol. in 4. dist. 1. quæst. 2. & Palud. ibidem, & dist. 5. quęst. 2. loquendo verò de ministris deputatis per characterem, docent quod illi causant gratiam.

Probatur ista sententia his argumentis. Primum: ille minister solus causat gratiã, qui habet virtutem, & potestatem ad illam efficiendam, sed solus minister consecratus habet talem virtutem: ergo solus ille causat gratiam. Probatur minor: quia virtus ad causandam gratiam est character Ordinis, quia solum ille est simpliciter actiuus in ordine ad effectum Sacramenti, sed istum characterem non habet, nisi minister consecratus: ergo solus ille causabit gratiam.

Secundò. Solus Sacerdos consecratus est minister Sacramentorum, & Religionis ex officio, cęteri verò nõ, vt patet in laico baptizante, & conficiente Sacramentum matrimonij: ergo solus ille causat gratiam. Probatur consequentia: quia productio gratiæ est actio sacra, & Religiosa: ergo indecens est, quod fiat à ministro nulla sanctitate ad illam deputato.

Tertio sequitur: quod eadem ratione quicunque Hęreticus ministrãs

Sacramentum Baptismi causaret gratiã. Consequens est falsum: ergo. Probatur minor: nã talis hęreticus potest esse negans virtutem, & efficaciam Sacramentorum: ergo sic ministrans non causat gratiam: non enim videtur posse intelligi, quod ille talis cõcurrat ad effectionem gratiæ.

Quartò, quia etiam sequeretur, quod quicunque porrigens Eucharistiam alicui causet gratiam. Consequens est falsum: ergo. Maior probatur, quia ille est minister illius Sacramenti: ergo sicut alij ministri aliorũ Sacramentorum causant gratiam, ita & minister illius. Minor verò probatur, quia eodem modo sequeretur, quod Brutum animal porrigens Eucharistiam causaret gratiam, quia eodem modo se habent.

Secunda sententia asserit, quod quicunque minister Sacramentorum, siuè consecratus, siuè non consecratus, ex officio dum ministrat Sacramẽtum causat gratiam illius Sacramenti. Hanc sententiam communiter defendunt omnes Thomistæ exceptis duobus citatis pro opposita.

Conclusio nostra sit, quamuis ministri consecrati perfectius concurrant ad gratiæ Sacramentalis productionem, quã nõ consecrati, tamẽ omnes etiam non consecrati causant efficienter physicè gratiam.

Hæc conclusio explicatur, & probatur pro prima parte hac ratione: nã ministri consecrati operantur productionem gratiæ per qualitatẽ supernaturalem permanentem, scilicèt per characterem, & simul per virtutem communicatam per modum transeũtis pro illo tunc, pro quo gratia efficitur in anima suscipientis Sacramentum; at ministri non consecrati solũ per virtutem fluentem, sed perfectius operatur agens, quod operatur per formam permanentẽ, quã illud quod operatur tantum per formam transeũtem: ergo ministri consecrati perfectius attingunt productionem gratię, quam alii non consecrati. Secũda verò pars probatur primo, omnibus rationibus factis pro conclusione dubij præcedentis, quia omnes & etiã diffinitiones Conciliorum, & loca sacræ Paginæ videntur in discriminatim procederede omnibus ministris, propterquam rationem Mag. Nuño tom. de Sacram. quæst. 64. art. 1. difficul. 2. in probatione suæ primæ conclusionis putat contrarium huius nostræ esse temerarium, & proximum errori: ergo.

Probatur secundo hac ratione, Minister Sacramenti, non consecratus ita perse pertinet ad Sacramentum à se confectum, atquè minister consecratus, sed iste causat gratiam Sacramenti à se confecti: ergo & alter. Cõsequentia patet, quia ideò minister consecratus causat gratiam Sacramẽti à se confecti, quia perse pertinet ad tale Sacramentum. Maior verò probatur: Omne Sacramentum perse pẽdet à persona ministri à qua fit, sed Sacramentum Baptismi factum à laico non habet aliũ ministrũ, nisi laicum: ergo eius persona pertinet ad tale Sacramentũ: fit ergo ex illa, & ex Sacramento vnum adæquatum instrumentum causans gratiam.

Confirmatur. Sacramentum omne (vt patet ex Concilio Florent. sup. citat.) pendet perse in suo esse à persona ministri ipsum cum recta intentione conficientis: ergo pendet etiã per se in sua operatione. Consequẽtia patet, quia sicut res se habet ad esse ita ad operationem, tunc rursus, sed qũãdò Sacramentum efficitur, & datur à ministro, nõdeputato per characterẽ, non est nisi talis persona ministri: ergo pendet per se ab illa in esse, & in operari: ergo sicut minister consecratus causat gratiam, ita non consecratus.

Sed contra istam conclusionẽ sunt duo argumenta ad vnũ effectũ producendum sufficit vna virtus, sed ad gratiam producendam instrumentaliter ponitur

ponitur vna virtus in ipsis Sacramentis: ergo non est ponenda in ministris etiam consecratis. Probatur consequētia, quia vna virtus non potest esse, nisi in vno subiecto. Secūdo, & procedit de ministris non consecratis: nā si illi causans gratiam: ergo superflue consecrantur aliqui per characterem ad illam causandam, dum ministrant Sacramenta. Probatur consequentia: nam minister non consecratus eodē modo conficit Sacramentum Baptismi (v.g.) & eodem modo concurrit ad gratiam producēdam: ergo superflue consecrantur alij ad illum effectum, quia frustra adhibetur id, quod per se non est necessarium ad aliquē effectum.

Ad hęc immediatè: respondetur ad primum, concessa maiori, & minori, negatur consequentia.

Ad probationem dico, quod minister, & totum Sacramentum secundum quod habent rationem vnius instrumenti adęquati habent etiam rationem vnius subiecti virtutis Sacramentalis, ad quod non inconuenit esse diuersa in esse rei, vt patet in ipsa materia, & forma Sacramentorum, quæ licet sint res diuersæ, tamen quia ex illis fit vnum Sacramentum sunt vnum subiectum eiusdem virtutis adæquatæ, ita etiam quia persona ministri est necessaria per se ad Sacramē tum, & ad ipsum per se pertinet, ideò ratione istius habitudinis habet rationem partialis instrumenti respectu effectus gratiæ ipsius Sacramenti, & etiam rationem partis subiecti adæquati virtutis instrumentalis causatiuæ gratiæ.

Ad secundum negatur, consequentia propter duas rationes: prima, quia minister Sacramēti Baptismi (vt proprio loco dicitur) per se loquendo debet esse consecratus charactere Ordinis Sacerdotalis, & solum per accidens in casu extremæ necessitatis sufficit laicus.

Ex quo sequitur, quod necessariò debent aliqui fideles consecrari ad tale Sacramentum ministrandum. Secunda ratio est, quia vt aliquis magis reuerenter, & proportionatè ad ipsam sanctitatem Sacramenti illud ministret necessariò debet aliqua sanctitate consecrari, per quam quasi proportionetur, vt ex officio tale Sacramentum ministret. Ille autem, qui sine tali consecratione ministrat Baptismum illum non ministrat ex officio, neque secundum tantam proportionem, & reuerentiam, sed solum ratione maximę necessitatis Baptismi ille laicus permittitur ad illam ministrandum, vt Vicarius proprii ministri ex officio deputati. De Sacramento matrimonii dicendum est, quod nullo modo petit ministrum consecratum: quia est contractus quidam naturalis eleuatus ad esse matrimonij, cōtractus autem nullam consecrationem petit in personis cōtrahentibus, sed solum habilitatem ad contrahendum, & dispositionem ad Sacramentum recipiendum.

Ad argumenta à principio. Respondetur, concessa maiori, negatur minor.

Ad eius probationem respondetur distinguo maiorem: Virtus permanens in completa, concedo maiorem, virtus per modum actus, & fluxus, nego maiorem: sed talis virtus (vt ex dictis supra patet) communicatur postea Sacramento, & ipsi ministro pro illo tunc in quo causatur de facto ipsa gratia Sacramenti.

Ad secundum, concesso antecedenti, distinguo consequens: per virtutem permanentem, & transeuntem simul, concedo consequentiam, per virtutem transeuntem, & sufficientem ad effectum producendum, nego consequentiam, quia vt per talem virtutem aliquis minister causet gratiam sufficit, quod in casu in quo permittitur minister exerceat actionem religiosam conficiendo ipsum

Sacramentum, & ipsum tribuendo.

Ad tertium respondetur, quod in illo casu si ille Hæreticus intendit cõficere Sacramentum, & ipsum tribuere nomine Ecclesiæ, non obstat quod secundum suum errorem neget efficaciam Sacramenti, quominus verũ Sacramentum efficiatur, & effectus eius communicetur suscipienti, quia eo ipso, quod habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & tribuendi Sacramentum ad illum finem, ad quem tribuit Ecclesia exhibet se legitimum Ecclesiæ ministrum per cuius fidem, & intentionem conficit verũ Sacramentum, & eius effectum communicat.

Ad quartum respondetur, quod si sit porrigens Eucharistiam, & simul conficiens, tunc verè causat gratiam, si verò sit tantum exhibens Sacramentum iam factum, siuè à se, siuè ab alio, tunc tantum se habet vt applicans, & ideò non dicitur verè causare gratiã. Ratio huius est, quia qui primo modo tribuit Eucharistiam habet se vt verus minister, & ita debet causare gratiam illius Sacramenti propter rationes iam assignatas: qui verò secundo modo tantum confert Eucharistiam, non se habet vt minister propriè loquendo, sed per quandam extensionem, & ideò non debet causare gratiam: sed solum applicat Sacramentũ causatiuum gratiæ. Et hoc conuincit probatio minoris argumenti. Ita Cabrera 3. tom. in 3. part. quæst. 64. art. 1. disput. 5. solutione ad 3. Hæc de hoc dubio.

TERTIVM DVBIVM EST.

Vtrùm bonitas ministri conferat aliquid ad effectum Sacramenti?

HOc dubium mouent Doctores 3. part. quæst. 64. circa solutionem ad 2. argumentum, art. 1. D. Thom. vbi docet D. S. quod *per meliorem ministrũ non datur melior effectus Sacramenti, aliquid tamen annexum impetrari potest recipienti Sacramentum per deuotionẽ ministri.* Vndè sensus dubii est: Vtrùm melior minister causet in recipiente intensiorem, & abundatiorem gratiam. In hoc dubio Scot. in 4. distinct. 4. quæst. 7. & Gabriel ibidem, quæst. 2. concl. 2. docent propter bonitatem ministri, imò & aliorum adstantium Sacramento posse ipsum causare maiorem gratiam. Fauet huic sententiæ Caietan. loco sup. cit. in Commentario articuli, circa solutionem argumenti citati, dum ait, quod maioritas gratiæ potest habere rationem annexi impetrabilis ex ministri deuotione. Probatur que hæc sententia, primo ex D. August. cuius verba referuntur de pœnitentia dist. 1. cap. *tres autem.* Dicit ergo August. *Paruulis prodesse ad remissionem originalis eorum fidem, à quibus offeruntur*, sed non potest prodesse quantum ad substantialem effectum Sacramenti: ergo prodest quantum ad maiorem gratiam, & intensionẽ eiusdem effectus.

Secundo arguitur. Per meliorem ministrum conferri potest suscipienti aliquid annexum effectui Sacramẽti, sed maior gratia est aliquid annexum effectui Sacramenti: ergo confertur, &c. Maior est D. Thom. loco sup. citat. in solution. ad 2. vbi docet, *quod aliquid annexum potest impetrari recipienti Sacramentum per deuotionem ministri.* Probatur minor, quia intensio, & extensio maior, vel minor gratiæ est, quid annexum effectui Sacramentali.

Tertio. Non est peioris conditionis minister cum Sacramentum administrat, nec recipiens cum illud recipit, nec virtus diuina est minoris efficaciæ in collatione gratiæ in Sacramento, quã extra: sed homo sanctior extra Sacramentum, potest alteri mereri maiorem gratiam; ergo etiam in Sacramento.

Quare

Quarto. Minister potest sua oratione impetrare sanitatem corporalem suscipienti Sacramentum, & aliquam gratiam gratis datam, & aliquã specialem providentiam Dei erga ipsum suscipientem, & alia bona his similia: ergo etiam poterit impetrare eadem ratione maiorem gratiam Sacramentalem.

Confirmatur, quia minister potest impetrare à Deo aliquem bonum vsum liberi arbitrij in suscipiente, qui sit maior, & melior dispositio ad gratiam Sacramentalem; ergo poterit etiam impetrare à Deo, quod Sacramẽtum conferat suscipienti abundantiorem gratiam. Cõsequentia ex eo probatur: nam posita perfectiori dispositione Sacramentum maiorem, & perfectiorem causat effectum.

Quinto. Minister potest sua deuotione promereri recipienti Sacramentum ipsum Sacramenti effectum: ergo poterit maiorem promereri, & impetrare. Probatur antecedens: nã Ecclesia in exorcismis, & orationibus petit iustificationem hominis baptizati similiter Sacerdos antequam cõsecret petit fieri sibi effectum Eucharistiæ, dum dicit: *Vt nobis fiat corpus, & sanguis, &c.* ergo oratione sua minister petit Sacramenti effectum, & consequenter potest illum impetrare, alias oratio superflua videretur.

Pro resolutione est notandum, quod ministrum aliquid efficere, vt Sacramentum maiorem gratiam conferat stat dupliciter directè, vel indirectè, directè efficere est ipsum ministrum ratione suæ bonitatis, & deuotionis facere, quod Sacramentum ministratum ab ipso conferat suscipienti maiorem gratiam; quam si ministraretur à malo ministro, & hoc infallibiliter, etiam si omnia adsint æqualia ex parte suscipientis Sacramentum, indirectè conducere ad maiorem effectum causandum est conducere ad aliquid immediatè, quo posito maior effectus Sacramenti datur per ipsum Sacramentum applicatum.

Hoc supposito sit prima conclusio. Bonitas ministri nihil efficit directe, vt Sacramentum conferat maiorem gratiam suscipienti, non habenti vsum rationis. Ita docent communiter omnes Theologi. Magist. Cabrer. 3. tom. in 3. part. quæst. 64. art. 1. disp. 6. in prima conclusione docet hanc conclusionem esse ita certam, vt oppositum non appareat tutum in fide. Probatur primo hæc conclusio, quia ex opposito sequeretur, quod posset quis dicere. Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, ideſt gloriari, quod sit Baptizatus à Paulo, vel à Cepha: Consequens autem acriter reprehenditur à Paulo 1. Chorinth. cap. 2. & rationẽ huius assignat, dicens: *Ego plantaui Apollo rigauit, sed Deus incrementũ dedit*, vbi augmentum gratiæ collatum in Sacramentis Deo attribuit, & non ipsi, nec Apollini, cum tamen ipsos Ministros Dei antea prædicauerit: ergo conclusio nostra est vera, & fidei consona. Sequela probatur: nam si bonitas ministri directè aliquid efficit ad effectum Sacramenti multum referret aliquem esse Baptizatum à Paulo, vel à Petro, aut ab alio Christi discipulo: ergo consequenter optimè posset quis gloriari se fuisse Baptizatum à tali ministro.

Secundo probatur ex D. August. lib. 3. contra Ereseonũ Grammaticũ cap. 6. & 11. cuius verba referuntur de consecratione, distin. 4. cap. *si inter bonus*, vbi ait Baptismum ministratũ à meliori ministro non esse meliorẽ, quam sit Baptismus, quem pessimus minister ministrat. Hoc etiam videtur sentire D. Tho. quæst. cit. 3. part. solut. ad 2. dũ ait verba citata in exordio dubij nostri, & dum antecedenter dicit: *Illud quod est Sacramẽti effectus non impetratur oratione Ecclesiæ, vel ministri, sed ex merito passionis Christi, cuius virtus operatur in Sacramentis*, quorum verborum sensus

est

est non impetrari de condigno, ita vt de facto detur effectus ex vi illius meriti, vel aliquis excessus in illo, quod est idem, atque directè conferre aliquid bonum ministrum ad effectum Sacramenti, aut augmentum eius: ergo directè nihil conducit bonitas ministri ad effectum Sacramenti.

Tertio probatur ratione desumpta ex doctrina citata D. Thom. Sacramentum non operatur gratiam propter merita ministrantis, sed propter merita Christi Domini, quæ applicãtur per Sacramenta, vt per instrumenta, & hoc est de fide tenendum: ergo bonitas ministri non auget proprium effectum Sacramenti.

Quarto & vltimo: nam maior gratia dari non potest, nisi vel quia crescit virtus Sacramenti applicati, vel quia est maior, & perfectior dispositio in subiecto, sed maior dispositio in subiecto non potest esse, quãdò suscipiens caret vsu rationis, in quo casu loquitur conclusio, virtus autem Sacramenti non crescit propter bonitatem ministri, cum hæc vt patet ex ratione præcedenti ex meritis Christi applicatis ipsi Sacramento sit taxanda: ergo directè bonitas ministri, non conducit ad augmentum gratiæ Sacramentalis.

Secunda conclusio. Bonitas ministri indirectè, & per accidens potest conducere, vt suscipienti Sacramentum conferatur maior gratia Sacramentalis, quandò tale suscipiens habet vsum rationis. Probatur confirmatione facta in quarto argumento in principio: nam bonus minister potest sua oratione impetrare à Deo aliquem bonum motum liberi arbitrij in suscipiente vtente vsu rationis, sed per illum motũ potest homo ille melius ad gratiam disponi: ergo si de facto disponatur cõsequetur perfectiorem gratiam: cum gratia in sua perfectione commensuretur cum perfectione dispositionis liberi arbitrij. Eadem ratione potest probari, quod bonitas aliorum, qui ministrationi Sacramenti assistunt, etiam potest conducere indirectè, vt suscipienti Sacramẽtum detur maior effectus ipsius.

Iuxta hanc conclusionem potest Caiet. explicari, dem ait loco supra citato, quod maioritas gratiæ potest habere rationem annexi impetrabilis ex deuotione ministri. Eodem modo possunt, & debent intelligi quædam verba D. Thom. in illa solutione citata, in quibus ait, quod *nihil prohibet, quod deuotio viri iusti adhoc aliquid operetur*, quia ibi loquitur de effectu Sacramenti, vt ex argumento patet: vndè intelligendus est, quod non incõuenit deuotionem viri iusti indirectè aliquid operari merendo, seù impetrando ex merito de congruo maiorẽ dispositionem suscipienti, qua posita recipit excellentiorem gratiam. Ita doctissimus Nuño docet in quæstio. 64. tom. de Sacramen. art. 1. difficult. mota circa 3. concluſ. D. Thom. in 1. concluſ. & eius ratione. Ex quibus sequitur vtile esse, & valde consulendũ suscipere Sacramẽta à meliori, & sanctiori ministro.

Ad argumenta ergo à principio respondetur ad primo dico, quod Augustinus ibi sermonem facit de fide, & intentione Ecclesiæ, quam habent ministri, quatenus legitime ministrant Sacramentum Baptismi paruulis, quæ simpliciter necessaria est ad Baptismi collationem, non verò loquitur de fide particulari ipsius personæ ministri.

Ad secundum respondetur, concessa maiori, iuxta modum, modo ante solutionem argumentorum expositum à nobis, distinguo minorem, in paruulis, nego minorem, quia nõ sunt capaces dispositionis ad illam: in adultis propter contrariam rationem, concedo minorem, & ita distinguo consequens: in adultis modo explicato in secunda conclusione concedo, in paruulis, nego consequentiam.

Ad tertium, concessa maiori, distinguo

stinguo minorē: paruulo nego minorē: adulto concedo minorem. Dico enim, quod ex incapacitate paruuli prouenit, quod homo sanctior, neque extra, neque intra Sacramentum possit mereri ei abundantiorem gratiam: quia cum tale meritum de congruo immediatè, & directè terminetur ad motum liberi arbitrij perfectum, tāquam ad dispositionem perfectioris gratiæ: quia paruulus non est capax habendi talem actum liberi arbitrij; ideò non est capax recipiendi abundantiorem gratiam ex merito, & oratione ministri.

Ad quartum, concesso antecedenti, etiam loquendo de paruulis, negatur consequentia. Ratio est, quia illa bona de quibus fit sermo, quæ intelliguntur per bona annexa effectui Sacramentali, à D. Thom. loco supra cito (quod multi Thomistæ fatentur, vt Ioan. Vincent. cui subscripsit Cabreta) non ex postulat aliquem specialē motum in suscipiente, & ita optimè possunt impetrari, etiam paruulis: at maior gratia Sacramentalis necessariò petit dispositionem per motum liberi arbitrij, cuius paruuli non sunt capaces (vt dictum est) & ideò non potest impetrari illis.

Vincentius in manuscriptis.

Ad confirmationem respondetur illam conuincere in adultis nostrō secundam conclusionem; quatenus verò procedit contra primam. Respō detur antecedens esse falsum loquendo de paruulis: quia sunt incapaces talis dispositionis liberæ (vt dictum est sæpe.)

Ad quintum respondetur, distinguendo antecedens, concedo, quod de congruo illud meritum potest admitti indirectè tendens ad gratiam, & directè ad dispositionem ad illam (vt explicatum est) in paruulis verò falsum est (vt patet ex dictis supra) & cō sequens eodem modo est diuendum.

Ad probationem antecedentis respondetur, quod illæ orationes impetrandam rectitudinem morum, quā debet habere infans quandò venit ad vsum rationis: Similiter ordinatur ad tollenda impedimenta alia, nè cōficiantur Sacramenta, nec sequantur effectus Sacramentorum, vt Dæmonum tentationes, vel etiam ipsius carnis, aut impedimenta à nostris culpis prouenientia: in adultis verò ordinātur ad huiusmodi impedimenta tollēda, & ad impetrandam dispositionem liberi arbitrij. Vndè nihil contra nostram dubij resolutionem infertur. Et hæc de illo.

QVARTVM DVBIVM EST.

Vtrùm mali ministri causent gratiam ministrando Sacramenta?

IN hoc dubio Hæretici quidam antiqui tenentes tales ministros non conficere vera Sacramenta consequenter dicere tenebātur non causare gratiam, dum illa ministrabant. In hunc errorem materialiter incidit D. Ciprianus Archiepiscopus Chartaginensis existimans, quod Baptizatus ab hęretico, non erat verè Baptizatus, postea tamen consulto Summo Pontifice, sententiam retractauit. Ita refert Mag. Nuño in tom. de Sacram. quæst. 64. art. 5. difficult. vnica, etiam Cabrer. & alij eodem loco referunt illum Sanctum pro illa sententia: postea verò Hæretici Donatistæ eidem errori adhæserunt, vt refert August. libr. de hęresibus ad Quovultdeum, cap. 69. & in libris editis contra Donatistas. Eundem errorem tenent modo aliqui Hæretici nostri temporis: omnes tamen isti sequuntur quendam insignem Hæreticū antiquum, cuius nomen fuit Agripinus, fuitque præses Ecclesiæ Chartaginensis, vt referunt Doctores loco citato.

Probatur hæc sententia primo ex aliquibus locis sacræ Paginę in primis Isaiæ 1. ait Dominus frustra, sibi offer

ri sacrificia à peccatoribus, quos ibi reprehendit, illa què vocat abominationes sibi, dum in hęc prorumpit verba: *Nè afferatis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi*, & Malachiæ cap. 2. loquens cum Sacerdotibus: *Maledicam, ait Dominus, benedictionibus vestris, & maledicam illis*: ergo signum est, quod mali Sacerdotes, non faciunt Sacramentum verum, & consequentèr medio illo, non causant gratiam. Probatur consequentia: nam Sacramentum, ita est res sancta vt Deo placeat: vndè illi nõ maledicit, tanquam abominationi sibi.

Confirmatur ex August. libr. 1. contra Donatistas, cap. 21. vbi ait, quod Deus non confert gratiam per malos ministros, sed perse ipsum, aut per Sanctos suos, quibus dictum est Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* ergo neque conficiunt Sacramenta, neque causant gratiam.

Secundo aliquibus Sanctorum Patrum testimoniis: nam Hieronymus in cap. 3. Sophoniæ super illa verba: *Pollaerunt Sacerdotes eius Sanctum*, ait Hæretico panem pollutum offerre, non quod panis in se pollutus sit, sed quia & se ipsos polluunt consecrãdo, & sumendo. Similiter dicit in Cõmentario eiusdem Capituli: *Impiè agunt in legem Christi putantes Eucharistiam imprecantis facere verba, & necessariam tantum esse orationem solemnem, & non orationum merita*: allegant etiam illud Leuitici 21. vbi sic dicitur: *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ante ministerium eius*, in quibus verbis videtur prohiberi ministro peccatori confice re Sacramenta, signum ergo est, quod malus minister nihil efficit in Sacramento, neque substantiam, neque effectum eius. Ad idem tendunt alia dicta Patrum, quæ referuntur in fauorem hæresis citatæ.

Tertiò arguitur ratione. Quandò aliquis in peccato mortali conficit Sacramentum peccat mortaliter: ergo non conficit Sacramentum. Probatur consequentia, quia ad actionem Sacramentalem, id est conficientem verum Sacramentum Deus concurrit speciali auxilio, sed non cõcurrit speciali auxilio Deus ad actionem peccati: ergo illa actio ministri, qua intẽdit facere Sacramentum, non est simpliciter Sacramentalis, & consequenter non conficitur per illam Sacramẽtum.

Quarto. Extra Ecclesiam non est salus, sed hæretici saltèm sunt extra Ecclesiam: ergo illi ad minus non cõficiunt verum Sacramẽtum, quod est causa salutis.

Quinto. Intentio recta ministri est perse necessaria ad substantiam Sacramenti: sed de ista intentione merito dubitari potest in malis ministris præsertim hæreticis, an scilicet habeant, vel non habeant illam: ergo illi non conficiunt verum Sacramentum.

Confirmatur: nam potestas, quam habent Sacerdotes est ordinaria sibi tradita ab Episcopo, & Papa: ergo talis potestas auferri potest: ergo cum Episcopus, vel Pontifex ex communicando aliquem, vel degradando, vetat, nè Sacramenta conficiat tollit ab eo potestatem, & ita non conficiet Sacramenta.

Confirmatur secundo, quia 24. quæst. 1. cap. *audiuimus*, habetur: *Quicunque ab vnitate Ecclesiæ fuerit alienus execrari potest, consecrare non potest*: ergo saltèm ministri excõmunicati, schismatici, & degradati, qui sunt præcisi ab vnitate Ecclesiæ, non possunt Eucharistiam consecrare. Videantur alia argumenta leuiora in Cabrer. quæst. 64. 3. part. art. 5. in illius commentario.

Pro resolutione est notandũ, quod malus minister potest sumi dupliciter formaliter, & materialiter, formaliter sumitur in ratione ipsa ministri, ita

ita quod in illa sit malus, quod contingit quando est malus, quia deficit in his, quę sunt de substantia Sacramenti, vt si non adhibeat legitimam materiam, aut formam, aut si non seruet intentionem Ecclesiæ: materialiter contingit ministrum esse malũ, quando malitia tantum se tenet materialiter ex parte ipsius personę, quia scilicet ipse minister in se est malus, & hoc potest prouenire, vel ex eo quod in moribus est deprauatus, vel quia deficit circa fidem recedendo ab ea, vt Apostata, & Hæreticus, vel quia nunquam admisit illam.

Secundo est notandum, quod dubium procedit de ministris malis in isto secundo sensu, non verò in primo quia in illo certũ est, & de fide, quod malus minister non conficiat verum Sacramentum, eo quod non apponit omnia essentialiter necessaria ad verum Sacramentum.

Sit ergo conclusio. Fides est, quod malus minister conficit verum Sacramentum, & multum fidei consonum est, quod conferendo Sacramentum à se confectum causat gratiam Sacramentalem illius Sacramenti. Prima pars huius conclusionis probatur primo extradditione antiqua Ecclesiæ, quæ habet tantã vim, atque ipsa Scriptura Sacra: etenim ante omnem diffinitionem Concilij, & cuiusuis Pontificis hæc veritas fuit persuasa in Ecclesia (vt refert Eusebius lib. 7. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 2. 3. & 4. Et Nicephorus lib. 3. Historiæ cap. 7. 8. & 9.) & ante tempora Cypriani, Baptizati ab hæreticis admittebãtur in Ecclesiam sine rebaptizatione per solam manuum impositionem: habenda ergo est hæc veritas, vt Apostolica traditio. Secunda ex Concilio Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 12. vbi expresse diffinitur ministrum in peccato mortali existentem apponentem omnia essentialia, quæ pertinent ad Sacramentum conficiendũ, aut conferendum, verum conficere Sacramentum. De ministro verò hæretico ibidem de Baptism. can. 4. ait Baptismum ab hęretico datum cum debita forma, & cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia esse verũ Sacramentum, & anathematis nota inurit contrarium dicentem: ergo de fide est Sacramenta à malis ministris confecta esse vera Sacramenta.

Ratio huius à priori nõ potest alia assignari, quam voluntas Christi Domini sic statuantis, vt malitia ministr. non impediret substantiam, neque effectum Sacramenti. Probatur deinde congruentia, quam fuit D. Th. 3. p. q. cit. sup. art. 5. in corp. quia scilicet minister operatur confectionem Sacramenti, & effectum eius instrumentaliter: ergo non est necessarium, quod agat secundum propriam formam. Et virtutem, sed secundum virtutẽ eius à quo mouetur: ergo per accidens se habet ad operationem ministerialem ministri: esse in gratia, vel in peccato, esse fidelem, vel Hęreticũ, sicut quod corpus medici, quod est instrumentum animę habentis artem sit sanum, vel infirmum per accidẽs se habet ad operationem curationis: quia illa procedit ab arte.

Secunda pars conclusionis ex eisdem probationibus manifesta manet: quia vt ex dictis in præcedentibus patet: omnis minister Sacramẽti est causa gratiæ illius Sacramenti, dum illud ministrat.

Ad primum argumentum respondetur, quod in illis locis actiones Sacramentales procedentes à malis ministris vocari abominationes, & peccata, & maledici: quia re vera in genere moris sunt actiones malæ, & peccaminosæ, ex hoc verò non sequitur, quod eædem actiones, prout à Christo Domino institutæ sunt, non sint conficientes Sacramentum verum, quod sit signum gratiæ sanctificantis.

Ad confirmationem ex August. Respondetur ibi loqui Augustinum de malis ministris formaliter in ratione

ne

ne ministri, non verò de malis ministris materialiter.

Ad secundum argumentum. Ad primum locum Hieronymi respondetur, quod in illis verbis (vt ex ipsis apparet) non significatur aliud, quam actiones talium ministrorum esse peccaminosas.

Ad alium locum respondetur ibi in illis verbis loqui de Sacramentis in quibus ministri procedunt vt mali formaliter non seruando omnia necessaria ad substantiam Sacramenti: vndè nomine orationum merita intelligit Hieronymus, non sanctitatem ministri materialem, sed quod merita orationum requiruntur, vt minister seruet omnia necessaria ad Sacramentū. Vide aliam solutionem in Cabr. art. 5. sup. cit.

Ad locum ergo Leuitici respondetur, quod ibi prohibetur malis ministris offerre, non quia seruando omnia necessaria oblatio esset nulla, sed quia indecens est ministros accedere ad offerendum peccato maculatos.

Ad tertium concessa antecedenti, negatur consequentia, ad cuius probationem concessa maiori, distinguo minorem: si consideretur actio ministri vt procedit ab ipso, vt à causa principali morali operante liberè cū cōscientia peccati, cōcedo minorē: quia prout sic est mala, & peccatum, si verò consideretur, vt actio instrumentalis ipsius ordinata ex Christi institutione ad Sacramentum conficiendū, nego minorem, quia sic est bona, & sacra placens Deo propter finem, ad quem ordinatur, qui est sanctificatio hominum.

Ad quartum concessa maiori, distinguo minorem: formaliter, & absolutè, concedo minorem, instrumentaliter, & ministerialiter, nego minorem, quia pro illo tunc exhibent se Ecclesiæ ministros seruando ea, quæ præcepit Christus seruare in conficiēdo aliquo Sacramento, & cum eadē intentione Ecclesiæ.

Ad quintum respondetur, quod regulariter loquendo, & quantum est ex modo exhibendi Sacramentum, & conficiendi, etiam Hæreticus tollit dubitationem, & manifestat rectā habere intentionem, esto aliquando fallere possit. Et certe argumentum nō probat, quod si in re habeat rectam intentionem Sacramentum sit nullum, quod erat probandum, vt procederet contra nostram conclusionem.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens: est potestas tradita ab ordinario ministeriali ter, & instrumentaliter concedo, principaliter nego antecedens, quia causa principalis conferens potestatē Ordinis Sacerdotibus est solus Deus: vndè solum ille potest illam tollere, & hoc de potentia sua absoluta, sicut diximus, dūm egimus de indelebilitate characteris: potestas nāq; Ordinis est character Sacerdotalis indelebilis ex Christi Domini institutione.

Ad confirmationem secundam respondetur, quod illa verba, cap. cit. non intelliguntur (iuxta glossam ibi) de consecratione Eucharistiæ, vel de consecratione Ordinis, sed de consecratione excommunicationis, id est de absolutione ab excommunicatione, aut absolutione à peccatis: quia istas actiones præcisi ab Ecclesia non possunt validè exercere: quia ab illis est ablata iurisdictio.

Secundo respondetur, quod si intelligitur ille locus de confectione Eucharistiæ, vel de consecratione Ordinis intelligitur de ministris malis formaliter, qui non seruant ea, quæ necessaria sunt ad substantiam Sacramenti, & vltimò potest dici, quod loquitur delicita potestate id faciendi iustè, & quia in iure solum dicimur posse illud, quod iustè possumus, ideò quia illi ministri ab Ecclesiæ vnitate præcisi non possunt illas actiones sacras iustè facere, dicuntur illas non posse facere. Et hæc de hoc dubio, & prima parte tractatus.

IN

IN SECVNDA PARTE HVIVS TRACTATVS AGENDVM EST DE PECCATO mali ministri, qui existens in peccato ministrat aliquod Sacramentum.

SIT ERGO PRIMVM DVBIVM.

An talis minister peccet?

DE hoc dubio agit D. Thom. 3. p. q. 64. art. 6. cuius resolutio tribus, cõclusionibus absoluitur. Prima est, maliministri ministrando Sacramenta peccant. Ratio huius est: quia quicunque operatur nõ secundum quod oportet peccat, sed minister malus ministrans in tali statu Sacramentum operatur, nonsecundum quod oportet: ergo peccat. Minor probatur, quoniã minister debet Domino cõformari, iuxta illud Leuit. 19. *Sancti Cricij, quoniã ego sanctus sum*, & iuxta illud Eccles. 10. *Secundũ iudicẽ populi, sic ministri eius*; sed minister qui in peccato mortali existẽs ministrat Sacramentũ, non conformatur Domino iudici populi: ergo non operatur sicut oportet, & consequenter peccat in illa actione ex defectu illius circunstantiæ.

Secunda conclusio in fine corporis illius articuli. Hoc peccatũ ex genere suo est mortale. Ratio est; quia pertinet ad irreuerentiã Dei, & contaminationem ipsorum Sacramentorum quantum est ex parte ipsius ministri: ergo ex genere suo est mortale: quia omnis irreuerentia Dei in materia graui, qualis est ministratio Sacramẽtorum est mortale secundum se.

Tertia conclusio. Minister, qui in articulo necessitatis ministrat Baptismum, etiam si sit in peccato, non peccat, secus autem si alia Sacramenta ministret.

Ratio primæ partis est, quia tunc posset laicus baptizare: ergo non exhibet se ministrum Ecclesiæ propriè loquendo (sic enim debet hoc intelligi,) sed subueniens patienti necessitatem.

Ratio secundę partis est: quia alia Sacramenta non sunt tantæ necessitatis, sicut Baptismus: ergo illud quod excusat à peccato ministrum, dum in casu necessitatis confert Baptismum non sufficit excusare illum in administratione aliorum Sacramentorum.

His ergo D. Thom. documẽtis prę iactis, probatur contra illa pars negatiua nostri dubij. Primo sic: Bonitas ministri non pertinet ad essentiam Sacramenti; sed ad decentiã, & congruitatẽ, (vt docet D. Thom. loco cit. art. 5. solut. ad 3.) ergo eius defectus non inducit peccatum mortale.

Probatur consequentia: quia illud, quod solum pertinet ad quandam decentiam potius requiritur ad melius esse, quam ad esse simpliciter, sed nullus tenetur sub peccato mortali, ad id quod melius est: ergo nullus peccat mortaliter, etiamsi ministret in peccato mortali.

Secundo sequitur, quod Sacerdos, qui cum attritione cognita ministrat Sacramentum Pœnitentiæ, aut aliud peccet mortaliter. Consequens est falsum: ergo. Probatur sequela: quia per attritionem non tollitur ab homine peccatum mortale. Minor verò probatur: quia valde durum videtur obligare Sacerdotem existentem in peccato mortali ad habendam contritionem de suis peccatis, vel vt confiteatur de illis, vt ministret Sacramenta, specialiter Sacramentum Pœnitentiæ, quod regulariter est necessariam maximè.

Confirmatur, nam qui suscipit Sacramentum Baptismi, aut pœnitentiæ cùm sola attritione cognita, non peccat etiam venialiter: ergo qui ministrat eadem Sacramenta cùm sola attritione cognita, saltem non peccat mortaliter, probatur consequentia, quia non minor dispositio requiritur in suscipiente, quam in ministrante, quia gratia Sacramentalis ex qua tota Sanctitas Sacramentorum desumitur, non in ministrante, sed in suscipiente recipitur.

Tertiò. Sequitur ex opposita sententia, quod qui in peccato mortali ministrat Sacramentum Baptismi, peccet mortaliter, etiamsi id faciat in casu necessitatis, consequens est falsum, & contra D. Thomam articulo supra citato solutione ad 3. ex qua nostram tertiam conclusionem supra desumpsimus, ergo.

Sequela probatur, casus necessitatis etiam extremæ, non tollit quin sit peccatum mortale illud opus, quod ex genere suo est mortale, ergo si ministrare Sacramentum in mortali est peccatum mortale, etiam si fiat id in casu necessitatis erit mortale.

Quartò. Ad minus sequitur, quod contrahentes matrimonium peccent mortaliter, non solum quatenus suscipiunt Sacramentum, sed etiam quatenus illud ministrat, supposita opinione probabiliori docente contrahentes matrimonium esse ministros tale Sacramentum ministrantes, cõsequens est falsum: ergo, sequela probatur, quia in illo Sacramento non instat casus necessitatis, neque sunt ministri illius per accidens, sed per se: ergo.

Quintò. Sequitur quod ministrãs in peccato mortali Eucharistiam communicanti peccet mortaliter, cõsequens autem videtur falsum, & contra communem sententiam Theologorum; ergo illud ex quo sequitur.

Sequela probatur, quia ille talis re vera ministrat Sacramentum.

Pro resolutione huius dubij est notandum, quod minister Sacramentorum est duplex, alter ex officio, & est ille, qui speciali consecratione deputatus, & consignatus est per characterem Sacramentalem, & per gratiã Sacramentalem ad illa ministranda: Alter verò est minister necessitatis, qui nulla consecratione deputatus est ad ministrandum Sacramenta, potest tamen ministrare aliquod Sacramentum, eo quod est Sacramentum necessitatis, & hoc solum contingit in Sacramento Baptismi, quod propter eius summam necessitatem potest ministrari à laico etiam fœmina, & infideli (vt dictum est supra, & dicetur in propria materia.) Ad istud genus ministrorum reducuntur contrahentes matrimonium, suppositis sententijs, quæ in 4. argumento supponitur, nam cum proprietate non possunt appellari ministri necessitatis, sunt tamen ministri Sacramenti matrimonij, non deputati speciali consecratione. Ratio huius est, quia tale Sacramentum cum sit quidam contractus humanus, celebratur modo humano, & ideò contrahentes, licet sint ministri illius non debent deputari per aliquam consecrationem, & ideò non sunt ministri ex officio, sed reduci debent ad ministros necessitatis.

Hæc

Hac ergo suppositā distinctione, relictis duobus modis dicendi qui à Doctoribus Scholasticis 3. part. quæstione, & articulo supra citato referuntur (vt videre est apud Cabrera vbi) pro sententiæ D. Thomæ conclusionibus præmissis ante argumenta, explicatæ plena intelligentia, sit prima conclusio. Minister ex officio, qui in peccato mortali existens ministrat aliquod Sacramentum, peccat mortaliter ex genere suo. Hæc conclusio sufficienter probatur rationibus quibus probatæ sunt prima, & secunda conclusio D. Thomæ supra, nihilominus singulę partes sunt probandæ. Prima pars scilicet, quod talis ministratio sit peccatū. Probatur, Minister ex officio est consecratus per Sacramentum Ordinis ad cōficienda Sacramenta, & suscipit gratiā, vt dignè illa conferat, tanquā instrumentum Christi: ergo debet sanctè ministrare. Probatur cōsequētia, quia instrumētū operatur, vt motum, sed minister operatur, vt instrumentum Dei, & Christi: ergo debet operari, vt motum ab ipso, sed si non operetur sanctè potius quantum est ex parte sui subtrahit se à motione & ordinatione diuina, quàm illam sequatur, ergo inordinatè procedit, & consequenter peccat, quia non se conformat causæ principali, & Christo qui est instrumentum coniunctum ipsi causæ principali, quæ est Deus: Hæc ratio includitur in ratione facta, D. Thomæ pro prima conclusione.

Confirmatur qui suscipit aliquod Sacramentum in peccato mortali peccat quia profanè, & irreligiosè tractat Sacramentum: ergo similiter qui ministrat Sacramentum ex officio existens tamen in peccato mortali etiam peccabit, quia tractat profanè ipsum Sacramentum, non discernens inter illud, & res profanas. Aliàs plures rationes videre liceat in Doctoribus Scolasticis, maximè in Cabrera vbi supra.

Secunda pars conclusionis probatur hac ratione, Sacrilegiū ex genere suo est peccatum mortale, vt docent omnes Theologi 2. 2. quæst. 99. articulo 2. propter rationem quam ibi facit D. Thomas, quia specialis materia Sacrilegij consistit in hoc quod in illo irrogatur iniuria rei Sacræ violando illam per aliquam irreuerentiam, sed qui ex officio ministrat Sacramentum in peccato mortali, violat ipsum Sacramentum, quod est res maximè Sacra, ergo committit Sacrilegium, & consequenter peccat mortaliter ex genere suo.

Confirmatur ratione quadam insinuata à D. Thoma articulo supra citato in solutione ad primum: Nam minister ex officio qui in peccato mortali ministrat aliquod Sacramentum, quantum est ex se contaminat sanctificationem ipsius Sacramenti, id est ostendit ex visuæ actionis Sacramentum vile, & profanum quid esse, neque habere vim sanctificatiuam, si quidem ipse in congruè accedit ad illud ministrandum cum fine sanctitate accedat: ergo quantum est ex se committit peccatum mortale ex genere suo.

Secunda conclusio. Minister ex officio, qui in peccato mortali ministrat aliquod Sacramentum, peccat mortaliter etiam in indiuiduo. Hanc conclusionem tenēt communiter omnes Theologi vbi supra. Ratio huius conclusionis communis ad probandom quod peccatum mortale ex genere suo sit etiam mortale in indiuiduo, talis est: Illud peccatum quod ex genere suo est mortale efficitur mortale ex grauitate materiæ, sicut econuerso in indiuiduo efficitur veniale ex paruitate materiæ, sed Sanctitas Sacramentorum est materia grauissima, & cui maxima iniuria irrogatur, & consequenter Deo si non tractetur Sanctè: ergo ministratio Sacramenti in peccato mortali

à ministro ex officio est in individuo peccatum mortale. Confirmatur, receptio alicuius Sacramenti ab aliquo existente in peccato mortali sine debita dispositione, semper est peccatum mortale in individuo, ergo similiter ministrare Sacramentum in peccato mortali sine debita dispositione est peccatum mortale in individuo, antecedens, est certum apud omnes Theologos, & consequētia probatur, quia non minor, dispositio requiritur ad conficienda Sacramenta quam ad recipienda, imò videtur, quod mayor sit necessaria, eo quod qui recipit Sacramentum non facit actionem causatiuam gratiæ, qui verò efficit, & ministrat exercet actionem causatiuam gratię. Vnde superiori modo concurrit ad Sacramentum: ergo peccat mortaliter si in mortali ministret sine dispositione necessaria ex parte actionis Sacramentalis.

Circa istam conclusionem, & primam, notanda est regula, D. Caietani in Commentario articuli supra citati, quæ talis est, ministrare Sacramentum ex officio in pecato mortali, semper est peccatum mortale, si reperiantur istæ duæ conditiones. Prima est quod minister se exhibeat ministrum Christi, & Ecclesiæ: Secunda quod ministerium sit actio causatiua gratię, has duas conditiones colligit Caietanus ex Doctrina D. Thomæ in corpore illius articuli, & in solutione ad primum. Exhis inferunt ferè omnes Thomistæ, quod istæ duæ conclusiones sunt veræ etiam in casu cuiuscumque necessitatis, quę tamen Doctrina intelligenda est de Sacramentis alijs à Baptismo, quæ non sunt tantæ necessitatis, & in hoc sensu videtur id clarè doceri à D. Thoma loco supra citato, solutione ad 3. in vltimis verbis.

Vnde infertur primò, quod quanto Sacramentum quod ministratur fuerit principalius, tanto grauius erit peccatum, & ita ministrare Sacramentum Eucharistiæ, idest conficere illud, & offerre Sacrificium Eucharistiæ in peccato mortali, erit grauissimum peccatum in isto genere.

Sequitur secundo, quod Sacerdos celebrâs in peccato mortali, committit duplex peccatum, alterum quatenus conficrat materiam, alterum verò quatenus suscipit Sacramentum. Sic multi, inter quos est M. Cabrera 3. part. quæst. 64. articul. 6. disp. 1. §. 3. numer. 15. vbi alios citat Doctores in quibus hoc secundum consectariū non vidi licet attentè legerim. Ratio tamen illud probat, quia consecratio, & susceptio Eucharistiæ sunt duæ actiones distinctæ quarum quælibet est peccatum mortale in casu nostrarum conclusionum, ergo in tali ministerio duplex interuenit peccatum mortale. Sufficit tamen, vt Sacerdos in confessione explicet se celebrasse in peccato mortali, quia sufficienter explicat vtrunque peccatum, ita vt confessarius possit in vtriusque peccati cognitionem venire.

Et si dicas sequi quod in tali casu sint quatuor peccata, scilicèt consecratio panis, vnum, cōsecratio calicis, aliud, & similiter sumptio vtriusque speciei duplex peccatum. Respondetur negando sequelam, ratio est quia licet illæ actiones sint quasi materialitèr plures, tamen formaliter habent rationem vnius actionis quatenus ex primis consurgit, seù intergratur actio adęquata conficiens vnum Sacramentum, & ex alijs vnica receptio adęquati Sacramenti.

Vltimo sequitur in hac parte, quod quanto peccatum in quo minister existit fuerit grauius, tanto grauius erit peccatum, quod commisit ministrando indigne aliquod Sacramentum, vt Apostata ab surdius peccabit quam Hæreticus, & iste quam suspensus, & sic de alijs. Ita docet Soto in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. §. *exhis fit consequens.*

Ter-

Tertia conclusio. Minister necessitatis qui in peccato mortali ministrat Sacramentum Baptismi, etiam si sciēs & videns id faciat, non peccat mortaliter. Hæc conclusio est communiter recepta à Theologis locis citatis, eam tenet Caietanus circa solutionem ad 3. D. Thomæ in articulo sepè citato: Ipsum sequuntur Magister Cabrera vbi supra in 3. conclusione, Similiter, Suarez q. 65. disp. 16. sect. 4. in resolutione illius, §. nihilominus dicendū est, Sotus vbi supra circa solutionē ad 3. D. Thomæ. Ratio huius conclusionis desumitur ex solutione ad 3. D. Thomæ in illo articulo. Minister necessitatis in tali casu non fegerit, vt ministrum Christi, & Ecclesiæ, ergo non tenetur sub præcepto obligante se ad mortale ministrare Sacramentum in statu gratiæ, antecedens probatur, quia tunc se habet, vt minister subueniens necessitatem pacienti, qui propter illam necessitatem solum, Sacramentum ministrat ex permissione Christi, & Ecclesiæ, & non ex aliqua deputatione, seù consecratione. Consequentia verò probatur: quia ratio obligationis sub mortali ne ministri ex officio ministrent Sacramentum in peccato mortali, non est sola sanctitatis ipsius Sacramenti, neque quod Christus sit quasi principale operans effectum Sacramenti, sed licet hæc adiubent, tamen potissima ratio est, quod minister ex officio, ex modo ministrandi Sacramentum gerit se vt ministrum Christi, & Ecclesiæ formaliter, quia operatio exit ab illo: vt à persona specialiter deputata aliqua sanctificatione ad tale munus exercendum. Vnde, quia illi datur specialis gratia auxilians ad illud debite exequendum, merito obligatur, vt cum sanctitate id faciat, ex quo sequitur quod quando contrario modo procedit, maximam iniuriam, & irreuerentiam committat non se conformando Christo in tali ministerio. Cęterum minister tantum necessitatis, cum non sit ex officio deputatus per aliquam sanctificationem ad tale munus, solum procedit, vt minister permissus propter maximam necessitatem Sacramenti Baptismi, vt subueniat ei qui in articulo mortis necessitatem illius patitur, & ita non debuit tantum onus illi imponi. Sic intelligenda est ratio D. Thomæ.

Et confirmatur. Nam talis obligatio sub mortali ministrandi in gratia, non satis clara, & euidens est, ergo non debet extendi ad omnes ministros, sed sufficit illam strictè intellgere de ministris deputatis, quia omne præceptum odiosum restringi debet quantum fuerit possibile, sed hoc præceptum est odiosum cum obliget sub mortali vt homo sit in gratia administrandum Sacramenta, etiam si illla non debeat recipere, ergo restringi debet cum ex tali restritione nullum in conueniens sequatur: Idem dicendum est de Sacerdote ministrante Baptismum in eodem articulo necessitatis, quia in tali casu non ministrat vt minister ex officio, sed vt subueniens necessitatem pacienti, sicut ministrat, laicus, vnde est eadem ratio de illo atque de laico (vt censet Caietanus vbi supra) cum non ministret cum solemnitate, & ita character Sacerdotalis tunc non concurrit ad talē actionem per se, sed solum per accidens se habet, & quasi concomitanter, & consequenter eodem modo se habet ad illam actionem atque laicus, quia ille tantum concurrit vt minister ex oficio qui exercet actionem Sacramentalem tali modo vt nullus possit eandem illo modo exercere, nisi habeat similem consecrationem.

Sed contra istam conclusionem tenet Vazquez 3. p. disp. 136. cap. 3. asserens probabilius esse oppositum, quē sequitur quidam modernus Thomista, & conuincitur tali ratione. Minister ex officio qui ministrat in pecca-

to mortali, ea potissimũ ratione peccat mortaliter, quia cum sit minister iustificationis, non se confirmat Deo principali agenti, neque instrumento coniuncto, nempè Christo vt homini, neque ipsi Sacramento; sed hęc ratio eodem modo habet vim in ministro laico, & in Sacerdote ministrãte, sine solemnitate in casu necessitatis: ergo eadem obligatio est in omni articulo, maximè si adsit oportunitas præmittendi confessionem, vel disponendi se per contritionem.

Et confirmatur, quia etiam in articulo necessitatis Sacerdos, siuè laicus operatur vt minister Christi, eius institutione, & auctoritate ministrãs: ergo gerit se vt minister Christi, & consequenter tenetur conformari ei, sicut qui ministrat ex officio.

Confirmatur secundo. Quia in quolibet instanti potest, quis contritionem de peccatis habere, sed in illo casu necessitatis perseuerat eadẽ ratio obligationis adquerendam cõtritionem, scilicet sanctitas Sacramenti, & Dei, & Christi: ergo semper est homo obligatus illam habere ante ministrationem Sacramenti: ergo si non præmisit illam peccat mortaliter.

Ad hæc immediatè respondetur prius notando, quod cum D. Thomas docet in solutione citata, & nos dicimus cum illo in nostra ratione talem ministrum, dùm Baptizat non se gerere vt ministrum, non est sensus, quod totaliter se exhibeat, non vt ministrũ Christi, sed quod non se exhibet, vt ministrum Christi proprium, ideſt ex officio, & propterea, quia deficit à ratione perfecta ministri, non est obligatus eadẽ obligatione, qua tenetur minister ex officio, vel si sit Sacerdos, qua tenetur quãdò vt talis minister se exhibet solẽniter extra casum necessitatis ministrans tale Sacramentum, & ideò in casu necessitatis ille actus exit à ministro imperfecto, & ita excusatur à peccato mortali, sic colligitur ex Caietano vbi supra.

Ad argumentum ergo in forma respondetur, negando maiorem absolutè sumptam; sed quia est minister deputatus, & vt talis se gerit, dùm extra casum necessitatis ministrat Baptismum. Vndè negatur minor.

Ad confirmationem respondetur, distinguendo antecedens, vt minister Christi, & Ecclesiæ proprius, ideſt ex officio, nego antecedens, vt minister cõmunis, & permissus, & nõ deputatus, concedo antecedens, & nego consequentiam in sensu explicato, vndè illatum non benè infertur.

Ad secundam confirmationem, admissa maiori, negatur minor propter rationes factas, nam sanctitas Sacramenti respectu ministri communis, non obligat ita strictè, sicut respectu ministri proprij, & deputati.

Sed contra, quia quandò aliquis actus humanus est ex genere suo peccatum mortale, variata conditio agẽtis non excusat à mortali, vt patet in adulterio, & in furto, semper enim furtum in materia graui est peccatũ mortale, & idem est de adulterio à quocunque committatur: ergo idem dicendum est in præsenti de ministratione Sacramenti in peccato mortali.

Respondetur negando consequẽtiam. Ratio disparitatis est, quia in illis duobus peccatis conditio operantis per accidens se habet, & concommitanter ad illa, ratio enim adulterij non sumitur etiam partialiter ex ipso operante, sed ex eo, quod sit vxoratus vel ex eo, quod accedat ad vxoratã. Vndè quicunque homo sit, cuiuscunque status, dũ modo sit vxoratus, accedendo ad non suam, facit adulteriũ contra suam, quia illa circunstantia vxoratus, est quæ perse pertinet ad illud peccatum, in qua nulla est latitudo, & omne aliud præter istud est per accidens. In furto id clarius apparet, quia furtũ est acceptio rei alienæ inuito Domino, vndè si adsit materia grauis, quod furtum sit istius, vel illius conditionis per accidens se habet

bet. At in nostro casu conditio agēris, scilicēt quod sit deputatus ex officio ad tale ministerium concurrit vt pars integratiua rationis formalis peccati mortalis ex genere, & ita vt tale sacrilegium sit peccatum mortale, nō suffi cit quod fiat à ministro malo, sed requiritur quod procedat à ministro malo, qui est minister ex officio, & fegerit vt talis in ministerio illo, & de hoc procedit ratio supra facta, quia scilicet sanctis ministeriis, non nisi sanctus conuenit minister, qui perse loquēdo tātū est minister ex officio.

Sed queret aliquis, an dicendum sit idem de Sacerdote, qui extra casum necessitatis, priuatim sine solemnitate aliqua Baptizaret paruulum, atquè si esset in extrema necessitate constitutus?

Respondetur, quod talis Sacerdos in tali casu ministrans in peccato mortali, non committeret peccatum mortale, ex eo quod ministraret, sine prēparatione ad gratiam, quia in modo Baptizandi non se exhiberet, vt minister proprius. Sed tamen peccaret ex alio capite mortaliter, quia scilicet Baptizaret non seruando ritum Ecclesiæ. Sic Suarez in fine sect. citatę.

Ex dictis sequitur, quod Sacerdos qui Sacramentum pœnitentiæ ministraret alicui existenti etiam in extrema necessitate, in peccato mortali peccaret mortaliter, quia Sacerdos in ministerio illius Sacramenti, semper procedit vt minister ex officio, exercetquè proprium actum Ordinis Sacerdotalis. Cui accedit ratio etiam facta in secunda conclusione in fine, scilicet quia illud Sacramentum non est tantæ necessitatis; & ideò non permittitur minister aliquis, qui non sit Sacerdos, & vt Sacerdos ministrans.

Ad argumenta à principio respōdetur. Ad primum, ex doctrina Caietani, vbi supra in solutione ad primū dubium commentarij, distinguendo maiorem pro secunda parte, bonitas ministri solum pertinet ad decentiam Sacramenti, si consideretur actus ministerij ex parte operis operati, ideſt ex parte ipsius substantiæ Sacramenti habentis esse ex meritis, & institutione Christi, concedo maiorem; sic enim tantum est congruum vtqui vult Sacramentum ministrare, & conficere sit in gratia, quia (vt ex aliis dubiis patet) tam bonus quam malus minister si apponat conditiones necessarias ex parte materiæ, & formæ, & rectā intentionem, verùm conficit Sacramentum; si vero talis actio Sacramen talis consideretur ex parte ipsius operantis, nego maiorem, sic enim est simpliciter necessarium vt ille, qui vult aliquod Sacramentum ministrare sit in gratia, quia illa operatio vt procedit à ministro liberè se aplicante ad Sacramentum conficiendum, & tribuēdum, debet exire conformis Deo, & Humanitati Christi, propter rationes assignatas in primis nostris conclusionibus, vndè negatur consequentia.

Etsi dicas, illæ rationes non ostendunt esse aliquod præceptum obligās sub mortali: ergo. Et confirmatur, quia illud præceptum non colligitur ex sacra scriptura, neque ex aliquo Concilio: ergo nō est tale præceptū.

Ad hæc resp. ad primā obiectionē, quod rationes factæ probant præceptū quod supponitur esse de hac re, esse connaturale ipsi rei. Itaque suppositā institutione Sacramentorū, & suppositā etiam consecratione ministrorum per quam deputantur ad talia Sacramenta ministranda, & suppositō, quod dùm ordinantur, recipiunt gratiā vt digne sua ministeria exerceāt, statim ex natura rei oritur obligatio in illis, vt in statu gratię illa ministrēt, & hoc probant rationes D. Thomæ factæ dum conclusiones articuli citati ante argumenta huius dubij in forma constituimus, & illę quas postea fecimus in probatione primæ conclusionis nostræ.

Ad secundam respondetur hoc præceptum colligi, tùm ex natura ipsius

sius gratiæ Sacramentalis (vt dictum est) & hoc sufficit esto non haberemus, decretum, vel locum Sac rę Scripturæ ex quo colligeretur: Sic Suarez disp. 16. sect. 3. §. vltimo, *redenda est ratio huius veritatis.* Secundo dico, quod tale præceptum infertur optimè ex multis decretis Pontificum, specialiter Gregorius 9. in cap. vltimo de temporibus ordinationum dicit, monendos esse Sacerdotes peccatores, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, ne ante pœnitentiã de mortalibus in susceptis ordinibus ministrent. Præterea idem Pontifex cap. vltimo de cohabitatione clericorum, & mulierum, dicit quemlibet Sacerdotem pro quolibet peccato mortali quoad se ipsum esse suspensum, cuius sententiæ sensus legitimus est, non quod talis Sacerdos sit aliqua speciali cẽsura Ecclesiæ affectus, sed quia ratione sui status, & peccati est impeditus, nè licite possit Sacramenta ministrare. Vnde quemadmodum si aliquis suspensus per censuram ministraret aliquad Sacramentum, peccaret mortaliter, ita etiam Sacerdos suspensus per proprium peccatum mortale, si ante pęnitentiam legitimam ministret, peccat mortaliter. Multa alia decreta adducit Suarez sect. supra citata, Fateor tamen locum Sacræ paginæ in testamento nouo non haberi, si quidẽ Doctores qui de hac re tractant illum non adducunt; cęterum ex locis scripturæ veteris testamenti quos retulimus ex doctrina D. Thomæ, & ex alijs quos referunt auctores in quibus interdicitur ministerium Sacerdotibus antiquæ legis, afortiori idẽ infertur esse interdictũ nostris Sacerdotibus tãquã figuratis in illis, & quia eius Sacerdotium excellentius est, & Sacramenta, quæ ministrant etiam sunt excellentiora.

Ad secundum respondetur concessa sequela, negando minorem, ad cuius probationem negatur antecedens licet enim contritio sit, & difficilis, est tamen simpliciter possibilis, & Deus est paratus cõferre auxilium sufficiẽs ad habendam contrictionem in omni casu in quo instat necessitas ministrãdi aliquod Sacramentum ex officio. Vnde ex suppositione quod ipsi ministri sponte, & voluntarie sunt constituti in tali ministerio, non est dubium ipsos esse obligatos ad actum tàm difficilem, si ministrare volũt ex officio, etiamsi sit casus in quo ex officio suo tenentur ministrare. Aduertendum tamen est cum viris doctis, quod si forte contingat Sacerdotem non esse verè contritum, sed tantum attritum, existimantem tamen probabiliter esse verè contritum, non peccat, ipse mortaliter ministrando in tali statu, quia iudicium suum probabile; est sufficiens eum excusare à peccato mortali. Vnde sufficit, vt Sacerdos cõiecturis humanis probabilibus existimet se dolere de peccatis propter Deum summe dilectum.

Etsi querat aliquis, an requiratur actualis confessio ante administrationem Sacramenti? Respondetur cum communiori Theologorum sententia, non teneri Sacerdotem in peccato mortali existentem ad præmittendam confessionem ad ministerium Sacramenti, sed sufficere contritionem, etiam si ad sit copia confessoris. Ratio est, quia de confessione præmitenda nullum extat præceptum diuinum positiuum, cum ex Sacra Scriptura minimè colligatur: Neque etiam potest fundari in traditione Apostolica; Nullum etiam extat de hac re præceptum Ecclesię, cum ex nullo decreto alicuius Pontificis colligatur, neque ex consuetudine aliqua. Non etiam potest dici, quod sit præceptum connaturale ortum ex ipsa institutione Sacramentorum, & deputatione ministrorum ad illa ministranda. Vnde licet sit saluberrimum consilium confessionem præmittere si tempus supperterit, tamen non est obligatio ex præcepto,

Et

Et si dicas quod Sacerdos in peccato mortali existens, tenetur facere moralem diligentiam vt sit in statu gratiæ, antequam ministret Sacramẽtum, sed moralis diligentia est confessio vocalis si adsit copia confessoris: ergo tenetur confiteri. Respondetur quod si sola ratio ministrandi Sacramentum consideretur, moralis diligentia sufficiens in talibus casibus est sola contritio, quia per illam sufficienter excluditur periculum accedendi in peccato, & peccandi de nouo, si homo faciat totum quod in se est, & accedat bona fide. Vnde in ministerio sanctissimæ Eucharistiæ requiritur confessio, quando Sacerdos consecrat vt ipse summat, non quia actiuè ministrat, sed quia passiuè recipit Sacramentum ante cuius receptionem est confessio necessariò præmitenda, quia est præceptum diuinum de illa, clausum in verbis Pauli: *Probet autem se ipsum homo, &c.* Vt explicat Tridentinũ in materia de Eucharistia. Ex quo colligitur quod si aliquis Sacerdos ex hostijs priùs consecratis ministraret Sacramentũ alijs, vt in tali ministerio non peccarer, sufficeret ei contritio. Videatur Cabrera vbi supra circa solutionem ad secundum num. 27. etiam Suarez vbi supra sectione 3. citata, §. *sed quæret aliquis*

Ad confirmationem respondetur negando consequentiam, ad cuius probationem, nego antecedens, ratio diuersitatis est, quia recipiens solum concurrit passiuè, & ita sufficit in aliquibus Sacramentis, quod suscipiens non ponat obicem. At verò minister concurrit actiuè; & quia agens est nobilius semper patiente, ideònè peccet ministrando debet esse in statu gratiæ per contritionem saltèm, vt sic possit dignè operari, hæc est solutio communis.

Secundo dico, quod ratio discriminis est consistens in hoc, quod ratio obligationis, vt minister sit in gratia, vt licitè ministret, non est sola sanctitas gratiæ Sacramenti; sed consecratio eius per quam est deputatus ad tale ministeriũ, & gratia ipsi data ad dignè ministrandum, vt instrumentum conforme motioni causæ principalis, & ipsi causæ, at verò suscipiens non habet aliquam consecrationem specialem præter characterem Baptismi in ordine ad alia Sacramenta recipiẽda, & ideò solum præceptum de dispositione, vt dignè illa recipiat, oritur ex sanctitate gratiæ ipsorum sacramẽtorum, vnde conformiter ad illam requiritur maior, vel minor dispositio in recipiente.

Ad tertium negatur sequela, ad cuius probationem respondetur dupliciter, primo solutione communi, ad misso antecedenti, distinguo consequẽs, si excusatio peccati oritur ex necessitate præcisse, cõcedo consequẽtiam, si autem oriatur immediatè ex alio principio reddente actum opus imperfectum in illo genere nego cõsequenti; & quia hic ita est prouenit talẽ actionẽ ministerialẽ, non esse peccatum mortale ex eo quod prouenit immediatè, & proximè à ministro nõ ex officio, vel non segerente, vt ministro, ex officio, ratione cuius est actus imperfectus in proprio genere, ideò non est peccatum mortale.

Secundo respondetur distinguendo antecedens, casus necessitatis non facit actum mortalem ex genere suo non esse mortalem, distinguo, si relinquat actum cùm eadem circunstantia per se pertinente ad grauitatem suæ malitiæ, concedo consequentiam, si verò destruat talem circunstantiam, & ponat aliam diuersam nego consequentiam. Ratio est quia tunc per defectum principij per se causantis moralem malitiam grauem tollitur identitas obiecti formalis, & consequẽter non est idem actus, sed alter diuersus procedens ab alio principio per se. Etenim, vt dictum est supra in solutione cuiusdam obiectionis, circunstãtia personæ ministri, quod scilicet sit de-

deputatus, & vt talis operetur, per se concurrit, vt ministerium Sacramenti in mortali, sit mortale, hæc autem circunstantia totaliter mutatur, vt patet, & ita nihil mirum, vt actus non habeat eandem malitiam moralem. Idem inuenies in furto graui, & leui.

Ad quartum respondetur negando sequelam pro secunda parte, ad cuius probationem conformiter ad dicta in nostro notabili, dico, quod licet non sit casus necessitatis simpliciter, est tamen reductiuè quatenus ministri illius Sacramenti nulla consecratione sunt deputati ad illud celebrandum, quia more humano fit sicut alij contractus naturales. Vnde possumus dicere quod instat casus necessitatis naturę ipsius contractus qui tales ministros non consecratos petit per se loquendo.

Ad quintum argumentum respondetur, quod licet sit probabile multum, Sacerdotem tribuentem Eucharistiam iamcõsecratam, extra Missam, v.g. in peccato mortali, peccare mortaliter, quia ille actus fit à ministro per se consecrato, & ex officio, tamẽ probabilius apparet, sic ministrantem tantum peccare venialiter. Ratio est quia ille non se habet propriè, vt minister, cum non exerceat actionem causatiuam gratiæ, sed solum exercet actionem per accidens concurrentem ad gratiam causandam, quatenus est conditio applicans tantum Sacramentum prius confectum. Vnde quia deficit à perfecta ratione ministri, etiam ratio peccati est deficiens, & ita tantum est venialis.

Tertio dicunt aliqui, quod saltèm tenetur sub mortali Sacerdos in tali casu habere attritionem sui peccati per quam deponat omnem affectum actualem formalem, & virtualem ad peccatum. Ratio est, quia cum illa actio sit circa ipsum Corpus Christi immediatè, licet non faciat Sacramentum, est maxima in decentia accedere ad ipsum cum conscientia peccati mortalis sine aliquo dolore: Obligare autem illum, vt totaliter deponat affectum peccati etiam habitualem per contritionem, & gratiam, videtur nimis rigidum: cùm non exerceat actionem causatiuam gratiæ. Et certe hæc vltima solutio media inter vtrãque. Videtur probabilissima omnium, & secura, ita vt si aliter Sacerdos conferat Eucharistiam alicui, existens in mortali peccauit mortaliter. Hæc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM EST

Vtrùm Sacerdos ministrans in mortali Sacramentum aliquod, peccet duo peccata?

RAtio dubitãdi pro parte affirmatiua: talis est. Quia ille facit contra duo præcepta, vnum affirmatiuum obligans eum vt conteratur de suis peccatis, alterum negatiuum obligans, vt non irreuerentèr tractet Sacramenta: ergo committit duo peccata, alterùm omissionis contra præceptum pœnitendi, alterum commissionis contra præceptum Religionis.

Sit tamen conclusio. In tali casu Sacerdos solum committit vnum peccatum contra præceptum Religionis, ratione cuius est obligatus reuerentèr tractare Sacramenta. Hæc est communis, ita Didacus de Nuño 3. part. quæst. 64. art. 6. dub. 1. in solutione ad 6. Petrus de Cabrera, disp. citata in eadem quæstione, conclusione secunda num. 16. Suarez disp. 16. citata sect. 3. §. *quæri enim vlterius potest.* Ratio etiam communis omnium est. Quia quando tantũ vnum præceptum obligat per se, & aliud tantum ratione alterius, peccatum committitur ex violatione præcepti obligantis per se, quia licèt aliud præceptum transgrediatur, quia non obligat per se est tantum transgressio illius materialis, & non formalis in illo actu. Sed peccatum

tum non multiplicatur specie per malitiam inuentam materialiter, sed tantum per inuentam in ipso formaliter, ergo illa ministratio mala, tantum est vnum sacrilegium formaliter, & non est peccatum in pœnitentiæ.

Totus iste discursus explicatur, in omni peccato, cui annectitur, tanquam circunstantia materialis illius violatio alterius præcepti. Sit exemplum in illo qui quando tenetur audire rem sacram, ex affectu ad non audiendam rē sacram manducat, vel in alia operatione se occupat, certum enim est, quod ille tantum peccat formaliter loquendo peccatum omissionis, quia licèt ibi, fit manducatio in temperata ex defectu temporis, quia fit quando non debet, tamen quia ibi non est per se intenta, sed solum materialiter coniungitur affectui non audiendi Missam, præceptum commedendi temperare non obligat ratione sui, sed alterius: ideò ibi est tantum peccatum omissionis, licèt peccatum commissionis habeat ibi rationem cuiusdam circústantiæ. Ita in præsenti, qui in mortali ministrat aliquod Sacramentum, per se primo violat præceptum Religionis, præcipiens ministris Sacramentorum, nè indigne illa ministrent. Vnde tantum est peccatum sacrilegij contra præceptum tale prauailla ministratio. Omisio autem pœnitentię tantum est circunstantia actus mali priuari debitis circunstantijs, quia non habet malitiam suā per se intentam. Vnde (vt optimè aduertit Suarez vbi supra) ibi non est, nisi vnicum præceptum Religionis, ratione cuius obligat, tunc pœnitentia. Et ita propriè loquendo, tunc non est præceptum affirmatiuum pœnitendi, quia obligatio illa habendi contritionem oritur nō ex natura præcepti pœnitentiæ, sed ex natura ipsius Religionis obligantis Sacerdotem, vt dignè, & reuerenter tractet Sacramenta.

Ad rationem: ergo dubitandi. Respondetur negando antecedens formaliter loquendo propter rationem modo assignatam, cuius veritas patet ex dictis.

TERTIVM DVBIVM EST.

Vtrùm exercere alias actiones exigentes consecrationem in ministris, in peccato mortali, sit mortale peccatum?

IN hoc dubio duo agenda sunt, primo de actibus Diachoni, & subdiachoni, ac de alijs proprijs ordinum inferiorum: deinde secundo loco, de alijs actionibus, quæ sunt quædam consecrationes aliquarum rerum, tàm animatarum, quàm in animatarum.

Ad primum ergo deueniendo, non desunt Theologi qui dicant, quod exercere actum Diachoni, & subdiachoni solemniter in Ecclesia in peccato mortali, est peccatum mortale in individuo. Ratio fundamentalis est, quia istæ operationes Sacræ pertinent per se ad Sacramentum Ordinis, & ministri cōcurrunt ad illas, vt consecrati speciali consecratione: ergo per se requiritur gratia, & sanctitas ad tales operationes. Probatur consequentia, tùm quia si non est per se necessaria gratia ad dictas operationes, nulla ratione posset conuinci ad illas esse necessariam aliquam specialem consecrationem: Tum etiam, quia in Sacerdote conficiente Sacramentum aliquod, ideò requiritur per se gratia: quia illam actionem operatur per quandam specialem consecrationem; sed idem est de Diachono, & subdiachono: ergo idem est dicendum de illis.

Secundo probatur, ex cap. *quæ sicut*, supra citato, *de temporibus ordinādorum*, vbi Pontifex dicit Sacerdotes, & alios Clericos in illis criminibus, quę ordine iudiciario comprobari non possunt, monendos esse, & sub interminatione diuini iudicij contestādos, vt si non pœnituerint in testimonium, suæ

ſuę damnationis in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent. Ergo videtur dicendum, quod taliter miniſtrare ſit peccatum mortale.

Alij verò Theologi, licèt ſub Diachonum miniſtrantem in peccato mortali, liberent à culpa mortali, tamen Diachonum miniſtrantem actum proprium Diachonatus in mortali, aſſeuerãter dicunt peccare mortaliter. Ita tenent Doctiſsimus Nuño 3. part. quæſt. 64. articulo 6. difficultate 1. concluſ. 3. Cuius fundamentum eſt, quia officium Diachoni eſt immediatum, atque adeò quaſi vltima diſpoſitio ad Sacerdotium. Sed in naturalibus, vltima diſpoſitio reducitur ad naturam formę: ergo ſimilitèr officium Diachoni reducitur ad officiũ Sacerdotis. Ergo actus illius erit res grauis, ſicut actus Sacerdotis, & conſequenter erit peccatum mortale, illum exercere in peccato mortali.

Confirmatur hoc, ex illo 1. ad Thimoth. cap. 3. vbi Apoſtolus dicit, quod *Diachoni miniſtrent nullum crimen habentes*, & quod, *vt ſic miniſtrent primum probentur*. Ergo teſte Paulo. Diachonus in mortali ſuum miniſterium exequens, peccat mortaliter.

Quidam Theologus modernus, Petrus à Cabrera nomine 3. part. quæſtione, & articulo citat. diſput. 1. §. 6. num. 41. refert D. Thomam in 4. diſt. 19. q. 2. art. 2. & diſt. 24. q. 2. art. 3. quæſtiuncula vltima, ad vltimum pro ſententia prima. Sed certè, vel falſo ipſum citat, vel non vidit eum. Nam in primo loco agens de correptione fraterna in corpore articuli, quæſtiunculæ 2. tantum dicit, illum qui in digne vtitur officio ſuo ſemper peccare, non tamen dicit talem indignum vſum eſſe peccatum mortale; Neque ratio, aut exemplum, hominis in peccato exiſtentis, & proximum corrigentis illud probat. In ſecundo autem loco, in primis nihil agitur pertinens ad iſtam materiam, ſed ſolum agitur de impræſione Characteris Sacerdotalis, vtrum ſcilicet imprimatur in calicis porrectione. Deinde etiam in illo articulo non eſt multiplicatio quæſtiunculorum. Vnde totaliter falſo citatur D. S. in vtroque loco pro ſententia prima.

Sit nobis prima concluſio. Exercere actus Ordinum Minorum in peccato mortali, non eſt peccatum mortale. Hæc concluſio eſt communis inter omnes Doctores. Aliqui probant iſtã concluſionem eo, quod eſt valde probabile, quod talis ordines non ſunt Sacramenta, & conſequenter etiam eſt probabile, quod ordinati in illis non recipiunt characterem, aut gratiam Sacramentalem ad digne vtendum ſuis miniſterijs; Cum ergo ratio quare miniſtratio Sacramenti eſt peccatum mortale, ſi ſit in mortali, ſit ratio ſpecialis conſecrationis, optimè ſequitur, quod vſus Ordinum Minorum non ſit peccatum, quia ille non præſuponit talem ſpecialem conſecrationem. Cæterum, quia valde probabile eſt (imò probabilius oppoſito) quod tales Ordines ſunt Sacramẽta, rationem communem aſſignare melius eſt, & talis eſt. Actio miniſterij talium Ordinum eſt imperfectiſſima in proprio genere ſcilicèt Sacri miniſterij, & eſt imperfectiſsima omnium: ergo propter leuitatem materiæ erit peccatum veniale tantum, & propter leuiſsimam materiam erit leuiſsimum peccatum veniale. Propter iſtam rationem. M. Soto in 4. diſt. 14. in fine ſolutionis argumenti ſupra citati, docet nullum eſſe peccatum talem miniſtrationem.

Secunda concluſio. Exercere actũ Diachonatus in mortali peccato, non eſt peccatum mortale, & multo minus exercere actum ſub Diachonatus. Ita tenet Doctiſsimus Soto in 4. diſt. 1. q. 5. art. 6. §. quo circa dubium eſt de Diachono, & ſub Diachono, & diſt. 24. q. 1. art. 4. in ſolutione ſecundi argumenti ex poſitis, §. *Duo autem reſtant argumenta*. Eandem concluſionem tenẽt multi alij Thomiſtæ, & Doctores. Ratio huius cõcluſionis deſumitur ex D. Thoma 3. part. quæſt. 64. art. 6. ad primum

mum, vbi docet, *quod quia Sacramenta habent in se ipsis quandam sanctificationem, ideò requiritur in ministro sanctitas, vt congruat suo ministerio*, aliàs peccabit. Ex qua doctrina talis formatur ratio. Vt actio alicuius ministri consecrati ministrantis in suo ministerio sit peccatum mortale, præter consecrationem ipsius requiritur, quod exerceat actionem sacram, quæ sit Sacramentum, vel pars Sacramenti, habens in se vim causatiuã gratiæ: sed Diachoni, & Subdiachoni, dum sua ministeria solemniter exercent, nõ faciunt actionẽ Sacramẽtalẽ causatiuã gratiæ, ergo defectu huius cõtinget illos nõ peccare mortaliter, etiãsi in mortali tales operationes exerceãt

Cõfirmatur, quia illa ministeria etiã important imperfectionẽ actionis, & deficiunt ab actione Sacerdotis propriè, ergo etiã debet deficere in sanctitate requisita in ministro ad illam exercendam: durũ enim videtur obligare tales ministros, vt in eadẽ sanctitate sint ad sua ministeria digne exercenda, atque debet esse Sacerdos, qui perfectissimã actionem Sacramentalem efficit per suum characterem.

Propter hãc rationẽ, quidã Doctissimus Thomista tenuit, quasi mediam sententiã asserens, quod si tales ministri accedãt cũ aliqua reuerẽtia, & præsertim cũ attritione excludẽte omnẽ affectũ peccãdi, etiamsi in mortali sint nõ peccabũt mortaliter; ex quo infertur, quod si talis reuerentia desit, non vitabitur peccatũ mortale; Ita Vincẽtius in codice manu scripto: cæterum nostrã conclusionẽ, vt desumpsi ex Soto, propter eius fundamentũ, vt iacet, libẽter amplector. Optimũ tamen cõsiliũ iudico, monere Diachonũ, & Subdiachonũ, vt cũ aliquo dolore sui peccati accedãt ad sua ministeria exercẽda, nõ tamẽ necessariũ ad vitãdũ peccatũ mortale, nisi forte, vt intra peccatũ veniale minuatur malitia, & fiat minimũ peccatũ, vel forte si reuerẽtia sit maxima, ad euitandũ omne peccatũ. Sic affero sub sapientiorũ censura.

Ad argumẽta. Ad primũ respõdetur in forma, cõcedẽdo primã consequẽtiã, negatur tamẽ inde elici posse peccare mortaliter si immortali ministrẽt, aliud enim est ministrare digne, & cum merito, aliud verò indigne, & aliud tali indignitate, quæ sit peccatũ mortale. Stat optimè accedẽtẽ ad talia ministeria indigne procedere, & quod tantũ peccet venialiter, fateor tamẽ intra genus peccati venialis, grauius peccare Diachonũ quã Subdiachonũ. Ad aliã partẽ argumenti dico, in Sacerdote requiri per se gratiã sub pœna mortalis; non quia actionẽ operatur speciali cõsecratione tantũ, sed quia per talem consecrationem facit actionem sanctificatiuam, quia facit Sacramentum simpliciter.

Ad secundũ respõdetur, quod illud decretũ est intelligendũ obligationẽ inducere, non æqualẽ in omnibus, sed iuxta grauitatẽ ministerij, ita vt solũ Sacerdotes obligati cẽseãtur sub mortali ex vi illius decreti, alij verò sub veniali, Diachoni grauissimo, Subdiachoni minus graui. Et ratio est, nã aliàs etiã qui in minoribus cõstituti sua ministeria in mortali exequerentur, peccarẽt mortaliter, quod nullus fatetur, imò Soto vbi supra dist. 24. dicit illos, nec veniaaliter peccare. Secũdo respõdetur cũ Sapiẽtissimo Thomista Gutierez, quod illa verba *in susceptis ordinibus non ministrent*, solũ intelligũtur de Sacerdotibus, pro alijs verò Clericis tãtũ interdicitur ascensus ad Sacros ordines, quod ait constare ex summario capitis.

Ad fundamẽtũ secũdæ sententiæ respondetur, actũ Diachoni esse rẽ grauẽ respectu actus Subdiachoni, non verò absolute, neq; sicut actũ Sacerdotij, nã licèt in naturalibus vltima dispositio, & forma producãtur eadẽ actione, nõ tamen in moralibus in quibus non est propria ratio vltimæ dispositionis. Vnde apparet, quod actus Sacerdotij petit distinctã cõsecrationẽ characterica

ab illa per quã quis cõsecratur ad actũ Diachonatus, atq; ita tantũ sequitur, quod intra rationẽ peccati venialis sit grauius peccatũ illud, quod cõmittit Diachonus ministrãs in mortali, quã illud quod committit subdiachonus, non verò sequitur illud esse mortale.

Ad confirmationem respondetur, illa verba Pauli sonare consiliũ de remeliori, & non præceptũ saltẽ obligãs sub mortali, quia illud non cõpatitur cũ paruitate materiæ circa quam versatur. Hæc de prima parte huius dubij

Ad secundam partem dubij accedendo aduertendum est, quod de illis actionibus oportet distinguere; nam aliæ sunt quædam consecrationes rerum, quæ nullo modo sunt materia Sacramentorum, vt consecratio calicis, benedictio vestis, & aquę benedictę templi, & etiam Virginis Deo dicande: alię verò sunt consecrationes rerum, quæ facta tali consecratione sunt materia Sacramentorum, vt est benedictio chrismatis, quod postea est materia Sacramenti Confirmationis, & similiter benedictio Olei, quod postea est materia Extremæ Vnctionis, qua supposita distinctione.

Sit prima conclusio. Loquendo de primis actionibus communis opinio est, quod illas exercere in peccato mortali, non est peccatum mortale; imò forte nullum est peccatum. Ratio huius est: quia istæ actiones nullo modo sunt Sacramentales, neque ordinantur ad gratiam Sacramentalem perse: ergo non exposcunt sanctitatẽ in exercente ipsas. Confirmatur: quia istæ actiones non pertinent perse primo ad Ordines Sacros, sed solum cõsequenter secundum quandam connexionem: ergo nulla est ratio, propterquam requirant perse sanctitatem in ministro; Et ita illas exercere in peccato mortali, vel nullum erit peccatũ, vel ad multũ erit veniale leue.

Secunda conclusio. Probabile est, quod consecrare sanctum Chrisma, & sanctum Oleũ in peccato mortali est peccatũ mortale; probabiliusverò mihi est, quod nõ sit peccatum mortale. Ratio primæ partis est: quia per illas actiones efficitur materia Sacramẽti, quę est quid sanctum, quod simul cum forma est Sacramentũ causans gratiã: ergo tales actiones requirunt gratiã in ministro.

Cõfirmatur, quia illæ actiones per se pertinent ad potestatem ordinis in summo gradu, scilicet Episcopali, fiũt que ab Episcopo magna cũ solemnitate in præsentia aliorum Sacerdotum reuerentur assistentiũ illis actionibus: ergo magna cũ probabilitate dicitur exigere sanctitatem in ministro. Ratio secundæ partis mẽ conuincẽs est: quia nullum præceptum positiuũ Ecclesiasticũ, aut diuinũ est, quo id prohibeatur sub pœna peccati mortalis, neque sit ratio efficax, qua probetur id esse vetitũ iure naturali, vt patebit ex solutionibus ad rationem, & confirmationẽ pro prima parte conclusionis factas: ergo non est cur dicamus, tales actiones in peccato mortali factas esse peccatum mortale.

Confirmatur: quia nulla ex illis actionibus est actio Sacramẽtalis in rigore: quia non est confectiua Sacramenti: ergo non exigit per se sanctitatem in ministro. Consequentia ex dictis supra constat: quia vt aliqua actio sacra expostulet sanctitatem in ministro, requiritur (vt ibi diximus) quod sit causatiua Sacramenti, & gratiæ Sacramẽtalis. Antecedẽs est certũ: quia materia remota Sacramẽti, quę fit illis actionibus, nõ est pars cõponens Sacramentũ, sed materia proxima: ergo licèt illæ actiones conficiant materiam remotam, id non sufficit, vt dicamus esse Sacramentales, & confectiuas proprij Sacramenti. ¶ Vnde ad rationem in contra. Respondetur ex his per illas actiones fieri materiam remotam Sacramenti, & nullo modo proximam. Vnde nego, quod illa simul cum forma fit Sacramẽtum: quia de materia remota non verificatur, quod

quod sit Sacramentum, sed de proxima, vt existente sub forma, & tũc distinguo consequens: requirunt sanctitatem, vt simpliciter fiant, nego consequentiam, vt dignius, & melius fiãt, concedo consequentiam, ita diximus supra de actionibus Diachoni, & Subdiachoni. Ex quo nõ sequitur esse necessariam sanctitatem in ministro sub pœna peccati mortalis, sed ad multũ sub veniali (vt ibi diximus.)

Ad confirmationem respondetur, quod transeat consequens: quia nos dicimus tantum cum multis Thomistis doctissimis probabilibus esse oppositum propter rationes à nobis factas, maximè vltimam, non enim ad peccatum mortale sufficit, quod actio sacra sit per se pertinens ad potestatem characteris Sacerdotalis etiam in summo gradu, sed vlterius requiritur, quod sit actio causatiua gratiæ. Hæc de hoc dubio quoad vtranque partem.

ALIVD DVBIVM POTERAT hic moueri.

Vtrùm prædicare in mortali sit peccatum mortale?

COmmunis resolutio huius dubij cõsistit in duobus dictis; primum est. Qui ex officio prædicat in mortali, si peccatum sit occultum, non peccat mortaliter. Sit dicunt omnes Theologi 3. part. quæst. 64. art. 6. Ratio est: quia actus prædicationis ex sua natura non est consecratus, vt actus Sacramentorum, cum non conferat gratiam, neque est cõsecratus ex aliqua institutione Ecclesiæ, neque ex iure diuino est deputatus alicui ordini: nam licèt ex iure Ecclesiastico, quod desumitur ex Can. *Adiecimus*, quæst. 1. soli Sacerdotes possint prædicare, tamen etiam alij Sacris Ordinibus non initiati possunt ex commissione Episcopi prædicare, licèt id non fiat, nisi cum Diachonibus: ergo non est ratio, quare status peccati faciat prædicationẽ esse peccatum mortale.

Secundum dictum est: quando peccatum est notorium, & publicũ prædicare in statu peccati est peccatum mortale. Ita D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Ratio est: quia publicus peccator ponit impedimentum fini, & effectui prædicationis, siquidem persona, & doctrina despicitur ad audientibus, vt colligitur ex D. Thom. sup. Paul. 1. ad Corint. 6. super illa verba: *Nemini dantes vllam offensionem, &c.* Tũ deinde, quia scandalum magnum parit. Videantur Nuño vbi supra Cabr. Suar. & alijs Interpretes, nos verò hac breui resolutione contentissimus.

(?)

IN TERTIA PARTE HVIVS TRACTATVS AGENdum restat de peccato recipientis Sacramentum à malo ministro.

IN qua re ante quamdubia proponamus notanda est doctrina, quã tradit D. Thom. loco citato tertię partis in solutione ad 2. vbi docet, quod qui accedit ad Sacramentum recipiendum à ministro malo tolerato ab Ecclesia, non communicat peccato, quod ipse facit, & consequentèr non peccat, qui verò recipit Sacramentum à malo ministro nõ tolerato ab Ecclesia peccat communicando peccato ipsius ministri. Ad huius ergo Doctrinæ intelligentiam aduertendum est primò, quod licèt tempore D. Thom. omnes ministri excommunicati degradati, vel suspensi essent non tolerati, tamen solum, sunt modo non tolerati illi ministri, qui sunt nominàtim excommunicati, vel sunt manifesti percussores Clericorum, ita vt eorum factum nulla tergiuersatione celari queat, quia ita statutum est in Concilio Constantiensi à Martino V. in fauorem, & gratiam fidelium, & licèt ista constitutio non sit in ipso Concilio, quia fortè iam erat finitum, quando illam Summus Põtifex edidit, tamen refertur à grauissimis Doctoribus, nempè à D. Antonino 3. part. tit. 25. cap. 2. & à Caiet. in art. cit. circa solut. ad 2. in fine aduertentiæ circa illam, & in summa verbo *excommunicatio*. Ita omnes Theologi sentiunt, tum in materia de excomunicatione. Vbi videndus est, Dominicus de Soto, tum etiam 3. p. loco citato.

Secundo est aduertendum nominàtim excommunicatum ante denũciationem Ecclesiæ tolerari ab ipsa tàm in Diuinis officijs, quam in Sacramentorum administratione, v.g. præcepit Superior alicui Confessori, in particulari, nè hoc vel illud faciat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, si confessor trãsgrediatur huiusmod i præceptum incurrit excommunicationem, non tamen est renunciatus de tali excõmunicatione in illo casu est toleratus ab Ecclesia, quoadvsque nominàtim denunrietur à superiore tanquam excommunicatus. Ita Nauarr. in manuali cap. 27. num. 36. Couarruuias in cap. *alma mater*, & alij plures Theologi Nuñ. 3. p. & Cabr. ibidem in loco sup. cit. 2. disp. in 2. notab. Ratio huius est: quia illud decretum Concilij est priuilegium cõcessum in fauorem fidelium: ergo ampliandum est, & non restringendum, ita vt solum teneamur vitare nominàtim excomunicatos, post denunciationem, & non antea. Probatur consequentia: quia omnia priuilegia sunt extendenda, tum etiam: quia aliàs esset maxima confusio inter fideles circa administrationem Sacramentorum, & consequenter nõ satis sufficientèr prouissum fuisset timoratis conscientiis fidelium.

Tertio aduertendum est, quod ministri mali tolerati ab Ecclesia possunt se habere duplicitèr in ordine ad administrationem Sacramentorum. Primo talitèr, quod sint parati administrandum Sacramenta, siuè quia actualitèr illa ministrant, vel sedent in loco consueto, in quo v.g. Pœnitentiæ Sacramentum ministratur, vel quia secundum suum animum, & effectum sunt parati, quod ab effectu patet, vt si verbi gratia, petatur

tatũ rab eis Sacramentum, & continuo sine aliqua renitentia cõferatur. Secundo possunt se habere, itavt nullo modo sint parati. Rursus. Huiusmodi ministri siuè parati, siuè non parati sunt in duplici differentia, quidam qui ex officio tenetur Sacramenta ministrare, quia scilicèt sunt Parrochi curati, alij verò qui nõ tenẽtur ex officio; sed voluntariè possunt ministrare, & non ministrare. Similis distinctio potest assignari ex parte suscipientium Sacramenta à malis ministris, nam vel potest recipere, & petere Sacramentum à ministro parato, vel à non parato, illum inducendo, vt sibi ministret. Rursus, ille qui inducit non paratum, vel id facit vrgente necessitate, vel extra illam. Tandem, & vltimo, vel ille qui petit est subditus habens ius ad petendum, vt si inducat Parrochũ, vel superiorem suum, vel non est subditus, & consequenter nõ habens ius ad petendum.

HIS ERGO PRAEMISSIS: Primum dubium est.

Vtrùm liceat alicui à malo ministro, tolerato tamen ab Ecclesia, petere Sacramentum?

ET ratio dubitandi est: quia nõ licèt alicui petere ab alio illud, quod ipse non potest facere sine peccato, sed talis minister excomunicatus non potest ministrare Sacramentum sine peccato: ergo neque alter potest licitè petere Sacramentum ab illo. Discursus videtur optimus, & maior probatur: quia illud est idem, atque inducere aliquem ad peccandum, cùm opus effla gitet ab illo, quod nullomodo potest fieri per ipsum sine peccato: minor etiam probatur: quia in Bulla illa Martini V. dicitur, quod illud priuilegium tantum conceditur in fauorem fidelium, & quod nullo modo intenditur in aliquo fauere ipsis excommunicatis; sed si ministrando modo non peccarent, dum ante talem Bullam peccarent, sequeretur, id illis esse fauorabile: ergo nullo modo id est dicendum.

Pro resolutione sit prima conclusio. Extra casum necessitatis non est licitum petere Sacramentum à ministro malo non parato, quando ipse ex officio nõ tenetur conferre. Sic omnes Doctores. Ratio est manifesta: quia nunquam est licitum inducere aliquem ad peccandum; sed qui petit ministrum non paratum, & non obligatum ex officio inducit illum ad peccandum: ergo non est licitum ei petere Sacramentum à tali ministro malo non parato. Discursus est euidens, maior nota, & minor probatur: quia cum ille non teneatur ministrare, neque sit secundum se paratus ministrare, dum ab ipso petitur actio ministrandi, exposcitur actio, quæ est peccatum, quam ipse non est paratus facere: ergo inducitur, & mouetur, vt committat peccatum.

Secunda conclusio. In casu necessitatis licitum est cuilibet fideli petere Sacramentum à ministro malo etiam excomunicato tolerato ab Ecclesia, etiam si non sit paratus, neque ex officio teneatur illud conferre, & idem est licitum, quoties minister ex charitate tenetur Sacramẽtũ ministrare. Ratio huius conclusionis est: quia in casu isto necessitatis minister ex misericordia, vel ex charitate (quod idem est) tenetur ministrare Sacramentum: ergo qui petit non inducit ad peccandum; sed vtitur iure suo, quod saltèm habet ex charitate, vt talis minister ei conferat Sacramentum. Casus huius conclusionis assignatur casus mortis, vel alicuius grauis necessitatis, vt est, si talis minister possit peccatorem eripere à graui peccato contingente ex errore circa finem, vel circa mores.

Confirmatur conclusio: quia ille minister poterit saltem de culpa habere contritionem, & ita sine peccato ministrabit, si autem nolit pœnitere ipsi imputabitur, altero tamen vtẽte iure suo.

Tertia conclusio. Licitum est petere à ministro malo, & excommunicato tolerato ab Ecclesia, siue teneatur ex officio, siue non illud ministrare, dummodo sit paratus, & adsit aliqua rationabilis causa petendi. In hac etiam conueniunt omnes Theologi. Videantur specialiter noster Nuño 3. p. q. 64. art. 6. in 2. parte sui tractatus d. 1. cult. 1. Videatur etiam Cabr. eodem in loco d. 2. in 2. conclusione. Ratio huius est: quia causa rationabili existente petens non inducit ministrum ad peccandum, sed vtitur malitia illius ad propriam vtilitatem: ergo in tali casu licita est petitio explicata. Antecedens patet exemplo illius, qui petit ad vsuram ab homine parato, vt sue vtilitati prouideat, sic enim in casu nostræ conclusionis se habet, qui perit Sacramentum à ministro excõmunicato tolerato parato: ergo non peccat petendo. Ex hac conclusione sequitur, quod si ad sint duo Sacerdotes præsentes vnus excommunicatus; alter verò nõ excommunicatus, si ex hoc, quod Sacramentum ministretur ab excommunicato non sequitur aliqua magna vtilitas spiritualis, vel alia similis vtilitas non licebit petere Sacramentum ab illo. Ratio est clara, nam petere à ministro illo, sine causa rationabili Sacramentum est inducere eum ad peccandum, & concurrere ad peccatum illius: ergo non est licitum.

Quarta conclusio. Licitum est petere à malo ministro excommunicato, tolerato tamè ab Ecclesia aliquod Sacramentũ, quãdo ipse ex officio tenetur illud ministrare, etiamsi non sit paratus, dummodo ex hoc aliqua vtilitas ipsi petenti proueniat, secus verò si nulla. Ratio primæ partis conclusionis apud omnes est: quia subditus in tali casu vtitur iure suo, quod habet, vt prælatus, vt sibi ministret Sacramentũ, quod petit: ergo non peccat petendo. Consequentia patet: quia nullus peccat petendo ab alio id quod facere tenetur, sed Prælatus, aut Parrochus quandiù toleratur tenetur Sacramẽtum suis subditis ministrare: ergo qui petit non peccat, sed vtitur iure suo; sic enim dicitur in lege iniuriarum, ff. de iniurijs, *Vtens iure suo nulli facit iniuriã*. Ratio verò vltimæ partis cõclusionis est: nam nulli licet vti iure suo, nisi secundum dic tamen, & regulam practicam charitatis; sed charitas dictat non esse vtendum iure, quod quis habet, quando ex tali vsu nulla sibi vtilitas aduenit, nisi eadẽ quæ aduenirent, etiamsi non vteretur homo iure suo: ergo peccabit saltem contra charitatem, qui sine aliqua vtilitate petit Sacramentum à proprio Parrocho, vel prælato. Sit exemplum huius claritatis gratia in casu, quo subditus habeat alium ministrum paratum nõ minus doctum, & vtilẽ sibi, certè peccatum erit contra charitatem petere Sacramentum à superiori, seu Parrocho: quia in tali casu non licet iuxta regulas prudentiæ vti iure suo propter rationem assignatam, & quia sequitur damnũ proximi, quod ex charitate tenetur homo vitare.

Ad rationem ergo dubitandi respondetur dupliciter: primo distinguẽdo: si illud per se non possit facere sine peccato cõcedo: si per se possit facere actum sine peccato nego maiorem: & quia quilibet minister tolleratus ab Ecclesia per se loquendo potest licitè, & sine peccato ministrare Sacramenta si vellit, ideò quia ex malitia illius prouenit, quod in tali casu licite non possit ministrare, talis malitia omnino se habet per accidens ad ipsum petentem, eo quod in casibus nostrarum cõclusionum, vel ipse minister est voluntariè paratus, vel tenetur ex officio Sacramentum ministrare.

trare. Secundo respondetur etiã distinguendo maiorem: si petens habeat ius ad petendum nego maiorem: si nõ habeat concedo maiorem: qui verò habet ius petendi, siuè ex iustitia, siuè ex charitate iuxta doctrinam nostrarum conclusionum non inducit ministrum ad malum formaliter loquẽdo, sed vtitur malitia illius ad propriũ commodum, quod semper est licitũ (vt ait Caiet. in comment. art. cit. circa solut. ad 2. D. Thom.) propter rationes in nostris conclusionibus assignatas, & etiam; quia talis malitia non sequitur per se ex actione petendi Sacramentum à malo ministro, & ideò petenti nullo modo imputatur peccatum.

DVBIVM TAMEN EST.

Vtrùm minister, qui ministrat in casibus positis in conclusionibus dubij præcedentis, in quibus dicimus licere fidelibus petere Sacramentum: Vtrùm, inquam, talis minister sic ministrando peccet.

SVpponẽdum est in hoc dubio, quod minister malus excommunicatus toleratus ab Ecclesia, dum ab ipso exigitur ministratio Sacramenti tenetur conari ad habendam contritionem, & etiamsi possit debet obtinere absolurionem ab excommunicatione antiquam ministret. In hoc dubio Adrianus q. 3. de Baptismo tenet in nullo casu posse talem ministrum ministrare Sacramentum sine peccato. Fundamentum eius est id quod supra tactum est in ratione dubitandi dubij precedentis, scilicet, quod expresse dicitur in illa Bulla Martini V. nullum fauorem cõferri ipsis excommunicatis: ergo peccãt, si in tali statu ministrãt. Probatur cõsequentia: quia si ante Bullam ministrarent in eodem statu peccarent, sed modo in illa Bulla nullus fauor fit illis: ergo similiter peccant modo: nam aliàs erit priuilegium illud fauorabile ipsis excommunicatis.

Pro resolutione tamẽ sit prima cõclusio. Quando minister excommunicatus tenetur ex præcepto siue iustitiæ, siue misericordiæ conferre Sacramentum petenti, siuè inducens non peccat ministrando, si ipse faciat omne illud ad quod tenetur, vt sine peccato ministret: vt v. g. si minister talis egerit pœnitentiam de su peccato, & habuerit contritionem, & propter aliquam causam non potuerit absolutionem ab excõmunicatione impetrare, etiamsi procurauerit illam, tunc temporis dicendũ est, quod ministrando non peccat. Ita sentiunt fere omnes Doctores contra Adrianũ, Soto & Victoria super art. cit. Nuñ. docet idem licèt sub alijs verbis in 2. concluſ. difficultatis præcedenti additæ Cabr. dub. sup. cit. concluſ. 5. Ratio cõclusionis est: quia nullus potest esse perplexus absque sua culpa; sed in casu nostræ conclusionis esset minister perplexus absque sua culpa si peccaret ministrando: ergo non peccat. Minor probatur: quia si non ministrat peccat, vel cõtra iustitiam, vel contra charitatem; si verò ministrat etiam peccat secundum Adrianũ cõtra Religionem: ergo erit omnino perplexus nullo modo potens peccatum mortale vitare: ne ergo hoc absurdum concedatur dicendum est illum nõ peccare, si ministret, dum modo faciat, quæ facere tenetur ad ministrandum sine peccato, si autem noluerit à peccato recedere non est inconueniens, quod sit perplexus tunc: quia solum est perplexus secundum quid ex illa suppositione (vt docet D. Thom. art. sup. cit. ad 3.) quod est esse perplexum sua culpa.

Cõfirmatur: quia aliàs dabitur bellum iustum ex vtraque parte: quia petens Sacramentum habet ius ad petendum in casu conclusionis, & minister habet etiam ius ad non conferendum: quia quilibet habet ius ad nõ pecca-

peccandum: ergo si peccat ministrando, sequitur euidenter dari bellum iustum ex vtraque parte, petentis, & dantis: hoc autem nullo modo est cõcedendum: ergo concedenda est nostra conclusio.

Secunda conclusio. Quando minister excomunicatus egit pœnitentiam, & ab excommunicatione absolutionẽ obtinere non potuit, si potest repellere petentẽ Sacrametũ ab ipso sine culpa, peccat ministrando Sacramentũ in tali estatu. Casus conclusionis est, quãdo nõ tenetur minister ex iustitia, neque ex misericordia Sacramentum conferre petenti: quia extra aliquam necessitatem grauem petit ab ipso Sacramentum, in quo casu communiter tenetur ista conclusio à Doctoribus contra Mag. Sot. vbi sup. & hoc etiam si minister sit Superior, vt Parrochus, vel Prælatus. Ratio huius est: quia tunc iustè potest minister repellere petentem: ergo peccabit si ministret in tali statu Sacramentum. Probatur consequentia: quia cum iustè, & sine culpa possit repellere petentem, & aliàs ipse sit ex vi censuræ impeditus ad ministrandum, si tunc posset ministrare sine peccato, euidẽter sequeretur indultum Martini V. fauere ipsis excommunicatis directè: quia ex hoc quod ministret talis malus minister Sacramentum, nullavtilitas sequitur petenti sufficiens, vt ab illo, & non ab alio ministretur: ergo peccat, vel illud indultum ei directè est faborabile.

Confirmatur: quia Sacerdos excomunicatus etiam toleratus celebrare non potest absque culpa etiam ad petitionem fidelium exigentium sacrifitium: ergo neque poterit ministrare Sacramentum Pœnitentiæ. Antecedens probatur: quia si in tali casu Sacerdos celebraret incurreret irregularitatem, & puniretur ab Ecclesia. Consequentia autem probatur: quia per illud decretum concedit fidelibus priuilegium, vt possint cum excommunicatis toleratis communicare non solum in receptione Sacramẽtorum ab ipsis, sed etiam in quibuscunque diuinis, sed in casu posito excommunicatus, non potest se ingerere cũ alijs fidelibus in communicatione in Diuinis officijs ex præcepto Ecclesiæ: ergo neque etiam in diuinorum Sacramentorum administratione sine peccato poterit se ingerere propter eandem rationem.

Ex dictis in his duobus dubijs sequitur triplicẽ gratiam factam fuisse fidelibus in illa Bulla Mart. V. Prima est, vt possint Diuinis officijs, & etiã sacrifitijs excõmunicatorũ interesse. Secũda, vt possint Sacramẽta ab excõmunicatis tolleratis recipere, dũmodo sint parati administranda Sacramenta. Tertia est, vt in casibus, 3. & 4. cõclusion. dub. præcedent. possint fideles ministros excommunicatos inducere, vt illis Sacramenta ministrent. Vtrum autem ipsis excommunicatis aliqua gratia conferatur, aliqui omnino negant aliqua ratione illis fieri aliquem fauorem, quia in nullo casu possunt se ingerere in Diuinis officis cùm alijs, nec possunt se offerre administranda Sacramenta, sed solum fidelibus conceditur, vt in casibus positis in nostris conclusionibus propter bonum spirituale illorum possint petere, & recipere Sacramenta ab illis. Nihilominus tamen quamuis hoc verum sit, tamen in casibus, in quibus minister excommunicatus non potest sine culpa repellere petentem administrando Sacramentum, conceditur illi ex vi illius Bullæ, vt sine peccato ministret, dicendum mihi videtur cùm alijs Doctissimis quidem, saltem indirectè, & secundariò fieri eis aliquem fauorem in illis casibus, imò inintelligibile est, quod fidelibus fiat per se, & directè fauor explicatus, nisi aliqua ratione extendatur talis fauor ad ipsos excommunicatos; quoniam priuilegium alicui concessum extendi debet necessariò

ad

ad omnia,quę requiruntur,vt priuilegiatus liberè, & licitè posit vti suo priuilegio,si autem excommunicatis non concederetur, vt in aliquo casu sine peccato ministrarent Sacramentum fidelibus,semper quod minister ipse non esset paratus peccarent ipsi fideles petendo ab illis Sacramenta etiam in casu necessitatis. Fateor tamen absolutè loquendo istum non esse fauorem excommunicatorum; sed aliorum fidelium,quia semper intenditur principaliter bonum spirituale aliorum, ne ipsi peccent inducendo ipsos excommunicatos ad Sacramentorum ministrationem,etiam quando non sunt parati.Ita Nuño vbi sup. in solut. ad quandam obiectionem. Ex dictis ergo patet ad rationem dubitandi positam in principio dubij.Dico enim,quod absolutè potest concedi, nullum fauorem fieri excommunicatis ipsis in Bulla illa propter rationam modo assignatam.Potest etiam concedi,quod per accidens,& secundum quandam extensionem conceditur illis aliquis fauor, scilicèt, vt possint sine peccato ministrare,quando sine illo non possunt non ministrare Sacramentum, quod ab ipsis petitur, & hoc habent modo ex vi illius Bullę,quod non habebant antea, & non in conuenit illud asserere: quia non attenditur in priuilegio illo ad istud bonum spirituale ministri,sed ad bonum spirituale aliorum fidelium non excomunicatorum.Et hæc de hoc dubio.

Ita etiã Vincẽt. noſterin manuſcriptis.

VLTIMVM DVBIVM IN hoc tractatu est.

Vtrùm aliquando liceat à malo ministro non tolerato ab Ecclesia recipere Sacramentum?

ARguitur quod non sequentibus argumentis. Primum desumitur ex D. Tho. hic ad 2. & 3. ad 2. quidé dicit, quod qui accipit Sacramentum à ministro non tolerato peccat, quia communicat peccato ipsius.Et in solut.ad 3. docet quod malo ministro non licet alia Sacramẽta ministrare præter Baptismũ: quia non sunt tantæ necessitatis,& in quæst.82.art.7.solut.ad 2.de Hæreticis,Schimaticis, & excommunicatis dicit idem sub his verbis: *Baptismus permittitur esse ratus Hæreticis,& Schimaticis,qui in articulo necessitatis possunt licitè baptizare, in nullo autem casu possunt licitè Eucharistiam consecrare,vel alia Sacramenta conferre.* Ergo secundum mentem D.Thom.nulli erit licitum à ministris non toleratis, qui intelliguntur ibi sub nominibus illis,aliquod Sacramentum præter Baptismum recipere.

Secũdo:quia Hæretici simul amittunt iurisdictionem,& fidem: ergo non possunt Sacramentum pœnitentiæ validum,& verum conficere, & conferre. Consequentia patet: quia actus absolutionis,in quo completur Sacramentum pœnitentię prærequirit in ministro iurisdictionem:antecedens verò patet : quia eo ipso quod quis amittit fidem, amittit omne supernaturale,quod in ipsa fundatur, sed iurisdictio spiritualis est aliquid supernaturale : ergo fundatur in fide & consequentèr destructa illa non manet, sicut destructo fundamento non manet quidquid in ipso fundatur.

Pro huius resolutione sit prima conclusio.In casu extremæ necessitatis licitum est recipere à quolibet ministro non tolerato, etiam Apostata à fide illa Sacramenta,quę quis tenetur recipere ex præcepto diuino in tali necessitate tanquam media necessaria ad salutem huiusmodi sunt Baptismus pro omnibus, & pœnitentia pro his qui sibi peccati mortalis sunt conscij.Ita omnes Theologi. Ratio huius est:quia cum sit præceptum diuinum de illis Sacramentis recipiendis,

dis, quãdo possunt haberi in casu nostræ conclusionis, Ecclesia non videtur posse facere, quod in illo tales ministri non possint prædicta Sacramẽta perficere, & conferre, quia alias nõ sufficienter prouidisset saluti fidelium. Vnde dicendum est, quod sicut in articulo mortis non sufficienter prouidisset Ecclesia saluti hominum, si non prouidisset, quod in illo homo posset validè, & fructuosè à quolibet Sacerdote, etiam non tolerato Baptizari, etiam esset insufficiens prouidentia, sinè eodem casu nõ posset à quolibet Sacerdote à peccatis absolui. Etsi dicat quis, quòd in degradatione expressè ponitur, quod nullus in aliquo tẽpore recipiat à Sacerdote degradato Sacramenta. Respondetur, quod id intelligendum est regulariter, & extra casum extremæ necessitatis.

Secunda conclusio. In eodem casu extremæ necessitatis etiam est licitũ cuicunque fideli accipere Eucharistiam à quolibet ministro non tolerato. Ita tenent vbi supra Nuñ. & Cabr. q. 64. art. 6. Nuñ. difficult. 3. secundæ partis sui tractatus, quæ est vltima articuli, Cabr. dub. 2. 2. disputationis, Suar. 3ip. quæst. 82. disp. 72. sect. 4. Ratio huius est desumpta, tum ex dictis in præcedentibus: quia etiam est præceptum diuinum recipiendi Eucharistiam in periculo mortis: ergo credendum est Ecclesiam in suis censuris, vel non posse facere, contra illud, vel non debere facere, tum etiã: quia illud Sacramantum excellentissimũ est, maximæque vtilitatis, propriumque eius, qui proximus morti, iam est in via, ad quam peragendam est maximè necessarium propter effectum roboris spiritualis, quod præstat: ergo non est verò simile, quod Ecclesia priuet suos fideles tanto beneficio in articulo mortis. Huic autem conclusioni addendum est ex mente auctorum illam tenentium esse intelligendam secluso scandalo publico, aut periculo illius, aut infamiæ religionis, aut alterius mali, ad quod possit fidelis ministrum talem inducere.

Tertia cõclósio. In nullo casu possunt alia quatuor Sacraméta licitè peti, & suscipi. Ratio est: quia cum talia Sacramenta non sint necessaria homini ad æternam salutem, nunquam potest homo esse constitutus in tali statu, vt illis egeat ad suam salutem: ergo cum ministris nõ toleratis sit prohibitum, vt in diuinis cum alijs communicent, & similiter alijs talis communicatio sit prohibita de primo ad vltimum sequitur, quod peccent mortaliter ministri conferendo, & alij fideles petendo, & recipiẽdo talia quatuor Sacramenta.

Ad argumenta ergo respondetur, ad primum desumptũ extribus locis D. Thom. ad primum locũ ex solut. ad 2. dico ibi sermonem facere de illo, qui extra casum extremæ necessitatis accipit, & petit Sacramentum à ministro nõ tolerato; quia in illis verbis loquitur sicut in primis, & ponit differentiam inter ministrũ tolerati, & nõ toleratũ quantũ ad collationem Sacramẽtorũ, & inter petitionẽ Sacramentorũ ab vno, & altero. Vnde debet loqui in eisdem casibus, in quibus licèt cuilibet fideli à ministro tolerato petere, & accipere Sacramentum, illi autem sunt præter extremam necessitatem, vt patet ex dictis in dubio præcedenti: atque ita, dum dã nõ tolerato ait, quod ab illo non licèt accipere Sacramentum, intelligendũ est in illis casibus præter extremæ necessitatis casum; nam in illo nullus est ministerium. Ad secundum locũ desumptum ex solut. ad 3. in qua loquitur in articulo extremæ necessitatis, in quo laico licèt Baptizare. Respondetur, quod ibi solum D. Thom. explicat peccatum, quod cõmittit quilibet minister malus ministrãs in peccato mortali Sacramentum, siue sit toleratus, siue non toleratus, quia si non pœniteat, peccauit mortaliter omnia Sacramenta ministrando præter Baptismum

ziſmum, quia illum tunc miniſtrat ſicut laicus; ſi autē illum miniſtraret, vt miniſter ex officio ſine pœnitentia de ſuo peccato, peccaret etiam mortaliter. Nō autem licèt ex hoc inferre, quod fidelibus non liceat petere Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ab illis miniſtris, & accipere in illo caſu extremæ neceſsitatis, quia peccatum illorum ipſis impuſabitur, cum pœnitere poſsint (vt patet ex dictis in præcedentibus.) Ad vltimum locum ex quæſt.82.reſpōdetur, quod ibi etiam D.Thom. ſolū intendit docere talem miniſtrū etiam in caſu extremæ neceſsitatis peccare miniſtrando, & conſecrando Euchariſtiam in peccato ſuo ſine pœnitentia. Secundo reſpondetur, quod ibi loquitur de illis miniſtris Schiſmaticis ſecundum ea, quæ regulariter in illis contingūt cum periculo perverſionis fidei, & abuſſus noſtræ Religionis, & Sacramenti illius. Vnde laudatur Hermenegildus Martyr à Beato Gregor. lib. 3. Dialogorū, cap. 31. & habetur cap. cæpit 24. quæſt. 1. quia noluit recipere Euchariſtiam ab Epiſcopo Arriano, ne faueret hæreſi illius, quoniam ob eā cauſam pater illius ipſum deſtinaueret, vt Sanctum communicaret.

Ad ſecundum reſpondetur negando antecedens, ad cuius probationē reſpondetur, negando etiam maiorē: nam Hæretici etiam ſi amittant fidem non tamen amittūt characterem etiā ordinis, qui tamen eſt potentia ſupernaturalis in fide fundata. Dicendum ergo eſt ſimiliter de iuriſdictione, quę poteſt manere etiam ſine fide, vt patet in Hæretico Pontifice, qui antequam deponatur habet iuriſdictionē plenam Summi Pontificis. Ratio huius meo videri eſt: quia aliqua entia ſupernaturalia imperfecta dicet in fide fundentur, non tamen fundantur, tanquam perfectiones dependētes in conſeruari ab ipſa, quia non fundantur in ipſa tanquam in radice, quaſi naturali, ſed vt in radice ex Dei ordinatione, & Eccleſiæ ſtatuto: vnde poſſunt remanere etiam ipſa fide deſtructa. Huiuſmodi ſunt character ordinis, aliqua auxilia ſupernaturalia, & iuriſdictio habitus verò ſupernaturales, quia habent connexionem cum fide, tanquam cum prima gratiæ paſſione, non poſſunt ſine illa manere.

Ad probationē ergo maioris, diſtin guo maiorem: amittitur quod in fide fundatur, tanquam in radice, & fundamento naturali, & quod proinde pendet ab ipſa infieri, & in conſeruari, concedo maiorē, quod in ipſa fundatur, vt in radice ex ordinatione extrinſeca Dei, & quod proinde tantum pendet ab illa infieri, nego maiorem, & conceſſa minori io iſto ſecūdo ſenſu, negatur conſequentia, quia ſi entitates reales ſupernaturales poſſunt cō ſeruari ſine fide, vt patet in exemplis poſitis, multo magis iuriſdictio, quæ tantum eſt ſupernaturalis extrinſece, & ſolum importat relationem rationis ad principiū à quo dimanat, & ad ſubditos. Et ſi inquiras, à quo hęc iuriſdictio cōmunicetur illis miniſtris in articulo mortis, ſiquidem totaliter per excommunicationem, per quā nominatim ſunt excōmunicati eſt ab eis ſublata in alijs articulis. Reſpōdetur, quod ab ipſa Eccleſia propter rationē à nobis factam in 1. & 2. concluſ. propterquam credimus, quod pro tali articulo ratione neceſsitatis illorum Sacramentorum vult, vt in illis miniſtris ſaluti fideliūprouidens remaneat in bonum fidelium, & non ipſorum miniſtrorum. Sic Soto vel dicito cum Capr. & Palud. quod habent illā immediate ab ipſo iure diuino Chriſti Domini inſtituentis illa Sacramenta cum tanta neceſsitate ad ſalutem

Et hæc de hoc dubio, & de toto tractatu.

QVÆSTIO LXVI.

DE PERTINENTIBVS AD Sacramentum Baptiſmi.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrùm Baptiſmus ſit ipſa ablutio?

CONCLVSIO in calce corporis articuli. *Baptiſmus eſt ablutio corporis exterior facta ſub forma perſcripta verborum.* Ratio huius cõcluſionis ex doctrina habita in initio corporis articuli ſic formatur. In omnibus Sacramentis Sacramentum tantum eſt aliquod ſenſibile exterius exiſtens, quod eſt ſignum interioris effectus qui eſt gratia, ergo Baptiſmi Sacramentum debet eſſe aliquid exterius ſenſibile ſignificans gratiam regenerantem, quæ eſt interior effectus talis Sacramenti. Sed ex duobus exterioribus, quę inueniuntur in Baptiſmo ſcilicet aqua, & ablutione, ablutio habet rationẽ exterioris ſigni ſignificantis interiorem effectum Baptiſmi, ergo ipſa eſt Sacramentum tantum Baptiſmi. Minor probatur, nam Sacramenta nouæ legis ſunt ſigna efficientia gratiam ſanctificantem quam ſignificant, ergo ibi perficitur Sacramentum vbi perficitur ſanctificatio, ſed in ablutione perficitur ſanctificatio, & non in aqua, ergo ablutio habet rationem Sacramenti tãtum. Minor probatur, virtus Sacramentalis inſtrumentalis, quæ facit Sacramentum inſtrumentum efficiens gratiam quam ſignificat, non eſt permanens, ſed fluens in hominem, qui eſt vere ſanctificationis ſubiectũ, ergo ſanctificatio Sacramentalis Baptiſmi perficitur non in aqua, quę eſt res permanẽs, ſed in aplicatione aquę ad hominem, quę eſt ablutio. Ratio huius conſequentiæ eſt meo videri (quantum ex præiactis fundamentis D. Thomę colligitur) quia virtus Sacramentalis Baptiſmi, media ablutione immediate ſortitur ſuum effectũ ſcilicet regenerationem hominis, & ita immediate verificatur de illa, quod ſit ſignum ſanctificans hominẽ, & cõſequenter infertur optimè, quod Baptiſmus ſit ablutio exterior corporis facta ſub forma perſcripta verborũ

CIRCA ISTVM ARTIculum.

PRIMVM DVBIVM EST.

Vtrùm concluſio D. Thomæ ſit vera?

RATIO dubitandi eſt, quia in illa traditur diffinitio Baptiſmi, ſed talis diffinitio non eſt bona, ergo concluſio eſt falſa. Maior ſupponitur ex communi omnium placito, minor verò probatur, nam talis diffinitio non eſt phiſica, neque methaphiſica, ergo non eſt bona. Quod non ſit methaphiſica cõſtat, ſiquidẽ non datur per genus proprium, & propriam differentiã. Quod autem

autem nõ sit phisica probatur, nam in definitione phisica rei nulla pars, neq; materia, neq; forma prædicatur in recto de re definita, non enim homo est sua materia, aut sua forma, ergo sic de Baptismo est dicẽdum, videlicet, quod non sit ablutio, quæ est materia eius, neque sit verba formæ, & consequẽter hęc prædicatio *Baptismus est ablutio*, est falsa.

Nec valet dicere, quod incompositis accidẽtalibus, tam naturalibus quã accidentalibus, est diuersa ratio, atque incompositis substantialibus, eo quod in illis materia habet se ad modum generis, & ita optimè in recto potest prædicari de toto composito, vt hęc prædicatio est vera *album est corpus*, & similiter ista *Cathedra est lignum*. Atque ita cum Baptismus sit quid compositum artificiale, optimè potest definiri per ablutionem in recto de illo prædicatã. Vndè ista prædicatio est optima *Baptismus est ablutio*.

Non inquam valet ista solutio, quia cõtra illã sic ex doctrina Suarez in surgo. Licèt diuersitas asignata verum cõtineat, male aplicatur Baptismo, quia quando res artificialis per materiã diffinitur in recto, non definitur per partẽ materię, sed per totam materiã, ergo Baptismus male diffinitur per ablutionẽ. Antecedens pater, nã si diffiniamus domum nõ erit recta diffinitio si dicamus esse fundamentum, aut lignũ, sed omnia simul sumpta, quatenus faciunt vnam integram materiã substractã tali figuræ, quæ est forma constituens domũ. Consequentia verò probatur, quia ablutio non est tota materia Baptismi, ergo, Probatur antecedens, Baptismus quatenus est quoddam compositũ ex rebus, & verbis, habet pro propria forma artificiali significationẽ gratiæ regenerãtis, ergo adęquata materia eius est ipsum cõpositum, & consequenter ablutio, quæ est vna pars illius, non tota materia erit, sed pars materiæ, & cõsequenter non potest vere enũciari de Baptismo.

Hoc argumento conuincitur Suarez Incõmentario huius articuli, vt dicat in rigore, & proprietate sermonis nullo modo rectè posse dici, quod Baptismus sit ablutio, sicut non potest dici, quod sit hæc verba, *Ego te baptizo*. Et consequenter asserit D. Thomã, & Magistrũ Sententiarum, non simpliciter à seruisse Baptismũ esse ablutionem, sed esse ablutionẽ sub perscripta forma verborũ, quibus verbis significare voluerũt esse quid cõpositũ ex ablutione, & ex verbis. Cæterum huius auctoris sententia falsa, & contra cõmunẽ videtur, Et explicatio D. Thomæ, & Magistri, nimis extorta, & contra mentem ipsorum, vt statim apparebit.

Pro explicatione ergo veritatis est primo notandũ, quod incõpositis accidẽtalibus, tã naturalibus quã artificialibus, ex tali cõpositione nõ resultat aliqua vna natura, quæ sit entitas, & essentia directe ad aliquod prędicamentum pertinens, sicut resultat ex compositione substantiali formæ, & materiæ primę. Vndè nõ consideratur aliquis gradus genericus, & aliquis gradus differẽtialis in illo resultãte, ex quibus intelligamus cõpositionẽ metaphisicã illius, sicut cõsideratur in natura tertia resultante ex cõpositione phisica compositi substãtialis, vt patet in hominis cõpositione ex materia prima, & ex anima rationali, etenim quia ex illis partibus cõponentibus resultat tertia natura scilicèt humanitas faciens hominẽ, quę est vna quidditas, & essentia simpliciter, & perse vna, cõsideramus in illa gradũ genericũ distinctum à materia, & à forma phisica, & similiter gradũ differentialẽ. At è contrario, quia incõposito accidẽtali, siuè naturali, siue artificiali, nõ datur tertia natura resultans (vt optimè docet D. Thomas, de ente, & essentia cap. 7. & ibi explicat eleganter Caietanus) ideò in illo non consideramus aliquẽ gradũ genericũ distinctũ à subiecto, & aliquẽ gradũ differentialẽ distinctum à forma. Sed quia illud cõpositũ tantũ est vnũ per agregationẽ, quod vo

catur cõpositũ cum hijs, ideò ibi ipsum subiectũ, & ipsa materia phisicè cõponẽs illud, se habet, vt genus, & forma se habet, vt differentia. Ex quo euidenter infertur, optimè posse diffiniri per subiectũ in recto, imò si phisica diffinitione vellimus illud definire, nõ possumus aliter facere, vt si quis diffiniat simũ, necessario dicere debet esse nasum curuum. Quod totũ prouenit (vt optimè Caietanus docet loco citato) quia concretũ accidentale, ex modo significandi principaliter importat subiectum.

Secundo est notãdũ, ex hac doctrina sequi, quod in talibus concretis, & cõpositis subiectũ habet potẽtialitatem quasi genericã, quia est indifferens ad plures formas accidentales naturales, & artificiales, & est potẽs determinari per illas, nõ vt accipiat ab illis esse simpliciter, neq; vt cũ illis faciat aliquã essentiã resultantẽ simpliciter vnã, sed vt illas sustentet in se, vel quasi sustentet, recipiendo ab illis denominationẽ tantũ intrinsecã, vel extrinsecã. Ex quo prouenit, quod nõ se habet, vt pura pars, & entitas incõpleta, sicut se habet materia prima, sed vt totũ quoddã potẽtiale, ad eũ modũ quo ratio generica in ordine ad differentias specificas se habet, vt totũ potẽtiale. Et cõsequẽter sicut genus in recto prædicatur de concreto substantiali, ita subiectũ in recto potest prædicari de concreto accidentali.

Tertio, & vltimo est aduertendum, quod in Sacramẽto Baptismi sicut in alijs Sacramẽtis, cõsideratur duplex quasi cõpositio, altera phisica, altera metaphisica, prima cõpositio fit ex rebus, scilicèt ex ablutione, vt ex materia, & ex verbis, vt ex forma, & ex istis partib⁹ resultat cõpositũ Sacramentale, quod substernitur significationi propriæ huius Sacramenti, quę est forma metaphisica, & specifica ipsius, determinãs rationem genericã Sacramenti, quæ est ratio signi rei sacrę sanctificantis nos, vt patet ex D. Thoma supra q. 60. art. 1.

His præiactis fundamentis fit conclusio. Definitio Sacramenti Baptismi, quã D. Thomas traddit in sua conclusione, est optima: & consequenter cõclusio ipsius est vera in omni rigore. Ratio huius conclusionis est, quia diffinitio phisica cuiuscunque rei, est optima, quia datur per partes intrinsecas, & essentiales ipsius, sed talis est diffinitio Baptismi quam aducit D. S. ergo est bona. Probatur minor, compositio phisica Sacramenti ex propria materia, & ex propria forma phisica, est essentialis, quia tales partes sunt de essentia ipsius, istæ autem partes in Baptismo sunt ablutio passiua Baptizati, quæ se habet, vt materia proxima, & verba formæ determinatæ à Christo, sunt forma, ergo cum diffinitio traddita, detur per terminos explicantes istas partes, est optima. Patet consequentia ex primo discursu, nam explicat essentiam Baptismi quatenus ex phisica compositione cognosci potest.

Confirmatur ex doctrina innotabilibus constituta. Nam compositum artificiale optimè diffinitur diffinitione phisica per subiectum, & materiam, in recto: & per formam, & esse á forma proueniente, in obliquo: sic enim Aristoteles definiuit nomen, & verbum lib. 1. Periherm. dicens esse vocem significatiuam, &c. Sed Sacramentum Baptismi est compositum artificiale, ergo optimè diffinitur à D. Thoma per ablutionem in recto, & per verborum formam in obliquo: & ita verissime asserit D. S. quod *Baptismus est ablutio sub forma perscripta verborum.*

Confirmatur secundo. Quælibet res diffinitur per terminos explicantes essentiam eius, eo modo quo implicite significatur per nomen significans diffinitũ. Sed nomen compositum artificiale significãs, denotat cõpositionem, vt incipit à materia, quia significat formam, vt vnitam subiecto in actu, & ideò significat ex modo significandi, principaliter, & in recto, materiam: ergo cum res ipsa composita definitur, sicut per tale nomen significatur, per materiam in recto debet definiri, vt determinatur

tur per formam vnitam ei actualiter, & sic diffinitur album per corpus albedine de albatum, & cathedra per lignũ tali figura figuratũ. Sic ergo in præsenti D. Thomas sequẽs Magistrũ Sententiarũ, optimè diffinit Baptismũ dũ ait, esse ablutionẽ corporis factam sub per scripta forma verborum.

Ex quibus infertur falsã esse sententiã Suarez, supra relatã, quantũad omnia quæ includit. Sensus enim D. Thomę & Magistri Sententiarũ indiffinitione assignata, est diffinire Baptismũ per ablutionẽ in recto posĩtam ad modũ generis, & per verborũ formã in obliquo ad imitationẽ Aristotelis sic diffinientis cõpositã omnia artificialia. Et quidem quod modus loquendi D. Thomæ in rigore sit verissimus constat. Quia secundũ communẽ Sanctorum Patrũ intelligentiam, verba Pauli ad Ephesios cap. 6. dicentis de Christo, quod est *mundãs Ecclesiam labacro aquæ in verbo vitæ*, intelliguntur de Sacramento Baptismi, qui ibi ab Apostolo vocatur lauacrũ aquę, idest ablutio aquę, in verbo vitæ, idest sub determinata verborũ forma continẽte vitã spiritualẽ in sua virtute sanctificatiua. Si ergo Apostoli sententia, in rigore intelligenda est, & in illa vocat Baptismũ lauacrum aquę, cur propositio D. Thomæ in qua dicit illum esse ablutionem, non erit intelligenda in eodem rigore sermonis? Certe voluntariè, ne dicã temerariè id negabit quis. Fateor tamen Baptismum posse methaphisicè definiri dicendo, illũ esse Sacramentũ significans gratiam regenerantẽ, ad istũ effectũ animæ præstandũ à Christo Domino institutum. Vbi Sacramentum ponitur tanquã propriũ genus, & aliæ particulæ, vt explicantes significationẽ specificam, & differentialem eius.

Ad argumentũ ergo respondetur, bene ibi dictum esse, estquè illa solutio explicanda per doctrinam traditam in primo nostro notabili.

Ad replicã cõtra solutionẽ ibi posĩtã, respondetur negando antecedẽs; ad probationẽ concesso antecedenti, negatur consequentia, ad probationẽ eius respondetur distinguendo antecedens, non est tota materia incompositione physica nego antecedens, quia nulla alia materia phisica reperitur in Baptismo prẽter ablutionẽ passuã, sicut nulla alia forma phisica reperitur præter verborũ formã. Nõ est tota materia, quasi metaphisica, cõcedo antecedens, & negatur consequentia.

Ad probationẽ antecedentis, quatenus potest fieri cõtra solutionẽ datã, respondetur: quod significatio est forma methaphisica, quæ prẽsuponit totũ phisicũ cõpositũ, illudque denominat, & cõstituit in esse specifico Sacramenti talis. Vndè totũ compositũ respectu significationis Sacramentalis, habet se quasi materia methaphisica, per habitudinẽ ad formam metaphisicã. Et hęc de hoc dubio. Alia minoris momenti videantur in Magistro Nuño, hic dubio vnico.

SECVNDVM DVBIVM EST:

Vtrùm ratio D. Thomæ sit efficax, & quomodo intelligatur?

PRobatur illã esse inefficacem. Nam si illa maior propositio est vera, scilicet, *ibi perficitur Sacramentũ vbi perficitur sanctificatio*, sequitur, quod ablutio non sit Sacramentũ tantũ, sicut neque aqua, consequens est contra illatũ à D. Thoma, ergo ratio est inefficax. Probatur sequela, quia sicut aqua non sanctificatur, ita nec ablutio, ergo sicut propterea quod in aqua nõ perficitur sanctificatio, ideò nõ est Sacramentũ, ita ablutio eadẽ ratione nõ erit Sacramẽtũ

Cõfirmatur. Sequitur quod anima hominis baptizati sit Sacramentũ Baptismi, consequens est falsum, ergo: sequela probatur, nã in illa tantũ perficitur sanctificatio, siquidẽ illa est tãtũ quæ iustificatur per Baptismũ. Quod autẽ cõsequẽs sit falsum, de se cõstat, nã anima est recipiẽs gratiã à Sacramẽto, & sic debet esse distinctum ab illa,

Pro explicatione huius est primo aduertendū, quod in præsenti D. Thomas loquitur de Sacramentis quorum esse consistit in fieri, & vsu, nō de Eucharistia cuius esse cōsistit in facto esse, & habet esse permanens in se sine eo, quod aplicetur alicui subiecto. Alia verò Sacramenta, quę consistūt in fieri, sunt successiua, & ideò nunquam sunt, nisi quādo actualiter aplicantur alicui subiecto (vt patebit discurrendo per singula.)

Secundo est aduertendū, quod cū sermo fiat de Sacramētis ipsis successiuis, sensus propositionis illius, *ibi perficitur Sacramentum vbi perficitur sanctificatio*, est iste in illa re, vt sub est formæ Sacramentali perficitur Sacramentū, in qua recipitur sanctificatio, vt illam deferat ad hominē recipientem Sacramentum ipsum, vt per illam iustificetur statim quantum est ex parte ipsius Sacramēti. Ita colligitur ex doctrina Caietani in expositione rationis D. Thomæ, quā asignat soluendo obiectionem à se factam cōtra illam. Ex quo optimè infertur, quod aqua non sit Sacramentum Baptismi, quia illa nō potest recipere sanctificationem, vt deferat ad hominē Baptizatum, quia est res permanens in se, vndè si reciperet sanctificationē reciperet illam, vt in se permaneret sancta, quod est contra rationem Sacramenti. Ratio huius est, quia vnum quodque recipitur, vt sit in recipiente ad modum ipsius recipientis. Quia ergo ablutio est res successiua transiens in hominem, ideò recipit sanctificationem, vt illam communicet homini Baptizato. Vndè ex illa maiori sic intellecta, optimè infertur cōclusio D. Thomę, scilicèt, quod ablutio sit Sacramentum tantū Baptismi. Pro qua doctrina melius capienda, videnda est ratio D. Thomæ, vtá me formata est in cōmentario articuli.

Ex his patet ad rationem dubitandi, negatur enim sequela, ad probationem negatur antecedens, nam ablutio sanctificatur, vt res successiua, ideſt recipit sanctificatiuā virtutē, vt hominē sanctificet, deferendo ad illū sanctitatē quā in sua virtute recipit.

Ad confirmationem respondetur, negando sequelam, ad cuius probationem distinguo antecedens, perficitur sanctificatio in anima subiectiuè, tanquā in subiecto sanctificationis formalis, cōcedo antecedēs, causaliter, & tā quā in subiecto deferēte instrumētaliter sanctitatem ad hominē, nego antecedens, & tunc negatur consequētia, quia non illo modo est intelligenda propositio maior rationis D. Thomę, sed sicut iam dictum est. Et hæc de hoc articulo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm Baptismus fuerit institutus post Christi passionem?

PRima conclusio D. Thomæ est. Baptismus quantum ad ipsum Sacramentum fuit institutus ante Christi Passionē, in ipso Baptismo Christi, quando scilicet ipse Baptizatus est. Ratio huius est, nā tunc aliquod Sacramentum instituitur, quando accipit virtutem producendi suum effectum, sed Baptismus accepit talem virtutē quando Christus Baptizatus est, ergo tunc institutum fuit.

Secunda conclusio. Necessitas, seu pręceptū vtendi hoc Sacramento indicta fuit hominibus post Christi Passionem, & Resurrectionē. Ratio huius est, quia in Passione Christi sunt terminata omnia Sacramenta figuralia quibus succedunt omnia Sacramēta nouę legis, ergo conuenienter post Passionem fuit positum præceptum Baptismi.

Tertia cōclusio ex solutione ad secundū. Hoc pręceptum positum fuit à Christo vniuersaliter omnibus hominibus, dū dixit Discipulis suis, *Euntes docete omnes gentes, &c. Marci vltimo.*

PRI-

PRIMVM DVBIVM EST CIRca primam conclusionem D. Thomæ.

Vtrùm ipsa sit vera?

PRima sententia afirmat Christum ante Passionem, & Resurrectionem, non instituisse Baptismum formaliter, sed solum materialiter. Cuius distinctionis sensus est, quod Christus quando Baptizatus fuit in Iordane, instituit & designauit materiam huius Sacramenti, nō tamen formam, sed hāc instituit post eius Resurrectionē cum dixit Apostolis, *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Fundamentum huius sententiæ esse potest, quia ante Christi Resurrectionem, nulla fit mentio formę huius Sacramenti, ergo dicēdum est, quod non fuit instituta.

Confirmatur ex illo Pauli ad Ephesios 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt eā sanctificaret mundans eam in verbo vitæ labacro aquæ.* In quibus verbis indicat Apostolus, quod Baptismus qui intelligitur per labacrum aquæ, fuit institutus post passionem suam, ergo non fuit institutus antea.

Secundo arguitur pro hac sententia, ex illo Ioann. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus.* Sed per Baptismum datur Spiritus Sanctus, ergo ante Christi Passionem, & Resurrectionem nō fuit institutus in ratione Sacramenti, aliàs iam ante Domini glorificationem esset datus Spiritus Sanctus. Huius sententię fuerunt Chrysostomus hom. 28. in Ioan. & Rupertus lib. 3. in Ioan. circa finem, vbi ait, quod Baptismus quo baptizabant Apostoli ante Passionem Christi, non fuit Sacramētum nouæ legis, neque habuit efficatiam ad dandam gratiam. Et fundātur isti Doctores in testimonio Ioā. cit. in isto argumento. Fauet eidem sententię Leo Papa epist. 4. cap. 3. vbi docet, quod Christus non dedit Apostolis ritum baptizandi, vsque ad Resurrectionem.

Tertio arguitur ratione in fauorē eiusdem sententiæ. Nam Baptismus habet virtutem, & efficatiam à Christi Passione, & Resurrectione, sed hęc ante existentiam non potuit causare in Sacramentis talem virtutem, ergo Sacramentum nō fuit institutum ante mortem Christi. Minor probatur, suponendo tanquam certum, quod passio Christi, & Resurrectio eius in genere causæ efficientis phificæ operantur virtutem Sacramentorum, sicut & nostram iustificationem: Tunc sic arguitur, causa efficiens phisica, non operatur suum effectū ante existentiam eius, ergo passio Christi antequam poneretur in re, non causauit virtutem sanctificatiuam Sacramenti Baptismi, & consequenter illud nō fuit institutum simpliciter ante Passionem, & Resurrectionem Christi.

Confirmantur omnia eleganti auctoritate D. Thomæ in hac 3. p. q. 73. art. 5. ad 4. argumentum, vbi docet, quod *Eucharistia fuit instituta prius quam Baptismus, quia est prius in intentione quāuis sit posterius in executione.* Ergo secundum D. Thomam, Baptismus nō fuit institutus ante Passionem Christi, quando ipse baptizatus est à Ioanne.

Secunda sententia est, quæ docetur hic à D. Thoma, quam vt probabiliorem sequuntur multi Doctores Scholastici, & Sancti Patres, quos citant in præsenti D. Thomę Interpretes, specialiter Pater Suarez; & etiam noster Nuño plures aducit auctoritates Sanctorum ad hanc sententiā cōprobandam, quā tenet D. Th. non solum hic, sed etiam in 4. dist. 3. quæst. 1. art. 5. quæstiuncula 2. sequitur ipsum Capreolus, Ricardus ibidem articulo 5.

Pro huius sententiæ explicatione est aduertendū, quod cū D. Thomas ait Christū instituisse Baptismū quan-

do ipse Baptizatus est, sensus huius propositionis, non est, quod Christus Dominus eleuauerit Baptismum Ioānis, vt esset Sacramentum nouę legis, neque quod sit Baptizatus Baptismo à se prius institutо, sed quod ipse cum Baptizatus est Baptismo ipso Ioannis, tactu suæ mundissimæ carnis sanctificauit aquas illas deputando, & designãdo, vt sanctificarẽt animas per Baptismum nouæ legis. Vnde tunc deputauit illas, vt materiam remotam Sacramenti Baptismi, & ablutionem hominis exteriorem per ipsas, vt materiam proximam. Qua deputatione facta materiæ, statim explicuit formam sui Baptismi, atque ita instituit completẽ Sacramentum istud quantum ad materiam, & formam parum post tẽpus sui labacri. Vndè nõ debemus intelligere, quod Christus Baptismum instituit, tunc cum lotus est à Ioanne, solo facto ipso, sed facto, & explicatione formæ simul, ad quam explicandam aliqua mora temporis erat necessaria, vt de se constat. Ita colligitur ex doctrina Mag. Soto in 4. dist. 3. q. vnica, art. 2. §. *Quod si arguas*, in responsione: Ita etiam ex Doctrina Nuñ. hic dub. 2. in explicatione 3. conclusionis. In signum formæ explicatę à Christo Domino, docent Doctores citati, quod statim fortè eadem hora, qua Christus Baptizatus est, apparuit tota Trinitas, cuius expresa nominatio est forma Baptismi. Etenim in primis ipse Filius erat præsens, qui baptizabatur, Patris vox audita est testificantis ipsum esse filium eius, Spiritus Sanctus in specie columbæ manifestatus est, vt constat Matth. 3. Iste modus explicandi sentẽtiam D. Thomæ, est consonus multum Doctrinæ Patrum. In primis Augustin. citatus à D. Thoma in argumento sed contra, ait quod *Christus Dominus ex eo, quod in aqua mersus est, omnẽ peccata abluit aqua*, quod non potest intelligi, nisi in sensu exposito, quia scilicet tactu suæ mundissimę carnis dedit virtutẽ aquis ad abluẽdum hominũm peccata, eo modo, quo dictum est, scilicet per deputationem, & designationem illius materiæ ad vsum, & effectũ Baptismi, consecrando ipsum vsum aquæ ad talem effectum. Idẽ sentit Hieron. Matth. 3. dum dicit Christum contactu suæ carnis aquas sanctificasse; ex quo dicto promanauit illud commune Theologorum elogium *Christum contactu suo virtutem regeneratiuam aquis contulisse.*

His supositis sit prima conclusio. Certum videtur, & indubitatũ, quod Christus Dominus instituit Baptismum ante eius mortem. Ita tenet Soto vbi supra, §. *Enim verò, quod passionem præcesserit, &c.* Suarez verò tenet conclusionem istam esse probabiliorem, scripturis conformiorem, & magis communem.

Probatur hæc conclusio in dicto sensu, primo ex Sacra Scriptura, secundum quam constat, quod Christus baptizauit ante eius mortẽ, non Baptismo Ioannis, sed proprio, ergo illũ instituerat antea. Probatur antecedẽs ex illo, Ioan. 3. *Post hæc venit Iesus, & Discipuli eius in Iudæã terrã*, & ibi: *demorabatur cum eis, & Baptizabat.* Ergo cum vsus Baptismi suponat esse eius, & institutionẽ, liquido cõstat Baptismum, iam fuisse institutum.

Nec potest dici, quod Christus baptizabat Baptismo ipso Ioannis. Primò quia hoc nõ benè cohæret cum æmulatione, quam Discipuli Ioannis habuerunt ad Christum, eo quod baptizaret, & plures ad eum venirent quã ad Ioannem. Nam si Christus eodem baptismate vteretur, nulla esset ratio æmulationis, aut inuidiæ ocasio, sed potius gaudere debuissent, eo quod Christus aprobaret Baptismũ sui Magistri illo vtendo. De æmulatione verò constat ibidem post verba relata. Secundo, quia cum responsione ipsa Ioannis, non stat solutio; etenim Ioannes ostendit lõgè diuersum esse Baptismum suum à Baptismo Christi, tã-

toque

tóque digniorem quãto dignior erat persona ipso vtens. Hoc enim aperte demonstant verba Ioannis, *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cœlo: illum oportet crescere, me autem minui: qui de sursum venit, super omnes est*; Et alia multa, quæ in honorem Christi ibi referuntur dicta à Ioanne ad discipulos suos, vt ab eis æmulationem, & occasionem inuidiæ auferret: ergo signum est, quod Christus Baptismo à se instituto baptizabat.

Confirmatur, quia Ioan. 4. dicitur, quod Iesus non baptizabat, sed discipuli eius, & tamẽ dicitur etiam, quod plures discipulos faciebat, & baptizabat quam Ioannes. Sic enim ait Euangelista, *vt cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures Discipulos facit, & Baptizat quã Ioannes, quamquam Iesus non baptizaret, sed Discipuli eius.* Etenim iste modus loquendi non potest optimè verificari, nisi quia Discipuli Christi baptizabant Baptismo ab ipso nouiter instituto, & ideò dicitur ipse baptizans, non quasi lauans proprijs manibus, sed quia alijs baptizabant in virtute eius, tanquam ipsius ministri, & quia ipse erat Auctor illius Baptismi. Nã aliàs si Discipuli Christi Baptizarent Baptismo Ioannis, aut alio à se non instituto, non conuenienter posset Christo atribui, neque diceretur ipse baptizare. Infertur ergo, nimis conforme esse Sacræ Paginæ in his locis, quod Christus Dominus instituit ante Passionem suam nouum Baptisma, vt esset Sacramentum nouæ legis.

Secundo probatur ratione. Nam Baptismus est ianua, principium, & fundamentum totius vitæ Christianæ, ergo oportuit institui ante omnes ceremonias, & omnia alia Sacramenta nouæ legis. Consequentia patet, quia circuncisio in lege veteri fuit instituta, antequam aliæ ceremoniæ legis, imò antequam ipsa lex scripta daretur, & promulgaretur, quia erat initium illius legis, ergo etiam Baptismus eadem ratione debuit prius institui, quam aliæ ceremoniæ nouæ legis, & etiam antequam ipsa lex gratiæ promulgaretur. Ex quibus infertur, quod sicut Circuncisio prius fuit quã Agnus Paschalis iuberetur comedi, & ita tantum comedebatur à Circuncisis: Ita Sacramentum Baptismi, quod succedit Circuncisioni in lege noua gratiæ, debuit prius institui quã Eucharistia, & consequenter antequam Dominus cõmunicaret Apostolos, debebant esse baptizati. Cum ergo Christus Sacramentum Eucharistiæ instituerit nocte cœnæ ante eius mortem illudque communicandum dederit Apostolis, & B. Virgini: sequitur necessario, quod prius instituerit Baptismum, & quod omnes qui Corpus, & Sanguinem suum communicauerunt, iam erant Baptizati.

Tertio, & confirmatur hæc ratio. Nam Apostoli fuerunt initiati ordine Sacerdotij ante Passionem, deditque eis potestatem conficiendi Corpus suum, eadem scilicet nocte cœnę, ergo prius erant baptizati. Patet consequentia, quia Baptismus ita est ianua omnium aliorum Sacramentorum, quod nullus non Baptizatus, est capax recipiendi aliud Sacramẽtum. Vndè certa mihi est sententia Nicephori lib. 2. Histo. cap. 3. qui sequens Euodium ait, Christum manibus suis Baptizasse Petrum, Petrum verò baptizasse filios Cebedei, hosque simul cum Petro reliquos Apostolos. Cui sententiæ fauet Aug. lib. de Origine animæ, cap. 9. & epist. 108. vbi interprætans illa verba Ioannis 13. dicta à Christo Domino Petro, *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet*, existimat hæc verba dicta fuisse ad manifestandum, quod iam Petrus erat lotus per Baptismum. Similiter est mihi certa sententia Euthimij, Ioan. 3. dicentis, quod Christus baptizauit proprijs manibus B. Virginem antequam ipsum Petrum Baptizaret. Non

enim

enim est credibile, quod Christus hoc Sacramentum Matri ante omnes non contulerit, vt esset primo insignita charactère baptismali, tãquam prima & principalior ouis ipsius Christi: Tũ etiã, vt esset melius dispositа per gratiam Baptismalem conferentẽ ei omnes effectus possibiles: Tum etiam, vt esset capax ad recipiendum alia Sacramenta, sine aliqua dispensatione Christi. Ad quid enim dispensatio, si ad sunt sufficientes coniecturę ad asserendum oppositum, quod facile potuit à Christo fieri ad cõmendandam excellentiam suæ Matris?

Secunda conclusio. Ferè certum est, quod Christus non instituit Baptismum antequam ipse baptizatus fuerit à Ioanne. In hac conclusione conueniunt ferè omnes Theologi, & sancti supra citati, & multi alij, quos referunt in præsenti Nuño, & Suarez. Ratio huius conclusionis est, quia vt constat, Luc. 3. & 4. & Actorum 1. Christus nõ cæpit prædicare ante baptismum suum, sed postquam baptizatus est, ergo Christus non inchoauit institutionem nouæ legis, & suorum Sacramentorum ante tẽpus suæ prædicationis, sed priusquam prædicare inciperet, ergo nõ instituit antè suum Baptismum.

Sed dicet quis, ex hac ratione congruentiæ non potest inferri, quod institutus sit baptismus eadẽ die in qua Baptizatus fuit Christus à Ioanne: ergo cum dicamus institutum fuisse Sacramentum istud ante mortem Christi, non est cur dicamus determinatè fuisse institutum quando Christus fuit baptizatus in Iordane.

Respondetur, quod non infertur hoc tam infalibili certitudine, & ideò fuit diuersitas opinionum inter Doctores, quibusdam tenentibus cũ Scoto in 4. dist. 3. quæst. 4. quod de hac circunstantia temporis nihil certum potest haberi cum nihil scriptum reperiatur signans illud tempus in quo Christus nostrum Baptisma instituit. Alijs verò tenentibus, quod illud instituit Dominus, cum primum aliquẽ suis manibus lauit. Sumuntque congruentiã ex Sacramento Eucharistiæ, quod instituit dũ illud primũ cõfecit.

Nihilominus tamen respondetur, quod licèt non inferatur tanta certitudine conclusio D. Thomæ, quoad determinatam circunstantiam temporis, propter fundamentum Scoti, sicut infertur, quod institutum sit Sacramentum ante mortem Christi; Tamen considerando vim rationum factarum, & rationis D. Thomæ in corpore articuli iam in expositione literæ explicatam, congruentiasque factas ex doctrina Sãctorum desumptas, ita certe infertur, quod eodẽ die, & forte eadẽ hora qua Christus baptizatus est, instituit nouum baptisma in sensu explicato supra, quod oppositum parum, aut nihil probabilitatis habeat. Ratio est, quia sanctiorum auctoritatis id docent, vt videre est in interpretibus D. Thomæ, inter quos Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. vltimo in principio sic ait, *Baptizatus est Dominus non mundari volens, sed mundare aquas, vt ablutæ per carnẽ Christi, quæ peccatum non nouit, baptismatis ius haberent.* Sed non poterant habere tale ius, nisi statim determinasset Christus formam Baptismi, dicendũ est ergo sententiam D. Thomæ esse probabiliorem, magisque conformẽ doctrinę Patrum sanctorum, & etiam Sacræ Scripturæ, ex qua constat in locis aductis supra, quod Christus parũ postquam baptizatus est prædicauit, nouumque Baptisma contulit, perse ipsum, & Apostolos suos.

Ad fundamentum ergo Scoti respondetur, ex illo inferri, quod conclusio D. Thomæ non sit certa secundum fidem, non tamen quod non sit certa ferè omni certitudine moraliter loquendo, præter certitudinem fidei, & euidentiæ scientificę, quam tantum nos damus ei, & non certitudinem scientiæ, aut fidei. Ad aliud verò

rò fundamentum aliorum opinantiũ respondetur, illam congruentiam nõ esse sufficientem ad probandum factum, sed tantum ad probandam possibilitatem; cum ergo nos habeamus optimas, & efficaces congruentias ad affirmandum veritatem sententię D. Thomæ, nõ est cur illa leui congruẽtia moueamur ad oppositum asserendum.

Ad arg. ergo à principio posita, resp. ad primum distinguendo antecedens, nulla fit mentio formæ, explicitè & in se ipsa, concedo antecedens, implicitè & in ipso Sacramento, nego antecedens, & sic negatur consequentia. Etenim cum fiat mentio in Sacra Scriptura de Baptismo Christi, distincto à Baptismo Ioannis, & sit res cõspicua, quod sola materia non est Sacramentum, sed compositum ex materia & forma: Si constat certitudine illa explicata Baptismum nouę legis esse institutum ante Christi mortem, etiam constat formam baptismi esse datam, & explicatam à Christo; atque ita consequenter dicendum est, eadẽ probabilitate Sacræ Paginæ conformi, quod cum Christus Virginẽ baptizauit, & Petrum, baptizauit eos sub expressa inuocatione sanctissimæ Trinitatis, & similiter Apostoli.

Etsi contra arguas, quia Christus Dominus post Resurrectionem suã, indicauit Apostolis quos ad prædicãdum, & baptizandum mitebat, formã sub qua baptismus erat tradendus, dũ dixit eis, *Baptizãtes eos in Nomine Patris & Filij, &c.* Ergo antea nõ cognoscebãt formam baptismi, & consequenter nõ poterãt sub illa baptizare.

Respondetur negando antecedens, nam non est credibile, quod tunc Apostoli nescirent formam baptismi, cum iam essent in Doctrina omnium aliorum Sacramentorum plenè instructi, vndè tantum expresit illã, tunc Christus vt præceptum baptismi solemniter omnibus proponeret, & vt omnibus hominibus esset notissimum illud Sacramentum, quod vt ianuã Religionis christianæ sub præcepto proponebat.

Ad cõfirmationem principalis argumenti, negatur antecedens, sed solum indicat Apostolus, quod baptismus accepit virtutem mundandi Ecclesiam à Christo in ordine ad passionem futuram in re, iam tamen præuisam in genere causę finalis, & quòd ex vi præsentis decreti non aliter institutum est baptisma, nisi in ordine ad passionem sic futuram, & præuisam.

Secundo potest dici, quod ibi loquitur Apostolus de mundatione per lauacrum vitæ facta à Christo medijs suis Discipulis post Christi Passionem & Resurrectionem, ascẽsumque eius ad cęlum, ad quam faciendam necessarium fuit, quod prius mortem subiret: Non tamen loquitur de mundatione Ecclesiæ, facta ante eius mortẽ, & consequenter non loquitur de prima institutione baptismi, sed de propositione illius vniuersaliter omnibus hominibus sub præcepto vtendi illo tanquam medio ad salutem, & ad protestandam fidem. Vel dicito cum Soto vbi supra solutione ad 4. §. *Ad auctoritatem autem Leonis*, quod loquitur de mundatione perfecta, quæ includit à pertionem Regni Cœlorũ, & ita loquitur de Baptismo quoad plenariam potestatem, & virtutem regeneratiuam, quæ includit efficatiam ad referandum cœlum, quã non habuit baptismus, nisi post Passionem & Resurrectionem: In hoc sensu intelligitur illud 1. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam per Resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Non tamen loquitur Apostolus de Baptismo quoad virtutem regeneratiuam quoad efficatiam mundandi à peccato.

Ad secundum argumentum. Respõ detur, illa verba Ioannis, *Nondũ erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus*, intelligi in isto sensu, quia scilicèt ante Passionem non dabatur spiritus, neque dandus erat in aliquo

aliquo signo visibili, sicut post Passionem, & Resurrectionem fuit datus in die Sancto Pentecostes in præmium meritorum Christi.

Ad tertium, concessa maiori distinguitur minor, non potuit causare virtutem Sacramentalem ante existentiam eius ingenere causæ efficientis, concedo minorem, in genere causæ finalis, nego minorem. Et eodē modo dicendum est ad probationem minoris, quia hoc tantum expresè probat.

Secundo respondetur ex D. Thoma ad 1. huius art. quod Baptismus post Christi Passionem habet efficaciam ab illa, at cum primū institutus fuit, & toto tempore quo durauit ante Passionem Christi, habuit illā immediate participatam ab ipso institutore Domino nostro, qui sicut ipsi Passioni virtutem præstat, etiam potuit Sacramento à se instituto, maxime in ordine ad Passionem futuram quam significabat.

Tertio post dici, quod Baptismus accepit virtutem à Passione Christi inchoata, quatenus tota vita eius fuit meritoria nostræ iustitiæ. Vndè in quantum ratio meriti reperta in omnibus operationibus Christi etiā pœnalibus, applicabatur Sacramēto Baptismi, fuit instrumentum Passionis inchoatæ, & ab illa, vt sic accepit virtutē, non tamen à Passione consumata.

Ad confirmationem ex D. Thoma respondetur. Ipsum intelligendū esse, non assertiuè, sed admissiuè, quia adhuc illo admisso optimè satis fit argumento, quatenus procedit contra conclusionem articuli. Cuius signum est, quod secundo soluens argumentum docet eandem veritatem, quam docuit in præsenti articulo: nā dicit, quod potest dici baptismum, iam esse aliqualiter institutum in ipso Christi Baptismo, & iam aliquos ipso Christi baptismo fuisse baptizatos, vt constat Ioan. 3.

Ex qua doctrina, secundo respondetur, quod D. Thomas loquutus est in 1. solutione supponendo sententiā aliorum in 2. verò, secundum mentē propriam, cui standum est. Sic deducitur ex Doctria Suarez ibidem commentando solutionem alegatam, & explicando. Vel potest explicari D. Thomas, sicut supra ad confirmationem primi argumenti explicauimus Apostolum, ex doctrina Mag. Soto.

Ad illud, quod ex sanctis adducitur. Respondetur illos intelligendos esse (si velimus explicare eos) de Sacramento quoad necessitatem obligandi, vt ipso vterentur, & similiter de ritu solemniter proposito sub præcepto, & quoad necessitatem vtendi ipso, non autem de Sacramēto quoad essentiam eius, & de ritu ad illā pertinente tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ. Si autem quis contēdat non esse optimam expositionem, id probando ex dictis illorum.

Respondetur illos habuisse illam opinionem, vt probabilem suo videri, quia expresè opposita non continetur in Sacra Pagina. Tamen nos cum D. Thoma, & alijs sanctis magis ab Ecclesia habitis in materia doctrinæ, tenemus contrariam, tāquam aliquid nimis probabiliter ex locis Sacræ Scripturæ deductum. Et hęc de hoc dubio.

SECVNDVM DVBIVM.

Vtrùm secunda conclusio D. Thomæ sit vera?

IN hoc dubio ante omnia præmittendum est ex D. Thoma 1. 2. quæst. 103. solutione ad 1. vbi sequitur sententiam Augustini (præmittendum in quam est tanquam necessarium ad exactam intelligentiam eorum, quæ postea dicēda sunt) quod sunt distinguenda tria tēpora in quibus maximam diuersitatē sortita est lex antiqua, etiam post Christi aduētum. Primum tempus est, quod præcessit Christi Passionem: In tempore illo,

illo, legalia neque erant mortua, neque mortifera. Aliud tempus fuit post tempus Euãgelij diuulgati: In quo legalia sunt mortua, & mortifera. Vltimum tẽpus est medium inter duo prior, scilicèt à Passione, & Resurrectione Christi, vsque ad diuulgationem Euangelij: In hoc tempore ait D. Thomas, quod legalia fuerũt mortua, quia nullam vim habebant, neque aliquis ea obseruare tenebatur; Non tamen fuerunt mortifera, sed licebat Iudæis ea obseruare quamuis essent ad Christum cõuersi, dum modo non ponerent spem in eis, tanquã in medijs pro illo tempore necessarijs ad salutem.

Ex hac doctrina infertur primo, quod Baptismus ante Passionem Christi à principio eius institutionis, vsque ad instans Passionis, & mortis Christi, atque Resurrectionis; fuit sub cõsilio, & circũcisio cum tota lege veteri fuit obligatoria sub præcepto. Ratio est, quia tunc aliqua lex obligabat sub præcepto Christianos: non lex noua Baptismi, vt docet D. Thomas cum Aug. ergo lex antiqua circuncisionis manebat tunc in præcepto.

Secundo infertur, quod ab instanti Passionis, & Resurrectionis tota vetus lex ita perdidit suam vim, vt neque etiam manserit sub consilio. Ratio est, quia si nullam vim habebat ad iustificandum, ad quid consilium de illa, cũ consilium semper sit de re conducente ad salutem, imò de perfectiori modo conducente? È contrario verò lex noua Baptismi, cœpit obligare, & esse in præcepto, licèt excusarentur ab illa obligatione, qui ignorantia inuincibili eam ignorabant. Neque cõtra hoc est, quod Aug. & D. Thomas docent, licitum fuisse obseruare illam legem antiquam aliquo tempore post Resurrectionem Christi. Nam ex hoc non sequitur fuisse illam pro illo tempore in consilio, sed solum, quod qui vtebãtur illis ad finem permissum à Christo, scilicèt, vt cognoscerent diuersitatem illius à lege gentium, non peccabant, quia ille finis erat bonus, cum esset (vt ait D. Thomas loco citato in fine solutionis) ostendere quod ritus Iudæorũ in lege scripta fuerat bonus, & tunc erat iam impletus à Christo, ritus verò gentiliũ semper fuerat malus.

Tertio infertur, quod post sufficiẽtẽ promulgationẽ Euãgelij, nullus mansit excusatus ab obseruatione legi baptismi, & aliorum præceptorum, quæ Christus posuit in lege gratiæ.

His ergo præmissis in quibus omnes Catholici conueniunt. Scotus tenet aliquo modo contra D. Thomam. Vndè sit sentẽtia prima dubij nostri, ipsius in 4. dist. 3. q. 4. vbi asserit, quod Baptismus vsque ad sufficientem promulgationem Euangelij, à principio suæ institutionis tantum fuit in consilio, & nõ in præcepto, quia verò putat circuncisionem nõ fuisse in præcepto ab ipso Baptismo instituto, ait consequẽter, quod apud Iudæos licitum erat vti, vel Baptismo, vel circuncisione pro sua libertate. Fundamẽtum huius sententiæ est, quia nullus aliter se habet, nunc quam prius in ordine ad aliquam legem, nisi quia est sibi aliter promulgata, sed post Passionem Christi nemini fuit lex Euãgelica promulgata, quo vsque Apostoli eam diuulgauerunt, ergo vsque ad sufficiẽtem promulgationem nullus tenebatur lege Baptismi, aliter quam ante Passionem. Cõfirmatur, sequitur ex opposita sentia, quod post Resurrectionem Christi vsque ad sufficientem promulgationem Euangelij, esset mundus, etiam magna pars populi Israel, sine remedio ad salutem, consequens est inconueniens, ergo, &c. Probatur sequela, statim atque cæpit Baptismus esse in præcepto, cessauerunt omnia Sacramenta veteris legis, & naturæ: sed ex alia parte maior pars hominum ignorabat legem Baptismi, ergo erant sine remedio.

Secundo arguitur ad probandum, quod Baptismus obligaret ante mortẽ Christi ad sui receptionẽ. Ante mor-

tem

tem Christi dixit Dominus Nicodemo, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei;* Sed tunc loquebatur de præsenti, & non de futuro, ergo iam erat præceptum de illo. Probatur cõsequentia, nam alias pro illo tempore præsenti non esset necessarium ad salutem. Nec valet dicere, quod illa verba dicta sunt in ordine ad tempus futurum, ad intimandum remedium futurum sub obligatione. Non inquam valet, quia D. Augustinus in lib. de fide ad Petrum cap. 3. ait, *Quod ex illo tempore quo Christus dixit Nicodemo verba relata, nemo potest saluari sine Baptismo.* In quibus verbis insinuat, quo ex illo articulo temporis cæpisset Baptismi necessitas.

Tertiò. Alia Domini præcepta obligabant ante Passionem eius, vt præceptum fidei quo tenebantur homines credere dictis eius, & consequenter credere in ipsum Christum, & quia non ita fecerunt peccarunt, vt patet ex dicto Christi, Ioann. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*: ergo idem dicendum est de præcepto Baptismi.

Vltimo. In instanti mortis, seu Resurrectionis, Christus non cõdidit aliquam legem, ergo non cæpit obligare ab illo articulo Resurrectionis, sed ante vel postea.

Confirmatur, quia in instanti mortis dixit Christus Dominus, *Consummatum est*, ergo tunc abolita est lex vetus, & cæpit noua Baptismi obligare.

Pro dubij resolutione est præmittendum, aliud esse legem aliquã obligare ex vi sua, aliud verò homines excusari ignorantia inuincibili ab adimplerione illius, & consequenter aliud est legem non obligare, & aliud homines propter aliquam circunstãtiam non teneri hic & nunc, ad legis obseruationem. Similiter aliud est legem obligare subditos Legislatoris, & aliud promulgari. Ratio est, quia lex habet vim obligandi ex voluntate, & intentione Legislatoris. Vnde cum primum Rex condit legem cum intentione obligandi, si in Curia ipsam faciat manifestari obligat omnes. Hęc autem manifestatio in ciuitate in qua est Legislator, est veluti intimatio legis ab ipso conditore faciendæ necessario, vt obliget ipsa lex, & ita se habet, vt conditio necessaria. At promulgatio in alijs partibus solum se habet, vt remouens prohibẽs adimpletionem, quatenus remouet ignorantiam excusantem. Ratio est, nam cum præco in ciuitate distante à Curia, euulgat legem, non intimat eã neque cõstituit, sed declarat positam iam esse, & eius vim obligatoriã manifestat. Sic colligitur ex doctrina Soti in 4. dist. 3. q. vnica art. 3. circa finẽ §. ad alteram arguendi viam.

Sit ergo conclusio. Baptismus cæpit obligare sub præcepto in ipso die Resurrectionis. Ita communiter omnes Discipuli D. Thomę, contra Scotum vbi supra, & contra Suarez infra quæst. 69. art. 7. disput. 27. sect. 4. dubio 2. Ratio est, quia ab instanti Passionis, & Resurrectionis perdidit totam vim lex Circũcisionis (vt ex notabili præsupposito in principio dubij, patet secundum doctrinam Augustini) ergo cæpit obligare lex noua Baptismi. Consequentia probatur, quia in omni statu debuit esse remedium obligans, ad salutemque necessariũ. Antecedens verò probatur, quia id significant illa verba Christi Domini, *Consummatum est*, quæ sunt dicta in instanti Passionis, quæ verba referenda sunt ad instans Resurrectionis, quia in illo fuit completa redemptio atque iustificatio nostra, ergo in illo toraliter fuit finita, & abolita lex vetus quoad obligationem, & consequẽter lex Baptismi statim cæpit obligare sub præcepto.

Ex hac ratione sequitur, falsissimũ dixisse Scotum pro illo tunc Iudæis esse liberum vti Baptismo, vel Circun-

cunciſsione. Ratio eſt euidens meo videri, nam vel loquitur de Iudæis, qui inuincibiliter ignorabant Euangelium, aut de illis qui illud ſciebant, vel qui culpabiliter ignorabant. De nullis poteſt verificari aſſertum Scoti: ergo omnino eſt falſum. Probatur minor, de prioribus falſum eſt dicere, quod poterant Baptizari, quia ex ignorantia ſua obligabantur circuncidi, cum ex conſcientia ignoranti crederent Circunciſsionem eſſe medium ad ſalutem neceſſarium, ergo quoad illos ignorantes falſa eſt propoſitio Scoti. De poſterioribus idem probatur, nam illis erat promulgata lex Baptiſmi à Chriſto, & ab eius diſcipulis, ergo ſimpliciter tenebantur ad Baptiſmum, cum ignorantia vincibilis legis, non excuſſet ab obligatione.

Etſi inquiras, quomodo intelligendum ſit legem illam eſſe intimatam, & promulgatam ſicut requiritur per ſe ad hoc, quod obliget ſimpliciter non admitens excuſſationem quoad perſonas aliquas?

Reſpondetur, quod cum primum Chriſtus dixit, Ioann. 3. *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Cæpit promulgare, & quia illa verba referuntur (vt ait D. S. in articulo citato ſolutione ad 3.) ad tempus futurum ſcilicet Reſurrectionis, credendum eſt, quod Chriſtus explicuit, quod obligatio vtendi illo medio erat poſt Reſurrectionem. Similiter etiam credendum eſt, quod quando Apoſtoli baptizabant, explicabant poſt Reſurrectionem Chriſti futurum eſſe neceſſariũ vſum illius ſub pręcepto. Et ita Iudęi habitantes terram in qua hæc promulgatio facta fuerat, tenebãtur neceſsitatem Baptiſmi cognoſcere, illi autem qui pertinebant ad regionem diſtantem, excuſabantur ignorantia inuincibili. Vndè ſemper infertur falſum eſſe aſſertum Scoti.

Secunda concluſio. Baptiſmus ante mortem, & Reſurrectionem Chriſti non obligabat ſub præcepto. Ratio huius eſt deſumpta exſolutione ad 2. D. Thomæ, quia non erat conueniens, vt homines duabus legibus eſſent ligati, quarum vna erat figura alterius, ergo vſque eſſet finita lex, quæ erat figura, per veritatem implentem illam, non erat expediens, quod figurata, ſcilicèt lex Baptiſmi obligaret: Sed ante mortem Chriſti non erat expleta lex vetus, fuit autem completa in morte eius dum dixit *conſummatũ eſt*, ergo vſque ad illud tempus non fuit expediens, quod obligaret lex Baptiſmi.

Ad argumenta à principio. Ad fundamentum Scoti negatur maior: non enim, vt lex aliqua obliget aliquem requiritur, quod illi in particulari ſit intimata, & promulgata; ſed ſufficit, quod modo ſupra expoſito ſit promulgata in Curia Legislatoris, quia per iſtam promulgationem cognitio legis deuenit, vel deuenire poteſt ad abſentes per alios, quibus fuit promulgata, vt tanquam menſuram operationum, eam haberẽt. Legatur Caiet. 1. 2. quæſt. 90. art. 4. in Commentario, & ſolutio D. Thom. ad 2. ibi aduertatur.

Quia ergo Chriſtus Dominus quaſi in ſua Curia Eccleſiaſtica propoſuit legem Baptiſmi Apoſtolis, & multis alijs explicando, quod tempore futuro ab inſtanti Paſsionis, & Reſurrectionis erat obligatura, ideò obligauit omnes, ad quos moraliter potuit deuenire notitia promulgationis: illi autem quibus propter niniam abſentiam non potuit notitia legis deuenire excuſſabantur (vt dictum eſt ſupra) quia non cognoſcebant, nec cognoſcere poterãt ſuam obligationem moraliter loquendo.

Ad confirmationem reſpondetur negando ſequelam abſolute loquendo: quia iam Chriſtus Dominus quantum eſt ex parte ſui contulerat remedium Baptiſmi mundo, & ita omnes, ad quos moraliter loquendo eius notitia

titia peruenire potuit per illos ſtabat illud non cognoſcere; illiverò qui inuincibiliter ignorabant illo tempore, cum excuſſarentur ab ad impletione legis Baptiſmi, licèt per ſe loquendo idem Baptiſmus eſſet remedium illorum; per accidens tamen, ſcilicèt ſuppoſita ignorantia, erat eis remedium circunciſio.

Nec valet dicere, quod facta ſufficiẽti promulgatione Euangelij per Apoſtolos, iam nullũ erat remedium Circunciſionis, ſicut nullum Sacramentum veteris legis, & tamen multi inuincibiliter ignorabant legem Baptiſmi, quando ſcilicèt per totum mundum non erat promulgatum: ergo tunc temporis non eſt remedium illis.

Reſpondetur, quod in tali caſu non eſt inconueniens tales homines, non habere remedium ſibi conſtans; quia non tenetur Deus conferre omnibus remedium neceſſarium ad ſalutem, ita vt illud in ſe recipiant, ſicut dicunt Theologi 1. part. quæſt. 19. art. 8. dum de diuinis gratię auxilijs diſputant, & quæſt. 23. de prædeſtinatione Sanctorum ſufficit, quod Deus de ſe ſit paratus, & quod proponat; & loquuntur modo de facto, & certe nulli dubium eſſe poteſt, quod pueri Gentilium, ad quos modo non peruenit prædicatio Euangelij, non habent remedium, quod illis de facto applicetur, licèt Patres eorum excuſſentur ignorantia inuincibili præcepti Baptiſmi.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur benè ibi dictum eſſe: nam ſic explicat D. Thom. illum locum ſolutione ad 3. huius articuli, vndè ibi Chriſtus, tunc non declarauit Baptiſmum Nicodemo tãquam præceptum ex tunc obligans, ſed naturam illius, & obligationem futuram. Neque inconuenit, quod per verbum præſentis temporis id explicuerit tunc: quia in Sacra Scriptura id, quod in proximo eſt, vt fiat, ſolet per verbum temporis præſentis explicari. Sic Dominus explicuit neceſsitatem Euchariſtiæ ſimilibus verbis, Ioann. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, & tamen liquido conſtat apud omnes, quod non cępit Euchariſtia eſſe in præcepto ex tunc. Eodem modo poteſt dici ad replicam ex Auguſtino adductam.

Et deinde ſecũdo dicitur, quod illa verba Auguſtini, *ex illo tẽpore*, nõ debent intelligi materialiter, ita vt ſenſus ſit, quod ex illo articulo temporis; ſed ex illo Chriſti tempore ſumpto formaliter pro tempore legis gratiæ, ideſt ex illo tunc; quando incępit lex gratiæ finito tempore legis veteris; comparat enim ibi Auguſtinus tempus Chriſti ad tempus legis veteris; cum ergo tempus Chriſti, ideſt, legis datæ ab ipſo non incæperit ſimpliciter, vſque dum fuit completum aliud tempus, & hoc non fuerit completum, niſi in morte, & Reſurrectione, ideò pro illo tempore intelligitur Auguſtinus, & non pro alio materiali.

Ad tertium negatur antecedens: nam illud pręceptum fidei adhibendæ dictis Chriſti non erat poſitum à Chriſto in lege noua gratię, ſed erat conſtitutum in lege veteri ſcilicèt in illo Deuteronomij 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, &c. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam.* Prętereà etiam ſuppoſita adimpletione vaticiniorum Prophetarum de Incarnatione Chriſti Dei hominis ex natura rei oriebatur præceptum illud fidei.

Ad vltimum reſpondetur concedẽdo antecedens, & negando cõſequentiam: quia lex . . quam antea conſtituerat, & prædicauerat docẽdo tamẽ, quod

quod ab instanti suæ mortis, & Resurrectionis vim obligandi erant obtentura, *cœpit tunc obligare.*

Ad confirmationem respondetur explicando verbum illud *consummatum est*, & dico, quod est referendum ad tempus Resurrectionis, quia in illo completa est redemptio, & iustificatio nostra, & ideò tũc lex vetus est totaliter finita. Ita colligitur ex illo Apostoli ad Rom.4. *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*: quia scilicèt tunc completa est illa: propter quam rationem Sancti Patres totum triduum Passionis, & Resurrectionis pro vno duxerunt puncto, & instanti. Et hæc de hoc dubio, & articulo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm aqua sit propria materia Baptismi?

CONclusio est. Ex institutione diuina aqua est propria materia Baptismi. Probatur primo in argumento sed contra, ex illo Ioann.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ergo ex institutione diuina, &c. Secundo probatur in corpore articuli quatuor cõgruentijs, quarum vltima desumitur ex ratione suę cõmunitatis, quæ sic formari potest: Sacramentum Baptismi est quasi vniuersale, & generale Sacramentum cũ sit omnibus necessarium ad salutem simpliciter, & absolute loquendo: ergo materia eius debuit esse communis, vt ita facile possit remedium hoc hominibus adhiberi, aliàs posset quis propter difficultatem sine Baptismo discedere, quod non congruit suaui dispositioni Christi in omnibus pertinentibus ad legem gratiæ à se conditam oppositę duritiei, & seruituti legis antiquæ maximè Circumcisioni: propter hanc suauem dispositionem Dei, dicitur ad Rom.8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.* Circa istam conclusionem solum aduertendum est in illa non loqui de materia proxima Baptismi: quia ista (vt iam diximus supra art.1.) est ablutio passiua aquæ, quæ denominat hominem ablutum, & Baptizatum, solum ergo est intelligenda conclusio de materia remota Baptismi, & est sensus eius, quod in aqua sola, quę re vera est aqua, & non in alio, aut cum alio liquore debet fieri ablutio, quæ est pars materialis Baptismi, vt subest determinatę formæ verborum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrùm ad Baptismũ requiratur aqua simplex?

CONCLVSIO. Qualitercumque trãsmutetur aqua, dummodo nõ soluatur species aquæ potest fieri Baptismus; si verò soluatur species aquæ non potest fieri Baptismus. Ratio huius conclusionis in argumento sed contra est: quia propria materia Baptismi est aqua (vt dictum est) sed speciem aquę non habet, nisi aqua simplex: ergo aqua pura retinens speciem aquæ est requisita necessario ad Baptismum: ergo quantuncunque transmutetur, si tamen seruet speciem aquæ, in illa poterit optimè fieri Baptismus. In corpore non est aliqua specialis ratio, sed tantum explicat D. Thom. modos quibus potest alterari, & trãsmutari aqua siuè per artem, siuè naturaliter, & omnia sunt clara in littera.

Circa istam conclusionem est aduertendum, ex communi Doctorum sententia fundamentum quodam solidū licèt breue maximè vtile ad soluēda aliqua dubia minima, quæ circa illā possunt moueri. Esto; tale, omnis & sola aqua pura, & simplex atque vsualis ad lauandum, vt est quælibet retinens veram substantiam aquę, est legitima sufficiens, & necessaria materia remota Baptismi. Ita deducitur ex D. Thom. hic in solutionibus argumentorum, ratioque est: quia sola ista aqua vocatur, & est propriè aqua apta ad abluendum, qua communiter vtuntur homines ad vsum lauandi corpus.

Ex quo sequitur, quod quamuis in accidentalibus proprietatibus habeat aqua vera; aliquam transmutationem; vtpotè si color immutetur, & sit turbida, & sapor, & sit amara, aut si sit calida hoc tamen non obstante erit legitima materia Baptismi: vnde Lixiuium, quod est aqua calida transiens, per cineres est vera materia Baptismi: quia est simpliciter in specie aquæ. Ita docet D. Tho. ad 4. & idem docet de aquis Sulphureorum Balneorum: quia tales aquæ non incorporantur per artem, vel naturam aliquibus corporibus mixtis, sed solam alterationem quandam recipiunt ex hoc, quod transeunt per aliqua corpora. Vndè minor Doctiss. Nuño in præsenti, dicere tale Lexiuium esse materiam dubiam, cum expresse D. Thom. dicat solutione citata, quod in illo potest fieri Baptismus; fateor tamen, quod tantum possit commisceri cinerum in aqua, tantumque & hustionis, vt resultet Lixiuium non retinens speciem aquæ, Cæterum regulariter loquendo non id contingit, & puto hunc esse casum metaphisicum, & ideò D. Thom. sine vlla distinctione illud, materiam ponit Baptismi.

Ex his sequitur, quod aqua rosacea non est materia Baptismi: quia non est aqua vera, sed liquor rosæ resolutus. Eadem ratione aquæ alchimichæ non sunt materia Baptismi. Etiam sequitur, quod nix, grando & gelu, aut lutum, salua aut humor phlegmaticus non sunt materia baptismi. Tum, quia nihil horum est aqua vera, & secundum substantiam, sed sunt in altera specie simpliciter. Tum etiam quia non sunt aptæ ad actum ablutionis. Aduertendum tamen est, quod nix, grando & gelu cum sint imperfectissimæ species facile transmutantur in aquam veram & legitimam, qualis est aqua illa, inquam reso uuntur regulariter: vnde in illa optimè potest fieri Baptismus. Et vt breuiter omnia comprehendam aduertendum est, quod D. Thom. in præsenti, absque dubio putauit aquam elementalem, & aquam moris, & nostram communem, & vsualem esse eiusdem speciei simpliciter, vt patet ex verbis suæ conclusionis.

Cæterum, quia in presenti non est cur phisicam quæstionem ventilemus, siue sit diuersitas specifica atho ma inter illas, siue nō, dummodo aqua habeat veram rationem aquæ secundum illam speciem subalternam est legitima materia Baptismi: quia est vera aqua apta ad vsum Baptismi. Sic solet dici in materia de Eucharistia, quod potest celebrari in vino rubro, & in albo esto differant specie vltima: quia vtrumque est vere vinum potabile: vnde proportionatum ad vsum illius venerabilis Sacramenti. Vltimo ante oculos habenda est regula generalis ad vitandos scrupulos; semper quod est dubium an aliquis liquor sit vera aqua, vel non; adhibenda est in Baptismo materia certa secundum opinionem communē, & veritatem seruatis ritibus, & cæremonijs Ecclesię: quia hoc spectat ad reuerentiam Sacramenti, & ad eius certitudinem; si autē aliquando in casu necessitatis fuerit quis Baptizatus

in

in materia dubia postea baptizandus est solemni remedio sub conditione scilicèt, si non es baptizatus: hoc enim exigit necessitas magna Sacramenti huius. Sic Doctissimus Pater Soto in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 4. §. *Est verum tamen*: Sed contra conclusionem D. Tho. est argumentum desumptum ex Matthæi, cap. 3. vbi hæc à Ioan. verba dicta referuntur. *Ille vos Baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*: ergo cum constet ignem non esse materiam Baptismi, ac proinde metaphorice debere sumi, ita etiam nomen *aquæ* poterit metaphorice sumi.

Probatur: nam ibi Ioannes videtur significare materiam Baptismi: ergo vtraq; vox debet sumi eodē modo.

Propter istum locum duplex orta est hæresis in Ecclesia. Prima fuit Gnosticorum dicentium aquam sensibilem non esse necessariam ad Baptismum. Secunda fuit Iacobitarum dicētium materiam Baptismi esse ignem, & ideò candenti ferro characterem Crucis Baptizatorum frontibus inurebant. Videatur Suar. hic disp. 20. sect. 1. vbi refert has, & aliam, & optimè impugnat: nobis enim solum vacat tempus, ad soluendum obiectionem, opportunum.

Respondetur ergo ad illam dupliciter primo admittendo, quod ibi fiat sensus de Baptismo Christi: quia sic exponunt Chrysostom. homil. 11. in Matthęum, Anselmus, Basilius lib. de Baptismo non longe à principio, & plures alij quos refert Suar. vbi sup. dico ergo, quod in illis verbis non explicatur materia, neque forma baptismi, sed nominauit Ioan. Baptismum ab efficatia eius, & voluit significare habere virtutem conferendi gratiam Spiritus Sancti: vnde illa particula *in igne* significat idem, quod Spiritus Sancti nomen; repetitur autem ad significandam abundantiam gratiæ baptismalis, & efficatiam eius: quia non solum animam sanctificat, sed & sordes consumit, & vires ad benè operandum præstat, Anselmus autem intelligit per illam particulam *metaphoricè* Sacramentum confirmationis, quod est consummatio baptismi, in quo datur plenitudo Spiritus Sancti ad profitendam fidem etiam coram inimicis eius, & ideò ab effectu significatur nomine *ignis*, quia Spiritus Sanctus ignis consumens est.

Secundo respondetur, intelligendo cum Hyeronimo per ignem, ignē Purgatorij, quo Christus purificabit electos suos in fine mundi, & etiam modo in futuro iudicio particulari, quod fit in die mortis, & certe hæc expositio aliquo modo consonat verbis sequentibus immediate: sic enim habet textus sacer: *Cuius ventilabrū in manu sua, & permundabit aream suam, &c.* Respondetur ergo iuxta istam expositionem non esse necessarium intelligi verba præcedētia de Baptismo Christi, sed possunt intelligi optimè de qualibet animæ sanctificatione facta per Christum, & tunc sensus est: ipse vobis remittet peccata in hoc sæculo, & gratiam Spiritus Sancti liberaliter dabit, & Spiritus Sancti gratijs inundabit (vt vult Theophilatus) & in futura vita etiam igne vos purgabit si opus fuerit: vnde metaphora iuxta istam expositionē posita est in verbo *Baptizauit*, & non in verbo *igne*, quia non significat corporalem ablutionem, sed tantum animæ emundationem, quę per vocem Baptismi solet significari. Ex hoc autem, quod vna illarum vocum sumatur in prædicto loco metaphoricè non potest inferri, quod etiam in alijs locis debeat vox *aqua* metaphorice sumi: quia diuersa ratio locorum attentis circunstantijs eorū id postulat, quod itidem confirmat communis Ecclesiæ traditio.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm hæc sit conueniens forma Baptismi: Ego te Baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?

CONcluſio D. Tho. eſt affirmatiua. Ratio huius cõcluſionis à priori eſt: quia ex inſtitutione huius Sacramenti conſtat hanc eſſe formam: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, vt patet ex Matthęi vltimo: ergo hæc eſt conueniens forma. Deinde probatur quadam ratione congruentiæ, quę ſic formatur. In Baptiſmi forma opportet explicari cauſam aqua procedit eius effectus: ſed hęc eſt duplex principalis, ſcilicèt, & miniſterialis: ergo hæc debet explicari: ergo forma aſsignata eſt conueniens. Maior huius diſcurſus probatur, quia Baptiſmus per ſuã formã conſecratur iuxta illud ad Epheſ. 5. *Mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ*: Ergo opportet in forma Baptiſmi exprimi cauſam eius; cum ergo in forma aſsignata explicetur duplex cauſa, quam habet, ſcilicèt miniſterialis, & principalis, quæ eſt tota Trinitas; ſequitur de primo ad vltimum talem formam eſſe cõuenientem.

Circa iſtam rationẽ eſt aduertendũ illam eſſe quandam congruentiã ſuppoſita Chriſti Domini inſtitutione, in qua non intendit D. Tho. explicare, aut probare eſſe de eſſentia huius Sacramenti, quod in eius forma expli centur cauſę ipſius, quod patet ex eo, quod in ſolutione ad primum in fine expreſſe docet, quod non eſt de ſubſtãtia formæ noſtræ illa particula *ego*, ſed quod ponitur ad maiorẽ expreſſionem intentionis; ſed ſenſus D. Th. eſt explicare, quod hæc forma eſt cõueniens eo ipſo, quod in ipſa explicatur cauſa principalis, & inſtrumentalis Sacramenti: quia explicando cauſam principalem denotatur origo, & principium ſanctificationis Sacramẽtalis, & fit quædam expreſſa profeſſio fidei illius quoad vnitatem, & Trinitatem perſonarum diuinarum per hoc autem, quòd cauſa miniſterialis explicatur manifeſtatur actus eius, qui eſt materia proxima huius Sacramenti, ſcilicèt ablutio exterior, & cõſequẽter ſignificatur effectus eius qui eſt ablutio, & renouatio interior animæ. Ex quo optimè infertur nihil de eſſe tali formæ, vt ſit conueniens ſuppoſita tamen tali diuina inſtitutione:

Nec valet inferre, quod eadẽ ratione poteſt probare formas aliorum Sacramentorum debere explicare cauſam principalem illorum, quod autẽ non ſit in Euchariſtia, neq; in Pœnitẽtia, & ſic de alijs: ergo ſunt deficiẽtes.

Reſpondetur tamen hanc rationem non valere in alijs Sacramentis: quia cum in iſto procedat ſuppoſita Chriſti Domini inſtitutione, & in alijs ſit diuerſa ratio inſtitutionis ſolũ aptatur optimè huic Sacramẽto per ordinem ad propriam inſtitutionem, & nullo modo poteſt aptari alijs in quibus ſunt aliæ rationes congruentiæ ſuppoſita inſtitutione ſpeciali cuiuſcumque illorum. Sit ergo in hoc articulo.

PRIMVM DVBIVM, CIRCA ſolutionem D. Thom. ad primum.

Vtrùm ſit neceſſarium neceſsitate Sacramenti explicare in forma perſonam miniſtri formaliter, vel ſaltem virtualiter?

IN hoc dubio refertur à Doctoribus Innocentius IV. tanquã ſingularis, eo quod ſuper caput primum de Baptiſmo dicit apud Grẽcos ſufficientem eſſe formam, quam refert D. Thom. in ſolutione citata, ſcilicet, *Baptizetur ſeruus Chriſti, &c.* vel *Baptizat te Chriſtus, &c.* non tamen

men apud Latinos, & forte propter istam auctoritatem Pontificis D. Th. in 4. dist. 3. q. vnica art. 2. quęstiuncula 2. dubitat: vtrum talis Baptismus sit validus, ex quibus infert Silvester verbo *Baptismus primo*, quæst. 4. quod tale Sacramentum est iterandum sub conditione.

Ratio dubitandi pro ista sententia Innocentij potest esse: quia Alexander 3. cap. 1. sic ait: *Si quis puerũ ter aqua immerserit in nomine Patris, &c. Et non dixerit; ego te Baptizo, puer non est Baptizatus*: ergo iuxta istud decretum de necessitate Baptismi est apud Latinos, quod persona ministri explicetur.

Conclusio sit. Non est necessariũ necessitate Sacramenti, vt in forma baptismi explicetur persona ministri, neque formaliter, neque virtualiter. Ita communiter omnes Theologi in præsenti sequentes D. Tho. in isto articulo solut. ad 1. Ratio huius conclusionis est: nam hæc necessitas nullo modo colligitur ex Christi Domini institutione, ex qua ad multum colligi potest, quod sit necessarium exprimere actum ablutionis: nam id videtur sonare illa verba Christi: *Baptizantes eos, &c.* Ergo non est ratio mouens ad oppositum asserendum.

Nec valet dicere colligi istam necessitatem ex vsu, & traditione Ecclesiæ. Non, inquam, valet: nam licet Ecclesia Latina id obseruet, non tamen sentit esse talem explicationem de essentia formę, cum permittat Ecclesiam Græcam baptizare sub forma, in qua non explicatur formaliter, aut virtualiter persona ministri; nec propter hoc arguit illam alicuius erroris: ergo sentit non esse de essentia Sacramenti personam ministri in forma Baptismi explicare.

Confirmatur hæc ratio, & probatur secundo conclusio: nam in Concilio Florent. in decreto super vnionem Græcorum, & Armenorum cõceditur facultas Græcis, vt Baptizent sub ista forma: *Baptizetur seruus Christi in Nomine Patris, &c.* vel *Baptizat te Christus in Nomine Patris, &c.* Sed Ecclesia non habet auctoritatem ad immutandas formas Sacramentorum quoad essentialia earum: ergo si Græci verum Sacramentum Baptismi conficiunt sub forma assignata, signum euidens est à posteriori, quod non est de essentia formæ huius Sacramenti explicare personam ministri. Discursus est certus, & maior est diffinitio Concilij Florentini, in quo dicitur, quod vbicunque exprimitur actus baptizandi cum persona baptizati, & inuocatione Trinitatis fit Baptismus. Minor est certa: quia essentia formæ, & materię Sacramenti non pendet ex instituto, aut præcepto Ecclesię, sed tantũ ex institutione Christi, & ideò vna debet esse forma essentialis cuiuscunque Sacramenti apud omnem Ecclesiam relinquitur ergo certum, & indubitatum consequens discursus facti; & cõclusio nostra etiã est manifesta. Ex quo sequitur, quod si in Ecclesia Latina aliquis Baptizaret, sub illa forma verũm conficeret Sacramentum Baptismi nullo modo iterandum. Ita omnes: addunt tamen aliqui quod minister Ecclesię Latinæ illo modo Baptizans peccaret mortaliter: quia tenetur ex præcepto suæ Ecclesiæ apponere formã, in qua explicetur persona ministri: vnde quia faceret non vtendo tali forma contra communem vsum suæ Ecclesię in re graui peccaret mortaliter: intelligẽdum tamẽ est hoc in casu, in quo nullo modo explicetur in forma minister Baptizans: nam si saltim virtualiter, & implicite explicetur, vt si dicat quis Baptizate, non erit peccatum mortale perse loquendo: quia sufficienter per illud verbum significatur causa ministerialis, vnde non est res grauis auferre pro nomen *ego*. Dixi perse loquendo; nam per accidẽs benè potest talis peccare mortaliter, sci licẽt in casu in quo id faceret ex contemptu

temptu vsus Ecclesiæ latinæ.

Sed contra conclusionem est vnicum argumentum. De essentia formę huius Sacramenti est actus exercitus à ministro abluendo, & baptizãdo baptizatum; sed iste actus non explicatur in forma non indicante personam ministri saltim virtualiter: ergo non est sufficiens forma ad essentiam Sacrameti. Maior est de fide: nã habetur in illo decreto Concilij Florẽt. vbi sic dicitur: *Si exprimit actum, qui per ipsum exercetur ministrũ cum Sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum*, & efficaciter infertur ex illis verbis Christi: *Baptizãtes eos, &c.* In quibus actionem Baptizandi attribuit ipsis ministris. Minor verò probatur: nam hæc forma: *Baptizetur seruus Christi, &c.* vel *Baptizat te Christus*: In modo significandi videtur excludere actionem à ministro, & attribuit illam Christo: ergo non explicatur in ista forma actus Baptizandi, vt exercitus à ministro.

Cõfirmatur: quia ex eo, quod Christus Dominus Ioannis 2. attribuit actionem absoluendi à peccatis ministris Pœnitentiæ, dum dicit: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, infertur, quod necessarium est in forma illius Sacramenti explicari personam ministri: ergo eadem ratione inferri debet, quod in forma Baptismi explicanda necessario sit persona ministri.

Secundo: nam in forma Baptismi non solum explicanda est ablutio interior per gratiam, quę est à Deo, sed etiam actio exterior ablutiua corporis: quia vtranque significat illud verbum Christi *Baptizantes*: ergo debet explicari persona ministri. Probatur consequentia: nam si non explicetur non explicatur actio exterior: ergo. Probatur antecedens, nam in alijs formis indicatur, quod ablutio fit à Christo, at ablutio exterior nõ fit à Christo, sed à ministro: ergo non est sufficiens forma, nisi explicatur persona ministri.

Ad horum solutionem aduertendum est personam ministri tripliciter posse explicari in forma Baptismi. Primò modo expressè, & formaliter, vt si dicat; *Ego te Baptizo*: Secũdo modo implicitè directe tamen, & immediate, vt dicendo: *Baptizote*: Tertio modo potest explicari etiam implicite indirectè tamen, & quasi mediatè, vt fit quando dicitur à Græco: *Baptizetur seruus Christi*, vel *Baptizat te Christus, aut Deus*: Nam hæc oratio cum sit practica, & significet illud, quod in exercicio ipso exercetur à ministro, & à Deo mediante ministro, eo ipso, quod pronuncians formã in ipso exercitio ponit ritum externũ essentialem ipsi Sacramento, significat indirectè actionem illam conficiẽtem Sacramentum, & causantem effectum eius, vt procedentem ab ipso ministro hic & nunc, & oppositum in intelligibile apparet: vndè conclusio nostra debet intelligi excludendo significationem formalem, & virtualem directam non tamen indirectam, & tunc sensus est, non quod in forma aliquis dicat illam actionem lauandi nõ fieri ab ipso, sed solum absolute faciẽdo illam, & proferendo formam per terminos explicantes actum baptizãdi, sub inuocatione personarum explicita, hoc tamen sufficit ad essentialẽ formam Baptismi.

Hoc supposito ad primam obiectionem respondetur cõcessa maiori, distinguo minorem á forma non explicante personam ministri virtualiter directè, vel indirectè, concedo minorem, determinate directè nego minorem; sufficit enim, quod indirectè illa explicetur, vt declarauimus iam. Ad probationem minoris, quatenus potest etiam obijci contra solutionem datã. Respondetur negando antecedens; sed licèt non explicet formaliter, includit tamen quatenus est oratio practice significans actionem, quę hic & nunc

nunc ab ipso proferente illam exercetur.

Ad confirmationem respondetur, quod in forma etiam pœnitentiæ sufficit personam ministri explicari indirecte implicite, sicut dixi de Baptismo; neque aliquid amplius potest colligi ex verbis Christi.

Ad secundum respondetur concedendo antecedens, & distinguendo consequens: directe & formaliter nego consequentiam: indirecte, & quasi in ipso exercitio concedo consequẽtiam. Ad probationem consequentiæ quatenus etiam potest militare contra istam solutionem, respõdetur negando antecedens, iuxta distinctionem assignatam.

Ad probationem respondetur, in primis falsum esse, quod in hac forma *Baptizetur seruus Christi*, indicetur ablutionem exteriorem fieri à Christo: verum etiam si id denotaretur; sicut denotatur in ista *Baptizat te Christus*, adhuc, non sequitur aliquid contra nostram resolutionem; nam non indicatur ita fieri à Christo, quod non fiat à ministro; sed significatur, quod principalis abluens est Christus non per se ipsum, sed per suum ministrum immediate abluentẽ; sicut enim actio interior, scilicèt renouatio animæ fit à Christo, & à ministro vice eius; ita etiam actio exterior ablutionis fit à Christo per ministrum, & ita est verum, quod Christus abluit interius, & exterius mediate tamen, scilicèt mediante sui ministri ministeriali actione, sic enim Ioann. 3. verificatur de Christo Baptizasse: quia scilicèt, vt dicitur cap. 4. baptizabant Discipuli eius tanquam sui ministri. Vndè consequentia nulla: vbi aduertendum est cum communi sententia Doctorum, quod Græci baptizare cæperunt sub illa forma nolentes explicare formaliter, neque implicite directe, ne viderentur attribui ipsis virtutem, & efficatiam Baptismi, vt sic vitarent dissidium illud, cuius meminit Apostol. 1. ad Corint. 1. etenim aliqui gloriabantur Baptizari ab Apolo, alij à Paulo dicentes: *Ego sum Pauli, ego Apolo*, in quos acriter inuehitur Apostolus, quoniam diuidebant Christum, & non credebant Baptismum dari, tãtum in nomine Christi, ideſt, auctoritate Christi, sed quod vnusquisq; propria auctoritate baptizabat, vt ergo hunc errorem vitarent, sub forma assignata baptizare cæperunt, per quod nullo modo intendũt, quod talis actio non fit ab illis ministerialiter, sed solum noluerunt modo dicto exprimere personam, ad finem assignatum.

Sed inquiret quis: vtrùm si aliquis siue Græcus, siue Latinus in forma apponeret hęc verba *Baptizetur seruus Christi à Deo, quem ego non Baptizo*: Vtrùm, inquam, hæc esset sufficiens forma ad Baptismum verum conficiẽdum? Respondetur negatiue. Ita tenet Sot. vbi sup. art. 5. circa solutionẽ ad 1. D. Thom. §. *Summa responsionis*. Ratio est: nam hæc forma est exclusiua actionis ministerialis ministri, & consequenter aduersatur intentioni Christi, & Ecclesiæ, & consequenter falsum significat: quia forma Baptismi ex institutione Christi debet explicare actũ ministri practicè loquendo, & ita non debet excludere illum exerceri à ministro.

Prętera, quia falsum est, quod talis actio fiat solum à Deo; cum autem non ponitur dictio exclusiua, licèt dicatur baptismum fieri à Christo explicando solum formaliter personam Christi, sufficiens forma est, quia significat illam actionem fieri à Christo baptizante per suum ministrum. Ex quo infero, falso Suar. disp. 21. sect. 2. in 2. conclusione, & AEgydium eius Socium tom. de Sacrament. quęst. 66. art. 6. dub. vnico num. 36. retulisse Sotum, tanquam dicentẽ non esse necessarium actionem ministri significari, vt ab ipso procedẽtem vllo modo: nam sensus eius à nobis explicatus, vt constat clare ex toto discursu

fuę doctrinæ, specialiter §. *Colligetur ergo de essentia baptismi esse*: vbi docet, quod de essentia baptismi est, vt exprimatur actus qui exercetur à ministro cum inuocatione Trinitatis, vt habetur in Concilio Florent. nam illic virtualiter subnotatur minister, scilicèt indirectè iuxta modum iam explicatum. Vndè diminutè processit Suar. hanc necessariam inclusionem indirectā personę ministri inclusam in expressione actus, nō cognoscēs, eo modo quo requiritur ad essētiā baptismi.

Sed inquires vlteriùs: an si quis vtatur forma Græcorū intendens introducere in Ecclesia hunc errorem, scilicèt illo modo tantum, & non modo quo fit Baptismus ab Ecclesia Latina debere fieri: vtrum, inquam, talis baptismus sit validus.

Ad hoc respondetur ex doctrina, quę traditur supra quęst. 60. art. 8. à D. Thom. & ab omnibus suis discipulis notando, quod dupliciter potest aliquis in ritu Baptismi se habere intendendo introducere hunc errorē, scilicèt, quod nos nō baptizamus forma debita, quia sentit incidere in errorem illum attribuentium virtutē, & efficatiam Baptismi ipsis ministris, quē sensum erroneum vult omnes habere formā, qua vtimur in Ecclesia Latina.

Primo modo, ita vt explicet istum errorem in forma taliter, quod explicatio illa destruat legitimum, & essentialem sensum formæ; tunc certum est, quod nullum Sacramentum cōficit, quia mutat formam essentialem, & cum tali mutatione non compatitur intentio vniuersalis Ecclesiæ: sic faceret ille, qui adderet formę, illam orationem exclusiuam, *quē ego non baptizo.*

Secundo: ita vt non explicet errorem in forma, vel si explicet id faciat aliquo modo non destruente sensum essentialem formæ, neque intentionem communem Ecclesiæ, & tunc verum conficitur Sacramentum: quia posita vera, & legitima forma cum legitima materia, & intentione faciendi, quod facit Ecclesia, semper est legitimum Sacramentum; esto minister intendat intentione sua priuata aliquem errorem inducere in Ecclesia. De quo videndi sunt Interpretes D. Thom. vbi supra.

Ad rationem dubitandi in principio respondetur sensum intentum in illo decreto Pontificis, tantum esse, quod sit necessarium ad Baptismi essentiam, quod explicetur actus baptizandi informa; informa vsus est autē illis verbis: quia sunt communiter in vsu Latinæ Ecclesiæ; non quia intendat illud pro nomen *ego* esse simpliciter necessarium: intentum ergo Pontificis est non sufficere puerū in aqua mergi sub inuocatione Trinitatis, nisi actus baptizandi aliquo verbo explicetur: vnde cum sufficienter explicetur per verbū *Baptizo*, non est necessarium pro nomen *ego*. Ita Sot. vbi sup. in 4. dist. 3. q. vnica art. 5. §. *Colligitur ergo* propè finem.

SECVNDVM DVBIVM EST.

Vtrùm sit magis conueniens forma, qua vtuntur Græci, quam illa qua vtuntur Latini?

RATIO dubitandi pro parte affimatiua est: quia Græci per illā formam intendunt vitare errorem relatum, quem Latini non ita vitant: ergo melior, & conueniētior modus est modus formę Grę-corum, quam formę Latinorum. Probatur minor: nam dicendo: *Ego te baptizo, aut Baptizo te*, ex modo significandi denotatur, quod minister habet vim, & efficatiam ad Baptismum, & eius effectum: ergo potius incidimus in errorem illorum saltem materialiter. Confirmatur: quia iste modus baptizandi præbuit ocasionem tempore Pauli, diuisioni, & Schismati subortæ: ergo eiā modo datur ocasio

cassio eidem diuisioni, & consequenter cum vtēdo alia forma, ista occassio totaliter de medio auferatur, conuenientior erit forma Græcorum quā nostra.

Conclusio sit. Melior & conueniētior est ritus Ecclesiæ Latinæ vtentis hac forma: *Ego te baptizo, &c.* Ratio huius conclusionis est: nam conuenientior est forma, qua vtitur Ecclesia (quæ est caput, & mater Ecclesiarum omnium) quam illa qua vtitur particulare membrū Ecclesiæ ex permissione illius; sed Ecclesia Latina est caput, & mater omnium Ecclesiarum: ergo forma qua vtitur est conuenientior.

Confirmatur. Iste ritus est magis consonus verbis Christi dicentis: *Baptizantes eos, &c.* Magis etiam explicat actum baptizandi prout Sacramētalis est exercitus à ministro Dei, & consequenter melius explicat causas Sacramenti, & effectus ipsius: ergo est conuenientior.

Ad rationem dubitandi respondetur negando minorem. Ad probationem respondetur distinguendo antecedens, significat se habere vim propria virtute, & auctoritate, nego minorē, ministerialiter, & virtute Christi, cuius ministrum se gerit in illa actione, concedo minorem, & negatur consequentia; sicut enim qui in forma pœnitentiæ dicit: *Ego te absoluo*, non præbet occasionem schismatis, vt scilicèt ipsi attribuatur virtus remissiua peccatorum, vt causę principali, sed solum, vt ministeriali: quia in tali actione se exhibet ministrū Christi, ita in prędicti est dicendum.

Ad confirmationem distinguo antecedens, ex vi ipsius nego antecedēs: ex ignorantia intelligentium, aut ex malitia concedo, & nego consequentiā: quia in Ecclesia Latina satis conspicuum est, quod ministri solum in vsu illius formæ se exhibent vt tales: vnde in ipso exercitio, & in modo proferendi formam dicentes, *In nomine Patris, &c.* ideſt, *in virtute Dei Patris, &c.* Tollunt omnem occassionem attribuendi ipsis talem actionem, vt causis principalibus; quod autem attribuatur eis, vt instrumentalibus, quamuis non sit de essentia formę, est tamen aptus modus ad intelligendum causas omnes Baptismi, & modum quo talis actio tribuitur ipsi Deo, vt causæ principali; & ideò est conuenientior. Ad huius perfectam intelligentiam ponderanda digne est solutio D. Thom. ad 1. huius art.

TERTIVM DVBIVM EST.

Vtrùm sit necessarium necessitate Sacramēti, quod explicetur actus baptizandi, & quod explicetur per verbum baptizo: *an per aliud æquiualens?*

PRobatur pars negatiua primæ partis dubij: nam in Concilio Florent. in decreto cit. de omnibus Sacramentis ait; tribus perfici, scilicet rebus, vt materia, verbis vt forma, & persona ministri conficientis Sacramentum. Sed hoc non obstante non est necessarium, quod explicetur persona ministri explicitè neque implicitè directè: ergo neque erit necessarium necessitate Sacramēti, quod exprimatur explicitè ipse actus baptizandi, qui se habet, vt res in baptismo.

Secundo. Si esset ratio aliqua propterquā esset exprimendus actus baptizandi maximè verbum Christi dicentis: *Baptizantes eos*, &c. Sed ex his verbis non colligitur talem actum esse verbis explicandum, ergo nō debet explicari. Probatur minor. Christus in illis verbis pręcepit quid agendū sit, & nō quid dicendū, quando hoc Sacramentū confertur: ergo sufficiēter implent istud præceptum opere (vt ita dicā) lauando eos in ipso exercitio quamuis verbis non exprimant talem actum.

Sit

Sit conclusio. De necessitate Sacramenti Baptismi est, quod in forma explicetur actus baptizandi. Hæc cõclusio est de fide (vt sentiunt omnes Doctores) quia illam insinuat Concilium Florent. Decreto iam citato dũ assignans rationem cur forma Græca sit valida? subdit hæc: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur, ministrum cum Sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum: ergo sentit expressionem actus baptizantis, & inuocationem Trinitatis esse de necessitate baptismi. Ratio à priori huius conclusionis est institutio formæ huius Sacramenti, quæ colligitur ex illis verbis Christi: *Baptizantes eos in nomine, &c.* Nam in illis secundum communem expositionem Sanctorum, ab Ecclesia vniuersaliter receptam, non solũ dedit Apostolis præceptum baptizandi; sed ritum essentialem quo baptismus erat fiẽdus, descripsit: ergo in illis cõtinetur expressio formæ Baptismi: cum ergo in illa ponatur verbum *Baptizo* significans actum ablutionis, infertur necessariũ esse ad essentiam formæ Baptismi in illa explicari actum Baptismi.

Sed dices, Sequitur quod sit de essentia formæ baptismi, quod in illa explicetur actus baptizandi per verbum *Baptizo*, consequens est falsum; & contra communem opinionem: ergo non est necessarium necessitate Sacramenti ex primi actum baptizandi. Consequẽtia ex paritate rationis probatur: sequela verò: quia in illis verbis Christi, Dominus vsus est illo verbo *Baptizo*, ergo si ex illis infertur esse de essentia formæ explicari in illa actum baptizandi per verbum *baptizo* debet explicari.

Respondetur, quod non est de essentia formæ baptismi explicari actũ Baptismi per verbũ *Baptizo*, sed per quodlibet verbum significans communiter actum ablutionis, sufficit illum explicare ad essentiam Baptismi: huiusmodi sunt abluo, lauo, intingo, mergo, immergo: quia omnia significant ex communi modo concipiendi idem, quod *baptizo*: vndè mutatio vnius vocis in aliam significãtem idẽ, tantum est mutatio accidentalis formæ, & non essentialis, atque adeò semper manet essentia formæ eadẽ, & consequenter per illam, hac, vel illa materiali voce solũ diuersam, idem Sacramentum constituitur. Ita communiter tenent in præsenti omnes Doctores, & etiam supra quæst. 60. art. 8.

Addunt tamen nonnulli, non esse faciẽdam hanc mutationem, eo quod verbum *Baptizo* est, quo Ecclesia vniuersalis vtitur: vndè semper est retinendum ipsum tanquam indubitatũ, & certum, quod faciendum censent, etiam si quis in lingua vulgari Baptismi formã proferat, vt contingit quando quis baptizat in casu necessitatis, & hoc eàdem ratione.

Ad argumentũ ergo respondetur negando sequelam. Ad probationem respondetur negando antecedẽs, sed aliquo verbo significante in lingua sancta, qua vtebatur Christus, & vtebantur Apostoli significante illã corporalem lotionem, quam vt materiã Baptismi Christus instituit: illi tamen voci ex accomodatione vsus in nostra vulgata correspondet verbũ *baptizo*, quod non latinum, sed Græcum est, quod in lingua latina non significat ablutionem (vt optimè aduertit Caiet. sup. quæst. 60. art. 7. circa solutionem ad 2.) sed solum, quia Ecclesia Latina ex accommodatione ipsius vtitur tali verbo ad significandum actum ablutionis, ideò illo vtendum est; non tamẽ quia essentia formę huius Sacramenti hoc petat, sed solum petit verbum, quod sit in vsu ad significandum ablutionem.

Ad primum à principio respondetur, negando consequentiam. Ratio disparitatis est: quia actus abluendi ponitur tanquam pars essentialis materialis, & ideò necessario debet ex primi: persona verò ministri cum recta inten-

intentione solũ ponitur, vt causa agés ipsam rem, quæ est materia: vndè solum extrinseca pertinet ad Sacramentum, & tanquam conditio necessaria, & consequenter non est necessarium, quod eodem modo exprimatur in forma, atque ipsa pars essentialis; sed eo modo quo est de necessitate scilicèt, vt significatur actus exercitus, sicut est necessario exercendus, vt sit materia Sacramenti: ad hoc autem sufficit significari indirecte implicite, & quasi arguitiue.

Ad secundum concessa maiori, negatur minor. Ad probationem distinguo antecedens; si attendatur ad corticem litteræ, vt sonat, transeat antecedens, si ad sensum verborum secũdum doctrinam Ecclesiæ traditione Apostolica acceptam: nego antecedens; sicut enim ex vsu Ecclesiæ, & iuxta traditionem Apostolicã, & explicationem communem Sanctorum, & Scholasticorum Doctorum intelligitur, quod inuocatio Trinitatis est in forma Baptismi verbis ministri faciẽda, ita etiam ex eadem doctrina colligitur, quod actus baptizandi verbis ministri sit explicandus. Ratio autem quare apparet hanc intelligentiam illius loci esse legitimam est, quia cum forma cuiuscunque Sacramẽti debeat habere perfectum, & determinatum sensum significatum per ipsam, & iste non possit esse, nisi inuocatio Trinitatis applicetur ipsi actui baptizandi per quem, quasi ingenere causæ materialis determinetur ad esse formæ Sacramentalis in ipso vsu, seù exercitio: quia alias illa verba perse sumpta nullum determinatum sensum reddunt. Hinc est, quod optimè explicatur ille locus ad sensum explicatum modo, & sup. in probatione conclusionis.

QVARTVM DVBIVM EST.

Vtrùm sit necessarium explicare personam, quæ baptizatur?

PRo parte negatiua est ratio dubitãdi: quia Baptismus importat æqualiter actionem & passionem; sed non est de necessitate baptismi, quod explicetur directè, & formaliter persona agés: ergo neq; quod explicetur persona patiens.

Sit conclusio. De essentia baptismi est, quod explicatur persona, quę baptizatur. Hęc est communis omnium Doctorũ, & videtur expresse haberi in Concilio Florent. decreto cit. maximè cum dicitur, quod non negant Sancti Patres Concilij, quod per illa verba: *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, &c.* vel *baptizatur talis manibus meis in nomine Patris, &c.* Verum conficiatur baptisma, in quibus verbis declarat, quod etiam in forma Græcorum debet aliqua voce designari persona baptizata. Ratio huius conclusionis desumitur à priori ex institutione Christi Domini, de qua constat in illis verbis, Matth. vltimo, *Baptizantes eos, &c.* Nam in illo termino *eos* designatur persona baptizãda ergo.

Deinde probatur ratione desumpta ex D. Thom. hic solut. ad 3. verba formæ Baptismi proferuntur non solum causa significandi; sed etiam causa efficiendi, scilicèt: quia efficiunt id quod significant: sed efficientia formę baptismi est, circa personã in particulari, scilicet circa illam, quæ recipit baptismum, ergo debet exprimi in forma talis persona. Patet consequentia: nam significatio Sacramenti debet esse ita determinata, sicut efficientia eius, alias significatio esset cõfusa, & indeterminata, quod est cõtra rationem significationis Sacramentalis.

Confirmatur: nam natura huius Sacramenti consistit in vsu, seù applicatione materiæ remotæ ad subiectum in singulari: ergo ex propria ratione petit, quod illud subiectum exprimatur. Probatur cõsequentia: nã applicatio habet rationem passionis receptæ in subiecto; sed si non exprimitur subiectum non exprimitur sufficienter

talis passio ergo debet necessario exprimi in forma.

Hac ratione probant Doctores veritatem attingentes, quod Sacramentum Pœnitentiæ debet conferri præsenti: quia necessario exprimenda est persona singularis recipiens illud Sacramentum, vt subiectus hic, & nunc recipiens absolutionẽ: vndè nõ sat est dicere absoluo, nisi dicatur absoluete.

Aduertendum tamẽ est, quod persona baptizanda potest exprimi per pronomen *te*, aut passiue per idem pronomen in prima persona, vt dicẽdo: *tu baptizaris à me*, & vtendo forma Græca, dicendo: *baptizetur ter hic seruus Christi*: potest etiam exprimi per nomen proprium, vt dicẽdo: *Baptizo Patrum*, vel per appellatiuum, vt dicendo: *Baptizo dignitatem tuã*, aut *dominationem tuam*: præterea etiam potest exprimi per pronomẽ *vos*, causa dignitatis ipsius personę; quia sic solent aliqui loquendo magnatibus dicere *vos* pro *tu*. Similiter, quando aliquis baptizat plures potest dicere baptizo *vos*: quia per hoc, vt ait D. Tho. hic ad 4. nõ est mutatio formæ essentialis: quia nihil aliud sonat, quã *baptizo te & te*; nunquã tamen licèt exprimi persona baptizanda per pronomen primæ personæ, vt *Baptizo me*: quia tũc esset mutatio essentialis formæ (vt docet D. Thom. in fine solutioniscitatę.) Ratio est: quia inter baptizantem, & baptizatũ debet esse distinctio personalis, sicut inter generãtem, & generatum; est enim baptismi collatio quædã regeneratio spiritualis in nouam vitã: vnde quia hęc distinatio significari debet per formam, vt per illam determinate, & distincte significetur id, quod efficitur in Sacramento, nullus potest se ipsum baptizare, nec formam proferre per illud pronomen in prima persona. In signũ huius Christus voluit à Ioanne Baptizari, vt dicitur extra de Bapt. & de effectu eius cap. debitum.

Sed contra doctrinam modo traditam sic arguitur. Sequitur, quod in casu in quo putans aliquis baptizare Petrum nominando ipsum proprio nomine, re tamen vera sit Paulus loco Petri constitutus: Sequitur, inquam, quod nullus sit Baptismus: consequens est falsum: ergo falsũ est dicere, quod persona baptizanda possit exprimi proprio nomine; siquidem est periculum baptizãdi vnum pro alio.

Sequela probatur, tũ exẽplo; tũ ratione, exẽplo in matrimonio, in quo quia consensus causans illud est indeterminatam personam, si loco Mariæ ponatur Antonia, matrimoniũ est nullum: quia adest impedimentum dirimens, quod est error personæ: ergo similiter in prẽsenti est dicendũ propter similem errorem personæ. Ratione etiam probatur sequela illa: quia quando quis dicit Petrum Baptizo, intendit vt patet ex sensu formæ baptizare Petrum: ergo non intendit baptizare alium distinctum à Petro: ergo non baptizat Paulũ. Patet vltima cõsequentia: quia intentio circa determinatam personam est de essentia cuiuscunque Sacramẽti; sed in casu prẽsenti deficit intentio circa Paulũ positum loco Petri ignorante ministro talem mutationem: ergo non tenet baptismus Pauli.

Antequam huic obiectioni occurramus aduertendum est eandem difficultatẽ substantialiter habere, etiãsi baptizans proferat formã per pronomẽ *te*, cũ possit etiã vnus pro alio substitui, & tunc est idẽ argumentũ: vndè miror Doctissimũ Nuño succumbere hic difficult. 3. huic argumento; ita vt dicat talẽ Baptismũ suo videri esse dubiũ, & iterandũ sub conditione; cũ tamẽ supra q. 64. art. 8. omnes dicãt Sacramentũ illud esse validũ, quod etiã ipse ibidem docet ex explicat. Vt ergo argumento satisfaciamus aduertendum est ex illis, quæ ibi docentur à Theologis, quod minister conferens Baptismum debet habere intẽtionem rectã, & religiosam faciendi, quod

quòd facit Ecclesia: hæc autem intentio est circa personam præsentem hic & nunc, sine aliqua exclusione negativa illius personæ præsentis, siue sit vir siuè fœmina, siue Petrus, siuè Ioannes; ita vt si habeat intentionem baptizandi præsentem si Petrus sit; non verò si sit Ioannes, talis intentio est sacrilega, & tunc ratione malitiæ ipsius ministri, si loco Petri, quem vult baptizare apponatur Paulus, Sacramétum nullum est. In matrimonio est diuersa ratio: quia cum inducat obligationem perpetui vinculi ad cohabitandum per se loquendo non tenetur homò, qui contrahit habere intentionem contrahendi cum præsenti quæcumque illa sit; sed potius cum illa, quam putauit Mariam, aut Antoniam bonam sibi ad habitabilem pacificamque matrimonij cohabitationem: vnde per se loquendo error in persona inualidat matrimonium; aliquando tamen per accidens potest nõ inualidare, vt in casu in quo quis non obstante intentione prima ducendi Mariam, habet aliam ducendi præsentem, quælibet illa sit. Ita communiter omnes Theologi tam vbi supra, quam in additionibus quæst. 51. dum de errore personæ agitur, & in 4. dist. 30. vbi D. Thom. aliam rationem diuersitatis assignat inter matrimonium, & baptismum, vt saluet quod Baptismus in casu nostri argumenti est validus; non tamen matrimonium.

Ad argumentũ ergo in forma respondetur negando sequelam. Ad probationem primam respondetur matrimonium in illo casu per se loquendo esse nullum, & negatur consequentia propter diuersitatem assignatam.

Ad alteram probationem respondetur distinguendo antecedens: intendit baptizare Petrum cum exclusione cuiuscumque alterius præsentis per se loquendo, nego antecedens: per accidens ex malitia ipsius concedo antecedens, & eodem modo dicẽdum est ad primum consequens, & tũc absolutè est neganda cõsequentia, vel distinguatur consequens eodem modo claritatis causa.

Ad ptobationem consequẽtiæ respondetur ex dictis distinguendo maiorem: intentio determinata circa personam præsentem, vt præsentem quælibet sit concedo maiorem; intentio circa determinatam personam, quia Ioannes, vel amicus, aut alia ratione terminet intentionem determinatã, nego maiorem; & ita est intentio (vt dictum est) non exclusiua cuiuscumque præsentis, & distinguo minorem: intentio speculatiua circa Paulum, vt Paulum transeat, circa Paulũ vt præsentem, vel intentio practica nego: quia hæc est ad præsentem, vt præsens, siue sit Paulus siuè Antonius, aut quicumque alius, & ita negatur consequentia vltima.

Ad rationẽ ergo dubitandi in principio respondetur dupliciter: primo transeat maior, & nego consequentiam. Ratio diuersitatis est: quia actio non specificatur ab agente instrumentali, sed à principali, & ita non est necessariũ, quod ponatur directè, aut formaliter agens instrumẽtale Baptismi, in forma, sed principale quod ponitur, dum fit inuocatio expressa personarũ Trinitatis: at passio tãtũ à passo & subiecto, in quo recipitur specificatur.

Secundo respondetur negando antecedens: quia Baptismus, vt ex supra dictis patet, principaliter, & per se significat ablutionem passiuam: quia illa est materia proxima baptismi: vnde necessario debet exprimi persona baptizanda: quia illi applicatur, & in illa recipitur talis materia proxima.

QVINTVM DVBIVM EST.

Vtrùm ad essentiam Baptismi requiratur explicita inuocatio Trinitatis sub nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?

HOC Dubium plura dubiola minora continet, quę

quæ breuiter resoluenda sunt. Primũ est: vtrum necessarium sit dicere *in nomine*, ita vt si quis dicat *in nominibus*, Baptismus nullus sit. Respondetur, quod de essentia formę huius Sacramenti est dicere *in nomine*. Ratio huius á priori est institutio Christi Domini dicentis Matth. vlt. Baptizantes eos *in nomine Patris*, & non dixit *in nominibus*, vt indicaret vnam esse naturam, & essentiam trium personarũ, vnamque virtutem, per quam operãtur effectum Baptismi. Sic explicant omnes Sancti illum locum, vt videre est apud Suar. in præsenti disp. 21. sect. 3. dicto 2. & D. Thom. ad 6. huius articuli, ita intelligit particulam *in nomine*, & ratio huius institutionis est: quia Baptismus est quædam professio fidei; sed ad fidem Dei pertinet Trinitas personarum, & vnitas earum in essentia, & natura diuina: ergo vt sit plena, & perfecta professio Dei, vt est Trinus, & Vnus necessarium est, quod vtrumque explicetur in forma.

Ex his infertur, quod hęc forma *Baptizo in nominibus Patris, & Filij & Spiritus Sancti*, est insufficiens ad essentiam Baptismi; quia est mutatio essentialis formę debitę, quod sic probo: nã vel illa dictio significat nomina relatiua personarum, & consequẽter proprietates personales, vel significat aliquid absolutum; quodcunque istorũ significet destruitur sensus essentialis formæ: ergo est mutatio essentialis. Discursus est optimus, maior certa: quia nihil aliud videtur posse illa dictione denotari: minor verò probatur: nam si designat proprietates relatiuas tantum: ergo in illa forma non explicatur vnitas in essentia, & virtute diuina, & consequenter non fit in illa professio Dei, vt est vnus, & trinus; si verò designat aliquid absolutum continet errorem contra vnitatem naturæ diuinę: quia designat plura esse nomina absoluta significantia plura essentialia, & distinctionem personarum etiam in essentia: ergo quocunque modo sumatur illa dictio mutat, & variat sensum legitimum, & essentialem formæ.

Sed inquires: vtrùm hæc forma sit sufficiens: *Ego te baptizo in Nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus Sancti.* Respondetur iuxta magis communem sententiam, illam esse sufficientem, & validam formã: quia non æquiualet formæ præcedenti explicanti pluralitatem, sed solum est repetitio inutilis eiusdem nominis essentialis; si autẽ quis diceret *in nomine hoc, quod est Pater, in nomine hoc quod est filius, &c.* Non baptizaret: quia ex modo significãdi denotat pluralitatem personarum sine vnitate in essentia: si autem diceret: *In nomine Patris, qui est Deus,* & sic de alijs, verũ conficeret Sacramentum: quia nulla pluralitas in natura indicatur.

Dubium tamen est de ista forma: *Ego te Baptizo in virtute Patris, & Filij, &c.* an sit sufficiens: nam aliqui dicũt sufficere, eo quod illud verbum *in nomine* idem significat, quod in virtute vna diuina, vt explicat D. Thom. ad 6. alij verò dicunt, non esse sufficientem, quia non significat totũ, quod significat *ly nomen*: nam istud significat non solum virtutem diuinam auctoritatem, & maiestatem Dei, sed præterea naturam, & professionem, seù inuocationem, aut fidẽ Dei vnius, & Trini. Ita Innocent. cap. 1. de Baptismo: ergo tamen non auderem absolute affirmare formã illam inualidã esse: quia etiam videtur, quod per illud nomen *in virtute* significatur inuocatio vnius Dei, & Trini: quia tamẽ non est, ita vsitatus modus loquendi, neque ex modo communi concipiendi significat idem adæquatè, & explicite dubia forma mihi apparet. Vnde censeo cum Doctissimo Soto, & alijs, quod Baptismus sub illa forma datus, esset sub conditione iterandus.

Aliud dubium est: Vtrùm sufficiat ista forma: *Ego Baptizo te in nomine Trinitatis*, Respondetur non esse sufficien-

ficientem. Ratio est: quia vt ex dictis dubijs præcedentibus patet, forma à Christo instituta, est sub expressa, & distincta inuocatione personarum diuinarum. Et Deinde: quia simpliciter & absolutè loquendo, istud nomen *Trinitas* non significat idem, quod ista tria *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*: quia illa, explicitè, & formaliter non significant personas, secundum quod ad inuicem referuntur, & distinguntur; sed solum implicite indicat personas propter identitatem realem quam habet vnaquæque cum forma dividente illam ab alia: explicitè namque, solum videtur significare diuisionem exercitam inter diuinas personas: vnde sicut non esset sufficiens forma baptizare *in nomine Dei*, licèt implicitè significet distinctas personas, ita neque baptizare *in nomine Trinitatis* debet esse sufficiens, (quidquid dicat Caiet. in præsenti articulo, contra quem tenent omnes) & ratio facta conuincit sententiam falsam esse.

RELINQVITVR ERGO DISputandum dubium graue.

Vtrùm sit sufficiens forma illa in qua exprimuntur tres personæ alijs nominibus diuersis, vt si dicatur: Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedẽtis, vel in nomine innascibilis, nati, & doni aut Paraclitis?

IN hoc ergo dubio est prima sententia, quã tenet Caiet. in præsenti articul. circa solut. ad 7. D. Thom. docet namque, quod hæc forma est sufficiens ad Baptismum: *Ego te Baptizo in nomine genitoris, geniti, & procedentis*. Fundamentum potissimum eius est: quia vt sup. dicitur, quæst. 60. de Sacramentis art. 7. essentialis forma Sacramẽti non debet sumi ex materialibus vocibus, sed ex significatione earũ, & ex vsu, & accomodatione saltim, vnde terminis æquipollentis significationis, licèt vti ad essentiam Sacramenti constituendam; sed istę voces *Genitor, genitus, & procedens, habent*, habent æquipollentẽ significationem, per quam significant idem, quod *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*: ergo sufficiens forma est assignata illis vocibus ad Baptismum; Probatur minor: nam licet significatum formale illarum vocum videatur diuersum; si quidem per vnas voces significantur relationes propriæ, per alias significantur actus, & origines notionales; tamen absolute loquendo ex vsu, & accommodatione easdem personas significant, & eisdem conceptibus subordinantur; sed (vt ibi loco citat. dicitur) significatio in formis Sacramentorum magis attendenda est ad accommodationem, & vsum, quam ad significationem ex vi nominis: ergo sufficiens forma erit.

Confirmatur: quia etiam istæ vozes *Pater Filius*, in rigore non significant Paternitatem, aut filiationem diuinam; sed paternitatem, & filiationem simpliciter, tamen quia ex vsu, & accommodatione acceptæ sunt ad significandum Paternitatem diuinam, & filiationem diuinam ideò sufficiunt ad formam: ergo idem dicẽdum erit in præsenti.

Arguitur secundo ex doctrina Caiet. quia Concilium Florentin. absolutè docet in decret. cit. quòd ad formam Baptismi sufficit actus baptizandi explicatus cum inuocatione Trinitatis, & nõ subdit inuocationẽ debere fieri necessario sub his vocibus *Patris, & Filij, &c.* Ergo quibuslibet vocibus fiat talis inuocatio erit forma sufficiens; sed sub illis vocibus assignatis inuocantur tres personæ Trinitatis: ergo est sufficiẽs forma.

Tertio: quia per istam formam sufficienter profitemur, & inuocamus Sanctam Trinitatem: ergo erit sufficiens.

Quarto auctoritate Ambrosij 1. lib. de Spiritu sup. cap. 3. vbi de forma Baptismi loquẽs loco *filij* ponit *Christũ*, & loco *Patris* ponit aquo, vnctus

est Christus, & loco Spiritus Sancti ponit quo vnctus est Christus: ergo secundum Ambrosium sufficiens forma erit illa qua personæ Trinitatis inuocantur, & consequenter cum clariori modo inuocentur per hanc formam in nomine *genitoris, geniti, & procedentis*, sequitur quod à fortiori sit sufficiens.

Quinto. Licèt mutatio fiat in nomine significãte vnam personam validum erit Sacramentum: ergo etiam si fiat mutatiò in omnibus nominibus validum erit Sacramentum. Antecedens explicatur exemplis: si quis diceret: *In nomine Patris Iesu Christi, & Spiritus Sancti*, & similiter si diceret: *In nomine Patris, & filij, & Spiritus Paracliti, aut doni*: Certe sub istis formis validum esset Baptisma, neque esset opus reiteratione etiam sub conditione: ergo consequentia probatur: quia nõ est maior ratio de mutatione vnius nominis, & omnium; siquidem tam essentialis est inuocatio vnius personç, sicut aliarum simul que omnium.

Secunda sententia est huic opposita asserẽs de essentia formę esse, quod exprimatur inuocatio Sãctissimæ Trinitatis sub istis nominibus *Patris & Filij & Spiritus Sancti*, ita vt mutatio istorum nominum in nomina iã relata in præcedenti sententia sit substantialis, & essentialis non sufficiens ad Baptismum. Ita tenet D. Tho. hic in solut. ad 7. argumentum, quem sequuntur omnes eius discipuli tam ex nostra familia, quam ex aliena (vno excepto Victoria, vt refertur in summa suo nomine gaudente.) Mag. verò Sot. in 4. dist. 3. q. vnica art. 5. in fine, quamuis istam sentẽtiam communem Doctorum contra Caiet. omnino sustinendam censeat, tamen ait, quod relinquitur dubium, & potest problema esse circa vtramque sententiam; subdit tamen, quod si aliquis esset baptizatus sub alijs nominibus à communibus sub cõditione esset iterato baptizandus.

Tertia sententia est aliquorũ modernorum dicentium, quod sententia Caiet. speculatiuè loquẽdo est nimis probabilis, potestque sustineri: quia habet fundamenta conuincentia vrgenter, & apparenter eius probabilitatem, tamen practice loquendo non est sequenda: quia esset graue peccatum talem mutationem formæ facere, & exponitur sic baptizans periculo manifesto non faciendi Sacramentum in re validum. Vndè inferunt, quod si Baptismus esset datus suæ tali forma dubia, & in certa esset absque dubio iterandus sub conditione, quia reuera valde dubius, & incertus esset talis Baptismus. Ita Suar. disp. 21. sect. 4. in 2. regula seù 2. dicto, quem sequitur eius socius A Egydius tom. de Sacram. q. 66. art. 6. q. vnica num. 55.

Sit prima conclusio. De essentia Baptismi est, quod inuocatio Trinitatis fiat explicite sub istis terminis *Pater Filius, & Spiritus Sanctus*, ita vt forma proferatur dicendo: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti*. Hæc conclusio probatur primo ex institutione Christi Domini, de qua cõstat in illo loco Matth. vltimo sępè citato, & ex verbis Christi patet, formã Baptismi sub terminis significantibus formaliter relationes diuersarũ personarum fuisse instituram, cum constet Christum Dominũ præfetis verbis vsum fuisse, dum dixit *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Secundo probatur ratione explicante congruentiam, quare opportuit vti Christum Dominum istis terminis; desumiturque ex D. Thom. hic solut. ad 7. Forma alicuius Sacramenti congruum est, vt habeat in aliquo proportionem cum materia ipsius, sed materia Baptismi est aqua naturalis, & vera ex Christi Domini institutione; quia eius vsu, est communior ad abluẽdum: ergo forma debuit institui in verbis, quæ communius assumuntur ad significandũ diuinas per-

sonas

sonas in illa lingua, in qua datur Baptismus, sed ista nomina in nostra lingua sunt, quę posita sunt in conclusione: ergo illis determinate est vtendū. Aduertendū tamen est, quod D. Tho. in ista doctrina, ex qua rationem factā formauimus præsupponit, quod hoc Sacramentum institutum est, vt esset quædam exterior professio fidei, & explicita Trinitatis personarum, quia est primum Sacramentum fidei, per quod causatur fides in intellectu recipientis ipsum (vt est communis Ecclesiæ traditio à temporibus Apostolorum vsque nunc, quę absque dubio fundatur meo videri in verbis Christi Matth. vltimo) quo igitur supposito. Ratio D. Tho. est efficax, & optima congruentia pro veritate nostræ conclusionis.

Nec valet dicere cum AEgydio vbi supra num. 56. in fine, hanc rationem probare Christum congruenter potuisse, sic instituere formam Baptismi sub illis terminis communioribus, nō tamē de facto ita fecisse, quia ob alias causas potuit aliter instituere.

Non inquam valet, nam vt dictum est congruentia facta præsuponit institutionem ita esse factam, quia sic cōmuniter Doctores glosant illa verba Christi, quæ expositio aprobatur ab vniuersali Ecclesia vtente illis terminis in forma Baptismi. Deinde non valet illa solutio, quia cum Baptismus (quia primum Sacramentum est) & simpliciter necessarium ad salutē pro omnibus oportuit eius institutionem fieri in materia, & in forma communioribus, & facilioribus, & etiā oportuit institui, vt esset prima professio explicita fidei. Vndè nulla causa apparet, quæ posset mouere Christum ad aliter instituendum, nisi sua rationalis voluntas, quę propter fines nobis incognoscibiles aliter potuit instituere Baptismum quantum ad materiam, & etiam, quantum ad formam.

Tertio probatur conclusio specialiter contra Caietanum. Licèt in formis Sacramentorum, tantum exigatur identitas terminorum quātum ad significationem formalem, nō sequitur istos terminos, *Genitor, Genitus, & Procedens*, sufficere ad essentiam Baptismi, ergo eius fundamentum est nullum; Probatur antecedens, nam isti termini non sunt synonomi cum alijs, neque significant secundum cōmunem modum concipiendi, idē formaliter, quod significant alij, ergo nō sunt sufficientes ad formam Baptismi. Probatur antecedens, nostri termini significāt formaliter ex vi suę significationis secūdum communē modum concipiendi, relationes diuinas inconcreto, quatenus vt sic cōstituūt personas formaliter relatiuas; sed isti termini, *Genitor, Genitus, & procedens*, non significant neque ex impositione, neque secundum communē modum concipiendi relationes diuinas; ergo non significant idem. Probatur minor, isti termini sunt formaliter absoluti significantes actus, & origines notionales, & consequenter tantum fundamenta ipsarum relationum diuinarum, ergo non significant formaliter relationes: patet consequentia, exemplo omnium terminorum significantium fundamēta, & significantium relationes formaliter, etenim termini significantes formaliter fundamenta, nullomodo formaliter significant relationes ipsas, & ècōuerso, termini significantes relationes non significant fundamenta ipsarum formaliter, vt in istis duobus terminis patet, *albedo, & similitudo, & in istis, quantum, & æquale, aut inæquale*, & sic de alijs, ergo idem dicendum est in præsenti.

Ex his infertur Sacramentum Baptismi non perfici, si vtatur in eius forma præfatis terminis. Ita infert D. Thomas in fine solutionis supra citatę, dum dicit, hæc; *neque in alijs nominibus perficitur Sacramentum*, cuius sensus est, quod si sub alijs nominibus forma Baptismi proferatur, non erit verum

verum Sacramentum in re; sed nullum, ex defectu formæ essentialis.

Secunda conclusio. Etiam speculatiuè loquendo parum aut nihil, probabilitatis habet opinio Caietani, imò falsa mihi apparet. Hanc statuo contra Authores relatos pro sententia 3. Probatur primo ex dictis Suarij vbi supra dict. 1. Quando mutatio formę Baptismi fit, ita vt expressa inuocatio Trinitatis mutetur in implicitam, vel confusam, talis mutatio etiam speculatiuè loquendo destruit formam essentialem Sacramenti, & oppositum censet absolute improbabile, & in hoc (ait ipse) opinionem Caietani esse improbabilem; sed mutatio per nomina relata est huiusmodi: ergo idem est dicendum. Minor patet, quia illa nomina non significãt (vt probaui) expressè, & formaliter personas Trinitatis; sed ad multum confusè, & implicitè, quatenus significãt actus notionales: ergo subillis terminis non inuocatur Trinitas personarum expressè, & formaliter.

Secundo, & confirmatur præcedẽs ratio. Dicere quod hæc forma est valida, *Baptizo in nomine Omnipotentis, Sapientis, & Doni.* Speculatiuè etiam loquendo est improbabile, quia quamuis per illa nomina explicetur numerus personarum, id fit nimis confusè, quia non explicantur propietates, seu relationes personales, & idem dicunt Auctores citati de alijs formis similibus, vt videre est in ipsis, & specialiter Ægidius vbi supra num. 57. de illa forma, *Baptizote in nomine Ingeniti, Geniti, & Doni,* ait; esse insufficientem etiam speculatiuè loquendo; & quam minimum dubia, quia illa nomina confusè significant personas (imò non significant illas nisi apud sapientes, & doctos) sed idem est de alijs nominibus, *Genitor, Genitus, &c.* Ergo idem est dicendum de illis eadem ratione. Vnde parum consequenter loquuntur prædicti auctores dum oppositum docẽt. Et certe videtur mihi voluisse magis singularitatem Doctrinæ Caiet. fouere, quam veritatem edocere, in quo satis affectum ingenij ad singulares doctrinas ostendunt.

Ad argumenta ergo à principio respondetur. Ad primum concessa maiori negatur minor, ad probationem respondetur distinguendo maiorem, significant easdem personas, materialiter, & ex parte rei significatę concedo maiorem, formaliter in ratione formali personarum, nego maiorem, & ita formaliter loquendo non subordinantur eisdem conceptibus, vt patet ex ratione 3. facta pro prima nostra conclusione.

Secundo respondetur absolute negando maiorem, propter eandem rationem, quia verbum *significo* appellat propium conceptum supra formale significatum.

Ad confirmationẽ respondetur, ad Missa maiori, & minori, negando cõsequentiam, quia vt dictum est alię voces secundum communem vsum & accommodationẽ nõ sunt acceptæ ad significandum formaliter Relationes diuinas, quas tamen significant nostri vsuales termini, ex vsu, & accommodatione, licèt non ex vi impositionis.

Ad secundum respondetur, Concilium Florentinum in illis verbis intelligendum esse cum inuocatione Trinitatis expressa, & consequenter sub nominibus communibus, illa nãque verba *Cum inuocatione Trinitatis*, intelligenda sunt iuxta ea, quæ de forma Baptismi in præcedentibus dixerat idem Concilium, quod cum assignat eã, ait esse istam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* & dum docet in forma qua vtuntur Græci sufficienter Baptismum dari, etiam addit explicitam inuocationem Personarum Trinitatis per nomina eadem.

Ad tertium negatur antecedens, quia illa nomina non significant Personas

sonas diuinas formaliter, vt dictũ est, & ad confessionem sufficientem Sãctæ Trinitatis requiritur explicita professio, & inuocatio Personarum.

Secundo respondetur, quod apud sapientes, & extra Sacramentum, sufficiens forte erit per illa nomina confiteri Trinitatem, at in forma Sacramenti minime; propter institutionem Christi, & alias rationes assignatas pro conclusione prima.

Ad quartum respondetur dupliciter, 1. ex doctrina D. Thomę articulo sequenti ad secundum argumentum, dicendo, quod ibi Ambrosius non dicit illam formam esse sufficientem, imò, neque ponit illa verba tanquam formam, sed assignat rationem quare conuenienter dabatur Baptismus sub nomine Christi temporibus Apostolorum ex speciali dispensatione ipsius Christi, & eam, ait, esse, quia Christus significat idem, quod vnctus a Patre, &c. Quod fuit dicere, quia saltem implicitè protestabatur Trinitas, quod ex dispensatione Christi instituentis Sacramentum sufficiebat.

Secundo respondetur, quod Ambrosius fortè tenuit illam sentẽtiam, vt probabilem, contra quam tenet D. Thomas, & communis Sanctorum, & Doctorum Scholasticorum consensus.

Ad quintum aliqui respondent absolute negando antecedens censentes, quod mutatio vnius nominis in alio est substantialis, sicut si esset mutatio omnium. Ita Suarez, & Cabrera hic. Magister Nuño distinguit de istis duobus nominibus, *Paraclitus*, *& Iesus Christus*, & de 1. ait in solutione ad 3. dubij vltimi circa istum articulum, quod Baptismus datus *in nomine Paraclitiabsolute* esset iterandus, vnde negat Baptismi formam cum illa mutatione esse validam, de alio verò nomine dicit, quod Baptismus datus sub forma cum mutatione nominis *Filij* in nomen *Iesu Christi*, esset dubius, & iterandus sub conditione, non tamen absolutè, quia non est ita certum Baptismum sub illa forma datum esse inualidum, eo quod aliquomodo ille terminus significabat Personam, & relationem Filij. Magister Soto vbi supra prope finem articuli solutione ad 3. pro sententia Caietani ait, quod si illud nomẽ *Iesus Christus*, non coarctetur ad id, quod est in quantum homo, valida est forma, & plenum Sacramentum, quia *Iesus Christus* significat sicut *Filius*; non verò si coarctetur ad id, quod est in quantum homo, quia vt sic potestas quã habet est creata, & non illa quam habent communẽ tres Personæ Diuinæ.

Sed certe, salua auctoritate istorũ virorum, verior mihi apparet sententia opposita, quia istud nomen *Iesus Christus* clare, & explicite non significat Personam Diuinam, vt Diuinã, sed Personam humanam, scilicet hũc singularem hominem, qui est Christus, implicite autem significat Personam secundam Trinitatis, non absolute, sed vt vnitam humanæ naturæ, ac proinde dicere *in nomine Iesu Christi*, non est idem formaliter, atque dicere *in virtute diuina filij*, & consequenter talis forma absolute, videtur mihi insufficiens. Idem dico denomine *Paracleti*, *aut Doni*, quia solũ implicite significat personã Spiritus Sancti, vt talis persona relatiua est. Hæc de dubio, & articulo.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm in nomine Christi possit dari Baptismus?

PRima cõclusio. Quidquid desit ad plenam inuocationem Trinitatis, tollit integritatẽ Baptismi. Ratio huius in corpore est sic formanda. Sacramenta habent efficatiã ex Christi institutione, sed Christus instituit dari Baptismum cum inuocatione Trinitatis, ergo quidquid desit ad plenam inuocationem Trinitatis

tatis tollet integritatem Baptismi, nisi id fiat ex speciali dispẽsatione Christi, qui virtutem suam Sacramentis nõ aligauit.

Nec valet dicere (ait D. Thomas) quod nominata vna Persona alia intelligatur, & sic nominata vna nominantur aliæ implicitè, sicut nominando Filium nominatur Pater, & ideò sufficit talis inuocatio; aut denique sufficit, quod Baptizans fide interiori habeat rectam fidem omnium Personarum Trinitatis, & sic fide interiori inuocabit illas. Non, inquam, id sufficit, quia ad Sacramentum requiritur forma sensibilis sicut materia, ergo nõ sufficit inuocatio Personarum media fide intellectuali, neque intellectus Personarum dum vna exprimitur, sed necessarium est, quod forma Sacramẽti verbis sensibilibus exprimatur. Ex isto discursu, & ex solutionibus argumentorum infertur.

Secunda conclusio, quod *in nomine Christi*, nõ potest conferri Baptismus, cũ dicendo, *Baptizote in nomine Christi*, non fiat inuocatio expressa Personarũ Trinitatis verbis sensibilibus illas significantibus.

In hoc articulo, antequam dubium circa istam secundam conclusionem proponamus, aduertendum est, quod D. Thomas, tam incorpore huius articuli, quam in solutionibus argumentorum præsuponit, vt certum, quod ex dispensatione Christi potest dari Baptismus *in nomine Christi*, & quod de facto Apostoli in primitiua Ecclesia ex tali speciali dispensatione baptizabant tantum *in nomine Christi*. Et ratio talis dispensationis tunc faciendæ fuit vrgẽs, scilicet, vt nomẽ *Christi*, quod Iudęis, & Gẽtilibus erat odiosum, honorabile rederetur per hoc, quod Spiritus Sanctus dabatur in nomine ipsius inuocati in Baptismo. Vndè quidquid aliqui moderni dicant in præsenti, quod nunquam Baptismus fuit datus *in nomine Christi*, sed quod dabatur sub ista forma, *in Nomine Patris, & Filij, qui est Iesus Christus, & Spiritus Sancti*, vel quod Apostoli dicuntur, tunc temporis baptizasse *in nomine Christi*, non quia sub illa forma baptizabant, sed quia conferebãt Baptismum institutum à Christo, & habentem virtutem ab ipso, & non conferebant Baptismum Ioannis. Licet enim aliqui ita afferant, tamen probabilius mihi videtur, quod docet D. Thomas hic præcipue ad primũ, quia in tali sententia magis rigorosè intelliguntur loca Sacræ Scripturæ in quibus dicitur, quod *nomine Christi* baptizabantur, vt est illud Actuum 8. vbi sic dicitur, *& nomine Iesu Christi baptizabantur viri, ac mulieres*, ideſt, in inuocatione Christi, vel Christi nomine inuocato.

Sed dices cum Suario hic disp. 21. sect. 3. §. *vltimo adhiberi potest*, quod nulla vtilitas erat in subticendis *nominibus Patris, & Spiritus Sancti*, ergo quamuis propter honorem nominis Christi esset ratio, vt ex dispensatione daretur Baptismus, tunc *in nomine Christi*, esset exprimendo etiam alias Personas. Et confirmatur, quia nomẽ Christi etiam redderetur amabile, si inuocatis *nominibus Patris, & Spiritus Sancti*, daretur Baptismus *in nomine Christi*, quia per hoc mouerẽtur homines ad credendum illum esse Deum, cum inuocaretur æqualiter in forma Baptismi, ergo non est ratio, vt asseramus temporibus Apostolorũ datum Baptismum solum *in nomine Christi*.

Secundo arguitur, quia D. Paulus, vt refertur Actuum 19. interrogauit quosdam discipulos sic, *si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* Illis autem respondentibus, *sed neque si Spiritus Sanctus sit audiuimus*, tunc Paulus dixit ad eos, *in quo ergo baptizati estis?* In quibus verbis videtur suponi quod Baptismus, tunc dabatur *in nomine Spiritus Sancti*: ergo admissa dispẽsatione respectu inuocationis Christi, dicendum est, quod etiam alia nomina

mina Personarum exprimebantur.

Tertiò, quia si solũ *in nomine Christi* daretur, tunc temporis baptismus, nõ esset eiusdem speciei cum nostro, quod videtur inconueniens contra fidem, quæ sicut est vna in Ecclesia, ita solum admittit vnum Baptismum fidei Sacramentum, ergo, &c. Sequela probatur, quia illa forma est diuersa à nostra formaliter loquèdo, ergo Baptismus est diuersus, antecedens probatur, quia vna forma datur sub expressa inuocatione Personarum Trinitatis, sub qua altera non dabatur, ergo differunt tales formæ ad minus pẽnes implicitum, & explicitum, & cõsequenter iuxta dicta articulo præcedenti erit mutatio essentialis.

His tamen non obstantibus tenendum est cum D. Thoma, tum propter eius auctoritatem, tum etiam propter eius rationem, nam adhoc, vt Christus talem dispensationẽ faceret, sufficiens motiuum erat reddere nomen eius glorioſum, & honorificum apud Iudæos, & Gentiles, apud quos incõtemptum Crucis erat ignominioſum. Cum ergo hoc motiuum tam diuinũ inueniamus ad asserendam talem dispensationem factam, & ad sint loca Scripturæ in quibus dicitur, quod *nomine Christi baptizabantur fideles*, dictaque Sanctorum adumbrantia talem vsum fuisse in Ecclesia, quo ad misso ex tali dispensatione nullum sequitur inconueniens contra fidem, aut bonos mores, & loca Scripturæ cum maiori proprietate intelligantur, cõformiter ad regulam Augustini de interprætãdis locis Scripturæ, videtur melius esse sequi sententiam nostri S. Doctoris, quam vestigijs aliorum in hærere.

Vnde respondetur ad obiectiones, ad primam negando antecedens, sequitur namque vtiliras explicata, quia tacitis alijs *nominibus Patris, & Spiritus Sancti*, magis honorabile reddebatur nomen Christi, quam si explicarẽtur, quia attẽdẽtes homines adhoc, quod daretur Spiritus Sanctus inuocando tantum nomen Christi in forma Baptismi, mouerentur quasi naturaliter, & ab effectu ad cognoscendũ significatũ per illud nomen, esse Deũ & hominem simul, & non hominem tantum, ad quod cognoscendum, non ita clare mouerentur si alia etiam nomina exponerentur in forma.

Ad confirmationem respondetur ex dictis, non ita vehementer homines moueri ad cognoscendum Deum hominem, imò, non sufficienter mouerentur, quia poterant ex illa forma excitari ad credendum, quod etiamsi Christus esset tantum homo, dabatur Baptismus in nomine ipsius ad manifestandam distinctionem sui Baptismi à Baptismo Ioannis, in quo non inuocabatur Persona aliqua Trinitatis, nec dabatur gratia sicut in Baptismo Christi. Vndè iudicarent, quod per merita ipsius, & ratione suæ institutionis suũ nomen inuocabatur. Neque ex institutione sufficienter mouerentur ad credendum illum esse Deum, cũ possent existimare, quod auctoritate Dei, tanquam homo iustus, & sanctus instituerat noua Sacramenta, magis suauia, & facilia ad salutem consequendam.

Ad secundam respondetur, negando in verbis Pauli prẽsupponi, quod Baptismus daretur tunc sub inuocatione explicita Spiritus Sãcti, sed prẽsupponitur, quod dum *in nomine Christi* baptizabantur, explicabatur illis mysterium Trinitatis quoad explicita diuinarum Personarũ, & simul explicabatur adultis, quod per talẽ Baptismum conferebatur Spiritus Sãctus. Et hoc videntur indicare verba priora Apost. *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes in eum?* Æ tenim cum Baptismus sit quædam professio fidei Personarum Trinitatis, necessarium erat, quod adultis explicaretur hoc; dum baptizarentur, & forte etiam explicabitur illis, quod *nomen Christus* significabat filium Dei humanatum,

& sic

& sic consequenter, seu concomitãter alias personas, propter ordinem quem habet interse, & propter communem concursum effectiuum illarũ ad Incarnationem Verbi. Quòd autem expositio Pauli sit legitima, cõstat ex ipso contextu: nam postea refertur inuenisse illos baptizatos in Ioannis baptismate. Paulo verò explicante illis Baptismũ Ioannis fuisse Baptismum pœnitentiæ, vt accidẽtes ad eum crederent in Iesum venturum post illum, ipsi baptizati sunt *in nomine Domini Iesu*. Sic enim ait textus sacer. *His auditis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*. In quibus verbis, magis solutio nostra, & sententia D. Thomæ confirmatur, quam infirmetur.

Ad tertium negatur sequela, ad probationem distinguo antecedens: si fieret modo priuata auctoritate, concedo antecedens; prout tamen fiebat tunc ex dispensatione Christi, nego antecedens: quia Christus potuit efficere quod talis mutatio solũ esset accidentalis. Tùm, quia (vt dixit Nuño hic, difficultate circa solutionem argumentorum, in solutione ad 5.) potuit imponere istud nomen *Christus*, ad significãdum omnes tres Personas Diuinas: & ita pro illo tempore acciperetur communiter pro illis. Tùm etiam, quia cum tale nomen implicitè significet Patrem vrgentẽ, & Spiritum Sanctum, tanquã id quo vnctus est Filius, potuit Christus disponere, quod illa mutatio esset accidentalis, quia retinebatur eadem significatio substantialis Personarũ Diuinarum, vt distinctarum interse, & hæc significatio, sine dubio explicatur illis, qui ad Baptismum accedebant: quia omnes regulariter erant, tunc temporis adulti, in quibus necessaria dispositio est fides explicita ad recipiendum ipsum Baptismũ. Per hæc patet ad probationem antecedentis, & ad id quod in consequenti vltimæ consequentiæ subditur.

DVBIVM VNICVM CIRCA secundam conclusionem.

Vtrùm Baptismus datus in nomine Christi, sit validus?

IN hoc dubio est prima sententia Caietani in hoc articulo, asserentis quod talis Baptismus est simpliciter validus. Fundamentũ potissimũ eius est: qui institutio *Christi* sufficienter saluatur si saluetur significatũ formę, siue fiat per signa explicitè significantia Personas Diuinas, siue per significãtia implicitè: ergo *in nomine Christi*, sufficienter datur Baptismus. Antecedẽs probatur: quia institutio Christi, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, non intelligitur quoad has voces materiales, sed quoad significata illarum: ergo quomodocunque saluentur talia significata, saluatur essentia formæ.

Etsi dicatur, quod Christus instituit formam Baptismi sub nominibus explicitè significantibus tres Personas Diuinas, & sic implicita significatio earum non sufficit.

Contra insurgit, quia falsum est, quod Christus instituerit sub istis nominibus; sed potius instituit sub nominibus implicitè, & in confusò significantibus: ergo implicita significatio erit sufficiens. Probatur antecedens: quia institutio sub istis nominibus, *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, est sub terminis implicitè significãtibus, & quasi potentialiter, & in confuso Diuinas Personas, cum Pater significet non Patrem diuinum; sed Patrem absolutè, & idem est de isto termino, *Filius*: ergo recurrendo ad intellectionem Diuinam, potius dicendum est, quod nomina formæ implicitè, tantum ex vi sua significant Diuinas Personas.

Si verò quis dicat, quòd hæc nomina ex vi Christiani vsus, explicitè & actu significant Diuinas Personas. Sic arguit contra: nam Christus Dominus

minùs illa verba posſuit in forma ante vſum Chriſtianum: ergo ſtando præciſe in auctoritate formę inſtitutę à Chriſto, Perſonę Diuinæ tantum implicitè ſignificantur per formam Baptiſmi, & conſequenter videtur, quod Chriſtus reliquit applicationis modum terminorum fidei, & intentioni Eccleſiæ; ſed hæc fides, & intentio Eccleſiæ Saluatur eadem ſi dicatur *in nomine Chriſti*, ſi credatur ex tali intentione, & fide clare, & explicitè, tres Diuinas Perſonas eſſe ſignificatas, implicitè per illud nomen: ergo erit ſufficiens forma.

Et confirmatur fundamentũ Caietani; impugnando rationem D. Thomæ in corpore articuli. Nam dicendo *Ego te baptizo in nomine Chriſti*, profitetur fides per formam ſenſibilem: ergo quod ad Sacramentum requiratur forma ſenſibilis, non infertillam eſſe inſufficientem.

Secundo arguitur ex illo decreto Nicolai, relato in cap. *à quodam, diſt.* 4. vbi ab quæſitum an baptiſmus datus à quodam Iudæo eſſet validus. Reſpondet, ſi datus fuit aut in nomine Trinitatis, aut in nomine Chriſti, validum fuiſſe. Et ad hoc decretum non poteſt dici, quod valebat Baptiſmus datus ſub illa forma ex diſpenſatione Chriſti, quia incredibile eſt, talem diſpenſationem duraſſe vſque ad illud tempus, cum ille Pontifex fuerit octingentis annis poſt Chriſtum: Nam aliás etiam poſſet dici, quod durat vſque modo: ergo ſignum eſt, quod abſolutè loquendo eſt ſufficiens forma iſta, *Ego te baptizo in nomine Chriſti.*

Secunda ſententia negatiua eſt, affirmans, quod Baptiſmus datus in nomine Chriſti, tantum ſine expreſſione Perſonarum Trinitatis, modo eſt ſimplicitèr inualidus, & conſequenter iterandus abſolutè, & ſine conditione. Ita colligitur ex doctrina D. Thomæ in iſto articulo. Hanc ſententiam tuentur communiter Doctores Scholaſtici, tàm ex noſtro inſtituto, quàm ex alieno, inter quos videatur ſpecialiter Dominicus de Soto in 4. diſtin. 3, quæſt. vnica, articulo 6. vbi optimè eam explicat, & confirmat. Videatur etiam Suarez ex alieno inſtituto, in hac quæſt. diſp. 21. ſect. 3. dicto 1. vbi innumeris Patrum teſtimonijs eam corroborat, & in tertiò ſectario docet quod Baptiſmus datus *in nomine Chriſti*, non exprimendo alias Perſonas, eſt nullus ex vi inſtitutionis Chriſti Domini.

Ad huius ſententię explicationem aduertendum eſt, quod aliqui (immò plures Thomiſtæ) eam tenent, ita eſſe veram, vt aſſerant nunquam fuiſſe validum Baptiſmum datum tantum in nomine Chriſti, quia non concedunt factam diſpenſationem in hoc vllo tempore, vt ex dictis in præcedentibus ad iſtud dubium patet.

Alij verò tenent, quod licèt aliquando ex diſpenſatione Chriſti fuerit ſufficiens ad valorem Baptiſmi hæc forma, *Baptizo te in nomine Chriſti*, tamen poſtquam nomen Domini ſufficienter honorabile factum eſt per vſum Apoſtolorum, ab illo tempore nunquam fuit ſufficiens talis forma; ſed neceſſarium eſt ad illam expreſſa, & ſenſibilis inuocatio Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, & in iſto ſenſu à me ſuſcipitur iſta ſententia tanquam vera, & conformis Sanctis canonibus, Concilio Florentino, & Sanctis Patribus.

Et probatur primò ex Canone Pelagij Papę Epiſtola ad Gaudẽtiũ Epiſcopum, qui refertur de conſecratione diſtinct. 4. cap. *ſi reuera*, vbi dicitur baptiſmum datum in nomine Domini eſſe nullũ. Similiter in capite *multi ſunt*, eadem diſtinct. docet idem de Baptiſmo dato in nomine Chriſti; ſed neceſſariũ, dicit, eſſe, vt Baptiſmus fiat *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Neque gloſſa Caietani aliquod valet, dicentis, quod in primis verbis loquitur Pontifex de baptiſmo dato in *nomine Domini*, & non *in nomine Chriſti*, in ſecundo autem capite, quamuis reprehendat vſum, non tamen præcipit de neceſsitate eſſe, vt contrarium fiat. Non in quam valet hæc gloſſa, quia eſt contraria textui, vt aduertit optimè Mag. Soto vbi ſupra; de 1. ſic probatur, quia Pontifex pro eodem accepit ibi nomen *Domini*, & nomen *Ieſu Chriſti*, quia in Sacris literis multoties Chriſtus appellatur Dominus, erat enim mos ſolemnis apud Apoſtolos vocare Chriſtum Dominum; Et ita dicitur Act. 19. *Baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu*, vbi pro eodem accipitur atque *in nomine Chriſti*: ergo ſi Pontifex diffinit Baptiſmum datum *in nomine Domini* modo eſſe ſimpliciter nullum, ac proinde iterandum abſque dubio, idem eſt atque ſi diceret Baptiſmum *in nomine Chriſti* datum, eſſe abſque dubio nullũ, & in iſto ſenſu affertur iſta diffinitio Pelagij à D. Thom. in art. in primo argumento ſed contra: gloſſa ergo Caietani nulla eſt. Quod autem gloſſa 2. cap. etiam ſit iniurioſa textui patet. Quia ibi Pontifex docet Euangelicum Domini præceptum ad monere Baptiſmum eſſe dandum, non in *nomine Chriſti tantum*; ſed ſub iſta forma, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. At Euãgelicum præceptum nõ eſt circa modum baptizandi mergendo ſemel, aut ter in aqua baptizandum; ſed circa ſubſtantialem formam, & materiam Baptiſmi. Sentit ergo Pontifex ſecũdum Domini præceptum eſſe de neceſsitate formæ, quod expreſſè nominentur Perſonæ Trinitati s. Vnde gloſa Caietani non poteſt non offendere veritatẽ, & literalẽ ſenſum Canonis.

Secundò probatur ex Concilio Florẽtino in decreto ſæpè citato, vbi forma Baptiſmi ſub expreſſa inuocatione Perſonarum Trinitatis deſcribitur etiam pro Græcis, ſi autem ſufficeret dicere *in nomini Chriſti*, ibi abſque dubio diceretur; cum dicatur forma latinorum, & id quod ſufficit apud Græcos: cum ergo ſemper ponatur expreſſa inuocatio Perſonarum Sanctiſsimæ Trinitatis, ſignum eſt illam eſſe vniuerſaliter neceſſariam ad formam: ergo non ſufficit baptizare, *in nomine Chriſti*.

Tertiò probatur ratione, remittẽdo diſcipulum, vt in Auctoribus citatis videat pluresſanctorũ auctoritates: Sit ergo ratio quam facit D. Thomas in corpore articuli, quia ſcilicèt Chriſtus inſtituit formam Baptiſmi ſub expreſſa inuocatione ſenſibili Perſonarum Trinitatis: ergo ſub alia forma nullomodo poteſt validè miniſtrari Baptiſmus. Cõfirmatur. Hac ratione dictum eſt in præcedentibus cum omnibus, quod in *nomine Dei* nullo modo poteſt dari Baptiſmus, neque in nomine Vnius Perſonæ ſi aliæ taceantur, vt docet Didimus in libro de Spiritu Sancto, citatus à D. Thom. in argumento 2. ſed contra, articuli: ergo multo minus poterit dari *in nomini Chriſti*, patet conſequentia ex paritate rationis, quia etiam tacentur aliæ Perſonæ explicitè, imò etiam implicitè videtur, quod iſte terminus *Chriſtus* non ſignificet Perſonas Diuinas, ſicut *nomen Dei*, & *nomen Pater*, quia Deus ſignificat immediatè Deitatem, quæ realiter eſt in tribus Perſonis, & ideò ſignificat illas implicitè, *Chriſtus* verò non ſignificat immediatè Deitatem; ſed hunc hominem qui eſt Deus homo, vnde formalius ſignificat ſuppoſitum diuinũ, vt humanum, quam vt Diuinum, & conſequenter, vt hominem, & nõ vt Deũ. Similiter Pater, ſignificat formaliter relationem ad Filium, vnde ſignificat Filiũ, & conſequenter Spiritũ Sanctum; cuius Pater, & Filius ſunt vnum principium. Ergo ſi Baptiſmus datus *in nomine Dei*, aut *in nomine Patris* tantũ, nõ eſt validus, neque datus

ſus tantùm in nomine Chriſti.

Vltimo probatur, & confirmatur ratio præcedens. Iſte terminus *Chriſtus*, non ſignificat aliquomodo (etiam implicitè) myſterium Trinitatis: ergo. Probatur antecedens, iſte terminus *Chriſtus* formaliter ſignificat idē quod vnctus, ex hoc autem non ſequitur aliquomodo quod ſint in Deo tres Perſonæ diſtinctæ: ergo non ſignificat etiam implicitè tres Diuinas Perſonas. Conſequentia eſt euidens, & minor probatur, quia etiam ſi in Diuinis non eſſet alia Perſona á Patre, ſi Pater aſſumeret naturam humanam, diceretur talis homo Chriſtus, & vnctus, quia in quantū incarnatus eſſet Pater, vngi diceretur à ſe ipſo in ſua puritate Diuinæ naturæ conſiderato: ergo ex vi ſignificationis formalis talis termini, non infertur etiam implicitè ſignificatio trium Perſonarum.

Deinde etiā, vtmodo res ſe habent etiam ſi concedamus per illum terminum ſignificari Filium vnctum, vt hominem à Patre, non ſatis indicatur (etiā implicitè) diſtinctio ſuæ Perſonę à Perſona Patris, nam ſignificat Patrem, vt vngentem, hæc autem ratio non exigit diſtinctionē realem inter vngentem, & vnctū, nam aliàs inferret diſtinctionē realē ipſius verbi à ſe ipſo, quod eſt contra fidem, nam licet naturę diſtinguantur in illo realiter, non tamē Perſona quia tantū eſt vnica. Et eadem via probatur quod licèt intelligatur aliquomodo Spiritus Sanctus in ſignificato illius termini, non tamē, vt Perſona diſtincta ab ipſo Filio Diuino, ſi quidē, vt Deus eſt, poteſt dici ipſe Filius, Spiritus Sanctus, quatenus eſt id quo vngitur in humanitate. Relinquatur ergo, vt certum, quod iſta forma, *Baptizo te in nomine Chriſti*, nunquā ex vi ſua, atenta inſtitutione Chriſti, foit ſufficiens, etiā ſi Dominus non inſtituiſſet in forma Baptiſmi nomina explicitè ſignificantia myſterium Trinitatis, quoad vnitatē Naturę Diuinę, & diſtinctionē Diuinarum Perſonarū, vt vult Caiet.

Reſpondetur ergo ad fundamentum Caietani, negando antecedens, ad cuius probationem reſpondetur, quod ſicut ibi dictum eſt, licet inſtitutio Chriſti nō ſit alligata his, vel illis vocibus determinatis, eſt tamen determinata ad nomina expreſſe ſignificantia Diuinas Perſonas: Ex quo infertur quod ſub nullis terminis implicitè ſignificantibus illas, ſit validus Baptiſmus. Ad replicā reſpondetur, ſicut dixi ad ſimile argumentum articulo præcedenti in dubio potiſſimo, quod inſtitutio ſub iſtis nominibus, *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ſi conſiderentur nomina, vt cunque eſſet inſtitutio ſub nominibus potentialiter ſignificantibus Diuinas Perſonas (vt vult Caietanus) ſi tamen cō ſiderentur nomina iſta, vt ſummuntur ab Eccleſia per correſpondentiam & æquiualētiam ad nomina illius linguæ in qua Chriſtus inſtituit formam iſtam, ſic ſignificant determinatè, & explicitè Diuinas Perſonas. Et ita debet intelligi ſolutio communis quam inter arguendum ſibi dat Caietanus. Contra quam nihil valet replica ipſius Caietani.

Secundò poteſt dici, quod quando Chriſtus Dominus inſtituit formam, & materiam huius Sacramenti, accepit nomina iſta ſecundū determinatā ſignificationem Perſonarum Diuinarū, quia ipſe illis, hanc dedit ſignificationē authoritate ſua. Et quod ita fuerit colligimus extraditione Eccleſiæ, ex dictis ſanctorum, & ex propria natura Sacramenti, quia ſicut ſupradictum eſt, eſt primum fidei Sacramentum ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vnde oportet quod ſit proteſtatio explicita Perſonarum, & propterea communis Eccleſię vſus accipit formam Baptiſmi ſub illa determinata ſignificatione.

Ad confirmationem reſpondetur diſtinguendo antecedens, profitetur fides per formam ſenſibilem reſpectu

proprij significati illius termini, scilicèt *Dei hominis*, concedo antecedens, respectu trium Personarum, nego antecedens, & nego consequentiam, quia ex eo quod ad Sacramentum requiratur forma sensibilis, rectè infertur, quod ad tale Sacramentum, quod est professio fidei trium Personarum, requiratur forma sensibilis in qua sensibiliter, & distinctè tres Diuinæ Personæ inuocentur. Et iuxta istum modum debet glossari ratio D. Thomæ.

Ad secundum argumentum respõdetur in primis rationem factam conuincere Pontificem non intendere, quod ille Baptismus datus *in nomine Christi*, aut *in nomine Trinitatis*, sit validus ex dispensatione Christi. In hoc conueniunt omnes Doctores in præsenti, ex quorum doctrina dicimus, quod Nicolaus quantum ad illã partem processit sequendo opinionem Ambrosij, vt probabilem tanquã particularis Doctor, & ideò non est sequendus in hac parte, sicut etiam non est sequendus Ambrosius. Quantum verò ad illud, de quo fuerat interrogatus, scilicèt: an Baptismus datus à Iudæo, vel Pagano esset validus, processit vt caput Ecclesiæ diffiniens illum Baptismum esse validum positis requisitis ex parte materiæ, & formæ, & intentionis faciendi, id quod facit Ecclesia, & D. Tho. modestiæ causa, noluit aliam solutionem adhibere, quam illam, quæ assignatur in solutione tertij ab ipso, de cuius sensu, & de veritate solutionis assignatæ videatur Dominicus de Soto vbi sup. in fine art. 6. & hæc de dubio, & articulo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm immersio sit de necessitate Baptismi?

PRima conclusio. Quamuis tutius sit baptizare per modum immersionis; quia hoc habet communior vsus, potest tamen fieri Baptismus per modũ aspersionis, vel etiam per modum effusionis. Ratio huius conclusionis est: quia aqua in Sacramento Baptismi assumitur ad vsum corporalis ablutionis, per quam interior significatur; sed ablutio potest fieri non solum per modum immersionis, sed etiam per modum aspersionis, vel effusionis; ergo quolibet modo istorũ potest fieri ablutio. Vnde adducit D. Thom. ad huius rei confirmationem illud Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam*, & in argumento sed contra, illud ad Hebræos 10. *Accedamus aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda*, in quibus locis significatur posse ablui animam per gratiam baptismalem; si corpus abluatur per aspersionem aquę materialis; quo pacto legitur Laurentium baptizasse.

Secunda conclusio. Immersio non est de necessitate Baptismi. Hæc infertur optimè ex prima, & ratione eius, ad cuius confirmationem ponderanda est solutio D. Thom. ad 1. vbi docet, quod per se tantum requiritur ad Baptismum corporalis ablutio per aquam, quod autem fiat hoc, vel illo modo est aliquid accidentale, & quia ea quæ sunt per accidens nullo modo variant substantiam rei, ideò infertur ibi, quod quocumque modo fiat ablutio, siuè per modũ immersionis, siuè per modos alios, semper Baptismus est vnius rationis formalis. Circa istum articulum, & eius doctrinam aliqua dubia leuia necessario explicanda sunt quanta breuitate possibile fuerit.

PRI-

PRIMVM DVBIVM EST; quanta ablutio corporis sit simpliciter necessaria ad essentiam baptismi, quod est idem atque inquirere.

Vtrùm sit necessarium totum corpus ablui, vel si sufficiat quancumque partem etiam minimam?

QVidam dixerunt sufficere ad Baptismum, quod abluatur quælibet pars corporis etiam minima. Ratio huius est: quia anima est tota in qualibet parte corporis etiam minima: ergo per ablutionem illius potest ablui ipse à peccato originali, & sic si aqua aspersa cõtingat digitum vnũ, asserũt isti, quod erit validus baptismus.

Et confirmatur. Illa aquæ ablutio corporis, est sufficiens materia proxima Baptismi, quæ sufficit ad denominandum corpus humanum ablutum, sed ad hanc denominationem tribuendam sufficit lotio facta in quauis minima parte ipsius: ergo sufficit ablutio talis ad Baptismum. Maior est certa apud omnes Theologos; minor verò probatur; quia quando sanatur minima pars corporis (vt digitus) totũ corpus dicitur sanari: ergo similiter dicẽdum est, &c.

Propter istam rationem mouetur hic Cabrera, vt dicat istam opinionẽ esse magis probabilem, & rationi cõformem quam opposita; subdit tamẽ, quod si talis accideret casus, Baptismus esset sub conditione saltim iterandus.

Conclusio sit. De necessitate Baptismi est, quod abluatur aqua, aliqua pars principalis corporis saltem mediocris quantitatis. Hæc conclusio est communis inter Doctores, Suar. disp. 20. sect. 2. §. *Deinde non satis est*. Ratio huius est: nam illa ablutio corporis est materia proxima baptismi, quæ sufficit ad denominandum hominem simpliciter, & absolutè ablutum; sed ad istam denominationem non sufficit ablutio partis minimę, vt est digitus manus, vel pedes: ergo debet fieri in parte aliqua principali saltim mediocris quantitatis. Probatur minor in qua est difficultas auctorum; nam ablutio est quædam phisica passio formaliter loquendo ipsius corporis; sed ista denominatio, vt absolutè feratur in corpus, petit saltem principalem partem immediate affici illa: ergo.

Confirmatur: nam si aliquis dealbaretur in manu tantum, non diceretur simpliciter dealbari, quia in ordine ad illam passionem, & effectum formalem eius, est minima pars: ergo à fortiori si dealbaretur in vno tantum digito: ergo idem dicendum est in nostro casu.

Ex his patet ad rationem dubitandi cum sua confirmatione, & in forma ad illam respondetur negando consequentiam, quia solum per ablutionem simpliciter denominantem totũ corpus ablutum, abluitur anima, quia sola illa est materia proxima.

Ad confirmationem negatur minor, & ad exemplum quò probatur, respondetur falsum esse sanitatem tã paruę partis corporis, denominare totum hominem sanum; quia absolutè potest homo infirmari, vt si doleat caput, & habeat febrim, simul quãdo sanatur illa pars minima: quod contingere sæpè sæpius quis dubitet?

Aduertendum etiam est pro præsenti dubio, quod licèt multi Doctores explicite non teneant nostrã conclusionem, ferè omnes, quos vidi tenent illam implicite, dum dicunt absque dubio illum baptismum esse iterandum, quia maximam incertitudinẽ prę se fert similis casus de qualibet parte baptizanda, vt dicit Ludouicus Lopez 2. tom. instruct. conscientiæ c. 46. §. *Aliud verò*. Et Nuño in præsenti asserit rationem huius esse, quia quando digitus tantum abluitur, non dicitur ita propriè ablui homo.

Ex his sequitur, quod si aquæ aspersio, vestes hominis tantum attin-

get; ita vt non ipsum corpus in se cõtingat baptismus, simpliciter, & absolute inualidus censendus sit; quia talis aspersio nullo modo est ablutio corporis, vnde non est materia proxima baptismi, quia ista debet esse ablutio corporis phisica contingens ipsum in aliqua parte illius iuxta Augustinum dicentem; *Quæ est tãta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Idẽ dicendũ est in alijs similibus casibus, quos aliqui Theologi in præsenti multiplicant, semper enim attendendum est ad istam regulam, videlicèt, quod quotiescumque corpus in se ipso immediate non aspergitur aqua, nullo modo tenet Baptismus. Ita absolutè, & sine aliqua distinctione loquuntur doctiores Theologi in præsenti; sed tamen quia difficilè aliquando est iudicare; an aqua immissa super vestes contingat ipsum corpus hominis, an verò non; ideò multi docent talẽ baptismum esse sub conditione iterandũ.

Secundo sequitur, quod per se loquendo in praxi semper pars principalis corporis est abluenda, vt minimum, qualis est caput. Ita infertur ex D. Thom. solut. ad 3. Ratio congruẽtiæ optima est, quam assignat ipse Sãctus, scilicèt; quia in capite vigẽt sensus interiores, & exteriores; vnde si totũ corpus non possit perfundi propter aliquam causam rationabilem, illa pars oportet, vt abluatur: addunt tamen aliqui, quod ille qui consulto extra casum necessitatis relicto capite aliam partẽ corporis abluerer, vt brachium, & sic de alijs, peccaret mortaliter; quia faceret contra communem consuetudinem Ecclesiæ in re graui, vt est ritus Sacramentalis baptismi, de quo dicunt esse præceptum Ecclesiasticum, quod colligunt ex doctrina Chrysostomi hom. 24. super Ioan. & habetur, de consecrat. dist. 4. can. *post-quam*, vbi docetur, quod capita in sacro fonte sunt demergenda. Tamen doctissimus Sot. hoc non obstante, nõ ita determinat talem omissionem esse peccatum mortale, sed solum quãdo ex illa sequitur notabile scandalũ, & fundat in doctrina D. Thom. dicẽtis loco supra citato, quod extra casum necessitatis quando totum corpus non potest ablui; oportet quod abluatur caput.

Sed tamen salua venia tanti Doctoris verior mihi apparet primus modus dicendi propter rationem assignatam, neque verbum *oportet*, quo vtitur D. Thom. limitandum est ad illam significationem, quam vult tantus Magister, cum consuetudo vniuersalis Ecclesiæ contrarium doceat, & prẽterea etiam ipse D. Thom. ibidem pro sequendo explicationem solutionis argumenti vtitur altero verbo significante rigorosam obligationẽ, dũ ait; *ideò debet lauari pars illa corporis, in qua vigent, & manifestantur opera animæ.*

Sed inquiret quis; an in casu necessitatis, vtpotè quando puer perfectè non potest ex ventre nasci, & manifestat pedem, aut aliam partem, possit tunc baptizari per ablutionem illius partis.

Respondetur ex doctrina omniũ, quod licitè potest illa pars abluì, & similiter dicendũ est de alia simili, quę prius manifestetur, tamen quia nõ est res ita certa, quod scilicèt Baptismus teneat, si infans euadat periculum, & perfectè nascatur, rebaptizandus est sub conditione. Ita docet D. Thom. infra quæst. 68. art. 11. solut. ad 4. cõsentiendo sententię aliorum id asserentiũ, moti hac ratione; scilicèt, quia in nulla parte corporis á capite, ita cõsistit integritas vitæ; quando autem puer non perfectè nascitur à principio, & manifestato prius capite illud abluitur, tunc etiamsi infans euadat periculum perfectè nascendo non est postea baptizandus; quia certissimũ est apud omnes propter rationem assignatam, & consuetudinem Ecclesiæ illum baptismum primum, esse simpliciter validum.

SED

SED EST DVBIOLVM AD maiorem præcedentium explicationem.

Vtrùm in casu necessitatis quando cõmodè nõ potest ablui caput, aut alia pars principalis, sufficiat minimæ partis ablutio?

RAtio pro parte affirmatiua desumitur ex eo, quod cõtingit in Sacramento Pœnitentiæ, in quo satis constat, quod in casu necessitatis aliqua confessio sufficit ad valorem, & fructum illius Sacramenti, quę extra casum necessitatis non sufficit, vt contingit quando quis, vel propter defectum vitę naturaliter, vel propter aliud grauissimũ periculum, vt est homicidij, non potest aliquod peccatum quoad omnem circunstantiam manifestare, ergo similiter propter periculum mortis imminens, aliqua oblutio minimæ partis sufficiet, quæ tamen extra periculum nullo modo sufficiet.

Respondetur negatiuè ad istud dubium. Ratio huius est: quia materia proxima baptismi est ablutio illa, quę simpliciter denominat hominem ablutum: vndè secundum istam rationem consistit in indiuisibili: ergo si ablutio peruenit ad illam perfectionem, vt sufficiat denominare hominẽ simpliciter ablutum, erit materia proxima baptismi; si verò non perueniat, non erit, & hoc siuè in casu necessitatis, siuè extra illum.

Ad rationem dubitandi respondetur admisso antecedenti negando cõsequentiam. Ratio differẽtię est; quia materia necessaria cõfessionis est integra confessio formaliter, sicut moraliter est homini possibilis, idest moraliter loquendo; cum autem talis integritas moralis sit, potest variari ex parte variationis circunstantiarum, quæ se tenent ex parte operantis, atque ita potest materialiter suscipere magis, vel minus, licèt formaliter, & moraliter maneat semper integra, vt sufficiat ad substantiam talis Sacramenti; tamen ablutio hominis, vt talis, est res phisica, quę nullo modo potest variari, ex eo quod subiectum varietur quoad circunstantiam necessitatis, vel non necessitatis, sed semper debet habere idem esse phisicum, siuè subiectum sit in necessitate, siuè extra illam.

Ex dictis patet, quid dicendum sit ad aliud dubium, quod solet fieri de quantitate aquæ necessaria ad baptismum; an sit necessaria indeterminata quãtitate, & in qua. Respõdetur enim aquam esse necessariam in quantitate illa, in qua sufficiat ad ablutionẽ alicuius partis sufficientis ad valorẽ baptismi; si autem sit in quantitate ita minima, vt non sufficiat talem partem abluere, minimè sufficiet ad substantiam baptismi. Ita cõmuniter omnes Theologi; posita autem prædicta partis sufficientis ablutione, dum perficitur forma baptismi à ministro prolata, perficitur Sacramentum; quia posita est materia sufficiens, & posita est forma denominans, & constituens: vnde compositum Sacramentale eodẽ modo est dicendum, quod resultat, sicut in alijs Sacramentis posita materia, & forma cum debita intentione, statim Sacramentum resultat.

Etsi contra obijcias D. Thom. in 4. dist. 3. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3. dicentem, quod quando baptismus fit trina immersione non perficitur Sacramẽtũ, donec tertia immersio absoluatur.

Respondetur, quod D. Tho. intelligẽdus est ex suppositione eius, quod in tali modo baptizandi contingit regulariter, videlicèt, quod forma non absoluitur à ministro, nisi finita tertia immersione; nã vt rectè procedatur, forma non debet completè proferri, quo vsque vltima mersio sit facta, alias posita qualibet mersione in aqua ponetur Sacramentũ, vt euidenter probat ratio supra facta. De quo videatur Suar. disp. 20. sect. 2. citata §. *Respon-*

pondetur illud dictum. Quod est circa finem sectionis.

ALIVD DVBIVM EST.

Vtrùm ablatio necessaria ad baptismum, quando fit per immersionem, debeat esse immersio talis, quod ei succedat èmersio baptizati ab aqua?

AD tituli dubij intelligentiã præmittendus est casus cõmunis, v.g. sit casus, in quo puer sit in periculo proximo mortis, sine aliqua spe salutis, & tunc aliquis proijciat eum in puteum, aut in flumẽ, ex quo non possit extrahi nec naturaliter, nec per artem: tunc est dubium: vtrum illa immersio sufficiat ad valorem baptismi.

Quidam asserunt partem affirmatiuam, de quorum numero est in præsenti Mag. Nuño art. 8. §. cõclus. Suar. disp. 20. sect. 3. §. *Quapropter.* Fundamentum eorum est; nam illa est vera ablutio corporalis pueri, cum sit verus contactus successiuus aquę circa corpus: ergo si antequam moriatur infans proferatur forma cum legitima intentione faciendi, quod facit Ecclesia erit verus baptismus, nã quod mersioni succedat emersio videtur accidentale ad eius essentialem rationẽ; sicut quod adsit triplex immersio.

Confirmatur optimo exemplo; nã si aliquis mittat puerũ in fluminis aquã tenens eum proprijs manibus, & tamẽ forte, ex negligentia sua èmanibus labatur, & suffocetur, hoc non obstante baptismus tenebit, si ante suffocationem morti cõiunctam, prolata sit forma (vt concedit Soto) ergo similiter in altero casu.

Oppositam sententiam tenent doctissimi etiam Theologi, Mag. Sot. in 4. dist. 3. q. vnica, art. 8. & Paludanus dist. 6. q. 1. art. 3. & Summistæ multi verbo *Baptismus*, inter quos præcipuum obtinet locum Siluester dub. 4. quibus subscribit, & consentit Cabr. hic dubit. 5. quamuis satis probabile iudicet alteram sententiam. Fundamentum eorum est, quia talis immersio non est vera ablutio, cum ei non succedat emersio, ad quam per se debet ordinari; quia baptismus repræsentat mortem, & Resurrectionẽ Christi, quæ repræsentatio non potest saluari, sine tali modo mersionis: ergo illa immersio non est vera ablutio requisita ad baptismum.

Conclusio nostra sit. Vtraque opinio est valde probabilis, vt ex fundamentis patet, & ex auctoritate Doctorum illas tenentium; sed prima videtur mihi probabilior. Probatur hęc vltima pars satisfaciendo fundamentis oppositæ. Dico namque quod talis immersio est vera ablutio, quæ potest esse materia proxima baptismi: quia licèt ex praua intentione operãtis nõ ordinetur ad eduçendum puerum ab aqua; tamen ordinatur ad abluendum cum intentione baptizandi, quod sufficit & requiritur ad essentiam baptismi; quod verò ordinetur ad eductionem ex aqua non pertinet ad essentiam, sed tantum ad rectum vsum ablutionis ex parte operantis, ne actio sit pecaminosa.

Ad illud verò de significatione baptismi. Respondetur non esse de essentia baptismi significare primò, & per se Resurrectionem Christi, neque est de essentia significatio expressa ipsius; solum enim pertinet ad essentiã baptismi significatio illa, quę per eius formam applicatam materiæ significatur expressè; implicitè tamen primo, & perse includitur significatio mortis Christi, & veluti secundario eius resurrectio, quatenus illa ablutio baptismalis ordinatur ad inchoationem nouæ vitæ spiritualis, sicut mors Christi, & sepultura eius ad vitam immortale in resurrectionis ordinatę sunt, & quod hoc sit verum constat ex doctrina D. Tho. hic solut. ad 2. vbi docet, quod de essentia baptismi non est repręsentatio expressa sepulturæ Christi, &

ti,&ideò saluat essentiã illius in ablutione facta per modum aspersionis, aut effusionis: vnde à fortiori idem dicendum est de significatione Resurrectionis,cum illa secundario,& quasi ex consequenti includatur in ratione baptismi; quod autem hæc significatio includatur ex cõsequenti in ratione essentiali baptismi indicant verba Pauli ad Rom.6.prius enim sic dicit. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus; consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte, vt quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Ecce vltimo posuit significationem resurrectionis; quia sicut mors, & sepultura Christi ordinatæ sunt ad resurrectionem, ita & mors quæ fit peccatis per baptismum, ordinatur ad nouam vitam spiritualem animę, quę regeneratio, & resurrectio spiritualis à peccatis ad statum gratiæ potest dici, ad hoc autem vt implicite reperiatur hæc significatio,non est necessarium, quod succedat emersio, vt patet in alijs modis baptizandi, neque quod perseueret vita corporalis baptizati, sed solum quod viuat, dum consummate profertur forma super debitam materiam: vnde absolute probabilius hoc mihi videtur quam oppositum.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrùm trina immersio sit de necessitate baptismi?

PRima cõclusio. Quantum est de se,idest attendendo ad essentialem rationem baptismi vtrumque licite fieri potest, & semel,& ter,immergere. Ex hac affirmatiua infertur hæc negatiua, scilicet,non est de essentia baptismi trina immersio. Ratio in corpore est clara, quæ desumitur ex dictis articulo prę cedenti: formatur ergo sic. Ad essentiam baptismi per se requiritur vera ablutio aquæ, tanquam sufficiens, & necessaria materia proxima illius,modus autem ablutionis per accidens se habet ad essentiã baptismi: ergo cũ trina,vel vna immersio,se teneat ex parte modi ablutionis,per accidens se habebit ad ipsum Sacramentum: ergo quocumque modo, siuè semel mergendo, siuè ter potest licitè fieri baptismus per se loquendo.

Accedit confirmatio desumpta ex significatione materiæ. Formatur ergo sic. Vnica mersione significatur vnitas mortis Christi, & vnitas diuinæ naturæ; tribus immersionibus significatur triduum sepulturæ corporis Christi,& Trinitas personarum: ergo conuenienter, & licitè potest baptismus dari vna, vel trina mersione attendendo ad id, quod est per se secũdum exigentiam diuinę institutionis.

Secunda conclusio. Diuersis ex causis secundum ordinationem Ecclesiæ quandoque institutus est vnus modus baptizandi, quandoque alter, causas huius diuersæ ordinationis refert D. Thom. clare in litera, videantur in illa.

Tertia conclusio in fine corporis; cessante causa baptizandi ex instituto Ecclesiæ per vnam mersionem tantũ, communiter obseruatur in baptismo trina immersio, & ideò grauius peccaret aliter baptizans; nihilominus baptismus teneret. Ratio primæ partis est: quia graue peccatum est non seruare ritum Ecclesiæ: ratio verò secundæ est,quæ facta est pro prima cõclusione.

Circa primam cõclusionem est aduertendum illam esse cõmuniter receptã apud Sanctos,& Doctores Scholasticos,& videtur veritas de fide, cũ Christus Dominus non instituerit pro materia baptismi, nisi ablutionem in aqua,vt constat ex illo Ioan. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu Sancto*, & ex illis verbis *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ex quibus infertur per bonam consequentiã,quod nullus

nullus particularis modus ablutionis sit de substãtia, & essentia Sacramẽti.

Et si aliquis obiiciat verba Pelagij Papę in epistola ad Gaudentium Episcopum, in quibus asserit Euangelicũ præceptum ad monere, vt baptisma sub inuocatione personarum Trinitatis trina immersione tribuatur.

Respondetur in primis cum D. Thom. hic ad 2. quod intentum Summi Pontificis non fuit asserere, quod præceptum Christi Domini sit de modo vsus materiæ (scilicèt de modo ablutionis in trina mersione) sed de modo simili in pro latione formæ, quia scilicèt Christus præcepit fieri baptisma sub trina inuocatione personarum inuocando, singulis inuocationibus, singulas personas Trinitatis. Sic intelligẽdus est D. Tho. dũ ait Pelagium intelligendum esse in hoc sensu, scilicèt quod trina immersio sit de mandato Christi non in se; sed in suo simili.

Secũdo respondetur iuxta doctrinã aliquorum Thomistarum, quod etiã admittendo intentum Pontificis fuisse declarare esse præceptum de trina immersione, saltem secundario, intelligendũ est de præcepto Apostolico tẽporali, & non in perpetuũ duraturo, non tamen de præcepto impositio ab ipso Christo Domino, tale enim nullo modo ex verbis Domini potest colligi, vt iam patet ex illorum relatione. Hoc modo intelligendum est illud quod docet Basilius lib. 3. de Spiritu Sancto, cap. 27. dum ait, trinam mersionem haberi ex traditione Apostolica, scilicèt ad tempus: quia pro suo tempore ad èuellendum aliquem errorem, vel ad clariorem expressionem personarum Trinitatis etiam ex parte materiæ baptismi, fuit expediẽs immò etiam si illud præceptum Apostolicum fuisset absolutum: quia non fuit desumptum ex impositione Christi; sed ipsorum Apostolorum potuit attentis nouis causis vrgentibus ab Ecclesia abrogari; & ita fecit, vt constat ex verbis Gregorij ad Leandrum Episcopum relatis à D. Thom. in argumento; sed contra; quæ etiam referuntur de consecrat. dist. 4. Canon. de trin. similiter constat ex communi omnium Doctorum sententia.

Vltimo dicendũ est, quod illud præceptum quantum ad inuocationem personarum Trinitatis fuit de aliquo pertinente ad rationem essentialem baptismi, quantum verò ad modum trinæ mersionis, fuit de aliquo pertinente ad ritum Ecclesiæ pro tunc tẽporis conuenientem: Vnde potuit ab Ecclesia abrogari, & alter ritus de nouo institui (sicut de facto fecit) vt docet D. Thom. in sua 2. conclus. cuius veritas etiam per istam doctrinam elucescit amplius. Circa tertiã conclusionem est aduertendum, quod tempore D. Thom. vsus baptizandi trina mersione fuit solemnis; modo verò videtur totaliter abrogatus, cũ vix alicubi talis modis baptizãdi obseruetur (vt hic aduertunt Thomistę) & Mag. Sot. in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 8. dicit suo tempore rarissimum fuisse: Vnde infertur, quod modo quolibet Sacerdos in solemni baptismi debet obseruare ritum suæ Ecclesiæ Matricis, non tamen ritum Ecclesiæ Romanæ aut Metropolitanæ, quia non extat talis vsus propositus vniuersaliter pro tota Ecclesia seruandus; sed in diuersis diœcesibus, diuersi sunt ritus.

Vtrum autem oppositum faciens peccet mortaliter, non explicat S. Doctor; sed tantum dicit, quod peccabit grauiter, quod verbum, certè indicat malitiam grauem, & videtur esse mortalis propter rationem circa conclusionem factam, quia omittere cæremoniam principalem consuetam ab Ecclesia in vsu, & collatione alicuius Sacramenti, si omissio sit per se intenta, peccatum mortale est in alijs Sacramentis: ergo etiam in baptismo.

Nullum auctorem inueni, qui absolutè

solutè hoc dubium resoluat, mihi tamen videtur dicendum, quod per se loquendo, & ex genere rei sit peccatum mortale propter rationem factã. Cæterum in indiuiduo non semper erit peccatum mortale, vt si secluso scandalo talis ritus aliqua causa honesta omittatur. Mag. Sot. addit, quod occurentibus causis grauibus potest omitti absque omni culpa; illum sequitur Cabrer. hic de illis verò, qui causa ingenti id exigente baptizantur non solemniter, sed priuatim in proprijs domibus, vel alibi, certum est, quod sicut propter periculum vitæ baptizantur sine aliqua mersione, sola aquæ effusione, absque aliqua culpa, ita etiam baptizari, sine trina mersione nullum peccatum est in ministro. Ita Caiet. hic.

CIRCA SOLVTIONEM AD 3. est dubium.

Vtrùm quando quis baptizat trina mersione intenta ab ipso, si aliqua deficiat, sit verus, & legitimus baptismus?

RAtio dubitandi est: quia in illo casu deficiente vna mersione etiam si sit prolata tota forma, non perficitur Sacramentum quoad completam materiã: ergo non est legitimus baptismus. Consequentia patet, & antecedens probatur: quia (vt casus supponit) trina immersio intenditur per se à ministro, tanquam materia proxima totalis, & adæquata: ergo si deficiat vna immersio, & prolata sit forma tota, non erit Sacramentum completum in sua essentia. Confirmatur: quia tũc temporis, quando ante tertiam, & vltimam mersionem finita est tota forma, illa non cadit supra debitam materiam: quia solum applicata est ad materiam partialem: ergo non est cõpletè perfectum Sacramentum in sua essentia.

Pro parte verò affirmatiua etiam est argumentum: quia attenta essentia baptismi per se loquendo non est necessaria materia baptismi, vna, neque trina mersio; sed tantum ablutio vera: ergo posita ista in vna mersione tantum (sicut revera absolute ponitur) si tunc proferatur tota forma erit verus baptismus essentialiter. Consequentia est bona, & antecedens constat ex doctrina tradita supra.

Confirmatur: quia intentio ministri non auget necessitatem nouę ablutionis: ergo neque nouę mersionis, & consequenter facta vna, & forma prolata, verum conficietur Sacramentum in sua essentia.

Antecedens probatur: quia pars essentialis Sacramenti non ponitur ab intentione ministri: ergo neque augeri potest; solum enim talis pars dependet ex Christi Domini institutione.

Conclusio. Absolutè dicendum est in casu dubij, quod si facta prima mersione, ante secundam proferatur tota forma à ministro cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, baptismus est legitimus, siue subsequantur, siuè non subsequantur aliæ duæ mersiones. Sic docet Caiet. hic circa solut. ad 3.

Ratio pro conclusione ex eius doctrina sic formatur. Intentio ministri intendentis sub trina mersione est eadem cum intentione Ecclesiæ cuius est minister, & cuius ritum obseruare intendit; sed Ecclesia non instituit trinam immersionem, vt aliquid substantiale Sacramenti; sed vt cęremoniale eiusdem, quod semper est aliquid accidentale ad essentiam Sacramenti: ergo intentio ministri ad trinam mersionem non est, vt ad aliquid essentiale; sed vt ad aliquid accidentale, & cęremoniale: ergo si facta prima mersione ex aliqua causa, siuè casu aliquo interueniente, vt timens puerum mori ante vltimam mer-

mersionem, vel à casu proferat totam formam, Sacramentum erit perfectum in sua essentia: quia forma tunc applicata est ad veram materiam, vt constat ex ratione facta supra pro parte affirmatiua, & ex discursu modo facto: quia intentio vniuersalis Ecclesiæ est, quod fiat Sacramentum semper, quod super veram, & simpliciter ablutionem profertur tota forma, & hanc eandem habet minister, cum per se loquendo semper debeat habere intentionem conformem intentioni Ecclesiæ, cuius est minister, & faciendi quod facit Ecclesia talis. Hanc conclusionem sic ratione explicatam tenent communiter omnes Theologi.

Ad rationem ergo dubitãdi respondetur, negando antecedens, ad cuius probationem respondetur distinguendo antecedens: est per se intenta tanquam materia proxima totalis essentialiter, & iuxta exigentiam essentię Sacramenti; nego antecedens: accidentaliter, & cęremonialiter iuxta exigentiam institutionis Ecclesiæ, concedo antecedens, & negatur consequentia propter rationem factam. Vide aliam solutionem in Caiet. §. *quod vt melius*, & in Cabrer. n. 5.

Ad confirmationem negatur antecedens: quia quęlibet mersio essentialiter retinens veram rationem ablutionis est materia adęquata Sacramenti. Et si inquiras, quid dicendum sit in casu, quo minister intendat ex iudicio erroneo trinam mersionem tanquam materiam adæquatam, & totalem ex iure diuino, ac proinde, vt necessariam essentialiter ad Baptismum.

Respondetur, quod si simul cum hac intentione habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, verum baptisma conficeret in casu nostri dubij. Ita Mag. Nuño in præsenti concluſ. 6. & Cabrer. etiam super istum articulum, num. 4. in fine, & colligitur ex doctrina D. Thom. sup. quæst. 60. art. 8. & ex omnium Doctorũm sententia ibidem. Ratio est, quia cum tali intentione faciendi, quod facit Ecclesia, omnia necessaria ad baptismum tàm ex parte materię, quàm ex parte formæ re ipsa ponuntur: ergo re ipsa Sacramentum in sua essentia perfectum constituitur. Exemplum est in simili de Eucharistia; si enim quis putans illud verbum *enim* esse de essentia consecrationis panis, proferret alia verba sine illo intendens facere, quod facit Ecclesia, in tali consecratione, absque dubio consecraret (vt loco citato dicunt Thomistæ) quia intentio illa particularis ex illo falso, & erroneo iudicio procedens non destruit intentionem rectam faciendi, quod facit Ecclesia.

Si autem intentio illa esset formaliter exclusiua; ita quod intenderet baptizare sub tribus immersionibus, & non aliàs sub vna aut duabus, tunc etiam si proferret omnia verba formæ facta vna mersione, non conficeret Sacramentum, non ex defectu materiæ sufficientis; sed ex defectu intentionis faciendi: quod facit Ecclesia; quia tunc non haberet absolutè loquendo intentionem baptizandi. Sit exemplum in eodem simili; in casu in quo quis intendat consecrare dicendo omnia verba, etiam illud *enim*, & non aliàs, certum est mihi, quod non consecraret: quia tunc non haberet intentionem consecrandi, quia ad hanc habendam necessarium est habere intentionem Ecclesiæ in prolatione formæ super legitimam materiam, cum illa sit conditio intrinsece necessaria ad perfectionem Sacramenti. Ita docent auctores citati in eisdem locis.

Ex dictis infertur, quod qui per trinam mersionem baptizare intendit, non debet ter proferre formam, sed semel in omnibus, ne ociosè aliquam mersionem faciat, & verba formæ proferat, aliàs minimè poterit valorẽ Sacramenti impedire, si legitimam

intẽ-

intentionem habeat, quare illę mersiones cito debent fieri, & forma more se aliquantulum proferenda est, vt ita materia, & forma habeant simultatem moralem saltim, nō tamen est necessarium, quod coniungatur simultate phisica in eodem instanti temporis, de quo nonvacat in præsentiarum disputare. Videantur interpretes D. Tho. sup. quæst. 60. art. 6. Hæc de dubio, & artic. pro alijs minoribus videantur in pręsenti Doctores etiam sumistæ, verbo: *Baptismus.*

ARTICVLVS NONVS.

Vtrùm Baptismus possit iterari?

CONclusio D. Thom. est negatiua, cuius forma hæc est. Baptismus iterari nō potest. Hanc probat D.S. quatuor rationibus in corpore articuli, quæ clarè patent in litera, & ideò ex omnibus vna tantum à me deducitur. Baptismus est quædam spiritualis regeneratio facta in morte Christi, per quam morimur peccato, & renascimus Deo secundū nouam vitam spiritualem, causat etiā in anima characterem, qui est indelebilis omnino, estque institutus contra originale peccatum; sed ex nulla parte istarum est iterabilis: ergo nullo modo iterari potest. Discursus est optimus, & minor probatur: quia inquantum generatio non est iterabilis, sicut generatio carnalis: quia vnius rei tantum est vna generatio; quatenus datur in morte Christi, cum illa tantum fuerit vna, in virtute eius tantum vnum baptisma consecrandum est. Vnde dicit Apost. ad Ephes. 4. *Vna fides, vnū baptisma*, quatenus etiam imprimit characterem non est curiteretur, cum ille immobilitèr, & in separabilitèr animæ inhæreat, ex parte verò peccati, contra quem institutū est non debeat iterari, cum illud peccatum non iteretur: ergo ex nulla parte conuenit quod baptismus iteretur.

CIRCA SOLVTIONEM AD quartum, vbi D. Tho. dicit, quod illi de quibus est dubium, an sint legitimè baptizati.

Sint sub conditione baptizandi, scilicet si nondum es baptizatus, ego te baptizo, si autē es baptizatus nō te baptizo?

ADuertendum est, talem doctrinā intelligendam esse, quando dubiū est rationabile, tunc autē dubium erit rationabile, quando rationes, & coniecturæ satis probabiles pręmunt intellectum, ita vt nequeat vni, aut alteri parti determinate assentiri, vel si potius in vnam partē, quam in alteram inclinet, adhuc rationes fortiter vrgent pro altera: tunc licitum est baptizare hominem subconditione, vt v.g. fit casus in quo aliquis prudenter rationibus probabilibus motus dubitat, an Antonius sit baptizatus, vel quia est dubium; Vtrū baptismus sub tali forma, & materia ei datus sit validus, vel quia est dubiū, an re ipsa ipsi sit applicatum baptisma, tunc si non ad sit efficax motiuum ad deponendum dubium, ita vt intellectus assentiatur parti affirmatiuæ, taliter quod non remaneat ratio vrgens probabiliter ad contrariampartem, licitū est talē hominem rebaptizari à ministro, & si magis inclinet ad iudicandum ipsum esse baptizatum. Ratio est: nam si facta morali diligētia minister non potest deponere iudicium dubium, semper est probabile, quod homo nō est baptizatus, etiam moraliter loquendo: Vnde cum baptismus sit Sacramētum, maximè necessitatis, talis opinio probabilis de parte negatiua, iure exigit iterationem baptismi sub conditione, quia illud non est iterari baptismū, sed fieri, quod nescitur, esse factum, quod non est iterari idē, (vt optimè aduertit D. Thom. in vltimis verbis solutionis citatæ)

Et si inquirat curiosus, quid sufficiat ad deponendum tale dubium? Respondetur, quod testimonium vnius testis fidedigni in materia Religionis

Christianæ, & nullus sit certificans de contrario. Ratio huius est: quia & testimonium vnius admittitur, vt sufficiens à Iuristis, cum de præiudicio tertij non agitur, vel cum agitur ad impediendum aliquod peccatum. Sic cõmuniter omnes Doctores sequentes Paludanum in 4. dist. 6. quæst. 4. fauet, caput *super eo, l. 2. de testibus*, & 2. *quæst. 1. cap. multis*, fauet etiã ratio, quia non est credendum fidedignum hominem Christianum mentiri in re tam graui: addunt tamen Doctores, quod stando in iure ad condenandum rebaptizatum, vel rebaptizantem duo vel tres testes necessarij sunt; quia ille actus est iuridicus, in quo agitur de præiudicio tertij.

Ex his sequitur, quod cum vetula dicit se baptizasse puerum credendũ est illi, & nullo modo est rebaptizandus etiam sub conditione, sed deferendus ad Ecclesiam, vt illi applicentur Catheciſmi & exorciſmi solemnes, qui defuerunt baptiſmo domi, à laico exhibito.

Sequitur secundo pueros iam prouectos ætate, & inter Christianos enutritos nullo modo esse rebaptizandos quocunque etiam scrupulo existente: quia moraliter loqueudo præsumuntur baptizati, secus autem dicendum est, si fortè oppositum legitimè probaretur, vt si essent euidentia argumenta moraliter loquendo. Ita colligitur ex decreto Innocentij Papæ in cap. *De mens* de Presbytero nõ baptizato. Iuxta doctrinam traditam potest de alijs iudicium fieri, vt de pueris expositis, an sint sub cõditione rebaptizandi nec ne? de pueris inuentis in siluis, de quorum parentibus dubitatur an sint Christiani, aut in fideles, similiter de pueris Christianorum inter infideles natorũ qui postea veniũt ad regiones nostras, siuè orbati sint parentibus, siuè non) (de quibus interpretes D. Thom. tàm hic quàm in 4. dist. 3. agunt) vnde breuitati consulens resolutionẽ explicitã ommitto. Videatur si placuerit in illis.

Secundò loco in isto articulo necessarium est explicare, quam pœnam incurrat minister rebaptizans illum de quo non est dubium esse baptizatum. Pro quo est notandum, quod minister rebaptizans aliũ potest se habere dupliciter) & loquimur de ministro nulla ignorantia laborante, neque facti, neque iuris) primo modo, ita vt nõ obstante scientia, quã habet, alterũ absolutè rebaptizet; secundo modo: ita vt sub conditione tantum rebaptizet, de quo certũ est, quod vtroque modo procedens peccat mortaliter grauissimum sacrilegiũ committens: quia applicat materiam, & formam Sacramẽti subiecto incapaci: Vndè maximam irrogat iniuriam ipsi Sacramento, sicut qui certo scit aliquam hostiam cõsecratam esse, & illam iterum consecrat, etiam si id faciat sub conditione; peccat mortaliter: quia profert formam consecrationis circa materiam incapacem; solum potest esse dubiũ, an in vtroque casu incurrat minister eandem pœnam Ecclesiasticam.

Pro quo dico primò. Qui scienter rebaptizat absolutè illum, qui iam est baptizatus pœnam irregularitatis ipso facto incurrit. Ita cõmuniter omnes Theologi, & colligitur ex cap. 2. de *Apostatis*. Eandem pœnam incurrit, qui sciens se esse baptizatũ permittit rebaptizari. Ita colligitur ex cap. *eos*; de *consecrat. dist.* 4. Circa istam irregularitatem aduertendum est, quod solum impedit irregularem ab ascensu ad alios ordines, & non impedit ab vsu ordinis suscepti. Ratio est, quia in illo capite *extra de Apostatis* solum explicitè prohibetur promotio ad alios ordines, vnde cum pœna semper sit restringenda, & non amplius extendenda, hæc irregularitas ad præcisa verba est limitanda. Sic Cabr. hic num. 20.

Et si dicas quod omnis irregularitas impedit hominem ab vsu ordinis suscepti, & ab ascensu ad alios ordines: ergo vtrunque impedimentum est effectus irregularitatis cuiuscunque.

Res-

Respondetur ex doctrina Nauar.in Manuali cap.27.num.191.vbi agit de irregularitate in communi, negando antecedens; nam aliqua irregularitas est, quæ impedit acceptionem ordinum; non verò vsum acceptorum, sicut aliqua est, quæ impedit vnum vsum, & non alium (quod ait) colligi, ex cap.2.de Clericis egrotis: imò diffinitio ipsa irregularitatis in communi hoc indicat, nam dicitur, quod sit impedimentum Ecclesiasticum inductum à iure Canonico directè impediens ab acceptione ordinum, aut impediens aliquem vsum illorum, quatenus ordines sunt. Hæc diffinitio mouet me ad credendum opinionem istam esse veram, similiterque ratio facta, quam etiam tenent alij viri docti. Aduertendum tamen est, quod attendendo ad verba textus, ex quo deducitur irregularitas ista, illam non incurrunt, qui crimen rebaptizationis actiuæ, siuè passiuæ secreto committunt; sed solum quando crimen tale est publicum. Sic enim ait decretum Alexandri III. vt habetur in Concilio Lateranensi: *Ad Superiores ordines promoueri, si publicè est, quod proponitur non valebit, si verò occultum est promoueri poterit.*

Propter istum textum Suar.3.par. quæst.71.art.4.disp.21.sect.5. in decisione tertij dubij tenet istam sententiam, quam veram existimat Cabrer.hic nu.16. pro qua est rationalde probabilis: quia illa irregularitas non est alibi in iure expressa nisi ibi, vbi distinctè solum traditur de acholito ministrante rebaptizanti, & propterea extenditur ad ipsum ministrum: ergo debet intelligi cũ distinctione & limitatione facta expressè in ipso iure

Alij Doctores communiter docent hanc irregularitatem incurri, siuè crimen sit publicum siuè secretum, & sic irregularem non posse, nisi per Summum Pontificem dispẽsari. Ita Siluest. verbo *baptismus* 5.dub.3. idem tenet Sot.in 4.dist.3.q.vnica art.9. circa finem, nisi aliquod indultum sit à Summo Pontifice concessum in gratiam Religionum, vel alia de causa. Vnde cum in Concilio Trident.sess.24.cap. 6.detur facultas Episcopis ad dispensationem in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, sequitur certo posse Episcopum dispensare in ista irregularitate, quando ex delicto occulto iterationis baptismi occultæ, oritur, iusta sententiã modo relatam.

Cæterum, vt quid sentio, dicã, prior sententia absque dubio, ratione facta, vt vera à me iudicatur: fateor verò in praxi me non recessurum à communi sententia, quia videtur iam communi vsu introductum, illã pœnam incurri propter delictum iterationis baptismi etiã occultum, quia grauissimum est, & in odium Hæreticorum illa pœna est à lege Canonica stabilita, propter quod motiuũ, à lege ciuili aliæ multæ pœnæ sunt sancitæ pro rebaptizato, & rebaptizante; vnde consulerem maioris securitatis causa, vt petatur dispensatio ab irregularitate, etiam in casu criminis occulti. Hæc de isto secundo puncto.

DVBIVM TAMEN EST:

Vtrùm ista irregularitas incurratur cum rebaptizat alium quis ex ignorantia?

AD huius expositionem præmittendum est, quod ignorantia est duplex, altera inuincibilis, quæ excusat ignorantem à peccato, altera vincibilis, quæ nõ excusat à peccato. Rursus ignorãtia quo ad præsens attinet altera potest esse iuris Diuini prohibẽtis iterari baptismũ; altera est facti, scilicet, baptismi iterati, quæ contingit, quando aliquis ignorans aliquẽ esse baptizatũ, ipsum baptizat, cũ tamẽ revera sit baptizatus.

Hoc supposito non deest in præsenti diuersitas opinionum, nam aliqui dicunt nullam ignorantiam etiam inuincibilem excusare rebaptizãtes,

& rebaptizatos ab irregularitate. Refertur pro hac sententia Antonin. 3. part. tit. 14. c. 13. refertur etiã Palud. in 4. dist. 6. quæst. 4. similiter Glossa in Canon. *quivis de consecrat.* dist. 4. cõ illis cõuenit Scot. in 4. dist. 6. quæst. 8. quatenus dicit ignorantiam inuincibilem iuris diuini, aut humani non excusare, disconuenit autem in hoc quod asserit ignorantiam inuincibilem facti excusare.

Et pro hac sententia argitur. Ignorantia iuris diuini non excusat à peccato, neque à pœna in fligenda pro illo: ergo neque excusat in præsenti materia à peccato, & à pœna irregularitatis ab Ecclasia statuta.

Secundò argitur ex cap. *quibus de consecrat.* dist. 4. vbi dicitur, quod ei qui bis ignoranter rebaptizat, aut rebaptizatur, nulla pœnitentia imponatur, verum tamen ad ordines non debet promoueri, nisi aliqua magna necessitas cogat: ergo etiam supposita ignorantia inuincibili incurritur irregularitas.

Secunda sententia vera, & communis inter omnes Doctores (exceptis citatis) asserit ignorantiam inuincibilem siue iuris, siue facti excusare ab ista pœna; non tamen ignorantiã vincibilem, & culpabilem. In hac vltima parte conueniunt omnes.

Conclusio. Hæc secunda sententia, vt verissima à metuetur, & probatur prima pars; ignorantia inuincibilis excusat á culpa (vt est dogma Theologicum) ergo excusat etiam à pœna ei correspondente. Patet cõsequentia: quia pœna semper correspõdet peccato: ergo quando datur causa auferens peccatum eadem auferetur pœna, quæ essentialiter consequenter se habet ad peccatum; sed irregularitas de qua loquimur est pœna à iure Canonico cõstituta: ergo quãdo nõ est culpa nullo modo potest incurri.

Secunda pars conclusionis probatur: quia ignorantia vincibilis est culpabilis, quæ non excusat à peccato: ergo neque excusat à pœna debita peccato; ergo qui ex ignorãtia vincibili rebaptizat, aut permittit se rebaptizari, incurrit irregularitatem tãquam pœnã impositã pro tali peccato.

Ad argomentũ primum, nego antecedẽs, est enim falsissimũ apud omnes Theologos, qui eo ipso, quod admittant dari ignorantiã inuincibilem consequenter dicunt illam excusare à peccato: quia aufert rationem voluntarij in ordine ad obiectũ ignoratũ, & consequenter necessario aufert peccatum.

Ad secundũ Respondetur, quod ille textus (præterquã quod est cuiusdã Episcopi particularis, & ita non habet auctoritatẽ nisi particularis opinionis) loquitur de ignorãtia vincibili.

Nec valet dicere, quod dicit, nullã pœnitentiam imponendã esse: si autẽ loqueretur de ignorantia vincibili, cum illa non excusset à peccato, non diceret non esse pœnitendum: quia peccato pœnitentia correspondet necessario ad illud delendum.

Non inquam valet: nam Respondetur cũ Soto vbi supra, quod textus non dicit nulla pœnitentia egere sic ignoranter rebaptizantem; sed loquitur de pœnitentia iuris imposita sciẽter facientibus illam actionẽ, aut patientibus eius passionem, quæ erat pœnitentia septem annorum.

Sed contra secundam partem nostræ sententiæ est argumentum, qui baptizat sine intentione rebaptizandi absolutè non incurrit irregularitatẽ; sed qui ex ignorantia vincibili baptizat iam baptizatũ, sic se habet: ergo nõ incurrit irregularitatẽ. Maior probatur nã ille actus ratione ignorãtiæ est imperfectus in ratione peccati, quia nõ est omnino liber, & deliberatus; sed omnis pœna Ecclesiastica incurritur propter peccatum perfectum: ergo irregularitas non incurritur propter actum impefectum in ratione peccati. Minor verò probatur: nam si ille sciret hominem esse baptizatum nullo

nullo modo illum iterum baptizaret: ergo non habet animū baptizandi iā baptizatum; sed potius implicitè habet intentionem quasi conditionalem baptizandi scilicèt illum, si non sit baptizatus; sed propter hanc intentionem actus, non sufficit vt incurratur irregularitas: quia si formaliter haberet in illius actus exercitio talem intentionem, actus non esset sufficiens ad talem pœnam incurrendam: ergo etiam quando exercet illum actum cum intentione, illa implicita. Ex paritate rationis videtur consequentia bona.

Confirmatur: quia illa pœna imposita est in odium Hæreticorum iterantium batismum; sed qui ex ignorantia etiam vincibili baptizat, quem putat non esse baptizatum non baptizat animo Hæretico (vt patet) ergo non est censendus irregularis.

Adhorum solutionem prę̃mittendum est ex D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 8. quod ignorantia illius, quod quis tenetur facere, vel non facere potest esse voluntaria dupliciter, vno modo directè, & hoc contingit, quãdo ipsa est obiectum actus voluntatis formaliter, & expresse volitum; sicut cum aliquis ignorare vult ad hoc ipsum, vt à peccato non retrahatur, vel vt aliquam excusationem peccati habeat, alio modo potest esse voluntaria indirectè, & contigit iste modus voluntarij, quando quis non curat scire illud, quod potest scire, & tenetur scire, tunc enim talis ignorantia est voluntaria simpliciter indirectè tamen, eo modo quo ipsum non agere, & non velle, quando voluntas tenetur agere, & velle est voluntarium indirectè, vt docet D. Thom. ibidem, & expresius art. 3. illius quæstionis. Ex hoc infertur, quod actus sequtus ad talem ignorantiam simpliciter sit voluntarius, sicut, & ipsa ignorantia, scilicèt indirectè, licèt habeat aliquam rationem involuntarij scilicet secundumquid, quatenus procedit ex ignorantia alicuius, taliter, quod si scientia illius præexisteret non sequeretur.

Aduertendum tamen est, quod talis ignorantia licèt aliquo modo antecedat actū sequtum, simpliciter est consequens, vt explicat D. Tho. art. 8. citat. quatenus poterat excludi per scientiam oppositam eo tempore, in quo fit actus: quia est ignorantia eius, quod quis potest scire, & debet scire.

Hac ergo doctrina suppositā respõdetur concessa maiori, nego minorē, ad cuius probationem concedo antecedens, & distinguo consequens, directè, & formaliter concedo consequentiam, indirectè, & veluti interpretatiuè nego consequentiam, nam ad hoc, vt saluetur talis intentio indirecta sufficit, quod actus baptizandi iam baptizatum, procedat ex ignorantia vincibili, quæ est indirectè voluntaria, vt dictum est; quia tenebatur facere diligentiam moraliter necessariam, & sufficientem ad cognoscendum illum hominem esse baptizatum, & poterat facile adhibere talem diligentiam, & deponere ignorantiam: Vnde simpliciter dicendum est, quod talis homo vult baptizare iam baptizatum, atque adeò nego habere intentionem conditionatam in argumento explicatam. De illo autē qui sic rebaptizat cum ignorantia inuincibili: Vtrùm incurrat irregularitatem, nec nè? posteà dicam.

Ad confirmationem respondetur, negando consequentiam: quia illa pœna licet à iure Canonico introducta sit in odium Hæreticorum; tamen non solum fuit imposita solis Hæreticis; sed omnibus imitantibus eos, in absoluta rebaptizatione, aliàs etiam scientes se rebaptizare non incurrerent illam, si non facerent actionem baptizandi in odium reuerentiæ Sacramenti, & fidei, quod est falsissimum (vt omnes Theologi fatentur.)

VLTIMVM DVBIVM EST IN hoc articulo.

Vtrùm rebaptizantes sub conditione, siue verbis explicata, siue mente tantum concepta incurrant irregularitatem?

IN hoc dubio Mag. Sot. in 4. dist. 3. art. 9. absolutè docet, eum qui nulla diligentia adhibita rebaptizat, incurrere irregularitatem. Eandem sententiam tenuit doctissimus Victoria, vt patet in summa eius de baptismo, quæst. 36. quam etiam tenuerunt alij. Ratio pro hac sententia potest esse: quia Clericus sic rebaptizans maximum sacrilegium committit; sed irregularitas statuta est ad puniendum sacrilegium rebaptizantium: ergo ille sub conditione baptizans eum de quo non est dubium, an sit baptizatus, verè incurrit pœnam iuris.

Hæc ratio habebit maiorem vim, in casu, quo liquido constet aliquem iam esse baptizatum, quia tunc conditio adiecta (scilicet si tu non es baptizatus) habebitur pro nõadiecta, quia in tali casu ociosè videtur addi animo magis fallendi circunstantes, quã baptizandi sub conditione.

Opposita sententia est communior inter Theologos: asseritque eum, qui sub conditione rebaptizat non incurrere irregularitatem. Ita Nuñ. in præsenti art. concluſ. 6. Suar. disp. 31. sect. 5. dub. 5. Cabrer. etiam in præsenti art. num. 18. qui omnes sequntur Nauarr. in Manuali cap. 27. num. 246 & putant id esse verum, etiam si sciat sic rebaptizans puerum esse legitimè baptizatum.

Fundamentum istius sententiæ est: tũ quia talis actio non est iteratio baptismi simpliciter, cum intentio baptizandi sub conditione non sit iterandi baptismum, vt ex ipsa forma patet. *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* ergo talis actio deficit à ratione rebaptizationis, quia conditio addita siue ineptè, siue prudenter ex vi ipsius suspendit actum, & consequenter, cum irregularitas sit posita, vt pœna iterationis baptismi, in tali casu nõ incurritur; tum etiam quia pœna lata in iure aliquo semper est restringenda, vt solum incurratur propter actũ perfectum, & consummatum: ergo cum illa actio sit imperfecta, ita vt nõ sit simpliciter rebaptizatio dicendum est, non incurri in tali casu.

Concluſio sit. Si revera intentio baptizandi sit conditionata, & nullo modo absoluta, verior, & probabilior mihi apparet vltima sententia propter rationes factas, & confirmantur; tum quia absolutè loquendo talis pœna non legitur in iure propter tale peccatum; quia solum ponitur, vt pœna rebaptizationis: at baptismus datus sub conditione (vt ex dictis patet) non est re vera rebaptizatio: ergo nõ incurritur irregularitas propter illã actionem. Patet consequentia: quia irregularitas non incurritur: nisi quãdo expressè habetur in iure, vt ait Bonifatius VIII. in cap. *is qui de sententia excommunicationis in 6.* tum etiã confirmatur; quia propter eandem rationem, ille qui exterius, negat articulum fidei retinendo interius fidem talis articuli non incurrit excõmunicationem latam pro Hæreticis: quia non est Hæreticus simpliciter: ergo idem est dicendum in præsenti.

Dixi in concluſione, si revera intentio sit conditionalis, quia in casu in quo quis certo scit hominem esse baptizatum, & nihilominus baptizat eum sub conditione videtur fictè apponere conditionem in verbis formæ, & interius habere intentionem absolutam, in quo casu absque dubio incurreret illam censuram: quia illa actio, vt procedit à tali intentione est simpliciter rebaptizatio, quam punit ius Canonicum pœna irregularitatis: fa-

fateor tamen, quod in foro exteriori, non censeretur irregularis propter conditionem appositam exterius: quia ad hoc requiritur, vt actio in foro exteriori iudicetur rebaptizatio simpliciter, quod deficit in præsenti, nisi aliquibus coniecturis constaret, conditionem fictè positam fuisse in verbis: quia tunc meo videri, vt irregularis censendus est in foro exteriori, cum in tali foro iudicetur ille minister, vt rebaptizans simpliciter, & hoc non est contra Nauarr. quia loquitur de ministro rebaptizante sub conditione bona fide, etiam eumque scit iam esse baptizatum, ponit tamē conditionem inepte, sicut & actionem inepte facit.

Ad rationem dubitandi pro prima sententia respondetur concessa maiori distinguendo minorem: sacrilegium rebaptizantium, quando est perfectum; & est simpliciter rebaptizatio concedo minorem, quando non est simpliciter rebaptizatio; sed imperfectum sacrilegium, nego minorem, & negatur consequentia propter rationes factas. Neque ponderatio consequētiæ, in casu quo minister habeat notitiam certam de hoc quod baptizatus sit ille, quem sub conditione vult iterum baptizare; habet vim quantum ad incurrendam irregularitatem, quia quantum ad hoc semper conditio adiecta habetur pro adiecta, quia aliquid operatur, si quidem suspendit actum baptismi, & facit illum non esse simpliciter rebaptizationem: quantum verò ad culpam sacrilegij habetur quasi non adiecta, quia non excusat ministrum à temeritate baptizandi sub conditione quando non oportet; sed potius quando oportet, quia est cōtrarius decernens baptizare sub conditione, esse licitum tantum in casu dubij.

ARTICVLVS DECIMVS.

Vtrùm ritus, quo Ecclesia vtitur in baptizando sit conueniens?

EX toto processu corporis articuli, & ex solutionibus argumētorum deducitur cōclusio affirmatiua, cuius ratio est: quia in ritu baptismi solemnis aliquid agitur, quod pertinet ad essentiam illius, & aliquid pertinens tantum ad quandam solemnitatem; ad essentiam Sacramenti pertinet forma, quæ designat causam principalem Sacramenti, similiter pertinet minister tanquam causa instrumentalis: pertinet etiam vsus aquæ, quæ designat principalē Sacramenti effectum; cætera verò omnia, quæ Ecclesia in ritu baptismi obseruat, pertinent ad quandam solemnitatem Sacramenti, quæ procedunt ex instituto Ecclesiæ, quæ quia Spiritu Sancto regitur, & gubernatur nihil inordinatum, & inconueniens potest operari: ergo ritus solemnis, quem obseruat Ecclesia in baptismo solemni est conueniens. Motiua huius conuenientiæ explicat optime D. Thom. in littera.

Circa istum articulum disputat Cabrer. contra Hæreticos, cæremonias Ecclesiasticas è medio tollere intendentes; duas difficultates, altera est de cæremonijs Ecclesię in communi, altera de cęremonijs in particulari, quæ obseruantur in baptismo. Videat in illo curiosus; nobis enim non vacat in omnibus immorari, sufficiat contra Hæreticos nobis scire, quod Concilium Tridentinum tales cæremonias ab Ecclesia receptas approbauit sess. 22. cap. 5. tanquam vtiles, & necessarias ad reuerentiam Deo exhibendam in Sacramentis; & in Sacramentalibus; & etiam ad deuotionem fidelium excitandam semel, iterumque ad instructionem hominum simplicium. Denique vltimo orationes, &

& benedictiones Ecclesiasticæ deseruiũt ad cohibẽdã vim Dæmonis, ne Sacramentorum effectus impediantur (vt optimè aduertit D.S. in fine corporis articuli)

ARTICVLVS VNDECIMVS.

Vtrùm conuenienter describantur tria Baptismata?

CONclusio affirmatiua deducitur ex discursu corporis articuli, quę sic formatur à Theologis: Conuenienter tria Baptismata assignantur, videlicet aquæ, sanguinis, & flaminis, seu pœnitentię aut cordis.

Ratio huius conclusionis in hoc fundatur, quod effectus baptismi, qui est gratia remittens peccatum originale, & actualia simul cum illo existentia, licèt per se loquendo consequatur per baptismum aquæ, inquantum habet efficatiã à passione Christi, tamen aliquando ipse Deus, qui est causa principalis talis effectus propter meritum passionis Christi causa talem effectum sine Sacramento aquæ medio martirio, in quo quis conformatur passioni Christi patiendo sanguinis effusionem pro ipso, & medio actu pœnitentiæ secundum quem mouetur cor à Spiritu Sancto ad diligendum Deum, & credendũ in ipsum, & ad pœnitendum de peccatis.

Circa istam conclusionem aduertendum est primò, quod D. Thom. & alij sancti, & Doctores, hanc diuisionem baptismatis accipientes sumunt nomen *Baptismi*, quatenus est nomen analogum significans primò, & per se baptismum aquæ qui est Sacramentum à Christo institutum in remedium peccati originalis, & secundariò significat martirium, & cõtritionem, quatenus in aliquo casu suplent vicem baptismi aquæ, in ordine ad proprium ipsius effectum, & ita vtrunque dicitur baptismus per ordinem, & analogiam ad baptismum aquę, quatenus secundum quod includunt votũ baptismi aquę siue formaliter, siue virtualiter suplet vicem baptismi aquæ, causando proprium eius effectum, qui est remissio originalis peccati.

Secundo est aduertendum, quod ista speciali ratione nullo modo conuenit denominatio baptismi baptismo Ioannis, neque cuicunque alteri, figuræ Veteris Testamẽti, imò neque cuilibet spirituali animæ ablutioni, quę fit per iustificationem subsequentem baptismum in re susceptum, quia non conuenit eis supplere, & genere vices baptismi aquæ.

Ex quo sequitur, quod ipsum martirium quando subsequitur Sacramentũ Baptismi in re susceptũ nullo modo debet dici baptismus secundũ istam rationẽ specialẽ, analogiæ, & idem dicendum est de pęnitentia sequta etiã ipsum baptismum eadem ratione.

Tertiò est aduertendum, quod quamuis istæ prædicationes sint verę: martirium est baptismus, contritio cordis est baptismus, istę autẽ sunt falsę martirium est Sacramentum baptismi, pœnitentia est Sacramentum baptismi. Ratio est, nam ad veritatem priorum sufficit ordo ab baptismum aquę, tanquam ad principale analogatum, in quo reperitur intrinsece ratio significata per nomen, scilicèt ratio Sacramenti instituti à Christo ad remittendum originale: quia alia solum dicuntur baptismata, per extrinsecã denominationem à forma existente, in principali analogato ex ordine, quem dicunt ad illam, vt supplentia vicem illius in ordine ad suum proprium effectum. Et ad veritatem propositionum secundi generis requirebatur, vt ratio Sacramenti reperiretur in illis aliquo modo, hoc autem non datur in præsenti, cuia ratio Sacramẽti consistit in ratione signi sensibilis ex Dei ordinatione significãtis

gra-

gratiam, & ordinati ad cultum Dei tanquam cæremonia Sacra, quæ ratio nullo modo repiritur in martirio, neque in contritione, vt patet: aliàs essent plusquam septem Sacramenta nouæ legis.

Sed dices contra: eo modo quo martirium, & contritio dicuntur baptismus, per extrinsecam denominationem possunt etiam dici Sacramenta baptismi, ex quo non sequitur inconueniens illatum: quia numerus septenius Sacramentorum intelligitur de Sacramentis, quæ sunt secundum intrinsecam denominationem à forma in ipsis intrinseca talia ex Christi D. institutione: ergo non est ratio quare de illis duobus baptismis nõ dicatur, quod sint Sacramenta.

Confirmatur, quia de illis prædicatur baptismus, sed baptismus est Sacramentum: ergo etiam de illis verificatur, quod sint Sacramentum, semper enim cũ eodem addito, cum quo aliquod prędicatum, prædicatur de subiecto, quidquid prædicatur de prędicato, prædicatur de subiecto secundum regulam ante prædicamentalem cum quippiam de quopiam, &c.

Respondetur tamen, quod si martirium, & contritio dicerent habitudinem ad baptismum aquæ, secundum quod in illo est ratio signi sensibilis ex diuina institutione significantis gratiam regenerantem, & ratio cæremoniæ ordinatæ ex eadem institutione ad cultum Deo exhibendum, absque dubio rationes factæ conuincerent, quod ab illa forma in baptismo aquæ reperta possent extrinsece denominari Sacramentum baptismi: quia terminaret propriam habitudinem vnius cuiusque illorum, & nullum ex hoc sequeretur inconueniens, vt probatur in argumento. Cæterum nõ sic se haberet res, nam martirium, & contritio non respiciunt in baptismo aquæ illã rationem signi, & cæremoniæ, aqua essentialiter est Sacramentum nouæ legis; sed rationem causæ, quę est veluti modus, aut propietas Sacramenti nouæ legis, & quia illa ratio causæ est propria baptismi: quia est in ordine ad gratiã regenerantẽ in ordine ad quã supplent in aliquo casu vicem baptismi, ideò denominantur baptismata, & absolutè sunt veræ istæ propositiones, martirium est baptismus sanguinis, & contritio est baptismus flaminis, seu pœnitentiæ non tamen potest de illis verificari ratio Sacramenti etiam per extrinsecam denominationem. Ad cuius exactam intelligentiam reuocanda sunt ad memoriam ea, quæ à logicis, & Metaphisicis dicuntur de analogia attributionis (secundum quam baptismus dicitur) in ista tria diuiditur, vt eruditè satis aduertit Nuño in isto art. notab. post 2. conclus.

ARTICVLVS DVODECIMVS.

Vtrùm baptismus sanguinis sit potissimus inter alia baptismata?

Conclusio. Baptismus sanguinis est præstans inter alia baptismata. Ad huius intelligentiam est aduertendum, quod D. Thom. loquitur de martirio, & alijs baptismis non comparando ea in ratione Sacramenti, vt ipse se explicat in solutione ad primum; sed ea ratione, qua ex parte effectus, vt dictum est articulo præcedenti conueniunt in denominatione eàdem baptismi.

Confirmat hoc idem, ratione ipsa facta in corpore articuli, quę sic formatur: effusio sanguinis pro Christo, & operatio interior Spiritus Sancti, scilicèt contritio, dicuntur baptismata in quantum efficiunt effectum baptismi aquę; sed baptismus aquæ efficatiam habet à passione Christi, & à Spiritu Sancto; ergo ille baptismus, in quo istę duæ causæ excellentius operantur erit perfectior; sed in martirio operantur excellentissime: ergo illud est excellentior baptismus. Discursus est optimus, & probatur minor: quia

in

in baptismo sanguinis operatur passio Christi per imitationem operis, quo pacto non operatur in alijs baptismis: ergo excellentius operatur in illo. Similiter Spiritus Sanctus in Baptismo sanguinis operatur per potissimum dilectionis effectum secundum illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, &c.* In baptismo verò aquæ operatur per virtutem latentem & in baptismo pœnitentiæ per cordis commotionem: ergo præstantius causat effectum baptismi Spiritus Sanctus in martirio, quam in alijs baptismis.

DVBIVM EST GRAVISSIMUM in hoc articulo.

Vtrùm baptismus sanguinis conferat gratiam remissiuam peccati originalis ex opere operato, an verò tantum ex opere operantis per actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia?

IN hoc dubio distinctionis causa prius agendum putaui de efficatia martirij, circa paruulos, & deinde circa adultos. In hoc dubio est prima sententia asserens baptismum sanguinis non sufficere paruulis ad salutem, & ita non dare illis gratiam ex opere operato. Ita docet Arnochanus lib. 8. de quæstionibus Armenorum, & alij Doctores, quos in præsenti referunt Doctores.

Probatur hæc sententia primo, quia martirium essentialiter est actus virtutis procedens, vt à principio eliciente à fortitudine, & à charitate, vt à virtute imperante. Sic docet D. Thom. 2. 2. quæst. 124. art. 2. ad 2. sed infantes nullum actum virtutis possunt habere, cũ non habeant vsum rationis, qui per se est necessarius ad omnem actum virtutis: ergo infantes non possunt esse veri Martires, & consequenter occisio pro Christo, illis non potest causare gratiam.

Secundò. Martirium non est Sacramentum (vt dictum est, articulo præcedenti) ergo non causat gratiam ex opere operato. Probatur consequentia; nam proprium est Sacramenti nouæ legis, vt tale est causare gratiam ex opere operato.

Tertiò ex opposita sententia sequeretur, quod baptismus aquę non sit per se necessarius, neque in re, neque in voto ipsis paruulis: consequens est falsum (vtpotè contra illud, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*) ergo probatur sequela: quia tale votum includit aliquem actum proprium, per quem saltim implicitè desideratur baptismus in re susceptus, vt Sacramentum necessarium ad salutem.

Vltimo arguitur effusio sanguinis, sine charitate nullo modo sufficit ad salutem: ergo quando sufficit, est ratione actus charitatis. Probatur antecedens ex illo Pauli 1. Corint. cap. 13. *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest*: ergo sine charitate, &c. Confirmatur ex D. Thom. hic ad 2. vbi ait, quod effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate: ergo.

Secunda sententia huic opposita asserit martirium ex opere operato iustificare infantes, eo modo, quo in lege veteri Circuncisio iustificabat infantem. Hæc sententia habet maximum fundamentum in D. Tom. in præsenti articulo, vbi docet, quod baptismus sanguinis habet præeminentiã respectu aliorum baptismatum, non solum ex parte passionis Christi; sed etiam ex parte Spiritus Sancti; cum ergo baptismus aquæ habeat efficatiã ad iustificandum infantes, illam (imò maiorem) debet habere baptismus sanguinis in ordine ad illos, aliàs nõ præemineret cæteris baptismis in ordine ad proprium baptismi effectũ. Istam sententiam tenet expressè 3. part. quæst. 87. art. 1. solut. ad 2. & ibidem tenet illam Dominus Cajet. Idem tenet D. Thom.

Thom.2.2.quæst.124.art.1.solut.ad 1.vbi ait, quod martirium firmat animum hominis in bono iustitiæ Dei. Hanc tenent cõmuniter omnes Thomistæ tàm ex nostro instituto, quàm ex alieno.

Ad huius sententiæ explicationem est aduertendum, quod hoc quod est causare gratiam ex opere operato fiat dupliciter, vno modo simpliciter, & absolutè causando gratiam per virtutem actiuamcommunicatam causæ ex meritis Christi Domini,& isto modo solum septem Ecclesiæ Sacramenta causant gratiam,alio modo dicitur aliquid causare gratiam ex opere operato,quatenus Deus ad præsentiam illius causat gratiam in anima sine propria ipsius dispositione, quomodo Deus causabat gratiam media circuncisione.Iste modus causandi gratiam ex opere operato dicitur talis per similitudinem,& analogiam ad perfectissimum modum causandi gratiam ex opere operato,quatenus conuenit cũ illo in hoc,quod est non pẽdere à dispositione,in causando,tanquam à merito propter quod Deus gratiam animæ infundit.

Sit conclusio: prima sententia est falsissima,temeraria, & proxima errori. Ita tenet Nuño in præsenti dubio vnico 1.conclus.idemSuar.quæst. 69.disp.29.sect.1.impugnãs Adrianũ. Ratio huius conclusionis est,quia Ecclesia celebrat festum Sanctorum Innocentium appellans ipsos Martyres in officio quod recitatur,& in oratione,& in Missa:ergo sentit martirium iustificasse illos:aliàs erraret venerando illos,vt sanctos Martyres.

Nec valet dicere, iustificatosfuisse per Circuncisionem præcedentem, nam talis iustificatio non est iustificatio sufficiens ad colendũ eos, vt Martyres, at Ecclesia non tantum colit eos,vt Sanctos,sed vt Martyres Sanctos:ergo sentit quod martirium fuit illis causa suæ salutis.

Nec etiam valet dicere,quod martirium in illis habuit hoc priuilegium non tamen in alijs:nam illud priuilegium non potuit esse personale concessum ipsis pueris,sed fuit concessum ipsi effusioni sanguinis, quatenus fuit imitatio mortis Christi futuræ: ergo in omnibus infantibus,qui mortem patiuntur pro Christi nomine, dum in odium fidei illius occiduntur,est eadẽ ratio priuilegij. Patet consequentia, & antecedens est certum:quia ex parte illorum nihil fuit personale conducens,vt Deus moueretur ad illud priuilegium concedendum,cum non habuerint actum proprium meriti: solum ergo fuit causa illius priuilegij mors in odium Christi ipsis illata,cum ergo eodem modo possint occidi pueri alij ab inimicis fidei;sequitur euidenter posse illos iustificari per martiriũ, & esse capaces veri martirij. Videantur in Suar. & Cabr.insignia testimonia sanctorum conclusionem probantia.

Ad argumenta à principio. Ad primum respondetur distinguo maiorẽ: martirium provt abstrait nego maiorem,provt est in subiecto capaci habẽdi proprium actum liberum, concedo maiorem,&distinguo consequens,nõ sunt veri martires eo martirio, cuius est capax adultus,concedo consequentiam,eo martirio,quod sufficit,vt sint imitantes Christum,sine culpa ociosum,nego consequentiam.

Ad huius explicationem est aduertendum, quod martirium,vt sic tantũ dicit mortem, quæ sit imitatio actualis mortis Christi,secundum istam rationem quilibet patiens mortem pro iustitia,& ReligioneChristi(quamuis non sit compos rationis,ac proinde nõ sit capax habendi voluntarium actum moriendi)est vere,& simpliciter Martyr,& eius martirium habet conferre gratiam,& gloriam ei,martirium verò adultorum superaddit rationem virtutis, quatenus voluntariè aggrediuntur pati mortem pro Christo, & ita secundum istam rationem non est mar-

martirium in pāruulis, ad ſalutem autem illorum ſufficit martirium, primò modo, nam vt ſic habet ex priuilegio Dei cauſare gratiam, & gloriam.

Secundo poteſt dici, quod de ratione martirij eſt, quod ſit actus virtutis formaliter, vel obiectiuè, & in paruulis eſt actus virtutis obiectiuè, quia mors in illis eſt honeſta, & ſtudioſa ex parte obiecti, & finis, & hoc ſufficit; non tamen requiritur, vt ſit actus virtutis formaliter à virtute elicitus, ſicut non requiritur quod procedat ex voluntate ſubeundi mortem.

Ad ſecundum reſpondetur, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens, ex opere operato per virtutem intrinſecam, concedo conſequēntiam, ex opere operato, ideſt ex priuilegio Dei cauſantis gratiam, ad præſentiam eius (vt ſupra explicui anteconclnſionem) nego conſequentiam.

Ad tertium negatur ſequela, ad cuius probationem reſpondeo primo, quod votum baptiſmi propriè loquendo includit actum deſiderantis realem ſuſceptionem: votum verò ſecundum extrinſecam acceptationem Dei non includere proprium actum, neque implicitum, neque explitum, & hoc ſufficit ex priuilegio Dei ad ſalutem in martirio paruulorum in quibus pro voto acceptatur realis imitatio mortis Chriſti.

Secundo reſpondetur, admittendo quod per ſe loquendo bàptiſmi votū propriè eſt neceſſarium ad ſalutem, cæterum ab hac communi regula excipitur baptiſmus ſanguinis, quando aliquis patitur mortem, qui non poteſt habere propoſitum baptiſmi aquæ; nā tunc martirium ex priuilegio habet iuſtificare non per modum voti baptiſmi, quia non iuſtificat in ordine ad illum ſuſcipiendum, quaſi ſupplendo locum, & vicem eius donec ipſum in re applicetur; ſed quia per ſe eſt ſufficiens ex priuilegio Dei: hoc autem colligitur ex promiſſo Chriſti Matth. 16 in illis verbis: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.*

Et ſi dicas, quod paruuli non confitentur Chriſtum: dico quod opere excellentiſsimo ipſum confitentur, quatenus per operis immitationem ei cōformantur, ſimiliter colligitur exceptio dicta ex communi conſenſu Eccleſiæ.

Ad vltimum argumentum reſpondetur, diſtinguo antecedens, ſine charitate, hoc eſt ſine motiuo charitatis, concedo antecedens, ſine charitate hoc eſt, ſine habitu charitatis, vel actu præſupoſito, & antecedente nego antecedens, & in eodem ſenſu dicendū eſt ad conſequens. Ad probationem antecedentis dico, quod ſenſus Pauli in illis verbis, eſt quod tradere corpus martirio, ſine motiuo Charitatis nihil prodeſt, non tamen exigit charitatem præſupoſitam habitualiter, neque actualiter. Colligitur explicatio iſta ex doctrina D. Thom. ſuper illum locum lect. 2. in fine, vbi illa verba: *Charitatem non habuero.* Sic explicat dicēdo, quod ſenſus Apoſtoli eſt quod tradere corpus morti cum voluntate actuali peccandi mortaliter, vel intendendo finem vanæ glorię, nihil prodeſt quantum ad meritum vitæ æternæ.

Ex qua doctrina rectè infertur, quod quando aliquis occiditur ſine voluntate peccandi mortaliter, vel ſine intētione finis vani, patiatur mortem ex motiuo Charitatis, & ſic iuſtificetur, quia eſt vere Martyr.

Alij verò dicunt ad argumentum, quod martirium, vt ſit verum, & fructuoſum martirium debet eſſe cū charitate, ſiuè antecedente, ſiuè conſequente, aliàs nihil prodeſt, & ſic ſenſus Apoſtoli eſt, quod ſi martirium nō fiat honeſto fine i, ta vt neque ex charitate procedat, aut charitas non concomitetur, vt infalibiliter conſequēs, non eſt fructuoſum.

Tertiò poteſt dici, quod loquitur Paulus de Charitate antecedēte, quæ

eſt

est principium actus meritorij, & ita cum martirium non subsequitur charitatem non habet fructum correspondentem merito operantis, non verò excludit efficatiam, quam habet ex priuilegio sibi à Deo concesso, quod autem Apostolus loquatur in isto sensu patet ex alijs operibus bonis, quæ ibi numerat, & facta sine charitate (ait) nihil valere, illa enim non habent aliã efficatiam, neque alium fructum nisi operis operantis, in qua ratione etiam conuenit martirium cum illis, non tamen habent efficatiam ex priuilegio Dei. Vnde Apostolus minimè loquitur de martirio, secundum priuilegium diuinum; quia illud tantum conuenit illi ex eo, quod est imitatio realis mortis Christi in non ponente obicem ad gratiam.

Ad confirmationem ex D. Thom. respondetur, quod eodem modo est intelligendus de charitate, siuè antecedente, siuè subsequente, vel concomitate, vel de motiuo charitatis, & vult dicere, quod effusio sanguinis si fiat sine motiuo charitatis, idest, motiuo honesto, & religioso ordinabili in finem charitatis, non habet rationem martirij, neque baptismi sanguinis.

Et si dicas, quod D. Thom. asserit, quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis; sed iste dicit formaliter actum contritionis charitate formatum: ergo non sufficit ad rationẽ martirij, quod effundatur sanguis propter bonum, & honestum motiuum.

Respondetur, quod in vltimis solut. ad 3. arg. glossandus est Doctor S. de inclusione contritionis, & charitatis, non quia necessario includat eam, vt aliquid antecedens; sed quia saltem cõcomitanter includit illam, tanquam aliquid, quod infallibiliter consequitur ad effusionem sanguinis ex bono & honesto fine executioni mandatam: at in prima solutione secundum quam explicui modo priora D. Tho. verba, dico, quod intelligendus est D. Thom. de inclusione martirij flaminis secundum aliquid, quod ad ipsum pertinet, scilicet secundum exclusionem affectus ad peccatum mortale, quia martirium debet includere illam, sicut supra dixi ex D. Thom. explicando verba Pauli, non verò de inclusione baptismi flaminis secundum suam rationem perfectam, & positiuam, quia vt sic non est necessarium, quod includatur, vt in sequentibus magis patebit, & hæc de prima parte dubij.

IN SECVNDA PARTE AGENDUM est de martirio adultorum, & inquiritur.

Vtrùm in illis causet gratiam ex opere operato, ita vt non præsupponat necessario actum contritionis, aut charitatis ad iustificandum adultum, qui patitur mortem existens in mortali peccato?

PRima sententia asserit, quod martirium non confert gratiam ex opere operato adulto patienti illud, existenti in peccato mortali quantumuis accedat attritus attritione supernaturali: Vnde necessarium putat, quod ille homo habeat contritionem de suo peccato, si sit baptizatus, & similiter etiamsi non sit baptizatus asserit necessarium esse ad salutem, quod per formalem dolorem de peccatis charitate formatum habeat ad minus desiderium implicitum suscipiendi baptismum.

Pro hac sententia refertur D. Bonaventur. in 4. dist. 4. quæst. 2. part. 2. illam tenet Durandus ibidem quæstion. 3. & Paludan. in eadem quæstione Canonic. in relect. de pœnitentia part. 3. Dominus Caiet. 2. 2. quæst. 124. art. 2. circa sol. ad 2. circa finẽ cõ-

mentarij Dominicus Bannez 2. 2. quæst. 24. art. 6. dub. 5. in solution. ad 7. explicatque sententiam suam Sapientissimus Magister dicens, quod priuilegium martirijà Deo concessum in adultis est quod nõ permittit Deus, vt aliquis occidatur pro confessione fidei, nisi prius charitatis, & contritionis actum, si opus sit habuerit, & propter istud priuilegium Ecclesia non opus habet alio testimonio ad canonizandum aliquem pro Martyre nisi, vt constet, quod pro confessione fidei mortem passus est.

Fundamentum huius sententiæ desumitur ex duobus locis D. Thom. primum est præsentis articuli solut. ad 2. qui locus quoniam iam in prima parte dubij explicatus est omittitur, vt repetitionem odiosam vitemus.

Secundus est 2. 2. quæst. 124. artic. 2. solut. ad 2. vbi ait, quod martirium est actus imperatus à charitate, & quod sine charitate nihil valet. Ex ista doctrina infert Caietat. quod martirium ex sua propria ratione, si veram rationem martirij habet est actus imperatus à charitate, vel quia supponit eam, vel quia cum quis primò deliberate habet actum patiendi mortem propter confessionem fidei, & propter bonum finem, statim ad est charitas infusta in termino illius deliberationis, vt sic imperet actum exteriorẽ martirij, aut saltim infunditur (ait) post in choactum imperium ante mortem, & consequenter, quia inter instans infusionis, & instans mortis datur tempus medium, martirium erit imperatum à charitate. Ex hoc autem optimè infertur, quod solum detur gratia, & gloria Martyri secundum quantitatem charitatis, qua ad martirium in facto esse accedit, & sic ex opere operantis.

Confirmatur: quia D. Thom. in corpore huius articuli ait, quod in baptismo sanguinis operatur Spiritus Sanctus per potissimum dilectionis, & affectionis feruorem, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem*, &c. Ergo causat gratiam iustificantem Deus in Martyre secundum quantitatem charitatis, & sic ex opere operantis. Deinde probant ex loco Pauli allegato supra. Vnde non repetimus.

Secundum fundamentum ex ratione desumptum, tale est. Sequitur ex opposita sententia, quod si Martirium faciat ex attritio contritum, & accedens ad illud, sit in peccato mortali cum sola attritione iustificetur per Martirium, consequens est falsum, ergo. Sequela est admitenda, quia est sententia opposita.

Minor verò probatur, quia tunc poterit esse, quod aliquis toto tempore vitæ suæ, sit in peccato mortali, & quod post mortem anima illius à corpore separata iustificetur, hoc autem videtur absurdum, imò erroneum, nam in alia vita nullus consequitur vitam spiritualem animæ, quæ est per gratiam: ergo.

Sequela probatur: quia martirium non consumatur, nisi per mortem re ipsa secutam: ergo Martyr, qui existens in peccato mortali subito rapitur ad martirium, sine eo quod contritionem præmittat, toto tempore vitæ suæ manet in peccato mortali, & quando est mortuus, & iam nõ est, iustificeatur.

Secunda sententia affirmat, quod in eo qui peccauit mortaliter, per se loquendo est necessaria contritio, quæ sit formalis detestatio peccatorum, vt consequatur effectum Martirij, tamen in aliquo casu accidentali sufficit attritio, maximè intercedente bona fide propter ignorantiam probabilem iuris, aut facti. Ita docet Suarez 3. part. quæst. 69. articul. 10. disp. 29. section. 3. 1. & 2. dicto, qui posteà in §. *Dixi debere bonam fidem intercedere*. Explicat suum secundum dictum, dicens, quod tunc adest bona fides excusans aliquẽ à peccato per hoc, quod se

ad

ad martirium pręparet per solam attritionem quãdo probabiliter iudicat illam dispositionem, quam habet esse contritionem, cum revera non sit, vel cum probabiliter existimat se non teneri ad hauendam perfectiorem dispositionem, vel si omnino non aduertat ad suam obligationem.

Vltimò, in dicto 3. asserit in aliquo casu sufficere ipsam voluntatem moriendi pro Christo, ad consequendam gratiam, per martirij priuilegiũ, vt quando habet homo naturalem inaduertentiam, vel obliuionem naturalem peccatorum.

Probat primum dictum suæ sententiæ duobus fundamentis. Primum est, quia ex præcepto charitatis tenetur homo suæ saluti sufficienter prouidere; sed si quando offertur ocasio moriendi, habens conscientiam peccati mortalis, non habet contritionem, non prouidet sufficienter suæ saluti: ergo tenetur per se loquendo ad contritionem.

Probatur minor, quia quod exterior mors pro Christo suscepta sufficiat ad salutem cum sola attritione: est tantum opinio speculatiuè probabilis, & consequenter in re est negotium dubium: ergo tenetur ex charitate apponere medium certum, & sic præmittere contritionem.

Consequentia ex eo probatur, quia si fortè in re, talis opinio est falsa, martirium cum sola attritione peccatorum non proderet ei ad salutem: ergo periculo se exponit mortis æternæ, qui cum tali medio attritionis se offert morti temporali, & consequenter peccauit, tenetur ergo ne peccet præmittere contritionem.

Secundum fundamentum est desumptum ex præcepto pœnitentiæ. Occasio subeundi martirium, non tollit ab eo obligationem adhibendi omnia media necessaria ad salutem; sed cum non adest copia confessionis, pœnitentia interior, & conuersio in Deum, est medium necessarium ad salutem in eo, qui habet conscientiam peccati mortalis: ergo etiam in occasione martirij ad tale pœnitentiam tenetur.

Eodem argumento probatur, quod si non est baptizatus teneatur baptizari prius, si commodè id facere possit, sin autem tenebitur ad habendam conuersionem in Deum super omnia, vt ita saltem implicitè habeat propositum suscipiendi Baptismum. Secundum dictum probat alijs rationibus quas in decisione dubij pro nostra sententia adducemus.

Tertium verò probat duobus fundamentis satis diffusè explicatis, quæ brebiter formabuntur à nobis. Primum, illa volitio martirij reputatur pro summa excellentia Charitatis, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet*, &c. Sed qui diligit Deum, & diligitur à Deo; ergo voluntas patiendi mortem pro Christo est sufficiens dispositio ad gratiam.

Confirmatur, talis voluntas est virtualis de testatio peccatorum; sed virtualis de testatio peccatorum sufficit aliquando ad iustitiam: ergo. Minor patet, nam qui habet actum dilectionis Dei super omnia, per virtualem pœnitentiam tantum disponitur ad gratiam, & illam consequitur.

Maior, vero probatur, quia talis volitio est virtualis dilectio Dei super omnia, per quam opere ipso exteriori ante ponit Deum summo bono inter creata, quale est propria vita, ergo opere ipso diligit Deum super omnia saltem implicitè, nam in maiori bono contempto, omnia alia minora bona continentur.

Secundum fundamentum desumitur ex promissione Dei facta martirio, quę est vniuersalis, vt patet ex illis verbis Lucæ 17. *Qui perdiderit animam suam propter me, viuificabit eam*, & Marci 8. *Saluam*

faciet eam, & eodem modo loquuntur Sancti, & fauet Ecclesiæ consuetudo, quæ nullum aliud experimentum, aut pœnitentiam explorat, vt Martyrem veneretur, ergo ex tali priuilegio dicendum est, quod sufficit voluntas ipsa moriendi, pro dispositione.

Confirmatur, nam moraliter loquendo talis homo non ponit obicem gratiæ, quia voluntas illa coniuncta cum opere externo tollit illum, & aliàs est verisimile, quod si recordaretur suorum peccatorum statim de testaretur illa ex vi voluntatis, quam habet moriendi pro Christo, & non est dubium quod Deus talem voluntatem sic coniunctam illi operi possit acceptare, vt dispositionem ad iustificandum illum homine: ergo cum nobis constet de priuilegio concesso tali operi ad iustificandum, dicendum est, quod illa voluntas acceptatur de facto, vt dispositio, ex eodem priuilegio.

Tertia sententia est, quã tenet Vazquez 3. p. quæst. 68. art. 3. disp. 153. cap. 3. vbi ait, martirium non habere vim iustificandi ex aliquo priuilegio, aut diuina concessione; sed ratione perfectæ erga Deum charitatis, eo modo quo dilectio Dei ex charitate habet eandem vim. Quam sententiam diffusè probat, & explicat via singulari, reprobãs rationes quibus alij Doctores qui prius illam tutati sunt, vt sunt omnes quos retuli pro prima sententia, & sic ab illa solũ distinguitur ista sua in particulari singularitate defendi eã, explodendo fundamenta omnia aliorum. Concedit tamen iste auctor, quod quia mors est maximũ malum quod homo potest in hac vita pati, sufficiens est mors re ipsa secuta, ad remissionẽ totius pœne temporalis. Ita ait n. 61. cap. 5. idem repetit cap. 6. num. 68.

Probatur ergo ista sententia, quoad singularitatem eius, hac vnica ratione, quam habet in cap. 5. in principio: mors pro Christo patienter tolerata, non habet vim iustificandi instar Sacramenti ex sua natura (vt manifestum est) ergo solum potest habere illam ex sola Dei voluntate, & lege; Sed de ista voluntate Dei nobis non potest constare: ergo non est asserendum martirium habere vim iustificandi ex lege, & promissione Dei.

Probatur minor, nam non constat ex sacra Scriptura, neque ex Ecclesiæ diffinitione, aut traditione: ergo nobis non constat. Probatur antecedens, nã ille locus Matthæi 10. *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum corã Patre meo*, (quæ verba habentur etiam Lucæ 12.) debent intelligi iuxta sensum qui denotatur sequentibus verbis, *qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam*, (quæ etiam habentur Lucæ 12.) In quibus locis, illud, *propter me* significat affectum charitatis erga ipsum Christum: ergo confessio Christi, vt valorem habeat, debet procedere ex Charitate.

Confirmatur, ex doctrina eiusdẽ ibidem. Nam si phrasim Scripturæ consideremus, qui pateretur mortem à Tyrano, ne Christum, & fidem eius negaret, non ex amore amicitiæ erga ipsum; sed timore inferni, aut ratione solius honestatis virtutis, non diceretur pro Christo pati mortem: ergo vt dicatur pati pro Christo, necessarium est, quod patiatur ex amore charitatis erga ipsum.

Probatur antecedens, nam tunc pateretur ex amore sui, & non Christi: ergo. Probatur antecedens, nam qui amat virtutem fertur in ipsam amore concupiscentiæ, amore autẽ amicitiæ in seipsum, quia solus amor charitatis est amor alterius (vt notauit ipse ait 1. tom. disputation. 110. cap. 3.) ergo qui patitur modo explicato seipsum diligit amore amicitiæ, & consequenter iuxta phrasim Scripturæ, non dicitur pati pro Christo. Deinde

pati

pati pro Christo, est eximia Charitate illum diligere, vt constat ex verbis eius Ioan. 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet*: ergo qui aliter patitur, non propter Christum patitur.

Probat deinde, quod voluntas Dei circa priuilegum martirij non cõstat nobis ex Ecclesiæ diffinitione, quia nulla talis est. Quod verò nulla sit traditio apud Patres, probat aducendo testimonia illorum, quæ referunt auctores oppositæ sententiæ, eaque ad suum modum declarando. Vnde non est cur in hoc tempus consumatur.

Vltima sententia affimat, quod adultus accedens ad martirium cum attritione supernaturali, etiam cognita, excludente omne peccatum actuale, & omnem afectum peccandi; iustificabitur acquirendo primam gratiam, etiamsi in principio fuerit in peccato mortali si autem Martyr sit iustus quando accedit ad martirium dabitur ei augmentum gratiæ vltra condignitatem operationis per quam se disponit, eo modo quo Sacramentum Baptismi virtute operis operati semper dat aliquem gradum gratiæ, vltra meritum dispositionis. Et si homo accedat in peccato, cum attritione tamen supernaturali, semper Sacramentum confert primam gratiam. Itaque per se loquendo non requirit martirium, in eo qui peccauit mortaliter, aliam dispositionem præter asignatam.

Pro hac sententia sunt plures Doctores Thomistæ, maximè ex illis qui sunt ex nostro instituto, qui putãt illam esse expressam D. Thomæ pluribus in locis, maximè præsenti articulo, & infra, quæst.87. art.1. ad 2. Illam docuit doctissimus Victoria super istum articulum; Dominus Caietanus circa solutionem ad 2. quæstionis 87. Durandus in 4. dist.4. quæst.8. solutione ad 3. Mag. Soto in 4. distin. 15. quæst.2. art.1. circa solutionem 2. argumenti (quamuis in dist. 3. quæst. vnica art.11. contrarium dixerit) istã reputat conformẽ doctrinæ D. Thomæ, & vt talem explicat. Sequuntur illam Nuño, & Cabrera in præsenti; primus, art.12. secundus, art.11. disp. vnica. Eandem docet Ægydius in præsenti, art.12. dub.2. conclusione. 5. & 6.

Pro explicatione veritatis est aduertendum, in præsenti vnum præsuponi tanquam certum, & aliud verti in dubium. Primum quod præsuponitur est, quod adultus debet habere aliquem actum proprium per quem se disponat ad martirium. Cuius rei ratio duplex est. Prima desumpta ex natura gratiæ. Iuxta suauem Dei dispositionem, nam iuxta illam gratia habitualis petit infundi in subiecto dispoſito aliquo actu liberi arbitrij, qui sit eiusdem ordinis cum gratia, (vt docet D. Tom. 1.2. quæst. 112. art.2. & quæst. 113. art.3.) ergo gratia, quæ in martirio infunditur adulto, qui est capax vsus liberi arbitrij, petit infundi mediante tali dispositione.

Secunda desumitur ex natura Sacramenti Baptismi, cuius vicem gerit martirium. Nam Sacramentum Baptismi in adulto requirit propriam dispositionem, per quam auferatur obex gratiæ Sacramentalis, & anima proportionetur cum gratia tali: ergo martirium pẽtit eandem dispositionem in adulto, qui rapitur ad illud, quãdo non potest baptizari.

Et confirmatur, nam si talis homo non est in gratia, cum originali habet etiam peccatum aliquod mortale. Sed istud petit aliquam dispositionem, vt etiam per Sacramentum pœnitentiæ remittatur, ergo similiter dicendum est in ordine ad martirium, quia semper adest eadem ratio (vt postea explicabitur) scilicet, quia expedit, vt voluntas, quę proprio actu se à Deo auertit, & conuertit ad bonum commutabile, &

actu voluntatis propriæ retracter præteritum, & se conuertat ad Deum vltimum finem, & auertatur à bono creato, aliàs habebit anima dispositionem pugnantem cum gratia, quia quoadusque habeat volitionem contrariam semper censetur habitualiter permanens conuersio ad creaturam.

Secundom, quod apud Doctores maximè in dubium vertitur, est vtrum ad talem dispositionem requiratur formalis actus charitatis aut contritionis, aut sufficiat volio subeundi mortem pro Christo ex motiuo aliquo supernaturali, & propter honestum finem: sit tamen in huius rei explicationem.

Prima conclusio, vt adultus sit verè Martyr, sufficit quod accepter mori pro Christo ex motiuo aliquo supernaturali, non aponendo malum finē, vt, verbi gratia, si acceptet mori ab inimicis fidei Christi in odium ipsius, aut si occidatur in defensionem alicuius verę virtutis.

Ratio huius conclusionis est, quia qui isto modo acceptat mortem, se ofert morti pro Christo, & vt Christianus procedit, & non vt Philosophus: ergo sufficit vt sit verè Martyr. Antecedens patet quia ex motiuo supernaturali fidei (ne in illa, aut in bonitate alicuius virtutis deficiat, propter Deum dicentem, & præcipientem) mortem subit, & non propter aliquem finē humanū: ergo id sufficit ad rationē martirij. Ita colligitur ex omnibus Doctoribus in præsenti, & in materia de martirio: Videatur Suarez vbi supra §. 2. & 3. Videatur etiam Ægydius vbi supra conclusione 2. num. 134. Ex ista conclusione infertur, quod Hęreticus qui moritur ob defensionē alicuius veritatis fidei, cum non credat alias, non est verè Martir. Ratio est, quia in illo actu fortitudinis, non procedit, vt Christianus, Christo vnitus per fidem, quia non credit illam veritatem pro qua mortem patitur, ex motiuo, & ex ratione formali fidei, scilicet, quia Deus dicit (aliàs crederet omnes, & non esset Hæreticus) ergo non dicitur mori pro Christo, sed pro suo arbitrio, & ex motiuo aliquo humano.

Similiter, miles Christianus, qui in pugna contra Hęreticos, aut Paganos moritur, nō est Martyr, quia non pro Christi causa; sed pro victoria, ne alij victoriosi euadant mortem patitur. Et similiter inimici hic, & nunc inimici non occidunt in odium Christi, & eius fidei; sed quia resistunt victoriæ, licèt odium fidei saltem remote antecedat, vt causa prælij.

Secunda conclusio. Hæc acceptatio mortis, non est necessarium, quod sempre fiat per actum voluntatis formalem, sed aliquando sufficit actus virtualis, seu interpretatiuus. Hęc conclusio desumitur ex doctrina D. Tho. 3. part. quæst. 87. art. 1. solutione ad 2. vbi cum in argumēto obiecisset, quod pœnitentia non semper est necessaria ad remissionem peccati venialis, quia aliquando remittuntur sine aliqua displicentia actuali, vt cōtingit in illo qui dormiens occiditur pro Christo: Respondet. *Quod martirium obtinet vim Baptismi, & ideò purgat ab omni culpa, & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem inuenerit peccato adhærentem.* Ergo ex mente D. Thomæ sufficit ad rationem martirij, & fructum eius voluntas virtualis, seu interpretatiua virtualis, quia ante ocasionem ipsam martirij, habuit voluntatē formalem magis moriendi, quam negandi fidem, vel quam peccandi mortaliter contra aliquod diuinum præceptum. Interpretatiua, quia habitualiter est paratus, vel quia si esset vigilans, & aduerteret ad mortem ipsi inferendam pro causa fidei, & obedientiæ diuinę, eligeret mori magis quam in aliquo deficere.

Et aduertendum, quod non solum conclusio est intelligenda de homine iusto, in quo videtur certissima, quia ratione habitus charitatis est habitualiter relatus in finem supernaturalem, quem

quem præponit omnibus rebus inferioris ordinis,& non habens actum cõtra fidem antecedenter semper censetur interpretatiuè acceptare mortẽ modo explicato,maximè si fuit anteà solicitatus,vt deficeret à fide,& nullo modo voluit deficere, & postea dormiens occiditur,nam tunc non solum interpretatiuè, sed etiam virtualiter censetur acceptare mortem in somno sequutam.

Non(in quam)solum intelligi debet conclusio de iusto; sed etiam de peccatore, qui ante somnium habuit veram de suis peccatis attritionem quia talis, ratione suæ attritionis habet detestationem de suis peccatis, propter timorem inferni, aut propter spem gloriæ,per quam habet implicitè saltẽ propositum seruandi omnia mandata, &consequenter potius moriendi,quã negandi fidem,& ita in somno dicitur habitualiter,seù virtualiter habere eũdem actum quo acceptat mortem in odium fidei,& consequenter est vere Martyr,& iustificatur.

Nec valet dicere,quod fortè si ille homo esset in vigilia fugeret mortem & præ timore illius negaret fidem. Nam respondetur,quod non est iudicium ferendum de rebus secundum circunstantias possibiles, & conditionales, quia nec conditionalis, nec propositio de possibili causat aliquid in re,ratione cuius possit iudiciũ determinatum formari; sed tantum est iudicandum secundum ea,quæ à parte rei de facto inueniuntur, secundum quæ,in nostro casu iudicamus talem hominem verè esse Martyrem, & iustificari.

Tertia conclusio.Martirium habet ex priuilegio Dei,causare gratiam ex opere operato,per se loquendo. Sensus huius conclusionis est, quod quẽadmodum Baptismus aquæ inadultis per se loquendo habet causare gratiam ex opere operato,si accedant cũ dispositione tollente obicem gratiæ. Ita martirium. Et ita sicut Baptismus aquæ non petit,quod accedens ad illũ recipiendum sit in gratia,& charitate. Ita similiter dicẽdum est de martirio, seruata proportione iuxta dicta suprà de modo diuerso causandi gratiam ex opere operato,conuenienteSacramẽto,& martirio. Hæc conclusio sic explicata est contra duas priores opiniones,& iugulat singularitatẽ Vazquez in defendendo primam.Infertur tamẽ euidenter meo videri ex doctrina D. Thomę in locis citatis in relationevltimæ sententię.Vnde.

Probatur primò ex præsenti articulo,vbi in corpore, & in solutione ad primum expressè docet,quod Baptismus sanguinis præeminet aliis Baptismis quantum ad Sacramenti effectum principalem qui est gratia, quia tàm passio Christi,quàm Spiritus Sanctus operantur illum excellentissimè per martirum,quia est imitatio realis passionis Christi,& quia est potissimus dilectionis effectus.Ex qua doctrina, sic formo rationem.Baptismus sanguinis habet causare excellentioremeffectũ, quamBaptismus aquæ:ergo habet causare gratiam remittentem peccatum mortale,& magis perfectam. Probatur consequentia,nam si per se non habet causare primam gratiã, nullo modo potest verificari,quod sit Baptismus ex parte effectus, siquidẽ effectusBaptismi aquę est gratia remittenspeccatũ originale,& omne mortale coniunctũ cũ illo: ergo, vt verificetur de martirio, quod sit Baptismus sanguinis, debet causare per se eandemgratiam quã causat Baptismus aquæ,& vt sit excellentior ex parte talis effectus, debet causare illam gratiam magis perfectam.

Nec valet dicere, quod ex opere operantis habet causare eundem effectum Baptismi aquæ, & excellentiorem.Tum quia est,contra mentem D.Thomæ,qui tribuit hunc effectum ipsi martirio, quia est realis imitatio Passionis, & non tribuit talem effectum alicui operationi charitatis, aut

contritionis productæ à Martyre. Tũ deinde, quia si tantum causat effectũ gratiæ ex opere operantis, non saluatur quod in quantum distinguitur à Baptismo flaminis (qui consistit in motione voluntatis in Deum) causat gratiam Baptismi aquæ, & consequẽter non saluatur, quod vt Baptismus sanguinis supleat vicem Baptismi aquæ in ordine ad suum effectum. At vt saluetur diuisio Baptismi, quã accipiunt communiter Sancti Patres, dicendum est: quod quilibet Baptismus, vt distinctus vnus ab alio, habet causare gratiam Baptismi aquæ: ergo dicendum etiã est, quod causat martirium gratiam ex opere operato. Antecedens patet, nam causare gratiam ex opere operantis, est quod Deus causet gratiam, iuxta mensurã contritionis, aut actus charitatis: ergo semper Baptismus sanguinis supponit gratiam primam causatam à Deo propter charitatem: ergo ipse vt distinguitur à Baptismo flaminis, nunquam causat effectum Baptismi aquæ.

Confirmatur, & explicatur: nam si aliquis adultus cathecumenus antequam accedat ad martirium sit iustificatus per contritionem de suis peccatis, certum est quod illa gratia est data intuitu contritionis, quatenus includit votum Baptismi aquæ, & habet proinde rationem Baptismi flaminis: quia contritio secundum se nullam habitudinem dicit ad martirium; si verò postea rapiatur ad martirium antequam Baptismum aquæ recipiat, quando patitur mortem pro Christo, non dicitur illud martirium supplere vicẽ Baptismi aquæ quoad illum effectum: quia iam per contritionem, vt per Baptismum flamminis supponit productum: ergo idem dicendum est, quandò in eodem tempore adest contritio simul cum martirio. Patet consequentia: quia adhuc in illo tempore martirium præ supponit contritionem, vel actum charitatis vt dispositionem, & per talem actum causat gratiam commensuratã suæ quantitati: quia martirium nõhabet causare ratione sui, cum non habeat aliquod priuilegium ad causandum talem effectum iuxta oppositã opinionem.

Nec valet dicere, quod tunc suplet vicem Baptismi aquæ in ordine ad remittendum omnem pœnã. Primò, quia semper argumentum factũ habet eandem vim respectu effectus principalis, quia est gratia, in ordine ad quam denominantur Baptismus, contritio & martirium. Tum deinde, quia inquiro à Theologis id dicentibus; an Baptismus sanguinis habeat remittere omnem pœnam ex aliquo priuilegio ex opere operato, vel tãtum ex opere operantis? Si dicatur primum, cur non concedunt idẽ priuilegium respectu gratiæ, cum remissio pœnæ fiat mediãte infusione gratiæ, iuxta perfectionem ipsius gratiæ? Secundum, dici nõ potest, ergo. Probatur minor, quia si remissio omnis pœnæ prouenit à martirio ratione actus charitatis: ergo nõ erit infallibilis in omnibus martiribus, siquidem aliqui possunt pati mortẽ pro Christo, etiamsi non habeant eximiã, & perfectissimam charitatem qualis requiritur ad remissionem omnis pœnæ temporalis: Et tamẽ, si verè martir sit, etiamsi habeat solum charitatem vt vnum, consequitur remissionẽ omnium pœnarum temporalium: ergo talis remissio, procedit ex aliquo priuilegio, & non ex mensura charitatis. Deinde etiam militat argumẽtum factum à principio: nam etiam in tali sententia, non saluatur, quod Baptismus sanguinis per se, vt distinctus à Baptismo flaminis, suppleat vicẽ Baptismi aquæ.

Sed dicet, quis cum Vazquez vbi supra, quòd datur à Deo per martirium iste effectus, qui est remissio omnis pœnæ tẽporalis: quia pati mortẽ, est maximum malum omnium.

Contra

Contra primò, quia mors corporis, apud Christianum non est maximum malum, respectu illius qui habet fidē, & spem commutationis in gloriam futuram, etiam respectu corporis qualiter procedunt Martyres (vt ex dictis plurium illorum ad Tiranos, constat in suis legendis.) Tum secundo, quia tollerantia mortis non habet rationem meriti, nisi ratione charitatis, vt patet ex illo Pauli, *si tradidero corpus meum, &c.* Ergo si Martyr habet minimam charitatem, non erit infalibilis remissio omnis pœnę. Recurrendum ergo est ad aliquod priuilegium. Quod autem possit aliquis, etiā in minima charitate existens, pati cum effectu mortem pro Christo, patet, nam quando tolerantia mortis est leuissima, vt cum per capitis absciſionē Martyri incutitur mors à Tirano, minima charitas videtur sufficiens. Deinde vltimo, quia cōtingere potest, vt homo qui rapitur ad martirium habeat multa, & grauissima peccata, & consequenter plures peccatorum reatus pœnæ, & dolores mortis leuissimi sint, vt in exemplo posito apparet: ergo tunc qui ex imperfecta charitatis motione patitur mortem, non offert Deo pœnam sufficientem, vt ex vi sua acceptetur tanquam condigna satisfactio, & consequenter non consequitur talem remissionem plenariam: ergo dicendum est, quod talis remissio prouenit ex priuilegio concesso Martyrio: Voluntarium ergo est admittere tale priuilegium respectu effectus consequenter se habentis, & nō in ordine ad gratiam, quæ est principalis effectus Baptismi; maximè cū verba Christi ex quibus desumitur istud priuilegium, sint generalia, & à Patribus explicentur non solum in remissionem pœnæ, sed etiam in remissionem culpę, vt patet ex varijs testimonijs, quæ hic aducunt auctores supra citati, quorum auctoritati fauet consensus Ecclesię.

Sit secunda ratio desumpta ex D. Thoma, loco supracitato in secunda conclusione, vbi ait: *Quod martirium purgat ab omni culpa etiam mortali, si non inueniat voluntatem actualiter peccato adhærentem.* Quam doctrinā etiam habet in lectione secunda super Paulum 1. Cor. cap. 13. (vt ponderaui in prima parte dubij in solutione ad vltimum) ex quibus locis, sic formo rationem. Vt martirium causet gratiam liberantem ab omni culpa, non requirit aliam dispositionem (ex mente D. Thomæ) nisi illam, quæ sufficit ad tollendum obicem gratiæ, scilicet voluntatem peccato adhærentē actualiter; sed per attritionem excludentem omnem affectum ad peccatum affertur talis voluntas: ergo per se martirium non requirit aliam dispositionem. Tertiò ex quotlib. 4. art. 19. vbi D. S. docet: *Quod potest aliquis pati martiriū sine eo, quod quādo se offert martirio sit in charitate.* Ex quadoctrina sic argumentor. Ille qui sine charitate se offert martirio, per illud iustificatur, & saluatur: ergo ex priuilegio martirij, & non ex opere operantis, cum nullum sit meritorium ante instans in quo datur gratia (vt suponimus ex doctrina D. Thomę loco citato.) Antecedens est certum apud omnes Catholicos, quia habetur ex cōmuni cōsensu Ecclesiæ non requirentis aliud testimonium ad colendum aliquem, vt sanctum Martyrem, nisi quod constet ipsum fuisse verum pro Christo Martyrem.

Confirmatur ex illa propositione communiter recepta apud Theologos, quæ desumitur ex Innocētio III. *Iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martire.* Tunc sic, si martirium non esset sufficiens ad remissionem omnis pœnę debitę pro peccatis, & consequenter ad perducendum statim Martyrem ad gloriam, nulla fieret iniuria Martyri in tali oratione, si quidem posset iubari illa ad satisfactionē, quā non fecit in hac vita ex defectu operis operantis: ergo signum est, quod sen-

tię

tit Ecclesia, Martirium per se ex Diuino priuilegio, iustificare, & saluare, & quod nihil horum emendicat ex affectu charitatis.

Vltimo in 4. sent. dist. 3. quæst. 3. art. 3. quæstiuncula 4. ait, quod *Baptismus sanguinis excedit Baptismum aquæ, quia est realis configuratio passionis Christi, in illo quod est res Sacramenti.* Et subdit, *quia gratia in Baptismo sanguinis magis augetur habenti, & amplior datur non habenti, si impedimentum non ad sit, & remissio peccatorum quamuis non sit plenior, quia vterque omnem pœnam, & culpam tollit, tamen in Baptismo sanguinis est efficatior, & fructuosior, quia secundis maculis non inquinatur, vt Damascenus dicit.* Et paucis verbis interiectis dicit, *quod non solum in paruulis pro Christo occisis; sed etiam in adultis Baptismus sanguinis causat gratiam, sicut & Baptismus aquæ, si se ad eam disposuerint, & obicem aliquem non ponant Spiritui Sancto.* Et ibidem, quæstiuncula 3. in corpore ait, quod *Baptismus sanguinis supplet totaliter vicē Baptismi aquæ, quantum ad id, quod est res tantum in illo Sacramento, quando articulus necessitatis Sacramentum excludit.* Et in solutione ad primum expresius docet, quod *Baptismus sanguinis non tantum ex opere operante supplet vicem Baptismi aquæ; sed hoc habere quantum ad culpæ, & pœnæ liberationem ex imitatione passionis Christi.* Et adducit illud Apoc. 5. sic dicens: *Vnde de Martiribus dicitur Apoc. 5. laberunt stolas suas in sanguine agni.* Et in solutione ad 2. & 3. efficatiam, quam habet Baptismus sanguinis ad remittendam omnem pœnam, reducit ad hoc: *Quod est esse expressam conformitatem ad passionem Christi.*

Ex quibus omnibus talis formatur ratio. D. Thom. in omnibus æquiparat Baptismum sanguinis Baptismo aquæ, in ordine ad ea, quæ sunt res tantum Sacramenti, quæ sunt gratia mundans à peccato originali, & actualibus coniunctis ei, & pœnæ omnis remissio, & talem effectum abundantius, & fructuosius (ait) habere Baptismum sanguinis: ergo sicut Baptismus aquæ ex opere operato remittit culpam, & pœnam, ita Baptismus sanguinis: ergo per se loquendo non petit aliam dispositionem, quam illa, quæ aufert obicem gratiæ (vt expressè fatetur D. S.) nō ergo potest negari à verò Thomista, istam sententiam esse D. Thomæ. Confirmatur ex verbis alijs solutionis ad primum quæstiunculę 3. citatæ: *Pueri carentes vsu liberi arbitrij, si occidantur pro Christo in suo sanguine baptizati saluantur:* ergo similitèr dicendū est de adultis, quia martirium, istum habet effectum secundum se.

Nec valet dicere, quod in adultis non baptizatis, est diuersa ratio, quia scilicèt simul cum originali habent peccatum actuale, quod requirit proprium dolorem. Non inquam valet, nam dolor sufficiens ad gratiam per Sacramentum Baptismi, est attritio auferens obicem: ergo idem dicendū est de martirio suplente in omnibus vicem illius quando non potest suscipi. Et confirmatur, quia promissio facta est generaliter ipsi operi ex terno martirij: ergo non est cur limiteturad paruulos.

Sed dices contra conclusionem istam. In articulo mortis, (imò in periculo morali mortis) tenetur homo ad suscipiendam Eucharistiam si sit in gratia, ideſt, si non sit conscius sibi peccati mortalis: ergo qui cognoscit se esse in mortali, tenetur confiteri quando imminet occasio martirij: ergo si non possit confiteri tenetur habere actum perfectum, qui supleat vicem confessionis. Idem argumentum fieri potest de homine non dum Baptizato respectu Baptismi.

Respondetur, quod si commodè possit Martyr implere præcepta in argumento posita pro tunc obligantia, re-

tenetur illa implere, non quia ad impletio illorum sit propriè loquendo dispositio ad gratiam dandam per martirium, sed quia illa præcepta ex Christi Domini institutione obligant. Vnde si est possibile ei ad implere, tenetur ita facere. Si autem nequeat (vt cõtingit quando subito quis rapitur ad martirium) sufficit ei ad salutem attritio de suis peccatis, propter rationes assignatas, quia illa simul cum martirio est sufficiens dispositio ad gratiam dandam per martirium, etiam si cognoscat Matyr, suum dolorem nõ esse contritionem. Ita Cabrera vbi supra 3. conclusione num. 45. & etiam in solutione ad vltimum, num. 60. Idé Ægydius vbi supra in principio dubij, §. *secundo per accidens*, &c. per totum.

Vnde aduertendum est, quod nos in nostra conclusione nolumus negare Martyri obligationes, quæ possunt occurrere iuxta naturam aliorum præceptorum; sed solum dicimus, quod ad implendum præceptum martirij quando instat, eo modo quo sufficit ad iustificationem, non requiritur per se loquendo contritio (vt dicebat Suarez) neque actus charitatis formaliter (vt dicũt alij, quos sequitur Vazquez) sed quod sufficit attritio etiã cognita. Vt autem hæc habeatur, sanum consiliũ est, & fortè necessariũ, vt Martir conetur ad contritionẽ, ne deficiat in dispositione necessaria, & sufficienti.

Quarta conclusio. In homine existente in peccato mortali, etiam in casu quo obliuiscatur peccati, vel habeat in aduertentiam peccatorum, nõ sufficit ad salutem sola voluntas patiendi mortem, etiam coniuncta cum actuali passione mortis. Hęc est contra tertium dictum Suar. & est communis inter alios Doctores, maximè tenentes primam sententiam. Inter illos qui tenent nostram, præcipuus qui opponitur Suar. est Nuño, incalss dubij supra citati, & Ægydius vbi supra, num. 153. conclusione 7. quamuis cum quadam limitatione explicet probabilitatem prædictæ opinionis, fatetur tamen ea, quæ dicit præfatus auctor, absolutè intellecta, esse difficilia satis.

Probatur ergo conclusio, primo ex Concilio Tridentino sel. 14. cap. 1. vbi docet: *Quod pœnitentia vniuersis hominibus qui se aliquo peccato mortali inquinassent, fuit semper necessaria quouis tempore ad gratiam, & iustitiam à sequendam.* Sed volitio patiendi mortem pro Christo absolutè sumpta, non est pœnitentia neque formalis, neque virtualis: ergo non sufficit ad iustitiam, etiam acquirendam per martirium. Discursus est optimus, minor probatur, talis volitio potest esse simul cum actuali affectu ad aliquod peccatum mortale: ergo non est formalis, neque virtualis pœnitentia. Consequentia patet, quia formalis aut virtualis pœnitentia, non potest esse aliquo modo cum affectu actuali ad peccatum mortale; sed potius excludit etiam habitualem. Antecedens verò probatur, nam bene stat (imò multoties contingit) quod aliquis sit paratus potius mori pro Christo, quam negare fidem eius, aut cum offendere in materia irreligionis faciendo aliquod sacrilegium, & hoc propter ipsum bonum fidei, & Religionis, & tamen quod habeat affectum actualem ad peccatum venereum, & nollet relinquere concubinam: ergo volitio paciendi mortem pro Christo, ita generaliter, & absolutè sumpta, nõ destruit affectum actualem ad peccatum mortale, & consequenter non est formalis neque virtualis pœnitentia.

Secundò, quia volitio nõ peccãdi aliquã speciẽ peccati, non tollit volitionẽ quam habuit erga aliud peccatum alterius speciei, quia non habent aliquam oppositionem, vt patet tum in casu posito, tum etiam discurrẽdo per singula peccata secundum speciem diuersa: ergo velle mori ne offendatur

Deus

Deus peccato infidelitatis nullo modo tollit obicem gratiæ, si quidem nõ tollit secundum se affectum quem habuit prius homo ad intemperantiam in cibis, aut ad aliud diuersum vitium.

Quinta conclusio, si aliquis naturaliter oblitus sui peccati, vel non aduertens etiam naturaliter, haberet volitionem moriendi, magis quam nullo modo offendendi Deum, & ex hac voluntate se offerret martirio, apetendo mortem magis, quam deficere in fide, tunc illa volitio mortis esset sufficiens simul cum martirio, ad gratiam, & iustitiam. Ita colligitur ex Ægydio vbi supra conclusione 7. Ratio est, nã tunc illa volitio fertur absolutè in Deum, vt summum diligibile, & vt dilectum actualiter super omnia bona creata: ergo est actus charitatis perfectus, & cõsequenter includit detestationem omnis peccati saltem virtualiter, & ita excludit obicem gratiæ, imò erit dispositio perfectissima ad gratiam, quæ ex vi talis actus dabitur, & per martirium augebitur vltra condignitatem operationis. Sed si talis volitio moriẽdi magis, quam Deum vllo modo offendendi, oriretur ex spe, & ex motiuo spei, ne scilicèt gloriã amittat, vel ex metu suæ damnationis, videtur esse saltim virtualis attritio supernaturalis, nam continet absolutam etiam detestationem peccati in omni materia, & ita probabile etiam mihi apparet, quod talis volitio aufert obicem gratiæ, & quod in casu conclusionis sufficit vt dispositio ad gratiam, dandam à Deo in martirio.

Ad argumenta, primæ sententiæ respondetur. Ad primum desumptum ex doctrina D. Thom. dico, quod sensus eius non est dicere, quod ad rationem essentialem martirij sit pertinens imperium charitatis; sed solum quod tale imperium, sit consentaneum, & maximè conforme suæ naturæ, & consequenter solum vult docere D. S. quod martirium est actus: qui ratione suæ difficultatis maximè petit imperium charitatis magis connaturaliter, quam actus alterius virtutis, & patet intelligentiam esse legitimam ex eo, quod incorpore articuli, & in eadem solutione docet martirium esse essentialiter actum virtutis fortitudinis, ex quo optimè infertur, quod imperium à virtute superiori charitatis sit accidentale, sicut contingit in alijs actibus aliarum virtutũ. Eadem doctrina infertur ex quodlibeto 4. quæst. 10. art. 19. vbi expressè docet, quod aliquis charitate carens potest subire martirium absolutè.

Ad aliam partem ex alijs verbis dico, quod ipse D. S. se explicat, dum ait, quod martirium habet, quod sit meritorium à charitate, sicut quilibet alius actus virtutis: Vnde cum ait, quod sine charitate nihil valet, loquitur de valore meriti, non verò de efficatia ad causandam gratiam vltra condignitatem, & proportionem dispositionis: Vnde negamus illationem Caietani esse bonam. Et prçterea hæc verba manent iam explicata supra in prima parte huius dubij.

Ad confirmationem respondetur sensum D. Thom. esse, quod inter opera virtutis, quę possunt imperari à charitate martirium est excellentissimũ, & ideò operando illum vult Spiritus Sanctus simul in tali opere specialiter causare gratiam, & remissionem generalem omnis pœnæ. Et hæc explicatio infertur euidenter ex doctrina ex 2. 2. loco citato relata, nam semper standum est huic veritati, quod martirium essentialiter non est actus exterior charitatis, sed fortitudinis.

Ad verba autem Ioannis respondetur, quod sensus est, quod inter opera externa, quę imperantur, seù imperari possunt à charitate martiriũ est secundum se signum arguens, & indicans maximam charitatem antecedentem, vel subsequentem, & concomitanter se habentem saltem in termino ipsius martirij.

Vel secundo potest dici, quod ibi Do-

Dominus loquitur de iustis, qui sunt in gratia, & charitate, & in illis ostendit Dominus, quod tradere se morti amicum pro amico est maxima amicitia, id est maximum, & excellentissimum opus inter omnia imperata à charitate, procedens secundum se ex maiori charitate, quam opera externa aliarum virtutum, vt per hoc ostendat discipulis suis, quanto eos diligat, cum pro eis animam suam traditurus esset, & non solum pro illis amicis; sed etiã pro inimicis, vt amicos efficeret. Ita Bann. vbi supr.

Tertiò dico, cum D. Thom. lect. 2. super illum locum Ioann. quod Christus voluit ibi ostendere suis discipulis efficatiam virtutis charitatis, quę est tanta, quod si vera charitas est, se extendit ad hoc, quod quis ponat vitam pro amicis, hoc autem, quod est pati mortem pro amicis dicitur maxima charitas, id est maximè dilectionis signum inter homines, non tamen indè infertur, quod sit actus essentialiter charitatis; neque quod postulet imperari à charitate præsupposita, nam bene potest quis pati mortem pro Christo ex motiuo cuiuscunque virtutis infusæ, quæ habeat pro fine ipsum Christum, vt docet ipse D. Thom. in 4. dist. 49. quæst. 5. artic. 3. quæstiuncula 2. solut. ad 9. & ponit exemplum in aliquibus Virginibus, quæ fuerunt occisse pro Virginitate, quam seruare volebãt (vt patet in Beata Agnete) & tamen sine actuali imperio charitatis primo fuit in illis verum martyrium esse ex imperio illius virtutis, cuius motiuum proximum fuit causa martyrij.

Ad secundum argumentum respondetur, ex communiori doctrina concedendo sequelam; negando minorem, ad cuius probationem respondetur, negando sequelam, ad probationem concesso antecedenti negatur consequentia; nam ad hoc vt Deus cõferat gratiam martyrij Martyri, sufficit, quod martyrium sit in tali statu, quod naturaliter loquendo mors sit ineuitabilis, quia tunc Deus acceptat martyrium, tanquam consummatum moraliter loquendo, hoc autem semper accidit ante instans mortis in aliquo breui tempore præcedente, & tunc in aliquo instanti pertinente ad illud tempus breue: vt cõtinuans illud cum tempore præcedenti datur gratia Martyri.

Sed contra. In illo brevissimo tempore, potest homo peccare mortaliter vtens libertate sua, quam habet: ergo non est verè martyr, quia verè martyr non potest amittere gratiam: martyrij neque damnari.

Confirmatur: quia posset contingere, quod mors non sequeretur saltem per miraculum: ergo tunc posset amittere gratiam, & damnari ille, qui fuit verè martyr.

Respondetur secundum aliquos; quod in illo breui tempore, in cuius aliquo instanti datur gratia Martyri est ita affectus vulneribus, vel alio genere passionis Martyr, vt non solum non possit viuere; sed vt nõ possit vti sensu aliquo, sicut necessarium est ad vsum rationis, & liberi arbitrij, & ita ex hac parte erit impotens moraliter loquendo ad peccandum, quia moraliter censetur mortuus, cum taliter sit impeditus sensibus, & viribus alijs destitutus, vt non possit actiones humanas, vt humanas exercere, & ita dicimus, quod quamuis habeat physicè loquendo libertatem sicut, & vitam naturalem, tamen moraliter non habet libertatem quoad vsum, & sic nullo modo potest tunc peccare, prout sic affectus, licet absolutè concedendum sit hominem dum est in via posse peccare.

Alij verò reducunt istam impeccabilitatem ad donum confirmationis in eadem gratia martyrij, ratione cuius licèt homo possit vsque ad instans mortis vti ratione, non tamè potest in or-

dine ad malum finem; sed vt magis firmetur in bono diuino, ita vt infallibiliter non peccet, quod videtur cõsentaneum prouidentiæ, quam Deus habet de martyre, & priuilegio concesso martyrio.

Ad confirmationem respondetur primo casum esse naturaliter impossibilem, quia supponimus gratiam dari quando iam mors est naturaliter ineuitabilis. Quid autem dicendum sit, si Deus miraculosè conseruet vitã martyri? certè vt quid sentio dicam, nihil in hac re tanquam certum determinari potest: quia cum miraculũ non accidat secundum communem, & ordinariam legẽ diuinæ prouidentię, nõ habemus principium, ex quo concludere possimus, an martyr conseruet gratiam, an verò amittat; sicut si Deus iam mortuum in martyrio excitaret, non haberemus principium ad concludendum, an suscitaretur confirmatus in gratia, an non, & ita posset amittere gratiam. Et ita legitima solutio est dicere, quod hoc decidere est reseruatum soli Deo. Videantur Doctores supra citati, qui dicunt probabiliter etiã tunc manere confirmatum in gratia pro illo tempore saltim, quo naturaliter viuere possit, imò, & pro toto tempore vitæ suæ, vsque ad mortem, quia hoc videtur consentaneum dignitati martirij, vt scilicèt gratia semel recepta nunquam amittatur; sed perpetuo conseruetur. De quo specialiter videatur Suar. vbi sup. prope finem sectionis, & Cabr. num. 59.

Alij vero dicunt, quod tunc ille homo non acciperet gratiam martyrij. quia Deus pręuideus non esse de facto moriturum, non daret gratiam, consequenterque teneretur dicere, quod non esset vere Martyr. Cæterum hæc solutio minus probabilis mihi apparet: quia de ratione martyrij tantum est, quod homo perueniat ad illum statum ratione passionis, vt naturaliter sit subsequtura mors, & nõ pertinet ad rationem martyrij, quod mors etiam miraculosè impediatur: neque videtur consonum diuinæ prouidentię, quod hominem sic cõstitutum priuet gratia martyrij, si quidem per talem passionem, vsque ad illud breue tempus continuatam sufficienter Martyr reddit confessionem, & testimonium fidei, aut alterius virtutis per realem imitationem Passionis Christi, neque miraculum minuit; sed potius auget tale testimonium: vnde si aliquid determinatè in hac parte dicendum est probabilius mihi videtur, quod acciperet gratiam martyrij, & in illa maneret confirmatus, sicut manet Ioannes Euangelista, licèt exferuenti dolio sanus exierit, quia naturaliter ex illo tormento erat sequtura mors ineuitabiliter. Et similiter aliqui alij Martyres sunt, qui post lęthalia tormenta diu vicerunt conseruata gratia, quos Ecclesia celebrat, vt martyres, vt cõstat de Fœlici, & Euthychiano, sicut aduertit Platina in vita Dyonisij Papę.

Ad argumenta secundæ sententię, ad primum fundamentum in primis respondetur: quod si habet vim, eandẽ habet contra secundum dictum Suar. si quidem etiam, quod in illo docetur solum est opinio probabilis, & semper est magis securum medium contritio, quam attritio, vnde etiam in illo casu accidentali, homo accedens ad martyrium cum sola attritione supernaturali se exponit periculo suæ damnationis, sicut ergo ipse tenetur soluere tale argumentum contra suum secundum dictum: oportet nos soluere illud quatenus procedit contra nostram sententiam.

Respondetur ergo in forma: concedendo maiorem, & nego minorem, ad probationem nego nostram sententiam esse tantum speculatiuè probabilem, quia practicè est probabilis, & rationes factæ probant esse securam, & indubitatam meo videri, & ita nego, quod in re sit negotium dubium sequi talem opinionem, quia vt cõmuniter docent Theologi 1. 2. quæst.

quæst.19.art.6.certum, & indubitatum est, quod est licitum sequi opinionem practicè probabilem, etiam si relinquatur probabilior. Videatur Mag. Medin, loco citato, verum tamen est, quod per se loquendo in materia Sacramentorum non licèt relinquere materiam certam, & vti materia probabili (de quo non vacat modo) ad consequentiam dico, quod si commodè possit conari ad contritionem, & habere illam, tenetur illam promittere, sicut si esset baptizatus antea, teneretur confiteri, si esset copia, & suppeteret tempus: hoc autem ideo est: quia instat præceptum pœnitentiæ supernaturalis, non tamen quia martirium, exposcat contritionem, vt dispositionem ad gratiam dandam per illud: itaque illud præceptum confessionis, seu pœnitentię supernaturalis obligat adultum secundum se, & non ratione martyrij, sicut dixi supra soluendo obiectionem contra tertiam conclusionem positam.

Secundo respondetur magis strictè defendendo nostram sententiam distinguendo consequens, si habeat dubium de incertitudine alterius partis concedo consequentiam, si autem sit certus de hoc, quod etiam aliud medium est certum, & securum, nego consequentiam, quia tunc sufficienter prouidet suæ saluti accedendo ad martyrium cum attritione cognita, quia certo scit (licèt certitudine probabili tamen auferente omne dubium de opposito) quod martyrium ex priuilegio Dei habet facere de attrito contritum.

Ad probationem consequentiæ respondetur: concesso antecedenti in sensu formali, & nego consequentiam, & ratio est, quia vt dicunt Theologi loco supra citato l. 2. qui sequitur opinionem probabilem procedens cum securitate, & iudicans licitum esse ei illam practicè sequi, nullo modo peccat, & consequenter in tali casu si forte opinio non est in re vera, quia agitur de medio ad salutem necessario, ad prouidentiam Dei pertinebit, illum martyrem auxiliari auxilio efficaci, quo habeat cõtritionem necessariam, vt gratia remittens peccata, ei conferatur. Et si dicas, vnde infertur ista specialis Dei prouidentia? Dico, quod ex eisdem locis, ex quibus infertur priuilegium, quod habet martyrium ad iustificandum. Vt autem appareat probabilitas huius solutionis aduertat ingeniosus Lector, quod in casu in aduertentiæ, & obliuionis peccati mortalis potest fieri cum eodem vigore idem argumentum contra Suar. quia scilicèt si opinio illa non est in re vera, martyrium cum sola attritione, non iustificabit adultum, hoc argomentum meo videri, non potest aliter solui, quam per nostram, ad suum argumentum, datam solutionem.

Ad secundum fundamentum respondetur, sicut ad præcedens dictum est in prima solutione, imò argumentum istud declarat, & confirmat solutionem illam, si quidem illo aperitur, quod obligatio aliorum præceptorũ non tollitur per martyrij occasionem. Cæterum non conuincit, quod cum quis ita subito rapitur ad martyrium, vt non possit omnia illa implere perfectè, non sufficiat illa implere modo possibili, quod fit per attritionem supernaturalem, quia illa includit votum seruandi omnia præcepta ad salutem necessaria, & illa de facto impleret opere, si opportunitas temporis adesset.

Ad fundamenta tertij dicti respondetur: ad primum explicanda est maior, iuxta dicta ad confirmationem primi argumenti pro prima sententia, & dico, quod volitio martyrij reputatur pro summa excellentia charitatis, quia causat actum, exteriorem, qui inter homines est maximum amicitiæ signum, non tamen quia sit actus virtute Charitatis

elicitus, vel dicitur sic, quia regulariter loquendo imperatur à charitate, vel quia est connaturaliter imperabilis à charitate, sic ergo explicata maiori, omnis argumenti vis perit, & destruitur. quia tota in illa fundatur.

Ad confirmationem respondetur, negando maiorem, ad probationem nego maiorem: quia non anteponit Deum propriæ vitæ in omni materia; sed tantum in materia aliqua particulari, qualis est materia fidei, aut alterius virtutis specialis) vt probaui in quarta conclusione) & consequenter non anteponit Deum omnibus rebus absolutè, & simpliciter, quod requiritur, vt aliquis actus sit actus charitatis, vel à charitate imperatus, & ita consequentia semper est nulla, & ad probationem, quæ potest obijci contra nostram solutionem distinguo propositionem illam, in maiori bono contempto, minora etiam contempta continentur, distinguo, si illud maius bonum sit contemptum simpliciter, & absolutè ideſt respectu affectus ad omne aliud bonum inferius concedo, si solum sit contemptum respectiuè, & ex motiuo aliquo particularis virtutis nego antecedens, nam optimè compatitur secum voluntatem alterius boni sensibilis magis dilecti, quam propria vita (vt ibidem explicui.)

Ad secundum fundamentum dico, quod promissio Diuina facta martirio est facta vero, & simpliciter martitio, quod consistit in expositione vitæ pro Christo, & eius fide ex motiuo non offendendi eum aliquo pacto, quod non contingit in casu in quo quis existens in peccato mortali sine aliquo dolore, qui sit attritio saltim, accedit ad martirium. & eodem modo dicendum est esse intelligendum morem, & vsum Ecclesiæ.

Fateor tamen, quod accedens homo ad subeundam mortem pro Christo cum bono fine, & ex affectu religionis adiuuabitur à Deo, vt habeat dolorem sufficientem ad tollendum obicem gratiæ: ad hoc enim videtur extendi priuilegium martirij, & vt intelligatur promissio diuina cum magna generalitate, debent in isto sensu intelligi verba Christi Domini.

Ad confirmationem dico, quod ex vi illius volitionis, nec ponit obicem, neque aufert, vt patet ex dictis, & nego, quod sit verò simile hominem ex vi illius volitionis de testari omnia peccata, ratione iam supra facta, quia scilicet talis volitio non habet oppositionem cum omni affectu ad quodlibet peccatum. Nego etiam, quod Deus possit saltim secundum legem ordinariam gratiæ acceptare illam volitionem, vt dispositionem ad gratiam, & ita consequentia nihil valet.

Ad fundamentum Vazq. dicimus, quod priuilegium, quod habet martirium colligitur ex Sacris literis in locis supra citatis, & citatis in ipsa ratione Vazq. ad probationem in contra respondetur negando, quod illud verbum, *propter me*, significet actum charitatis; sed solum significat formaliter loquendo, & in rigore sermonis, confessionem fidei, & Christi, cum voluntate non auersa à Christo per affectum actualem, ita vt non ponatur obex gratiæ, atque adeò pati propter Christum solum significat pati mortem in odium fidei aut ipsius Christi: constat hoc esse verum, ex eo quod aliàs infantes pro Christo occisi non dicerentur Martyres, neque passi propter Christum, quia actum amoris erga ipsum non habuerunt, quos tamen, quia opere ipso testificati sunt Christum dicuntur ab Ecclesia Martyres Sancti, & vt tales celebrantur ab ipsa.

Ad confirmationem respondetur negando antecedens, ad probationem nego antecedens, nã quodlibet actu vir-

virtutis saltem implicitè amatur Christus, vt Auctor eius, & vt est finis cuiuscunque virtutis infusæ, ad quem omnis illa est connaturaliter ordinabilis, vnde quando quis ex amore virtutis infusæ patitur, propter Christũ patitur. Et quamuis admittamus, quod homo, qui sic patitur, amat se ipsum amore amicitię, quia ille amor est bonus, cum appetat sibi bonum virtutis, non excludit amorem Christi, imò includit saltem implitè modo explicato. Videatur D. Thom. in 4. distint. 49. quæst. 5. artic. 3. quæstiuncula 2. ad 9. vbi docet, quod non solum confessio fidei; sed quælibet virtus infusa, quę finem habeat Christum, est causa sufficiens martirij, quia quolibet actu virtutis efficitur aliquis testis Christi, in quantum opera quę in nobis Christus efficit, testimonium bonitatis eius sunt.

Vnde secundum istam doctrinam, ad probationem antecedentis dico, quod amor amicitiæ sui ipsius non excludit amorem Christi; sed potius includit implicitè, quatenus bonum virtutis est participatio bonitatis Christi, & effectus etiam ab ipso manãs, & negatur consequentia, nam vt dicatur quis pati pro Christo, non est necessarium, quod patiatur ex amore perfecto charitatis, sed ex amore confessionis fidei, aut alterius boni virtutis, quia vt testimonium ferat Christi ipso opere id sufficit, vt docet D. Thom. & patet in aliquibus virginibus, quæ occisę sunt pro virginitate, quam seruare volebant, & tamen ab Ecclesia, vt sanctæ Martyres celebrantur, vt de Beata Agnete constat, & alijs.

Ad aliam partem argumenti iam constat ex dictis supra, quomodo pati pro Christo non est idem, quod illum eximio amore diligere, & locus Ioannis manet etiam explicatus, & totum hoc placet probare ex verbis Christi Domini Matthæi 10. vbi excitat suos ad fortiter subeundum martirium propter metum inferni dicens: *Nolitè timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Præterea, etiam ibidem Paulo inferius excitat ad idem spe gloriæ dum sic ait: *Nolitè ergo timere: passeribus multis meliores estis vos, omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo:* Tunc sic: Iste exhortationes Christi vanę essent, nisi possent esse veri Martyres Sancti, etiam si mortem patiantur non ex affectu charitatis, sed ex affectu spei, & ex timore inferni, & in vtroque affectu includitur amor sui, tamen quia bonus est, & ad fruitionem Dei ordinatur vltimatè, sufficit (vt ex verbis Christi patet) ad verum martirium: ergo idem dicendum est de affectu ad aliam virtutem infusam, quod certè insinuatur Matthæi 5 dum dicitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum.* Et in verbis immediatè sequentibus, in quibus hæc beatitudo explicatur, etiam ponitur beatitudo æterna, vt præmium excitans ad subeundum persecutionem propter iustitiam & confessionẽ fidei, cum ergo quælibet virtus sit pertinens ad rationẽ iustitię secundum quod nominat quamlibet animæ rectitudinem, optimè infertur posse imperari martirium ex affectu ad aliam virtutem infusam: falsum ergo proinde dicit Vazq. dum id negat: & futili fundamento oppositum probat.

Ad vltimam partem sui fundamenti patet ex dictis supra, iã enim dixi, quod nostra sententia est cõformis cõsensui cõmuni Ecclesiæ, & eius traditioni, quod etiam apud Sanctos Patres sit talis consensus constat ex quã plurimis testimonijs, quæ adducunt Doctores supra citati, sed quia Augustinus inter Sanctos Doctores principem locum obtinet, placet duo eius

testimonia referre, in quibus eandem vim tribuit martirio, atque baptismo aquæ. Primum sit ex libro 3. de Ciuit. Dei cap. 7. vbi sic ait: *Quicunque etiã non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittendum peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis.* Secundum sit ex 13. de Ciuitati Dei cap. 7. vbi sic ait: *Quid præciosius, quam mors, per quam fit, vt delicta omnia dimitantur.* Et hanc vim docet habere ex Christi promissione dicens: nam sicut illedixit Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* Ita dixit Matthæi, 7. & 17. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, &c.* Ergo nostra sententia ex doctrina Patrũ tanquam consona Sacræ Paginæ decerpta est.

Quendam locum D. Bernardi adducit Vazq. contra nos, desumiturque ex epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore, vbi ait: *Martirium ex fidei merito habere priuilegium, vt singulariter vice baptismi securè suscipiatur.* Cum autem meritum fidei non sit sine charitate, videtur, quod Bernardus tribuit martirio vim baptismi aquæ ratione charitatis, à qua confessio exterior fidei habet rationem meritoriæ actionis.

Respondetur tamen Bernardum nullo modo in isto sensu esse intelligendum, quia aliàs infantes non possent esse veri Martyres, neque iustificari in suo sanguine baptizati. Sensus ergo Sancti Doctoris est, non quod solum meritum fidei viuæ, (de qua ibi sermonem instituit, & quam probat sufficere ad salutem) sit causa totius effectus eius, nam aliàs nullum haberet priuilegium, ratione cuius assimilaretur baptismo; sed quod ipsum testimonium fidei Christi, quod opere ipso exhibet mors ipsa pro Christo passa, quia in honorem fidei est exhibitum, est causa priuilegij, quod habet martirium ad iustificandum, & glorificandum. De quo videatur Ægydius vbi supra, num. 152. vbi ex ipso contextu infert expositionem istam esse optimam. Hæc de dubio 5. articulo, & tota quæstione.

QVAESTIO LXVII.

DE MINISTRO BAPTISMI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm ad officium Diachoni pertineat baptizare?

CONCLVSIO Articuli talis est. Ad Diachonum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum baptismi; sed tantum in collatione huius Sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus.

Hanc conclusionem probat D. Thom. in argum. sed contra: ex quadam decretali 93. dist. vbi ex Gelasio Papa tale habetur decretum in quo prohibetur Diachonibus baptizare, nisi necessitas extrema compellat: sumitur quędam ratio conuenientię huius decreti ex Ethimologia nominis, formatur ergo ratio sic: propietates cœlestium ordinum, & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur (vt Dyonisius dicit 7. cap. cœlestis Hyerarchiæ) ergo etiam ex nominibus Ecclesiasticorum ordinum accipi potest quid ad vnunquemque pertineat ordinem: tunc sic, Diachonus significat idem quod minister: ergo ad Diachonum non pertinet aliquod Sacramentum principaliter tribuere quasi ex proprio officio; sed duntaxat ministerium adhibere alijs maioribus scilicèt Sacerdotibus in Sacramentorum exhibitione: & ita Isidorus dicit ad Diachonum pertinere assistere, & ministrare Sacerdotibus in omnibus, quę aguntur in Sacramentis Christi: ergo conclusio D. Thom. est vera.

Circa quam est aduertendũ, quod Doctor Sanctus loquitur in illa, & in conclusione articuli sequentis de ministro ordinario baptismi solemniter exhibendi, non de ministri sufficienti ad valorem Sacramenti, qui est minister necessitatis, de tali namque ministro loquitur Doctor Sanctus in articulis tribus sequentibus.

Secundò est notandum, quod Diachonus licet nõ sit ex vi suæ ordinatiõnis minister ex officio baptismi, habet tamen ex vi illius capacitatem, & idoneitatem, vt sit minister eius ex comissione Episcopi, & proprij Parrochi ita vt solemniter illud ministret. Ita colligitur ex decretali illa citata, vbi glossa nostrũ notabile docet expresse, & ex Concilio Elibertino, cap. 77. vbi tanquam certũ præsupponit, quod Diachonus ex comissione tanquam regens aliquam Ecclesiam potest baptizare, & consequenter quasi ex officio, & auctoritatiuè. Verba Concilij sunt hæc: *Si quis Diachonus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizaberit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Vbi per benedictionẽ intelligit Concilium Sacramentum Confirmationis, vt constat ex verbis immediatè sequẽtibus, in quibus sic dicitur: *Quod si ante de sæculo recesserit sub fide qua quis crediderit poterit esse iustus.* Sacramẽtum enim, quod immediatè quasi se habet ad baptismum, est Confirmatio,

per

per quam quis gratiam roborante in fide accipit.

Prætered infertur noſtra doctrina ex Pontificali Romano, vbi in ordine Diachoni dicitur, quod ipſe debet prędicare, & baptizare, quæ verba debent intelligi ex commiſſione. Formetur ergo ratio confirmans noſtram doctrinam, quando Diachonus ordinatur datur illi poteſtas ad prędicandum, & baptizandum; ſed ex commiſſione Epiſcopi poteſt Diachonus ſolemniter prædicare Euangelium: ergo ex eadem commiſſione poterit ſolemniter baptizare.

Ex hac doctrina infertur differentia inter Diachonum, ſubdiachonum, & alios minoribus ordinibus initiatos, atque etiam laicos, quod omnes iſti ſolum poſſunt eſſe miniſtri baptiſmi in caſu neceſsitatis, ſine ſolemnitate baptizantes, qui proinde dicuntur miniſtri neceſsitatis. Vnde non poteſt eis committi etiam per Summum Pontificem, quod ſint miniſtri ſolemniter baptizantes: ſolus Diachonus ratione ſui ordinis, quia immediatus eſt Sacerdoti habet iſtam idoneitatem, & capacitatem, vt ex commiſſione poſsit ſolemniter miniſtrare baptiſmum.

Aduertendum tamen eſt, quod nō debet fieri talis commiſsio, niſi vrgente graue nēceſsitate, vel niſi ſequatur magna Eccleſiæ vtilitas, vnde aliter committens, & vtens commiſſione data peccaret mortaliter ſecundum ſententiam probabilem Doctorum. Ratio vtriuſque partis eſt, quia cum Sacerdos ratione poteſtatis ordinis ſit proprius Baptiſmi miniſter (vt docet D. Thom. articulo ſequenti) & tot ſint in Eccleſia Sacerdotes, non eſt rationi conſonum, quod libere, & abſque graui cauſa committatur exhibitio iſtius Sacramenti Diachono, qui non eſt proprius miniſter eius, & conſequenter qui ſine tali cauſa committeret, peccare videtur mortaliter, quia res eſt grauis, & eadem ratione abutens tali commiſſione. Hoc etiam inſinuatur in decretali citata, ſi quidem dicitur in illa, quod non permittatur Diachonibus baptizare, niſi in abſentia maiorum, & neceſsitate extrema compellente.

DVBIVM TAMEN ESSE poteſt.

Vtrùm differentia, quæ eſt inter Diachonos, & alios miniſtros baptiſmi oriatur ex ipſo iure diuino, an tantum ex iure Eccleſiaſtico?

PRima ſententia affirmat, quod ſolum fundatur in iure Eccleſiaſtico habente aliquod fundamentum in ipſo iure diuino, quatenus Diachonus ad hoc ordinatur, vt ſit ſpecialis miniſter Presbyteri, & vt ei poſsit committi aliquod Sacerdotale miniſterium, ad quod non eſt neceſſarius ſimpliciter Sacerdotalis character. Ita docet Suar. in hac quæſt. diſp. 23. ſect. 2. circa finem.

Et probatur primo, quia ad aſſerendum, quod differentia aſsignata oritur immediatè ex iure diuino non eſt aliquod fundamentum in Sacra Scriptura, neque in traditione aliqua: ergo non eſt dicendum, quod oritur ex tali iure.

Secundo: quia omnes cæremoniæ Eccleſiaſticæ, quæ fiunt in baptiſmo immediate dimanant à iure Eccleſiaſtico: ergo eodem iure videtur introductum, quod tales cæremoniæ nulli miniſtro inferiori Diachono poſsint committi. Probatur conſequentia: quia hoc videtur ad quendam ritum baptiſmi pertinere.

Tertio arguitur, quia aliàs nulla differentia eſſet in hac parte inter Sacerdotem ſimplicem, & Diachonum, conſequens eſt falſum, vt patebit articulo ſequenti: ergo & illud ex quo ſequitur. Probatur ſequela: vterque poteſt iure diuino ſolemniter miniſtrare baptiſmum ex commiſſione ſuperioris, qui eſt miniſter ordinarius

rius illius sine commissione nullus potest etiam Sacerdos, & hoc stando etiã in iure Diuino: ergo nulla est differentia quantum ad hoc. Hoc argumentum refert Mag. Nuño in præsenti tãquam proprium Suar. ego non inuenio in libro meo.

Secunda sententia affirmat probabilius esse, quod ista differentia desumitur ex iure Diuino, tanquam ex prima ratione; & consequenter asserit quod Summus Pontifex non potest inuertere ordinem committendo Subdiachono, vt solemniter ministret baptismum. Ita docet Mag. Nuño hic artic. 2. concluſ. 5. insinuat idem Cabr. in præsenti art. num. 2.

Conclusio. Hæc sententia videtur mihi probabilior. Probatur, quia Diachonum esse capacẽ ministrandi baptismum cum solemnitate ex cõmissione, prouenit ei ex vi suæ ordinationis, & ex potestate in ordine recepto sibi concessa, vt fatetur etiam ipse Suar. & omnes alij, sed potestas ordinis dimanat immediatè à iure Diuino Christi, Sacramentũ ordinis instituentis: ergo Diachonum esse idoneum, vt sit solẽnis minister baptismi ex commissione, dimanat à iure diuino.

Confirmatur ex vsu, & consuetudine Vniuersalis Ecclesiæ; quia nunquã visum est, quod cum ministro inferiori Diachono sit dispensatum, vt ministret solemniter baptismum: ergo signum est, quod Diachonus tantum est iure Diuino aptus (præter Sacerdotẽ) vt ex commissione sic illud Sacramentum ministret.

Consequentia ex eo probatur: quia si aliquis minister inferior esset capax iure Diuino, vt committeretur administratio solemnis baptismi, aliquando esset cum ipso dispensatum saltim à Summo Pontifice, qui est Dominus totius iuris Ecclesiastici: cum ergo hęc dispensatio non legatur aliquando facta, sequitur nõ dimanare à iure Ecclesiasti co tanquam à prima, & vnica ratione, quod Diachonus possit ex commissione baptismum administrare.

Ad argumenta. Ad primum respondetur, quod ad asserendam nostram sententiam est fundamentum, & in Sacra Scriptura, vbi legitur institutio Sacramenti ordinis adiuncta explicatione Ecclesiæ dantis Diachono in eius ordinatione, potestatem ad prædicandum, & baptizandum iuxta dicta in explicando supra differentiã illius ab alijs ministris inferioribus, quę verba, iam dictum est, intelligi non de potestate ordinaria; sed de idoneitate, vt possit Diachono committi solemne ministerium Baptismi. Et etiam fundamentum in vniuersali consuetudine Ecclesiæ, iam explicata in confirmatione conclusionis.

Ad secundum, concesso antecedenti, negatur consequentia, ad probationem nego antecedens, sed pertinet ad substantiã Sacramenti solemniter ministrati, ex parte ministri, qui perse pertinet ad substantiam Sacramenti, saltẽ, vt cõditio intrinseca sine qua non.

Ad tertium, negatur sequela, ad probationem distinguo antecedens, vterque potest eodem modo, nego antecedens, diuerso modo, concedo antecedens. Diuersitas consistit in hoc, quod Sacerdoti ex proprio officio conuenit baptizare, quia accipit in suo ordine potestatem ordinis ad illud Sacramentum solemniter ministrandũ, vt articulo sequenti docet D. Thom. Hanc autem non accipit Diachonus in ordine ad talem actum immediatè, sed solum accipit potestatem ad ministrandum Sacerdoti in solemni Baptismo, & in alijs Sacramentis. Et ita commissio in Sacerdote, non dat quasi deputationem ex officio; sed supponit, & concedit iurisdictionem necessariam ex institutione Ecclesiæ, vt licitè possit suum officium exequi. In Diachono autem tantum præsupponitur capacitas, & ita accipit deputationem ad talem actum, quasi ex officio exercendum, & iurisdictionem neces-

cessariam pro tali Sacramento solemniter ministrãdo: Ex quo proueniunt aliæ differentię, articulo sequenti explicandę.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrùm ad officium Presbyteri pertineat baptizare?

PRima conclusio. Ad proprium officium Sacerdotis, pertinet baptizare. Ratio huius est, quia Sacerdos primo, & per se consecratur, vt Corpus Christi conficiat; sed Sacramentũ Corporis Christi, est Sacramentũ Ecclesiasticæ vnitatis, secundum illud Apost. 1. ad Corint. 10. *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno Calice participamus*: Ergo accipit potestatem ex vi suæ consecrationis respectu eorum, quę pertinent ad Ecclesiasticam vnitatem, ideſt, ad corpus misticum Ecclesiæ. Tunc rursus; sed Baptismus est Sacramentum causans ipsam Ecclesiasticam vnitatem, nam per illum participatur mediante fide, & charitate quibus homines efficiuntur partes vnius Ecclesiæ, & corpus ipsum Ecclesiasticum: ergo Sacerdos ex vi suæ consecrationis accipit potestatem ad conficiendum Baptismum, saltem minus principaliter, & secundario.

Confirmatur, ex quadam propositione D. Thomæ, quia Sacramentum Baptismi causat Ecclesiasticam vnitatem, baptizatus accipit ius accedendi ad mensam Domini, & communicandi Corporis Christi Sacramentum: ergo sicut ad Sacerdotem pertinet cõsecrare Eucharistiam principaliter, ita pertinet secundario baptizare. Hanc consequentiam probat D. Thom. sic; ad eundem pertinet operari totum, & partem in toto disponere: ergo ad Sacerdotem ad quem pertinet totam mensam Corporis Domini operari, pertinet partem, ideſt, hominem, qui est pars Ecclesiasticæ vnitatis, disponere, vt ad totam mensam Domini habeat ius accedendi, tanquam pars totius communitatis fidelium habentiũ ius ad illam mensam. Sic explicata, & intellecta ratio D. Thom. est optima congruentia conclusionis, desumpta tamen à priori, scilicet ex ordinatione, & consecratione Sacerdotis. Quã tamen ita explicatam, in nemine vidi.

Secunda conclusio. Vtrumque officium, docendi scilicèt, & baptizandi, iniunxit Dominus Apostolis, & consequenter Episcopis, qui gerunt vices illorũ; aliter tamẽ, & aliter, nã officiũ docẽdi cõmisit eis, vt per se ipsos illud exercerent, tãquam principalissimũ: officium autem baptizãdi, vt per alios exercendum. Hæc conclusio, desumitur ex solutione ad primum, in qua sufficienter explicatur, & declaratur.

Circa primam, est aduertendum, quod vt hoc Sacramentum valide, & absolutè fiat, sufficit potestas ordinis quam accipit Sacerdos in sui consecratione, tamen, vt licitè fiat, in super est necessaria potestas iurisdictionis respectu personarum quibus administrandum est Sacramentum. In prima potestate non pendet ab Episcopo, postquam iam ordinatus est, in secunda pendet. Ratione primæ potestatis, dicitur, Sacerdos habere ius in ordine ad Sacramentum ministrandum, non tamen habet ius saltem proximum, & completum respectu personæ cui est ministrandum Sacramentum, quia hoc ius prouenit à potestate iurisdictionis.

Secundo est aduertendum, quod ratione potestatis ordinis, quilibet Sacerdos dicitur, & est minister ordinarius Sacramenti Baptismi ex officio deputatus ad eius administrationem, ad istum sensum, quod character Sacerdotalis, est potestas proxima ad talem effectum Sacramentalẽ, & propterea potest sine aliqua causa commi-

ti ei iurisditio necessaria, vt licitè Sacramentum administret. Et in hoc sensu est intelligenda cõclusio D. Thom. in quo communiter ab interpretibus, acceptatur, vt veritas definita in Concilio Florentino, in decreto de septem Ecclesię Sacramentis, vbi agens de Baptismo dicitur: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Hoc modo explicata cõclusio, probatur etiam ratione. Nam Sacerdos ratione potestatis ordinis, dicitur proprius, & ordinarius Minister Sacramẽti pœnitentiæ, quamuis sit Sacramentum, quod ad sui valorem requirit iurisdictionem in absoluẽte, quia procedit, vt iudex; sed Baptismus ad sui valorem non requirit iurisdictionem; siquidem non est iudicium, & patet cum à laico possit in casu necessitatis ministrari: ergo ratione eiusdem potestatis, dicitur Sacerdos ordinarius minister Baptismi.

Tertio aduertendum est, quod licèt Sacerdos, iuxta doctrinam traditam, sit minister ordinarius huius Sacramenti, tamen Ecclesia, iustissimè statuit: quod solum Parrochus habens curam animarum solemniter baptizaret, sic decernitur in cap. *Inter dicimus* 16. quæst. 1. & cap. *adijcimus*.

Ratio est, quia præpter Episcopum (in quo primo residet iurisdictio) solum proprius Parrochus habet iurisdictionem in suos subditos, vnde ad illũ debet pertinere ex officio baptizare, quia pertinet ad pastum spiritualem hominum, & pascere proprium est Pastoris. Ex quo infertur, quod Sacerdos baptizans non sibi subditum, peccat mortaliter, quia vsurpat ius proprium Sacerdotis Parrochiani illius qui baptizatur, in dictis cap. illi concessum: est enim talis actio iniuriosa proprio Parrocho, & in re graui. Circa secundam conclusionem videatur Cabrera hic, in disputatione vnica.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrùm laicus possit baptizare?

COnclusio est affirmatiua. Ratio est, ad misericordiam Dei expectat, vt in his, quę sunt de necessitate salutis de facili remedium inueniatur: sed inter omnia Sacramenta, Baptismus est maximæ necessitatis: ergo conuenienter institutum est, vt quilibet, etiam non ordinatus, sit minister eius. Patet consequentia, nam aliàs aliqnãdo homo pateretur suæ salutis dispendium, propter defectum Baptismi, hac enim ratione institutũ est, vt materia esset quid communissimum, vtpotè aqua naturalis, quæ de facili potest haberi.

DVBIVM EST IN HOC ARticulo.

Vtrùm laicus baptizans in præsentia Sacerdotis, etiam in casu necessitatis, peccet mortaliter?

RAtio dubitandi pro parte affirmatiua est, quia Sacerdos ex vi suæ ordinationis, est proprius huius Sacramẽti minister: ergo in quocũque casu est proprius illius minister: ergo in casu necessitatis laicus baptizãs Sacerdote præsente, facit ei iniuriam in re graui, & ei competẽte ex proprio officio: ergo peccat mortaliter tanquam vsurpans alienum ius. Confirmatur, nam in tali casu fit indecentia Sacramento, quia sanctum non debet à profano, & seculari ministro tractari, maximè quando à ministro Sacrato potest de facili ministrari.

Pro parte verò negatiua, est vrgẽs ratio per oppositum procedens. Nam laicus in tali casu, non vsurpat alienũ Sacerdotis officium: ergo non peccat mortaliter. Probatur antecedens, Sacerdos baptizans in casu necessitatis, non concurrit, vt minister consecratus

tus formaliter, sed vt minister necessitatis (& ideo docet D. Thom. supr. quæst. 64. art. 6. ad 3. quod non peccat mortaliter etiam si in peccato mortali existens, ministret Sacramentum) ergo laicus tunc baptizans, non vsurpat Sacerdotis officium; sed potius vtitur iure suo, nam ipse est etiam minister necessitatis.

Ad huius dubij resolutionem, præmittendum est, quod possumus loqui de Sacerdote præsente, qui non est proprius baptizandi Parrochus, & de illo, qui est proprius baptizandi Parrochus. Sit conclusio prima. Laicus baptizans in casu necessitatis in præsentia proprij Parrochi, peccat mortaliter.

Ratio huius est, quia solus Parrochus ex laudabili statuto Ecclesiæ (articulo præcedenti relato) habet ius; baptizandi omnes subditos: ergo in quocunque casu habet tale ius; probatur consequentia, quia Prælatus semper habet ius in subditum, Parrochus autem respectu suorum Parrochianorum, est Prælatus: ergo in quocunque casu habet ius pascendi gregem, ministrando Sacramentum Baptismi, sicut, & alia: Non enim adest ratio quare tale ius limitetur extra casum necessitatis: ergo laicus qui in tali casu baptizat præsente Parrocho, vsurpat officium ipsius, etiam pro illo tũc: ergo peccat mortaliter. Ita efficax apparet mihi ista ratio, quod propter illam credam, quod quicunque baptizet (etiam Sacerdos) in tali casu peccet mortaliter.

Secunda conclusio, Laicus baptizans in præsentia Sacerdotis simplicis, secundum probabiliorem sententiam, etiam peccat mortaliter. Ratio huius conclusionis est, quia licèt Sacerdos in casu necessitatis, non concurrat vt proprius minister Ecclesiæ, tamẽ re vera est minister cõsecratus, consecratione faciẽte eum ministrũ ex officio: ergo licet non fiat ei iniuria vsurpãdo tale officium, propter rationem positam pro parte negatiua, tamen ipsi Sacramento irrogatur maxima iniuria; si dũ Sacerdos est præsens, & potest ipsum ministrare, laicus ipsũ ministret.

Confirmatur: quia secundum se apparet disonum rationi, & quid de forme, vt dum Sacramentum istud potest à Sacerdote ministrari, ministretur à laico, cum ille tantum sit minister necessitatis, ideſt, in defectum ministri consecrati; sed hic, & nunc est minister consecratus: ergo iste casus nõ est in rigore casus stricti necessitatis: ergo nullo modo licet laico ministrare Sacramentum. Hac ratione moueor ad asserendum, quod etiam speculatiuè loquendo, hæc conclusio est verissima, quod dico aduersus Cab. in præsenti oppositũ dicentẽ, num. 4. sui cõmentarij. Idem dicendum puto, in casu in quo Sacerdos facilè potest vocari, vt sit præsens, sine periculo morali salutis pueri, secus autũ si ad sit periculũ tale ex hoc quod Sacerdos speretur.

Per hanc doctrinam, patet quid dicendum sit ad rationem dubitandi, pro parte negatiua. Sed dices, sequi ex nostra resolutione, idem esse dicendum de laico baptizante in præsentia Diachoni, quia etiam est minister consecratus, & Sacramento proindè fiet irreuerentia.

Respondetur: quod qui ita diceret, nihil absurdum diceret, dum tamen adderet, quod tale peccatum non esset ita graue. Sed nihilominus, vt mitius procedamus, nego sequelam, ratio diuersitatis est, quia Diachonus nõ est consecratus, vt immediatè possit Sacramentum aliquod ministrare; sed vt Sacerdoti in collatione Sacramentorum ministret, quare remotè tantum quasi commensuratur cum sanctitate Sacramenti, & ideò non est proprius minister, & ex officio, Sacramenti Baptismi, & consequenter non fit tanta iniuria, aut irreuerentia Sacramento in tali casu si ministretur à laico, quanta fit in præsentia Sacerdotis, vnde tantum peccaret venialiter, graviter tamen.

men. Si autem adesset contẽptus, aut sequeretur graue scandalum per accidens ratione talis circunstantiæ, esset absque dubio peccatum mortale.

Et si inquiras. Vtrũ in casu in quo Diachonus esset ab Episcopo deputatus in aliqua Ecclesia, tanquã ordinarius minister talis Sacramenti, laicus baptizans præsente ipso, peccaret mortaliter? Respondetur affirmatiuè, quia ratione deputationis ab Episcopo, se haberet Diachonus sicut proprius Parrochus, etiam in casu illo, vnde laicus vsurparet officium eius, & ita peccaret mortaliter.

ARTICVLVS QVARTVS

Vtrùm mulier possit baptizare?

COnclusio D. Thomę est affirmatiua. Ratio est, quia in casu necessitatis, sicut vir laicus baptizat, vt minister Christi principaliter baptizantis, ita mulier: ergo potest baptizare. Addit tamen D. Thomas, quod quia vir est caput mulieris, in præsentia viri, non debet ipsa baptizare, sicut neque laicus præsente Clerico, neque Clericus præsente Sacerdote (per quam doctrinam confirmatur ea, quæ tradita est à nobis art. præcedenti.) Videatur litera articuli.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrùm non baptizatus, possit baptismi Sacramentum conferre?

CONclusio est affirmatiua. Quam probat D. Thomas ex quodam decreto Nicolai Papę, relato de cõsecratione, dist. 4, cap. *A quodam Iudæo.* Vbi determinatum est, quod Baptismus datus à non Christiano, si forma Ecclesiæ fuerit seruata, est validus, & ratio huius est: quia sicut ratione maximę necessitatis huius Sacramenti, sufficit quęcunque aqua vera, & naturalis, ita ex parte ministri sufficit quicunque homo: ergo etiam non baptizatus in articulo necessitatis potest baptizare. Addit tamen D. Sanct. quod si extra articulum necessitatis hoc fieret, vterque grauiter peccaret, & baptizans, & baptizatus, & ideo impediretur Sacramenti effectus, non tamen tolleretur veritas Sacramenti.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrùm possint, vnum, simul plures baptizare?

ANte responsionem præmittendũ est, quod plures possunt concurrere ad baptizãdum vnum vtendo hac forma: *Nos te baptizamus*, vel vtendo ista forma: *Ego te baptizo, &c.* Hac supposita distintione.

Prima conclusio est: quidam dicũt, quod cũ plures primo modo baptizant non conferunt Sacramentum. Rationẽ sic opinantium refutat D. Thom. quia, scilicet, magis recedit à forma nostra, forma qua vtuntur Græci, quã illa, & tamen Græci conficiunt Sacramentum: ergo ratione recessus à forma nostra non redditur Sacramentum nullũ in casu articuli. Vnde D. Thom. quasi sentiens Sacramentum esse nullum, aliam rationem assignat, quæ sic formatur. Per istam formam: *Nos te baptizamus*, exprimitur talis intentio quod scilicet plures conueniant ad vnum baptismum conferendum; sed hęc explicatio intentionis videtur esse contra rationem ministerij exerciti in administratione baptismi: ergo talis significatio videtur excludere veritatem baptismi.

Minor probatur: quia homo nõ baptizat nisi, vt minister Christi, & vicem eius gerẽs: ergo sicut est vnus Christ⁹: ita oportet esse vnum ministrum, qui Christũ repræsentet. Propterquod Apostolus dicit signanter ad Ephes. 4. *Vn⁹ Dominus, vna fides, vnũ baptisma:*

ergo intentio contraria videtur excludere veritatem Sacramenti.

Secunda conclusio. Si baptizent sub ista forma: *Ego te baptizo, &c.* Explicando singulariter intentionem tuam baptizandi per se, ac si alter non baptizaret, tunc si aliquo casu contingeret, quod aliquis prius alio proferret verba formæ; ille talis legitimum Sacramentum conferret, alius vero quã tumuis intentionem haberet baptizandi nihil faceret, & si verba præsumeret proferre esset puniendus tanquam rebaptizator.

Tertia conclusio. Si ambo ita concurrãt, vt fortè simul labent, & simul formam proferant, vterque baptizat. Ratio est; quia vterque intendit non baptizatum baptizare, & vterque quantum in se est baptizat labando, & super ablutionem verba formæ, proferendo: ergo ambo baptizant.

PRIMVM DVBIVM EST CIRca primam conclusionem.

An in illo casu Sacramentum baptismi sit nullum?

IN hoc dubio, antequam dissidiũ opinionum explicem, in mediũque constituam, præmittere oportet ea in quibus omnes conueniunt. Pro cuius intelligentia est aduertendum, quod illa verba: *Nos te baptizamus*, possunt triplicẽ sensum efficere. Primus est æquipollẽs huic: *Ego te baptizo*: propterea, quod constituti in maiori dignitate habent communiter vti isto modo loquendi & in hoc sensu certũ debet esse, quod verum conficitur Sacramentum: Secundus sensus est æquipollens huic: *Ego te baptizo, & alius te etiam baptizat*, ita tamen, quod vnusquisque intendit baptizare independenter ab alio tanquam vera, & propria causa totalis, & in hoc sensu etiam conficitur verum Sacramentum, quia saluatur vera forma, & vera materia, & legitima intentio ex parte cuiuscunque ministri, vt patet, & in re est casus in quo concedit D. Thom. quod plures baptizantes conficiunt verum Sacramentum. Tertius sensus est, quod æquipolleat huic, quod est plures concurrere partialiter ad vnum baptismum conferendum quasi vnus non sufficiat independenter ab alio Sacramentum conficere, sicut cum duo trahunt lapidem, quem vnus solus non potest portare.

Hoc ergo præmisso; difficultas est: Vtrum in isto tertio sensu plures possint verum Sacramẽtum baptismũ conferre. In qua controuersia est opinio Durandi in 4. dist. 3. quæst. 3. vbi tenet cõtra conclusionem D. Thom. tale Sacramentum esse verum, ipsum sequitur Paludan. ibidem quæst. 2.

Et probatur hæc sententia primo: quia in Sacris literis, & in Concilio Florent. vbi traditur forma, & materia baptismi, & persona ministri non dicitur, quod minister sit vnus, aut quod nõ sint plures, neque quod non possit vti illa forma in numero plurali: ergo plures sub illa forma, possunt baptizare.

Confirmatur: quia Matthæi vltimo potius insinuatur hoc debere fieri, cum in numero plurali dicatur: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: ergo sufficiens est talis forma.

Secundò, si aliqua ratione baptismus sub illa forma datus à pluribus, non esset validus, maximè, quia non significatur effectus Sacramenti fieri ab vno ministro (quod insinuatur in ratione D. Thom.) sed non est de ratione baptismi, quod in eius forma explicetur effectum eius fieri ab vno ministro: ergo ista ratione non conuincitur Sacramentum esse nullum. Probatur minor: nam non est de ratione illius, quod effectus eius significetur fieri à ministro: ergo neque ab vno ministro. Antecedens probatur: quia in forma Græcorũ, scilicèt:

Bap-

Baptizatur seruus Christi, nõ exprimitur effectum fieri á ministro, & tamen est validus baptismus: ergo ratio illa est nulla.

Confirmatur: quia esto sit de ratione baptismi, quod explicetur effectum fieri à ministro, sufficienter explicatur per istã formam: *Nos te baptizamus*: ergo sufficit ad valorem Sacramenti. Antecedens probatur ex eo, quod Doctor S. dicit in corpore huius articuli impugnando rationem opinantium suo tempore baptismum sub tali forma datum esse nullum: dicit enim, quod prædicta forma habet maiorem conuenientiam cum nostra; quàm forma Græcorum; sed per formam Græcorum significatur effectus baptismi, vt sufficit ad eius valorem: ergo à fortiori per formam assignatam.

Secundò confirmatur: quia per istam formam: *Nos te baptizamus*, explicatur effectus modo magis simili ad Personas Trinitatis concurrentes ad ipsum in anima causandum: ergo melius explicatur effectus fieri à ministro per istam formam, quam si in numero singulari dicatur: *Ego te baptizo, &c.* Antecedens probatur: nam sub illa forma manifestatur effectum fieri à ministro, vt instrumento personarum diuinarum, quatenus instrumentum illarum est: ergo.

Tertiò, tempore quo erat licitũ, vt vnus vir haberet plures vxores, si duę fœminæ volentes contrahere dicerent: *Accipimus te in virum*, absque dubio esset verum matrimonium & quælibet seorsum contraheret cum illo, ergo à paritate: plures dicentes: *Nos te baptizamus*, verum conferunt Sacramentum.

Secunda sententia est opposita asserens, quod cum plures partialiter intendentes baptizare concurrunt ad baptismum, vtenteque ista forma: *Nos te baptizamus*, ad talem concursum partialem significandum, baptismi Sacramentum ẽst nullum. Ita communiter omnes Discipuli D. Thom. accipientes suam primam conclusionem in isto sensu, anquam vniuersaliter veram (quidquid Caietanus suũ ingenium cõsulens dicat in Commentario huius articuli, quod verum suo intellectui apparet, quod vnus totalis minister baptismi potest integrari ex pluribus partialibus) Ægydius in præsenti articulo dub. 1. concluf. 5. absolutè docet, quod duo baptizantes, & vtentes hac forma: *Nos te baptizamus*, in validè baptizant.

Pro resolutione est aduertendum, quod ista propositio: *Nos te baptizamus*, secundumse est æquiuoca, quæ potest determinari per intentionem proferentis illam ad vnum ex tribus sensibus supra explicatis, verum tamen est, quod magis communiter videtur accipi eius significatio in tertio sensu, & ideò Doctor S. dixit in ratione corporis, quod videtur significare contrarium intentioni per se necessariæ ad verum Sacramentum conficiendum, & cõsequenter dixit, quod Sacramentum sub illa forma à pluribus ministris datum videtur nullum, quia contraria intentio videtur excludere veritatem Sacramenti, non tamen asseruit determinatè tale Sacramentum esse nullum, vt optimè aduertit Caietanus in præsenti commentario.

Sit conclusio. Baptismus datus à pluribus sub ista forma: *Nos te baptizamus*, determinata per intentionem proferentis illam ad explicandum concursum partialem est nullus. Hæc conclusio est pro secunda sententia, & contra Caietan. in præsenti commentario, & probatur: de ratione baptismi est, quod procedat à ministro totaliter, & perfectè operante: ergo contra rationem eius est fieri à ministris partialiter operantibus, ergo si detur à pluribus sic partialiter concurrentibus,

non est verum Sacramentum. Probatur antecedens ex forma qua vtitur Ecclesia : hæc enim verba : *Ego te baptizo, &c.* Indicant clarè proferentem ea singulariter operari totum Sacramentum, & effectum eius, habereque totalem intentionem concurrendi, vt talem causam totalem, & independentem ab alio: ergo de ratione baptismi est, quod minister eius sit totalis causa.

Confirmatur, & explicatur ratio D.Thom. in litera. De ratione actionis ministerialis ministri Ecclesiæ est, quod per ipsam representetur ministerium Christi, vt principalis ministri Sacramentorum, quia est instrumentum coniunctum Diuinitatis; sed ministerium Christi est totale, & independens à quocunque alio ministro : ergo de ratione ministri minus principalis est, vt etiam sit totale, & independens ab alio ministro minus principali, & eiusdem rationis : ergo cum duo baptizant partialiter ex sua intentione, & eam manifestant forma assignata non tenet Sacramentum. Antecedens ab omnibus admittitur tanquam de fide; quia Christo Domino in singulari attribuitur baptismus, dum Ioan. 1. dicitur: *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Consequentia probatur : ex eo quod minister Ecclesiæ gerit vicem Christi tanquam eius Vicarius : Vnde debet conformari ipsi in operatione, & in modo operationis, qui essentialiter pertinet ad ipsam.

In sensu explicato in ista conclusione est optima ratio, pro illa, quæ desumitur ex doctrina D.Thom. sup. quæst. præced. artic. 5. solution. ad 4. scilicet, quod per istam propositionem; *Nos te baptizamus*, mutatur forma baptismi, & sic nullus erit si detur sub illa à pluribus, & exemplum D. Thom. de duobus, quorum vnus est mancus, & alius mutus concurrentibus tamen ad baptismum id declarat manifeste.

Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum negatur antecedens, nam in Concilio Florent. sufficienter indicatur vnitas ministri integralis, & totalis in sensu à nobis explicato, dum dicitur esse necessariam personam ministri, & non personas in numero singulari loquens, qui semper supponit pro vno singulari tantum, vt pro sufficiente ad rem agendam, de qua est sermo.

Ad confirmationem respondetur : quod ibi dicitur : *Baptizantes*; quia Dominus loquebatur pluribus significans illis, quod quilibet, vt minister totalis, & independens debebat sub illa forma baptizare.

Ad secundum respondetur, concessa maiori, negatur minor, ad probationem negatur antecedens, ad eius probationem distinguo: explicitè, concedo maiorem implicitè nego maiorem : nam cum illud verbum: *Baptizetur*, sit Sacramentale significans ex parte formæ actionem, quæ fit à ministro; est efficaciter operatiuũ, & ideò significat id quod fit in baptizato, vt exercitum pro illo tunc ab ipso ministro actualiter proferente. Videatur alia solutio in Cabrera.

Ad confirmationem respondetur : negando antecedens, ad probationem respondetur; quod D.Thom. intelligitur de conuenientia materiali vocum, non de conuenientia formali significationis, & ratio illorum Auctorum, quos suppresso nomine impugnat D.Thom. attendebat ad congruentiam materialem tantum, quæ est in ipsis vocibus, & ideò non approbat eam, & recurrit ad diuersam significationem formæ, in qua datur diuersitas formalis.

Et si dicas, quod etiam in ista forma : *Ego te baptizo*, & in forma Græcorum : *Baptizetur seruus Christi*,

Christi, potest significati exdeterminatione intentionis proferentis concursus partialis, quando duo simul concurrunt ad baptizandum aliquem : ergo eodem modo est loquendum , & ita in nullo casu erit validus baptismus datus à duobus, vel si est validus quando datur sub ista forma : *Ego te baptizo* , etiam erit quando datur sub illa: *Nos te baptizamus* , & sic nulla erit differentia in vna forma, & alia.

Respondetur admisso, antecedenti, negando consequentiam. Ratio diversitatis est, nam licèt quando duo baptizant aliquem abluendo , & proferendo formam simul, si intendant concurrere partialiter, & talem concursum partialem significare, nullum faciant Sacramentum : tamen tunc nullitas Sacramenti non provenit ex defectu formæ attendendo ad propriam significationem , quam per se verba illius habent: quia hæc verba: *baptizote*, ex Christi institutione habent significare ablutionem Sacramentalem, & collationem Sacramenti, vt exercitam à ministro, tanquam á causa totali, & sufficiente, independenter ab alia ad faciendum quidquid est necessarium ad Sacramenti confectionem : Vnde nullitas Sacramenti tunc provenit , quia intentio ministri non est recta, & conformis propriæ formæ Sacramenti, & eius significationi , & & sic erit nullum Sacramẽtum ex defectu intentionis rectę, & per appositionem malæ , per quam extrahitur forma à propria, & genuina significatione. In altero verò casu, quando sub illa forma: *Nos te baptizamus* : concurrunt duo ad baptismum, si baptismus est validus provenit ex recta intentione, per quam significatio indifferens , aut æquiuoca determinatur per accidens ad propriam, & legitimam significationem : quando verò est Sacramentum nullum, hoc provenit quia forma illa profertur secundum vnum sensum incluſum actualiter in propria eius significatione, qui sensus est falsus , & contrarius ad sensum , quem facit propria forma baptismi , & ita talis forma de se est apta ad talem intentionem malam, imò illam semper videtur indicare, vt sentit D. S. ac propterea baptismus sub illa datus à pluribus regulariter est iudicandus nullus, licèt possit aliquando esse validus , vt explicatum est in principio dubij.

Ad secundam confirmationem respondetur: negando maiorem absolutè loquendo, & in sensu formali, licèt apparenter ita videatur ad sensum audientis.

Ad probationem respondetur, negando antecedens formaliter loquẽdo : nam Tres Diuinæ Personæ non concurrunt ad baptismum, & eius effectum, vt plures personæ sunt; sed in quantum sunt vnus Deus operans per eàndem virtutem efficientem : Vnde ista vnitas in causando melius representatur , per formam representantem vnitatem formę totalis , quam per illam, quæ representat concursum partialem instrumentorum . Imiò talis forma representat falsum , quia representat esse concursum partialem in Diuinis Personis (quod est Hæreticum) quia omnes opperationes ad extra procedunt totaliter à qualibet persona , & ab omnibus simul , quia opperantur ad extra , vt vniuntur in vnica virtute Diuinitatis , Trinitas Personarum vt obiectum fidei, quæ in baptismo recipitur , & vt est causa ipsius Sacramenti , & effectus eius sub vnitate explicata , explicatur in illis verbis formæ: *In nomine Patris, &c.* Vnde in re alia forma ex modo suæ significationis in casu dubij nostri, potius est dissimilis, & aliena à verò sensu formæ necessariæ.

Ad tertium argumentum , respondetur, primo cum Magistro Nuño hic difficult. 1. solut. ad vltimum, quod idem est dicendum in illo casu atque in nostro.

Secundo respondetur: esse diuersam rationem in vno Sacramento, & in alio; nam matrimonium ita est Sacramentum, quod est etiam contractus naturalis, de cuius ratione est, quod celebretur à duabus personis diuersi sexus, quarum quælibet in suo ordine est causa totalis ipsius, & ex alia parte propter istam rationem non habet in sua forma ita determinata verba sicut alia Sacramenta: vnde potest celebrari nutibus, & signis: ex quo colligitur, quod in illo casu illę plures fœminę secundum communem sensum indicarent illis verbis (quamlibet seorsum quantum est ex parte sui cõsensu exterius explicati) plures contractus totaliter inire, & non vnum partialiter: at in nostro casu in Sacramento baptismi nullum fieret Sacramentum, quia indicaret illa forma concursum partialem, qui est alienus à verò concursu ministri baptismi, qui etiam habet determinate verba formæ explicantia talem concursum: Vnde non admittunt prædictam variationem cum intentione explicata. Certè ista forma: *Nos te baptizamus*, ex modo communi significandi, & cõcipiendi magis significat concursum partialem, quam totalem, & ideò satis probabiliter loquutus est Ægydius dicens: nunquam esse verum Sacramẽtum datum à pluribus sub tali forma verum nè à Thomistis recedamus teneamus cum illis. Hęc de hoc dubio.

SECVNDVM SIT.

Vtrùm in casu tertiæ conclusionis, in quo docet Doctor S. baptismum verum à pluribus administrari, sit vnum Sacramentum, vel plura?

IN hoc dubio est prima sententia asserens, cum validè plures baptizant vnum hominem, non cõfici ab illis vnum Sacramentum; sed plura. Ita refertur Gabrielem docuisse in 4. dist. 6. quæst. 1, art. 3. dub. 4. cui consentit maior in eàdem dist. q. 1. §. *Contra istas conclusiones*. Videtur fauere huic sententiæ Caiet. hic §. *Circa principale quæsitum*: Dũ in resolutione dubij moti ibi, an vnitas, vel pluralitas ministri per accidẽs, an per se se habeat ad Sacramentum baptismi, sic ait: *Amplius quãdo baptismus est à pluribus ministris, &c.* Eàndem sententiam tuetur Ægydius de Coninch. hic dub. 1. conclusione 3.

Probatur hæc sententia primo impugnando rationem D. Thom. qui dicit in casu tertię conclusionis: *Vtrumque quantum est de se baptizare, non tamen conferre aliud, & aliud Sacramentum, quia Christus, qui est vnus interius baptizans, vnum Sacramentum per vtrunque conferret*: Contra istam rationem arguit Ægydius, quia Christus non confert interius Sacramentum; sed effectum Sacramenti; sed ex eo quod iste effectus sit vnicus non sequitur, quod Sacramentum illud conferens sit vnicum: ergo cum duo baptizant aliquem in casu dubij non conferunt idem Sacramentum numero. Minor probatur: quia duæ causæ morales possunt eundem effectum producere, sic dum commentarium articuli explicat per varias conclusiones in conclusione tertia procedit.

Secundo probat idem, conclusione tertia dubij citati: quia in tali casu esset saltim virtualiter verè duplex materia, & absolutè duplex forma: ergo essent duo Sacramenta.

Tertiò: quia si actus vtriusque ministri constituerent vnicum Sacramẽtum, neuter esset causator talis Sacramenti: quia neuter poneret omnes actiones, quæ hic & nunc ad esse vnius Sacramenti concurrerent, vt per se patet: ergo cum quilibet, vt causa totalis conficiat Sacramentum, sequitur vtrumque, aliud, & aliud Sacramentum conficere.

Hanc sententiam, videtur sequi Suar. hic disp. 23. sect. 3. Cuius fundamentum est, desumptum ex D. Tho.

quæst.

quæst.præcedenti art.5.ad 4.vbi agēs de eàdem re ait: *Quod actus multiplicantur secundum multiplicitatem agentium, si perfectè ab vnoquoque agatur*: Sed in præsenti casu (de quo agimus) baptismus perfectè datur ab vno quoque agentium: ergo multiplicantur iuxta talem diuersitatem Sacramenta ipsa.

Secundò, probat fundamento Caiet. (quod in secundo fundamento Ægydij continetur implicitè) explicatur tamen modo. In præsenti casu sunt duę formæ integræ ex parte ministrorum quorum quilibet, vt causa totalis profert verba formæ, sunt etiā duæ ablutiones, scilicèt duæ ablutiones aquæ; ergo absolutè sunt duo Sacramenta. Consequentia ex eo probatur: quia totum omne multiplicatur, multiplicatis partibus ex quibus adæquatè componitur; sed Sacrāmentum est, quoddam totum compositum ex ablutione, vt ex materia adæquata, & ex verbis, vt ex forma adæquata: ergo multiplicatur ad multiplicationem illorum.

Secunda sententia est opposita, asserens, quod in casu dubij non sunt duo Sacramenta; sed vnum tantum. Hanc meo videri expressè tenet D. T. in fine corporis huius articuli, sequuntur eam fere omnes Thomistæ tanquam sentētiam D. Thom. Magister Nuño in præsenti articulo difficultat. 2. & docet oppositam esse improbabilē, Cabrer. etiam hic disp. 2. fauet huic vetitati, Vazq. hic disp. 148. c. 2. impugnat tamen rationem (propter quam Soto Durand. & Palud. ab ipso ibidem citati illam tuentur) & quia isti, & alij nouiores Thomistæ ex vnitate subiecti inferunt vnitatem numericam baptismi isto modo, deducendi conclusionem huius sententiæ, reiecto, ipse recurrit ad vnitatem significationis: ratio autē qua impugnat prædictam rationem Thomistarum talis est, vt actio quę est mutatio in aliquo subiecto à diuersis agentibus procedens vna sit, debet esse in eàdem omnino parte subiecti; nā in diuersis partibus plures esse possunt numero differentes, vt patet: ergo cū quando plures baptizant eundem hominem possint ipsum abluere in diuersis partibus, & sic possint esse plures actiones abluendi, & etiam sint plures prolationes verborum; vnitas subiecti non obest Sacramenti pluralitati.

Hoc fundamento (reiecta ratione Thomistarum) fundamentalem qua mouetur ad sententiam tuendam sic format. Sacramentum est in genere signi: ergo vnitas illius ex vnitate significationis debet summi, & non ex vnitate physica rerum; sed vnica significatio reperitur in ablutionibus, & verborum prolationibus, quæ reperiuntur in casu nostri dubij: ergo tantum reperitur vnicum Sacramentum. Probatur minor ex Doctrina illius, quia licèt sint plures ablutiones, & plures prolationes verborum, quarum quælibet per se sola esset sufficiens ad integritatem Sacramenti; constituendam tamen hic & nunc, quatenus in vno, & eodem homine concurrunt ad idem efficiendum, & significandum, non possunt diuersam significationem & rationem Sacramenti habere; sed pro eodem in genere signi, & in ratione Sacramenti debent reputari.

Pro resolutione veritatis sit prima conclusio: Baptismus datus à pluribus in casu nostri dubij est verus, & legitimus baptismus. Hæc est communis omnium, qui quantum ad hoc doctrinam D. Thom. in 3. concluſ. huius articuli; sequuntur.

Probatur hac vnica ratione, qua vtuntur Sotus in 4. dist. 4. quæst. vnica art. 4. & Durand. dist. 3. quæst. 3. num. 13. quia in tali casu, aut neuter baptizat, aut vterque, aut solus alter, & alter non: primum non potest dici: ergo secundum necessarium est dicendum: probatur minor: quia vterque aplicat tūc ad hominem omnia necessaria ex parte materiæ, & formæ, ad baptismū; & vterque apponit ea cum recta, &

legitima intentione baptizandi scilicet non baptizatum: ergo verum conficitur Sacramentum ab illis. Patet consequentia: quia etiam in naturalibus positis illis, quæ ad essentiam alicuius rei pertinet necessario ponitur res talis; sed essentia baptismi consistit in applicatione formæ verborum ad ablutionem passiuam alicuius facta à legitimo ministro cum legitima intentione faciendi, quod facit Ecclesia: ergo semper quod hęc inueniũtur necessarium est, quod resultet, & verum, & legitimum Sacramentum baptismi: antecedẽs verò secundi discursus, probatur ratione D. Thom. facta in expositione literę: quia scilicèt vterque abluit, & vterque profert verba formæ, & vterque concurrit cum intentione baptizandi non baptizatũ, (vt supponimus in casu dubij) ergo vterque apponit omnia necessaria ad baptismum.

Nec dici potest tertium, scilicèt, quod alter solus baptizet, & alter nõ; quia vterque simul in eodem momento temporis apponit omnia necessaria ad baptismum: ergo eodem modo se habent ad baptizandum, & ita non est maior ratio, quare vnus baptizet, & non alius, dicẽdum ergo est, vel quod nullus baptizat, vel quod omnes simul concurrentes baptizant.

Secunda conclusio: talis baptismus non habet tantam vnitatem numericam, quantam habet baptismus datus ab vno tantum ministro, absolutè tamen dicendus est vnus numero sine aliquo addito. Hæc cõclusio quãtum ad vtranque partem est communis inter discipulos D. Thom. tam nostri instituti, quam alieni. Ratio primæ partis est: quia ex parte ministrorum includit pluralitatem actionum, quarũ quęlibet per se solam est sufficiens cõstituere vnum Sacramentum: quia quilibet exercet ablutionem, vt causa totalis intendens baptizare independenter ab alio: ergo ex parte agentis, & actionis non habet tantam vnitatem numericam talis baptismus sicut haberet, si ab vno tantum ministro conferretur.

Secunda pars probatur ratione desumpta ex doctrina Caiet. vbi supra in §. *Mirabili autem est* in fine, & formatur sic. Baptismi Sacramentum, vt dictũ est supra quæst. prędcedenti art. 1. nõ supponit pro ablutione actiua; sed pro ablutione passiua, vt se tenet ex parte subiecti baptizati: ergo vbi est tantum vnicum subiectum non potest esse, nisi vnica ablutio passiua, & consequenter vnicum tantum Sacramentum: cum ergo in præsenti casu dubij nostri, sit tantum vnus homo, qui est subiectum, in quo recipitur baptismi ablutio passiua, erit tantum vna in illo & tantum vnum Sacramentum, licet secundum exteriores partes, & ablutiones videatur duplex, aut multiplex.

Pro intelligentia istius rationis aduertendum est efficatiam eius fundari in quoddam principio phisico, & metaphisico, scilicet, quod accidentia individuantur à subiecto: Vnde ab illo accipiunt vnitatem numericam ratione cuius inferunt communiter metaphisici, quod implicat duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subiecto. Et ex eodem principio colligunt, quod si duo ignes applicentur ad comburendum idem lignum, quãuis actio, vt procedit ab agente sit duplex numerò, vt recepta in passo est idem numero motus, & èadem numero actio, & passio, & è contra si vnus ignis applicetur ad comburendum plura ligna, tunc actio calefactiua ex parte agentis est vna, & ex parte passi est multiplex. Videantur Philosophi 3. Physicorum cap. 2. & videantur etiam logici in prædicamento actionis, sic etiam nos dicimus in præsenti, quod quia baptismus supponit pro ablutione passiua, quæ se tenet ex parte hominis baptizati, quamuis in casu dubij ex parte ministrorum sit multiplex actiua ablutio, adhuc simplicitèr est vnum Sa-

Sacramentum numero, quia recipitur in eodem ſuppoſito numero: nã aliàs eſſent ſimul, & ſemel duo accidentia eiuſdem ſpeciei ſolo numero differentia in eodem ſubiecto, quod implicat in bona metaphiſica & phiſica, propter principium ſupra aſsignatum. Poteſt etiam adduci exemplum Theologicũ ex D. Thom. 3. part. quæſt. 82. art. 2. vbi docet, quod plures Sacerdotes poſſunt eandem hoſtiam conſecrare, vt contingit quando nouiter ordinantur, aliqui, quia tunc ſi in eodem iſtanti finiantur verba formę cũ Epiſcopo ordinante eandem hoſtiam conſecrabunt, & idem perficient Sacramẽtum, eritque conſequenter eadem numero conſecratio paſsiua ex parte materię conſecratæ, de quo certè videtur non poſſe dubitari, quia omnes Doctores loco citato fatentur idem Sacramentum perfici Euchariſtiæ. Hæc exempla magis mihi arrident, quam exemplum ſuperficiei variæ concurrentis ad vnitatem loci numericam, quia ſuccedunt in eadem diſtantia reſpectu centri, & poli fixi mundi, quo vtuntur Nuño, & Cabrer. hic. Videte illos.

Doctrinam à nobis explicatam cõfirmat ratio deſumpta ex litera D. Thom. in hoc articulo in fine corporis, nam etiam ablutiones actiuè ſumptæ habent aliquam vnitatem numericam per comparationem ad principalem miniſtrum inuiſsibiliter cauſantẽ ablutiones ipſas exteriores, qui eſt Chriſtus vtens diuerſis miniſterijs in ordine ad eandem ablutionem interiorem animæ eiuſdem numero hominis: ergo ex parte ipſius Chriſti, vt hic, & nunc concurrentis medijs actionibus pluriũ miniſtrorum habet baptiſmus ſufficientem vnitatem numero, vt adiuncta propria vnitate numerica ablutionis paſsiuæ deſumptæ ex vnitate ſuppoſiti adæquatè abluti ſit vnum Sacramentum numero.

Ex his infertur rationem efficacem ſecundæ ſententiæ eſſe factam à nobis, & non factam à Vazquez, quia niſi cõpoſitum ex ablutione paſsiua, & verbis ſit vnum, ſignificatio totalis illud denominans, & conſtituens in ratione eſſentiali Sacramenti nõ poteſt eſſe vna numero: quia eius vnitas numerica etiam ſumitur ex vnitate ſubſtracti, & quamuis admittamus, vt probabile, quod quia accidens reſpectiuum eſt, ſummit ſuam vnitatem numericam ex re ſignificata, tanquã ex ſuo correlatiuo, tamen cum quodlibet integratum ex ablutione, & verbis formæ ſit ſubſtractum adæquatum ſuſcipiens, ex inſtitutione Chriſti Domini, ſignificationem gratiæ regenerantis, & characteris Sacramenti baptiſmi, ſi illud eſt multiplex, erit etiam ſignum multiplex ſuſcipiens diuerſã numero ſignificationem, & redeunt eadem argumenta facta pro prima ſententia, quæ fortius contrà iſtud fundamentum Vazq. militabunt, vt conſtabit bene attendenti, & conſideranti. Vnde illo omiſſo, & in noſtro perſiſtentes, ad argumenta in oppoſitum ſatisfacere oportet.

Ad primum Ægydij patet ex confirmatione principalis rationis ſecundę partis noſtrę concluſionis, iuxta cuius doctrinam reſpondetur, quod Chriſtus interius (ideſt inuiſsibiliter) confert, vt pricipalis miniſter habens miniſterium excellentiæ, Sacramentum exterius, & effectum ipſius, vnde negatur maior in iſto ſenſu, in quo intelligenda eſt propoſitio D. Thom. & non in ſenſu in quo impugnatur, ac ſi intenderet, quod Chriſtus in ipſa entitate animæ cauſaret ipſum Sacramẽtum baptiſmi, quia ſic ſolũ cauſat gratiam, & characterem, quæ ſunt effectus illius (quod eſt Sacramentum tantum in baptiſmo) vnde fundamentum totius argumenti euertitur pęnitus, quia totũ fundatur in illa maiori propoſitione.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo antecedens, quatum eſt ex parte miniſtrorum, & actionum eorundem;

con-

concedo antecedens, quantum est ex parte subiecti, in quo recipitur ablutio, nego antecedens, & eodem modo distingui potest consequens, vel negatur absolutè consequentia, quia illę ablutiones, & verborum formæ prolationes hic, & nunc (quia ordinantur ad idem subiectum, & eundem effectum numero producendum in illo) considerantur inadæquatè, & ita in facto esse tantum datur vna ablutio passiua adæquatè denominans, & constituens totum hominem ablutum, & consequenter etiam prolationes formæ, vt se tenent ex parte illius, se habent, ac si inadæquatè essent secundum se, vnde hic, & nunc tantum constituunt vnicum Sacramentum.

Ad tertium distinguo antecedens, si constituerent vnum Sacramentum tales actiones, vt se tenẽt ex parte ministrorum, & propriæ cuiuscumque intentionis, aut etiam ex natura illarum, concedo antecedens (propter rationem in causali adiuncta constitutam, quia nulla actio ex parte sui esset sufficiens ad constituendum Sacramẽtum baptismi). Siverò constituant vnũ Sacramentum prẽter intentionem, & per accidens, nego antecedens, & ità cõtingit in præsenti, quia quilibet minister intendit per se independenter ab alio, tanquam causa totalis baptizare, & apponit omnia necessaria ad vnicum Sacramentum baptismi. Et ideò dixi, in prima parte secundę conclusionis, quod ex parte ministrorum, & actionum eorum, non habet istud Sacramentum tantam vnitatem, sed potius habet pluritatem, (vt in ratione illius partis continetur) sed tamẽ quia per accidens contingit finire eodem momento verba formæ circa idem subiectum, ideò illud Sacramentum est tantum vnum numero Sacramentum.

Ad fundamentum Suarez pro eàdem sententia respondeo primo: quod ex illa doctrina D. Thom. solum infertur, quod in casu dubij ex parte ministrorum sunt multæ actiones Sacramentales (quod nos admittimus) non tamen infertur esse plures ablutiones passiuè sumptas ex parte subiecti, neque plura Sacramenta propter rationem in probatione secundæ partis cõclusionis secundæ factam.

Secundò respondetur: quod vt ex contextu literæ D. Thom. cõstat, eius intentum est ibi, docere plures non posse simul vnum baptizare vtendo illa forma: *Nos te baptizamus*, sub qua forma intendit argumentum probare, posse validè Sacramentum conferri, vnde quando assignat rationem solutionis suæ dicens, quia actus multiplicantur secundum multiplicationẽ agentium, si perfectè ab vno quoque agatur, debet intelligi in ordine ad cõfirmandum illam formam non esse legitimam, & sic sensus est iste, cum minister quilibet baptismi dum baptizat operetur perfectè, tanquam causa totalis, si plures simul baptizarent, deberent sic operari perfectè, vt in forma explicaretur concursus totalis independens cuiuscũque ab altero, & quia baptizando sub hac forma: *Nos te baptizamus*, non explicatur concursus totalis, sed partialis, ideo mutatur sensus formę consuetę ab Ecclesia, & ideo sub illa nõ possunt plures simul eundẽ hominem, neque plures baptizare, secus autem si vtantur ista forma: *Ego te baptizo*. Legatur tota solutio D. Thom. & apparebit istam expositionem nostram esse legitimam.

Ad secundum fundamentum respõdetur: iuxta dicta ad secundum Ægydij dicendo, quod ex parte ministrorum, & ex modo concurrendi, quem habent sunt multa composita ex verbis, vt forma, & ex ablutionibus diuersis, vt ex diuersis materijs, ex parte tamen subiecti vniuntur, & tantum datur absolutè loquẽdo vna materia proxima scilicet vna ablutio passiua numero, in quantum vnicum numero suppõsitum est, quod àdæquate abluitur, & consequenter ex parte ipsius se ha-

habent prolationis variæ verborum formæ, ac si esset vna tantum adæquata prolatio formę, & sic tantum resultat hic, & nunc vnum numero Sacramentum.

Nec valet si dicas, quod potest etiam ablutio passiua multiplicari ex parte ipsius subiecti, vtpotè si abluantur diuersę partes eiusdem hominis à pluribus ministris: ergo tunc essent plura compositaex ablutione passiua, tanquam ex materia proxima, & ex verborum forma multiplicata, & sic plura Sacramenta.

Non in quam valet hoc, quia vt ipse Caietanus (ex cuius doctrina Suarez sumpsit hoc fundamentum) dicit: quamuis plures partes eiusdem hominis abluantur, & sic sint diuersæ ablutiones passiuæ, sunt partialiter, & inadæquatę tantum, quia subiectū, quod primò abluitur tanquam adæqualum susceptiuum Sacramenti, & effectus illius, est totus homo secundum, quod est suppositum humanum, & ille est qui baptizatur, & sanctificatur, atque regeneratur, & non caput aut brachium hominis, vnde tantum est vnica ablutio adæquata, sicut est tantum vnus ablutus, & consequenter vnum compositum Sacramentale.

In forma ergo respondetur: distinguendo antecedens, adæquatè, nego antecedens, in adæquatè, & secundū partes exteriores transeat antecedens, & negatur consequentia: quia ablutio passiua, quæ est materia proxima Sacramenti baptismi est ablutio adæquata hominis, vt ipsum suppositū humanum constituit, & denominat ablutum. Et certè, quia Caietanus hoc explicitè dicit, dum ex dictis infert hæc. *Et propterea dicitur, quod non est nisi vnus baptismus passiuè in eo qui baptizatur.* Sentio ipsum non voluisse recedere à nostra, & Diui Thomę sententia, quamuis sua confusione in contrarium videatur inclinare. Hæc de dubio.

CIRCA SOLVTIONEM AD tertium D. Thom. est tertium dubium.

Vtrùm in casu quo aliquis actum ablutionis exerceret, & alter verba formæ proferret, verum Sacramentum conficeretur?

IN hoc dubio Marsilius in 4. dist. 4. dub. 11. partim affirmatiuam tenet, & quod magis est eam docet etiam Caiet. in præsenti commēt. propè finem illius post prolixam disputationem; & certè loquitur consequenter ad ea, quæ prius in medio cōmentarij dixerat de concursu partiali ministrorum, dum docuit suo intellectui magis verum apparere, quod minister baptismi potest ex pluribus partialibus integrari.

Fundamentum huius sententiæ tale est apud Marsilium. Nullibi est expressum, quod rempore necessitatis, quando baptismus non potest ab vno tantum ministrari, potest tamen à pluribus, si ab illis, & non ab vno solo ministretur, non esse verum Sacramentum: ergo dicendum est, quod in tali casu necessitatis possit aliquis, in periculo mortis existens, verè, & validè à pluribus baptizari, in fauorem ipsius baptizandi, ne periret anima eius.

Secundum fundamentum ex Caietano desumptum tale est. Si aliqua ratione Sacramentum datum à pluribus illo modo nullum esset, maximè propter rationem D. Thom. in relata solutione, scilicèt, quia non verificaretur forma ista: *Ego te baptizo*, neque posse etiam verificari altera forma, de qua dubitamus primò; sed hæc ratio est nulla ergo.

Probatur minor: nam in primis dato, quod forma latina non possit verificari posset tamen dari baptismus sub forma Grecorum dicendo: *Baptizetur seruus Christi, &c.* Tum etiam, quia loquutio pluralis numeri in prima per-

persona potest exponi copulatiuè per duas cathegoricas, & tunc necessariũ est, quod quælibet singularis sit vera; potest etiam exponi copulatim, & tũc non ex igitur veritas propositionis de singulari numero seorsum sumptæ; sed potius stat veritas propositionis resolubilis cum falsitate cuiuscunque singularis, vt in casu quo iudices delegati simul, ita quod neuter sine alio posset iudicare, tunc proferendo sententiam possent dicere, & deberent dicere: *Nos iudicamus*, quia tunc vera esset hæc copulata resoluens: ego & alter coniunctim iudicamus, falsa tamen esset quælibet singularis seorsum sumpta, scilicet: *Ego iudico*, quia neuter solus, & per se haberet auctoritatem iudicãdi: ergo eodem modo posset verificari in casu dubij: *Nos te baptizamus*, scilicet, quia de vtroque simul coniunctim verificaretur baptizare quamuis de nullo in singulari, & seorsum verificaretur: ergo etiam sub tali forma posset dari verus baptismus.

Tertiò: quia ad Christum principaliter baptizantem non refert pluribus partialibus instrumentis vti, ad vnum baptisma, dum modo forma, materia & intentio debitè seruentur: sed in casu nostro seruantur hæc omnia: ergo verum Sacramentum confertur.

Quarto: (& confirmantur hęc duo argumenta) quia in Sacramento Pœnitentiæ vtitur Christus duobus, quorum vnus (scilicet pœnitens) apponit materiam, & alter (scilicet confessarius) apponit formam; ergo idem poterit esse in baptismo.

Confirmatur hoc argumentum, quia tunc de proferente verba formæ posset verificari forma: *Ego te baptizo*, isto modo, & ad istum sensum (id est) ego impendo tibi Sacramentum, ablutionis spiritualis, & verificaretur quod abluit specialiter: ergo non est cur dicatur Sacramentum tale esse nullum.

Quintò arguitur ex dictis dubio præcedenti, & formatur argumentum sic. Congruentius cõcurrunt ad vnum baptismum duo ministri partialiter se habentes quam totaliter, & adęquatè se habentes; sed dictum est, quod plures totales ministri, & totaliter concurrentes possunt verum baptismum, & vnum numero conferre: ergo melius debet dici, de pluribus partialiter concurrentibus. Probatur maior: quia minister huius Sacramenti debet esse vnus; sed ex duobus partialibus ministris optimè intelligitur, quod resultet vnus integer, & totalis minister, non tamen ex totalibus: ergo congruentius concurrunt duo partialiter ad vnum baptismum, quam totaliter.

Sextò: ex Euangelio non habetur, nisi quod ablutio hominis fiat sub inuocatione Trinitatis siuè inuocatio fiat ab abluente siuè ab alio: ergo in casu dubij nostri verum Sacramentum baptismi confertur. Probatur antecedẽs: nam in illis verbis Matthæi vltimo, vbi designatur forma huius Sacramẽti, illud non exprimitur; sed potius implicitè indicatur sufficere, quod fiat siue ab ipso abluente, siuè ab alio (vt sibi vult Caietan. vbi supra, dum de ministris partialibus disputat) & ideò ait: signanter dici in numero plurali, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Sed veritas huius formæ saluatur si inuocatio fiat ab vno, altero abluente, quia talis forma cadit super ablutionem passiuam: ergo verum conficitur Sacramentum.

Secunda sententia est contraria, & negatiua, asserens Sacramentum datũ á duobus partialiter concurrentibus, eo modo quo in dubio præsuponitur, esse nullum. Ita D. Thom. in isto articulo. Tum in corpore in ratione primę conclusionis ex propria sententia inducta. Tum etiam in solutione ad 3. & etiam quæstione præcedenti, articulo 5. ad 4. Illam sequuntur omnes discipuli D. Thom. (excepto Caietano.) Soto *in* 4. dist. 4. art. 4. Nuño *in* præsenti,

senti, & difficultatè 3. Cabrer. etiam hic, eadem difficultate. Inter Iesuitas, Suarez hic, disp. 23. sect. 3. in secunda parte sectionis: Vazquez etiam hic, disp. 148. cap. 3. Ægydius hic, dub. 1. conclusione. 1.

Sit ergo conclusio. Hęc vltima sententia est probabilior, & verior. Hæc conclusio etiam tenetur à Doctoribus antiquis, etiam ab illis qui contra veram Doctrinam D. Thomæ ex professo dimicarunt, vt refert Suarez. Fundamenta illius desumuntur ex rationibus D. Thom. Prima est, quæ habetur in corpore huius articuli, quæ est optima congruentia, & efficax; quia minister Baptismi baptizat, & confert tale Sacramentum, vt minister Christi, tanquam gerens eius vices: ergo in sua persona oportet repręsentari persona ipsius Christi, & consequenter sicut Christus est vnus, ita minister eius gerens vices, debet esse vnus, & consequenter, si plures baptizent vtendo illa forma: *Nos te baptizamus*. In casu nostri dubij non repræsentabunt vnitatẽ ministerij ministri principalis, Christi scilicet, & ita non conficient Sacramentum Baptismi.

Secunda ratio procedit à priori, & magis efficaciter (supposita institutione Christi Domini, & forma qua vtitur minister Ecclesiæ Latinę in confectione huius Sacramenti). Formatur ergo sic ratio, sicut ex solutione ad tertium D. Thom. colligi potest. Veritas Sacramenti Baptismi, & eius integritas, resultat ex vnione veræ formę prolationis verborum, cum ablutione passiua hominis; sed in casu dubij non datur talis vnio veræ formæ cum ablutione passiua, ergo non resultat verum Sacramentum. Discursus est euidens, maior certa, & minor probatur: Quia in tali casu hæc forma verborum: *Ego te baptizo*. Non significat verum; sed oratio, quæ est forma essentialis Sacramenti, debet verum significare: ergo tunc non habet rationem formę, magis quam si ego modo quando scribo dicerem: *Ego te abluo*. Maior patet, quia in casu dubij, qui profert verba illa, nullo modo baptizat, cum non exerceat actum ablutionis, & illa propositio significat illum, vt exercitum hic & nunc à ministro proferente verba: ergo nullo modo illa propositio continet verum, & consequenter qui profert illa verba non conficit Sacramentum. Qui verò tantum immergit, constat, quod nõ confert propter maiorem discursus primi, quia scilicèt non ponit omnia ex quibus integratur ipse Baptismus, ergo Sacramentum in illo casu, nullum est.

Tertia ratio desumitur ex solutione ad 4. articul. 5. præcedentis quæst. Actus baptizandi multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si ab vnoquoque perfectè agatur: sed actus baptizandi debet perfectè agi à quocunque agente: ergo non potest idem Baptismus fieri à multis, imperfectè, & in completè concurrentibus. Maior est D. Thom. loco cit. minor vero probatur. Quia vera significatio formæ huius: *Ego te baptizo*, hoc petit, nam si aliquis proferat illa, & nõ lauet, falsa erit propositio: ergo non constabit Baptismus.

Confirmatur, nam præfata verba, immediatè, & per se primo significant actionem sensibilem externam lauandi, quia hæc est propria, & rigurosa significatio illius orationis, in qua accipienda sunt ea quæ ad materias, & formas Sacramentorum pertinent: Tum etiam quia de ratione formæ huius Sacramenti, est vt in ea signetur vsus materiæ: ergo si qui profert non lauat, non potest verè dicere: *Ego te baptizo*.

Vltimo probatur eadem conclusio ratione à priori desumpta ex Christi Domini institutione, qui instituit hoc Sacramentum, ita vt materia, & forma integrè ponatur ab vno ministro, tanquam ab vnica causa totali: ergo si concurrant duo partialiter

concurrentes nihil facient. Antecedens non potest expressè probari ex aliquo sacræ paginę testimonio, quia in illo Matth. vltimo: *Baptizantes eos in nomine, &c.* Id non continetur explicitè. Neque rursus probari potest ex aliqua diffinitione Ecclesiæ, quæ explicitè illum modum institutionis describat factum fuisse à Christo Domino, vt bene notant hic Suarez, & Vazquez, atque etiam Soto vbi supra. Probatur tamen ex vsu vniuersalis Ecclesię, qui est legitimus interpres legum. Etenim Vniuersalis Ecclesia semper voluit Baptismum integrè perfici ab vnico ministro, quoad materiam scilicet, & formam: neque vnquam est vsum, aut auditum in Ecclesia, quod Baptismus aliter sit ministratus. Deinde etiam: forma qua vtitur Ecclesia Latina, expressè significat totum Sacramentum ab vno ministro confici. Vnde possumus dicere, quod vniuersalis Ecclesia, ita intelligit institutum fuisse hoc Sacramentum, & in praxi sic glossat illa verba Matthæi, quæ certè (saltem implicitè) idem continent, nam Christus mandauit Apostolis, non solum, vt inuocarent Trinitatem personarum circa personam ablutam; sed quod gentes baptizarent, idest abluerent inuocando personas Trinitatis illo modo. Vnde non multum obscurè apparet præcipi à Domino vtrunque pertinens ad integrum Baptismum. De quo etiam egimus aliquid quęst. præcedenti, artic. 5. ergo nullo modo validum erit Sacramentum Baptismi, nisi aquolibet ministro totaliter agatur.

Sed contra primam rationem arguit Durandus. Causa principalis Baptismi, est Trinitas personarum: ergo possunt esse plures ministri, vt repræsentent tres personas principaliter operantes, Baptismum, & effectum eius.

Secundò arguitur contra eandem rationem. Quia nulla necessitas apparet, vt vnitas personæ Christi repræsentetur in persona vnica ministri: ergo propter talem repræsentationem, non est dicendum Sacramentum Baptismi debere ministrari ab vnico singulari ministro. Antecedens probatur, nam non est vndè colligatur hæc necessitas, cum Sacramentum non sit institutum ad illam vnitatem significandum.

Deinde confirmatur, etiam si admitamus talem adesse significationem, vt sicut Christus est vnus principalis minister, ita sit vnus minister qui illum repræsenter, adhuc non sequitur illum debere esse vnum simplicem: ergo non sequitur intentum. Probatur antecedens, nam sufficienter repræsentatur talis vnitas, si sit vnus minister compositus ex duplici persona partialiter qualibet concurrente: ergo. Probatur antecedens, quia tunc vtraque simul concurrit per modum vnius ministri; sed in isto modo concurrendi, satis repræsentatur vnitas Christi, ergo.

Ad primum respondetur, distinguendo antecedens. Trinitas personarum concurrentium sub ratione Trinitatis, nego antecedens, concurrentium sub ratione vnitatis in natura Diuina, & virtute eius, concedo antecedens, & nego consequentiam: sed potius contrarium infertur, quia Deus vt vnus, est auctor omnium Sacramentorum, & vt vnus operatur effectus illorum, & ideò ad id designandum, dicitur in forma Baptismi: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et non in nominibus, vt dixi quæstion. præcedenti art. 5.

Ad secundum respondetur negando antecedens, ad probationem negatur iterum antecedens. Hæc enim necessitas colligitur secundum quandam congruentiam ex ipsa forma instituta à Christo Domino in qua significatur ministrari à proferente illam totum, quod requiritur ad essentiam totius Sacramenti, & ex cognitione fidei

fidei per quam cognoscimus Christum esse principalem auctorem, & causam Sacramentorum, & quod ministri illa conficiunt, vt vicem gerentes illius, & propterea infert D. Thomas esse congruum valdè, quod persona ministrans, representet ipsum Christum, sicut ipsa Sacramenta significant Christum, & passionem eius.

Deinde dico, quod Sacramentum Baptismi, licèt per se primo sit institutum ad significandam gratiam regenerantem in quantum signum practicum est, sicut secundario speculatiua significatione representat passionem Christi, & gloriam: ita eo ipso, quod institutum est, vt totaliter fiat à singulari quocunque ministro, quia instituitur vt vice Christi conficiatur, secundario etiam institutũ est, vt representetur in ministerio ministerium principale, & inuisiuile Christi: & sic vnitas ipsius, & ideo conuenit necessario suppositа institutione diuina, quæ de facto facta est, quod minister vnus, sit totalis causa illius, & independens ab alio.

Ad confirmationem respondetur: negando antecedens, ad cuius probationem respondetur: quod licèt aliquo modo saluetur, quod minister compositus ex duobus partialibus representet vnicum ministerium Christi, tamen non potest saluari perfectè, & ita congruenter: quia ministerium Christi, est vnius simplicis ministri totaliter, & adæquatè conficientis Sacramentum, & causantis effectum eius. Vnde, vt sit perfecta representatio talis ministerij, in ipso exercitio debet fieri Sacramentum à quolibet ministro totaliter, tanquam ab vnico simplici ministro.

Ad argumenta à principio pro prima sententia. Ad primum Marcelij, respondetur concedendo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, nam licèt non sit expressum alibi, colligitur tamen maxima cum certitudine morali, Sacramentum Baptismi ministratum à ministris partialiter concurrentibus per diuisionem ministerij, vel saltem secundum suam intentionem, nullum esse, propter rationes iam factas, & solutiones simul ad obiectionem secundam contra primam rationem. Item etiam consequentia nulla est, quia institutio facta est generaliter sine aliqua exceptione, etiam in casibus extremæ necessitatis, vndè sicut propter istam rationem in nullo casu est licitus, aut validus Baptismus, nisi apponatur ablutio aquæ naturalis, vt materia, & forma verborum prolata, tanquam forma Sacramenti (etiam si admitamus dari casum extremæ necessitatis, in quo deficiat vera aqua naturalis, aut persona, quæ possit loqui, sed solum sit aliquis mutus) ita etiam propter eandem rationem, nunquam potest constare legitimus baptismus nisi fiat à tali ministro totaliter faciente totum, quod pertinet ad essentiam illius.

Si ergo dicas, quid ergo faciendum est in illo casu dubij? Respondetur dupliciter: primo iuxta Caietan, quem sequitur hic Nuño, quod tunc debet qui habet manus implere illas aqua, vel implere vas aqua, & ponere super caput alterius qui potest loqui, & tunc qui loquitur, inclinando caput, alrero tenente vas ne cadat, potest effundere aquam super baptizandum, & proferre verba formæ, & sic baptizare, quo modo certè videtur non carere probabilitate, baptismum tenere; sed multum probabile est, quia iam idem minister lauat modo possibile, & profert formam, & sic verificatur, quod concurrit totaliter exercendo totum, quod est necessarium ad Baptismum. In quo casu (ait Nuño) quod habita oportunitate est iterum homo baptizandus sub conditione. Ego tamen dubito de hoc, quia Baptismus certus moraliter

liter loquendo, non est iterandus sub conditione., sed solum Baptismus, qui est dubius de suo valore. Vnde Caietanus, qui Baptismum sic datum putat indubitatum, non dixit iterandum sub conditione.

Secundò respondetur, iuxta sententiam affirmatiuam, (vt dicit Suarez vbi supra) quod occurrente articulo necessitatis dubij propositi, posset dari Baptismus à manco, & loquente, & à muto, & manus habente, quia melius est in articulo necessitatis accipere Baptismum dubium, quam nullum. In hoc modo dicendi necessario consequenter est dicendum, quod est iterandus talis Baptismus sub conditione, habita oportunitate ministri potentis exercere omnem actionem necessariam ad constitutionem Baptismi indubitati.

Ad secundum fundamentum respondetur, concessa maiori, negando minorem: ad probationem, negatur antecedens primæ probationis, quia forma Græcorum est eiusdem rationis essentialis cum Latina. Vnde regulanda est per istam quoad sensum verborum totius propositionis, & ita debet verificari eodem modo scilicet, quod Baptismus, quoad actionem lauandi, & prolationem formæ, fiat ab vno, & eodem ministro.

Ratio est duplex, prima, quia vt rectè aduertit Suarez, illum verbum: *Baptizetur*, non est de præcatiuum; sed efficaciter operatiuum. Vndè significat actionem baptizandi, vt exercitam hic, & nunc, à proferente illa verba.

Secunda ratio est, quia si forma Græcorum, non regulanda esset per formam Latinam, & haberet eandem significationem essentialem, esset diuersæ speciei ab illa, & consequenter constitueret diuersum Sacramentum Baptismi, quod est Hæreticum, contra illud Pauli ad Ephes. 4. *Vna fides, vnum Baptisma.*

Ad alteram probationem respondetur, illam propositionem, quamuis simulistice loquendo, ad sui veritatem sufficiat habere resoluentem copulatam veram, sicut discurrit Caietanus, tamen quoad præsens attinet, & Theologicè, non sufficit hoc, sed requiritur necessario, quod quælibet singularis sit vera, eo quod, vt probauimus, de ratione formę Baptismi est, quod significet primo, & per se ablutionem exteriorem, vt exercitam ab eodem proferente verba formæ, & ita si quilibet minister non lauat, implicat verificari formam, vt forma est talis Sacramenti. Vnde etiam si admittamus posse vti illa forma pluralis numeri in confectione Sacramenti, debet verificari in sensu exposito, aliàs non potest esse forma Sacramentalis.

Ad tertium respondetur: distinguendo antecedens, si considerentur pertinentia ad istud Sacramentum ex parte ministri, ex natura rei, & moraliter secundum se, transeat, si considerentur, suppositâ institutione huius Sacramenti, sicut facta est de facto, nego antecedens, & quia in præsenti loquimur de facto, ideo absolutè negari potest antecedens.

Ad quartum, negatur consequentia. Ratio diuersitatis est, diuersus modus institutionis huius Sacramenti, à modo institutionis Sacramenti pœnitentiæ, nam istud institutum est per modum cuiusdam iudicij in foro conscientiæ, de ratione autem iudicij est, quod iudex non ponat materiam iudicij; sed præsuponat, & atenta cognitione eius, iudicet absoluendo, vel condemnando reum. Vnde pœnitentia petit, quod materiam ponatur à reo, tanquam ab actore contra se, & quod Sacerdos ponat tantum formam Sacramenti, qua mediante be-

ne-

neficium absolutionis impedit. At vero Sacramentum Baptismi est institutum per modum cuiusdam ablutionis significantis regenerationem spiritualem: Vnde eo modo forma istius Sacramenti instituta est, quo conuenientius significetur ablutio exterior immediatè, & ita ad sui verificationem petit, quod fiat ab ipso proferente, quia verba formæ significant talem actionem, vt hic & nunc exercitam à proferente ipsa. Etiam in matrimonio est diuersa ratio, quia in illo eleuata est ratio contractus humani, ad esse Sacramenti: vnde cum contractus includat duas personas saltem, quarum vna tradat aliquid, & altera accepter, ideo non mirum, quod in matrimonio detur duplex minister, non autem potest dari in Baptismo duplex partialis minister, propter rationem sepè datam.

Ad quintum negatur maior, ad probationem, distinguo maiorem, debet esse vnus adæquatè concurrens ad confectionem Sacramenti, concedo maiorem: debet esse vnus in abstractione ab isto, & illo modo vnitatis, nego maiorem. Ad minorem dico, quod atenta institutione huius Sacramenti implicat intelligi, quod vnus minister compositus ex ministerio diuisso inter duos, sit legitimus minister Sacramenti, & ita negatur minor, per non suppositionem extremorum, quando autem in aliquo casu accidentali propter inordinatum modum concurrendi duorum, vel plurium ministratur Baptismus ab illis, quolibet singulari totaliter, & adæquatè concurrente, non dicimus nos, quod ex illis simul resultat vnus integer minister; sed quod quilibet, vt minister totalis baptizat, in casu explicato dubio præcedenti, & addimus, quod in ordine ad vnitatem numericam Sacramenti ex parte subiecti, sua ministeria habent se quasi essent inadæquata, quia ab vnitate numerica illius accipiunt vnitatem numericam, vt recipiuntur in ipso.

Ad sextum patet ex vltima ratione conclusionis, quod licèt non explicetur clarè, quod actio abluendi debeat fieri ab eodem ministro à quo est fienda inuocatio Trinitatis, implicitè non obscure continetur. Hæc de dubio, & articulo.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrùm in Baptismo requiratur aliquis qui baptizatum leuet de Sacro fonte?

CONCLVSIO Est affirmatiua. Ratio D. Thomæ desumitur ex proportione, quæ repiritur inter generationem spiritualem, & carnalem, & formatur sic. Spiritualis regeneratio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali; sed in generatione carnali, paruulus nuper natus, indiget nutrice, & Pedagogo; ergo in spirituali generatione Baptismi, requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis, & Pedagogi, informando, & instruendo baptizatum quasi nouitium in fide, de his quę pertinent ad fidem, & vitam Christianam: ergo requiritur aliquis qui suscipiat baptizatum de Sacro fonte, quasi in suam instructionem, & tutelam. Maiorem discursus primi, probat Doctor Sanctus ex illo Petri secundo, vbi de nouiter baptizatis loquitur ad similitudinem infantium secundum carnalem generationem, sic ad illos sermonem dirigens, suum fatur: *Sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite.* Conclosionem autem confirmat duplici testimonio Dyonisij 2. & vltimo cap. cœlestis Hierarchiæ, ex cuius doctrina constat antiquissimam consuetudinem esse in Ec-

cleſia à temporibus Apoſtolorum, Sacerdotes baptizantes puerum, tradere illum alicui ſuſceptori, & duci, ſicut in Diuinis docto Pedagogo.

Ad intelligentiam concluſionis, ſolum placet aduertere ex doctrina D. Thomæ hic ad ſecundum, quod ſuſceptor baptizati de Sacro fonte, non eſt neceſſarius ad baptiſmum neceſsitate Sacramenti, ſed tantum eſt neceſſarius, neceſsitate cuiuſdam congruentiæ, ad faciliorem, & meliorem èducationem, & inſtructionem recenter baptizati, propterea, quod in vita ſpirituali eſt imbecillis, & ideò ſe ipſum non poteſt ſolus ad incrementum perducere, ita facilè, & congruè. Et in hac neceſsitate fundatur celebris, & antiqua conſuetudo Eccleſiæ deputãtis, & deſignantis, mediis Sacerdotibus baptizantibus, aliquem patrinum, qui baptizatum de Sacro fonte ſuſcipiat, etiam in baptiſmis adultorum. Vnde talis ſuſceptor eſt neceſſarius neceſsitate præcepti ad Baptiſmum ſolemnem, quia ita colligitur ex Sacris Canonibus relatis ab interpretibus D. Thomę in præſenti, & ex ipſa conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, contra quam facere in re tam graui, graue peccatum mortale non dubito eſſe.

Circa conditiones quas debet habere ſecundum Sacros Canones, ſuſceptor baptizati, videantur interpretes D. Thom. hic. Optimè enim illas explicant, Noño poſt art. 8. & Cabr. in præſenti articulo, quas breuiter tantum placet adducere, ſunt enim quatuor; tres priores ſecundum iura antiqua, vltima verò, ſecundum ius nouum Concilij Tridentin. Prima conditio eſt, quod ſit baptizatus, nec ſufficit eſſe baptizatum, ſi ſit Hæreticus, quia ratione Hęreſis non eſt aptus ad actum inſtructionis baptizati in rebus fidei, ad quam ordinatur talis ſuſceptio de Sacro fonte. Secunda conditio eſt, vt ſuſceptor non ſit Abbas, aut Monachus. Tertia eſt, quod non ſit Pater baptizati. Quarta eſt, vt ſit deſignatus ad petitionem Parrochi, qui debet diligenter interrogare ab eis ad quos ſpectat, quem, vel quos elegerint, vt baptizatũ de Sacro fonte ſuſcipiant, & eos vel eum, tantum, debet admittere, iuxta decretum Concilij Trident. ſeſ. 24. de reformatione matrimonij cap. 20.

Circa cognationem ſpiritualem, quæ ex actu ſuſcipiendi baptizatum inſurgit inter ſuſcipientem, & ſuſceptum, non eſt neceſſarium aliquid aduertere, niſi quod cognatio ſpiritualis contrahitur modo poſt Concilium Trident. non ita extensè ſicut anteà, vt videre eſt in illo cap. 20. modo ſupra citato, iuxta cuius decretum contrahitur cognatio ſpiritualis tantum inter ſuſceptorem, aut ſuceptores baptizati, & ipſum baptizatum: quæ cognatio vocatur paternitas ſpiritualis: & ſimiliter inter ſuſceptorem, & parentes baptizati, & vocatur talis cognatio compaternitas. Ex quo infertur, quod modo Baptizatus non contrahit cognationem ſpiritualem cum filijs ſuſceptoris, neque cum vxòre eius, ſi ipſa non ſit etiam ſuſceptor, ideſt, matrina, neque etiam ipſi patrini ex hoc, quod ſuſcipiunt aliquem de Sacro fonte, non cõtrahũt inter ſe aliquâ cognationem ſpiritualem, & ſic liberi ſunt ad matrimonium contrahendum inter ſe, & ſi ſint vxorati, iam liberè poſſunt abſque aliqua culpa vacare actibus matrimonij petendo debitum, & non ſolum reddendo.

Vtrùm autem iſta cognatio ſpiritualis contrahatur inter perſonas ſignatas, quando aliquis tenet puerum in baptiſmo priuato. Aliqui reſpõdẽt negatiuè, ſequentes Magiſtrum Soto in 4. diſt. 42. quæſt. 1. art. 3. de quorum numero eſt Suarez art. 8. huius quæſt. & Nuño ibidem, quamuis loquatur cũ aliqua diſtinctione: & in caſu quo ſuſceptor in baptiſmo neceſsitatis, deſignetur à Parrocho, dicit: quod vtrunque eſt probabilè, & ideò erit melius ad contrahendum matrimonium petere

rere dispensationem.

Alij vero affirmatiuè respondent, dicentes: etiam in baptismo necessitatis oriri cognationem spiritualem inter baptizantem, & baptizatum, & patribus eius, & inter suscipientem eum de Sacro fonte, & parentes eius similiter. Sequuntur in hoc modo dicendi D. Thom. nam in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 1. in corpore, & idem admittit, in solutione ad 2. & in additionibus quæst 56. art. 2. & 3. absolutè sine aliqua distinctione docet: quod baptizans, & suscipiens baptizatum de Sacro fonte contrahunt cognationem spiritualem, quia sicut qui traddit Sacramentum baptismi, habet se vt principiũ actiuum generationis spiritualis baptizati, ita qui leuat de Sacro fonte habet se, vt mater eius, & quasi succedit loco eius, quia sicut qui baptizat gerit personam Dei, ita qui suscipit de Sacro fonte gerit vicẽ Ecclesiæ: Quod etiam suo modo verificatur in Sacramento priuato in casu necessitatis dato absque solemnitate. Hanc sententiam tenet Nauarrus, in Manuali Latino cap. 16. num. 34. §. 10. in responsione ad quandam interrogationem à se factam Romæ: Idem sentit, cap. 22. num. 40. Tenet illam Cabrera in præsenti, Ægydius dispur. 32. de impedimento matrimonij triplicis cognationis, dub. 2. concluſ. 5. Hanc sententiam præsuponit tanquam certam Petrus de Ledesma, in Summa cap. 17. post. 6. conclusionem, §. vltimo constituto: Idem facit in tomo de matrimonio, quæst. 56. art. 1. dub. 1. & alijs sequentibus, quæ dubia mouet suponendo, quod in casu necessitatis contrahitur cognatio spiritualis.

In hoc dubio, ego non audeo à cõmuni affirmante opinione recedere, quia non inuenio fundamentum solidum ad oppositam, & negantem tuẽdam: nam cum hęc cognatio spiritualis ortum habeat præcisè ex decreto Ecclesiæ, & nullum sit in quo ex primatur, quod contrahitur solum in baptismo solemni; sed absolutè dicatur illam contrahi in baptismo, videtur mihi, quod in quolibet baptismo, tàm solemni, quam priuato contrahitur talis cognatio spiritualis inter susceptorem baptizati, & ipsum eiosque parentes, sicut contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, & quia iura antiqua eodem modo generaliter loquuntur in hac re (vt notat Cabrera hic) solum mihi sese offert duplex ratio dubitandi in contrarium.

Prima est: nam susceptor baptizati ideò secundum iura antiqua cõtrahit cognationem spiritualem cum baptizato, quia gerens vicem Ecclesiæ nomine illius habet se vt mater spiritualis ipsius spiritualiter nati, vt constat ex doctrina D. Thom. in additionibus vbi supra: sed in baptismo priuato, & qui datur in casu necessitatis susceptor non gerit vicem Ecclesiæ, quia nõ exercet munus susceptoris, tanquam cæremonia Ecclesiastica, cum pro baptismo priuato nulla sit ab Ecclesia specialis cæremonia instituta: ergo non contrahit cognationem spiritualem, quæ ex statuto Ecclesiæ prouenit, ordinantis, vt per talem actum suscipiendi contrahatur.

Secunda ratio dubitandi se mihi offert, quia attendendo ad ius nouum Concilij Trident. videtur, quod talis cognatio tantum contrahitur in baptismo solemni: ergo solum in illo suscipiens aliquem de Sacro fonte contrahit cognationem spiritualem cum eo. Probatur antecedens, quia in illo cap. 2. sup. cit. Concilium postquam, dicit cognationem spiritualem contrahi inter susceptorem, & baptizatum, ac parentes eius, statuit: quod susceptor designetur, & admittatur à Parrocho sic dicẽs: *Parrochus antequam ad baptismum conferendum accedat diligenter ab his ad quos spectabit, sciscitetur quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de Sacro fonte suscipiant, & eũ vel eos tantum ad eum suscipiendum admittat.* Hæc autem interrogatio, &

de

de signatio; & alia, quæ Concilium præcipit fieri à Parrocho circa subscriptionem nominum eorum in libro, & circa explicationem cognationis, quã contrahunt constat ex vsu Ecclesiæ pertinere tantum ad baptismum solemnem: ergo post Concilium Trident. talis cognatio spiritualis non cõtrahitur à susceptore nisi designato à Parrocho in baptismo solemni.

Certè istę duæ rationes maximè ostendunt probabilitatem primi modi dicendi, & propter secundam indubitanter tenerem illum, nisi in materia tam graui communior esset secundus modus dicendi, neque contra nos esset D. Thom. nam facilem habet explicationem dicendo, quod loquitur secundum iura antiqua, & de baptismo solemni, & patet ita esse ex articulis 4. & 5. illius quæstionis additionum, in quibus agit de cognatione spirituali, quæ secundum talia iura transibat à viro in vxorem, & ad filios carnales Patris spiritualis, vt docet in illis S. D.

Hoc tamen non obstante ad primam rationem dubitãdi contra communem opinionem respondetur: concessa maiori negatur minor, vel distinguitur, non gerit vicem Ecclesiæ specialiter concedo minorem, quia vt probat argumentum non exercet actionem illam, vt cęremoniam ipsius ordinatam, & statutam ab illa pro tali modo baptizandi priuatim: non gerit vicem Ecclesiæ secundum generalem rationem statuentis absolutè, & generaliter quemcunque suscipientem in baptismo contrahere cognationem spiritualem cum baptizato nego minorem, & nego consequentiam, quia licet non sit susceptor solemnis, est tamen re vera susceptor saltim ex voluntate propria, qua licèt sciat non esse præceptum illius actionis pro illo Sacramento priuatim ministrato, verè tamen suscipit, & facit actionem, ex qua oritur in eo obligatio ad èducandum baptizatum, sicut nutrix, & Pędagogus illius (vt ait D. S. in præsenti articulo, & ita cognatio spiritualis, quę in baptismo solemni propter istam rationem contrahitur, etiam in priuato propter eandem rationem.

Ad secundum respondetur: quod Concilium Tridentinum in illo loco non innouauit aliquid quãtum ad substantiam statuti, sed tantum limitauit illam cognationem, vt solum contrahatur inter illas personas ibi numeratas, quæ tamen anteà in plures diffundebatur.

Et si instes, quod petit susceptorem designari debere à Parrocho. Dico, quod hoc adiecit quia loquitur Cõciliũ iuxta communẽ, & regularẽ modum baptizandi, qui fit solemniter, & in illo vult, quod Patrinus designetur à Parrocho, vt sit legitimus susceptor solemnis, non tamen per hoc excludit, quod si in baptismo priuato ad sit susceptor non contrahat cognationem spiritualem; sed potius, hoc implicitè indicat in prioribus verbis dum limitat, illam, dicit namque: *Volens, &c.* Et statim statuit, vt vnus tantum siuè vir, siuè mulier iuxta Sacrorum Canonum instituta baptizatum de baptismo suscipiat, &c. cum ergo in sacris Canonibus indifferẽter dicatur, quod baptizans aliquem, & suscipiens illũ de baptismo cõtrahunt cognationem spiritualem in illis verbis iuxta Sacrorum Canonum instituta implicitè docet quemcunque suscipientem illam cognationem contrahere, sicut docet eodem modo quemcunque baptizantem illam contrahete.

Vbi aduertendum est, quod Concilium Tridentinum in illo decreto simpliciter voluit, vt non possent esse plures susceptores, quam duo, vir scilicet, & fœmina, & ad hoc voluit illos designari à Parrocho, vt sic essent determinatæ personæ, inter quas cõtrahenda sit cognatio spiritualis, propter quam rationem dicendum est, quod si sint plures susceptores, quam

vir

vir, & fœmina, illi non contrahunt cognationem spiritualem, nam aliàs non saluaretur intentum Concilij Volentis vitare extensionem cognationis spiritualis, vt optimè aduertit Suarez vbi supra in fine commentarij: & propter eandem rationem iudico, quod si nullus sit designatus à Parrocho, vel à gerente personam eius in baptismo necessitatis vt sit susceptor, & multi voluntariè se intromittant ad suscipiendum puerum, nullus contrahit cognationem spiritualem, & quia si non sint designati non sunt veri susceptores, cum conditione, quam postulat Concilium Tridentinum, cuius decretum obseruari debet etiã in baptismo priuato quoad fieri possibilè, vt saluetur limitatio cognationis spiritualis ad determinatum numerum personarum, quia aliàs si possent plures pro suo libito suscipere puerũ, si èo quod suscipiatur puer ab aliquo, contrahitur cognatio spiritualis inter eos: contrahi posset inter plures, quam duo, quod est contra Concilium Tridentinum expressè: Vnde cum ista explicatione, & limitatione amplector sententiam affirmatiuam dubioli nostri, quidquid dicat Nauarrus vbi supra, & Ledesma in summa difficult. 2. post. 6. conclus. vbi supra ca. 17. additionum de matrimonio ad primam partem summæ, qui etiam parum consequenter loquitur, nam postquam in difficultate relata docet, quod cum in casu necessitatis non designãtur Patrini omnes tangentes puerum, & soli illi contrahunt cognationem spiritualem, posteà in vltima difficultate resoluit, quod suscipiens infantem, cum baptizatur sine solemnitate non contrahit impedimentum cognationis spiritualis cum baptizato, in quo clarè contradicit sibi ipsi in priori dubio, vbi supponit, & docet illud contrahi inter suscipientem, & baptizatum in casu necessitatis, in quo nõ est solemnitas baptismi.

Vtrùm autem qui tenet in chatecismo puerum contrahat cognationẽ spiritualem cum illo, concors opinio omnium est, quod non contrahitur cognatio perfecta, quæ sit impedimẽtum impediens matrimonium contrahendum, & dirimens contractum, quia talis cognatio tantum contrahitur per duo Sacramenta, scilicet baptismum, & confirmationem, vt ex iuribus antiquis, & ex nouo Concilij Tridentin. loco sup. citat. & ita quando puer baptizatus est priuatim in domo propter vrgentem necessitatem, & aliquis tenet eum in Catheciſmo, qui fit postea in Ecclesia, nullam cognationem perfectam contrahit cum baptizato, quia nõ tenet ad baptismũ, nec suscipit baptizatum de Sacro fonte, cum tunc non baptizetur.

Vtrùm autem contrahatur aliqua cognatio spiritualis tamen imperfecta impediens, & non dirimens matrimonium, aliqui ita censent, & fuit opinio Doctorum temporis D. Thom. quam refert in additionibus quæst. 56. artic. 2. in fine corporis articuli, & colligitur ex diffinitione Bonifacij 8. *Canone per Catheciſmum de cognatione ſpirituali in 6.* & rationem possumus in fauorem huius modi dicendi formare, quia à iure antiquo non est recedẽdum nisi quoad illa, quę excepta sunt in nouo, est regula iuris, vt habetur lege: *Præcipimus, cap. de appellationibus;* sed in iure nouo Concilij Tridentini non excipitur, quod tenens in Catheciſmo contrahat prędictam cognationem spiritualem: ergo saltem, quoad illam manet ius antiquum in suo robore.

Hanc sententiam tenet inter alios Petrus à Ledesma in additione summæ capite illo 17. citat. sup. in dubio immediato post quintam conclusionem, & addit statim, quod fortè, ista cognatio non impedit ita strictè, quod sit peccatum mortale contrahere cum illa sine obtenta dispensatione.

Alij verò docent per actum tenendi in Catheciſmo nullam cognationem

nem

nem spiritualem contrahi, quorum ratio est: quia cognatio spiritualis ex decreto Concilij Tridentini tantum contrahitur inter tenentem, seu potius suscipientem baptizatum de manibus baptizantis, & quia Pius V. in quadam Bulla promulgata anno Domini 1566. 4. Kalendas Octobris declarauit illos tantum contrahere cognationem spiritualem, qui nominantur in Concilio Trident. propter quam rationem Parrochus tenetur scribere, an susceptores fuerint susceptores in Catheciſmo tantum, an etiam in baptiſmo. Sic docet Nuño hic cuius sententia magis mihi placet quam prima, quia cum cognatio spiritualis cõtrahatur in duobus tantum Sacramentis, & Catheciſmus non sit Sacramentum, non videtur per illum contrahi aliquam cognationem spiritualem inter Cathecizatum, & Cathecizantem, neque inter suscipientem, vel tenentem puerum ad illum.

Et ad rationem pro alio modo dicendi patet ex dictis, quod implicitè est facta in illo decreto nouo Concilij Tridentini illa exceptio, eo ipso, quod explicitè dicitur, quod solum inter suscipientem de baptiſmo, & baptizatum, Patrem ac matrem eius cõtrahitur cognatio spiritualis, nam cũ hac limitatione non stat, quod contrahatur in Chateciſmo, quia esset magis extensa talis cognatio, quam intendat Concilium. Et rursus adiuncta declaratione Pij V. videtur, quod magis plana sit ista sententia, & quod explicatio, & intelligentia Concilij sit legitima.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrùm ille, qui aliquem ex Sacro fonte leuat teneatur ad instructionem eius?

PRIMA conclusio est affirmatiua, quam probat D. Thom. primò, *in arg. sed cont.* ex Auguſt. in quoddam sermonem Paschali, vbi patrinos vocat fideiussores pro paruulis, quos in baptiſmate susceperunt, & docet teneri ad instructionem eorum in rebus fidei, & in præceptis diuinis, & Ecclesiæ.

Ratio corporis talis est. Vnusquisque tenetur ad exequendum officium, quod accepit; sed ille qui leuat aliquẽ de Sacro fonte assumit sibi officium Pedagogi (vt dictum est supra art. præced.) ergo tenetur ad habendum curã de ipso, instruendo eum.

Secunda conclusio. Ista obligatio currit, si necessitas immineat pro loco & tempore, vt si baptizati nutriantur inter infideles, sed tamen si nutriãtur inter parentes Christianos satis excuſsatur Patrinus ab ista oblatione. Ratio est: quia prudenter præsumere debet, quod à Parentibus diligenter instruãtur, vnde si aliquo modo sentiat cõtrarium tenetur secundum suum modum curam spiritualium filiorum habere, vt prouideat eorum spirituali saluti. Hæc de quæst. 67.

FINIS.

IHS

INDEX RERVM, ET SENTENTIARVM, QVAE in hoc opere continentur secundum ordinum alfabeticum:

A

ANima Christi, nec habuit secundumse, nec potuit habere omnipotentiam simpliciter, etiam exparticipatione à Deo, vt à primo omnipotente, fol. 3. col. 1.

Anima Christi non habuit, nec potuit habere omnipotentiam simpliciter communicatam à Deo, vt causa principalis, neque vt causa instrumentalis, folio 5. column. 1. in initio.

Anima Christi Domini secundum propriam virtutem habuit potentiam ad omnes effectus, qui sunt animæ cõuenientes, naturalem, scilicet gratuitã, fol. 8. col. 1. circa finem.

Vt instrumentum verbi sibi vniti habuit virtutẽ ad omnes in mutationes miraculosas ordinabiles ad finem incarnationis, fol. 8. column. 2. in principio.

Non habuit virtutem ad anihilandum, neque ad conseruandum creaturas in esse, ibidem.

Ex his colligitur Christum, vt hominem non habuisse omnipotentiam simpliciter respectu immutationis creaturarum.

Anima Christi seu Christus, vt homo fuit causa moralis, principalis nostræ gratiæ, fol. 11. column. 1. circa finem.

Ly, vt homo debet sumi specificatiuè non reduplicatiuè, ibidem. Non est temeraria sententia affirmans animam Christi siue ipsum, vt hominem esse, causam physicam efficientem gratiæ secundariam tamen, fol. 12. col. 1. initio.

Anima Christi nullo modo est causa efficiens physica gratiæ, fol. 13. col. 1. in medio.

Fuit tamen instrumentum physicũ & excellens nostræ gratiæ, fol. 16. column. 2. in medio.

Anima Domini, seu humanitas eius non habuit virtutem instrumentariã permanentem ad patranda omnia miracula, fol. 31. col. 2. circa medium.

Fuit tamen in Christo talis virtus permanenter, hoc est habuit in illo modum habitus, fol. 32. col. 1. in initio.

Explicatur hoc optimè ibidem. Virtus instrumentalis animæ Christi ad causandã gratiã, & alios effectus excedentes totum ordinem naturæ, non est aliqua potentia obedientialis actiua, nec datur in rebus talis potentia, fol.

38.col.2.circa finem.

Si talis potentia obedientialis actiua, daretur, illa esset distincta formaliter ab entitate, & essentia rei naturalis, fo.41.col.1.circa finem.

Data tali potentia illa constitueret impotentem operari præter, & supra rerum naturam, fol.43.col.1.initio in super, fol.42.col.2.in fine.

Data tali potentia falsum est dicere, quod illa constituitur in ratione actualiter operantis per cõcursum extrinsecum Dei. fol.43.col.2.circa medium.

Anima Christi Domini, seu eius humanitas non constituitur in ratione instrumenti potentis producere in actu secundo effectum supernaturalem, per solam coniunctionem, & subordinationem ad diuinam virtutem. fol. 53. column. 1. in fine, & 2. initio.

Probabilè est, quod virtus instrumentalis communicata animæ Christi, & Sacramentis ad causandam gratiam, est qualitas fluens, & probabilè est esse motum artificiosum quo à Deo principali agente mouentur ad effectus supernaturales producendos, fol. 58.col.2.in fine.

Problematice potest defendi vtra que sentẽtia, & de facto sic defenditur. fol. 59.col.2.circa initium, & sequentibus.

Qui defenderit virtutem talem esse entitatiuè spiritualem consequẽter tenetur dicere esse qualitatem aliquam supernaturalem communicatã tamen per modum transeuntis, & non permanenter. fol. eodem. column. 1. parum post principium.

Qui verò defenderit talem virtutem esse formaliter in sua entitate materialem, & corpoream, & virtualiter tantum spiritualem, consequenter, & bene, dicit illam esse motum artificiosam. supra ibidem.

Anima Christi Domini non habuit, vt instrumentum verbi sibi vniti, potentiam ad anichilandum, fol. 66 column. 1. circa medium.

Anima Christi secundum propriam virtutem, & naturalem, non habuit omnipotentiam respectu proprij corporis ad eius immutationem. fol. 67. col. 1. in fine.

Tamen, vt instrumentum verbi sibi vniti habuit omnipotentiam respectu proprij corporis. ibidem, col. 2. in fine.

Quidquid voluit Dominus, vt implendum: per ipsum impletũ est. fol. 68. col. 1. in medio.

Quidquid voluit implendum diuina virtute potuit facere, vt instrumentum verbi per virtutem instrumentariam, ibidem.

Probabile est, quod non omne illud, quod anima Christi voluit implendum, per alios etiam voluntate absoluta est impletum.

Probabilior est etiam, quod omne illud, quod voluit absoluta, & efficacivoluntate, fuit executioni mandatũ, fol. 69. col. 2. circa finem.

Deo conuenit homines in filios adoptare. fol. 70. col. 1. initio.

Ratio adoptationis proprie reperitur in adoptatione Dei qua creaturas rationales, seu intellectuales adoptat per gratiam in filios. fol. 71. col. 2. circa finem. Explicatur, & probatur, fol. 72.

Adoptare conuenit toti Trinitati, fol. 77. col. 1.

Adoptari est proprium creaturæ rationalis conueniens soli illi non tamen omni; sed soli habenti Charitatem. fol. eodem col. 2. in fine.

Patres antiqui veteris legis iusti fuerunt propriè filij Dei adoptiui etiam comparatione facta ad iustos legis Euangelicę non tamen habuerũt perfectionem quam habent iusti legis gratiæ. fol. 80. col. 2. circa finem.

Præscitus existens in gratia, & charitate secundum præsentem statum est Filius Dei adoptiuus simpliciter, licet non cum illa perfectione cũ qua prędestinatus existens in gra-

tia

tia est Filius Dei adoptiuus. fol. 86. col. 1. in principio.

Soli habentes gratiam sunt Filij adoptiui Dei. fol. 88. col. 2. in fine explicatur. fol. 89. col. 1. & 2.

Hæc propositio, Deus magis diligit præscitum iustum secundum præsentem statum, quam peccatorem prædestinatum concedenda est fol. 92. col. 1. in medio.

Referendo actum diuini amoris ad vltimum vitæ terminum hæc propositio, Deus magis diligit prędestinatum peccatorem, quam iustum præscitum est concedenda, & oposita neganda, tanquam falsa. fol. eodem column. 2. circa medium.

B

BAptismus est ablutio exterior facta corporis superscripta verborum forma. fol. 528. col. 1. in principio.

Diffinitio baptismi asignata à Diuo Thoma, quæstione 66. articulo 1. est optima, & consequenter conclusio, quam constituit ibi, est in omni rigore vera. fol. 530. column. 1.

Ratio qua probat illam Diuus Thomas est optima, & efficax. fol. 532. per totum.

Baptismus quantum ad ipsum Sacramentum institutus fuit, quando Christus baptizatus fuit. fol. 532. col. 2. in medio.

Necessitas vtendi illo inducta est post Christi Passionem, & Resurrectionem. eodem. fol.

Præceptum de illo impositum fuit vniuersaliter hominibus, quando dixit Christus Dominus Discipulis cunctis: docete omnes gentes, baptizantes, &c. fol. eodem.

Explicatur quomodo sit verum, quod Christus instituit baptismum, quando baptizatus est à Ioanne. fol. 534. colum. 1. in principio.

Certum, & indubitatum est, quod Christus instituit baptismum ante eius mortem. ibidem columna secunda.

Omnes Discipuli fuerunt baptizati, antequam ordinaret illos in Sacerdotes noctæ cęnæ. fol. 535. col 2. per totam.

Certa est sententia asserens, Christum Dominum suis proprijs manibus baptizasse Beatam Virginem, antequam baptizaret Petrum proprio baptismo instituto ab ipso. Ibidem in fine columnæ.

Certum est, quod Dominus non instituit baptismum, antequam ipse fuisset baptizatus à Ioanne. fol. 536. col. 1. in principio.

Baptismus cæpit obligare sub prę cepto in ipso die Resurrectionis. fol. 540. col. 2. in medio.

Falsissimo aseruit Schotus pro illo tempore esse licitum Iudæis, vti circuncisione, aut baptismo. Ibidem, in fine columnæ.

Baptismus non obligauit sub præcepto, ante mortem, & Resurrectionem Christi. fol. 541. col. 1. in fine, & initio 2.

Ex institutione Diuina aqua est, propria materia baptismi. fol. 543. col. 1. in medio.

Qualiter cumque transmutatur aqua dummodo non soluatur species aquæ potest fieri baptismus, si verò soluatur species aquæ non potest fieri baptismus. Ibidem col. 2. in medio.

Omnis, & sola aqua pura simplex & vera vsualis ad labandum est sufficiens, & legitima materia baptismi. fol. 544. column. 1. circa initium.

Quamuis in aliquibus proprietatibus accidẽtalibus, sit aliqua trãsmutatio adhuc erit materia legitima

baptiſmi, vnde lexibiam, quod eſt aqua calida tranſiens per cineres eſt vera materia baptiſmi. fol. eodē, eadem col. circa medium.

Contra Diuum Thomam eſt aſſere contrarium. Ibidem.

Semper, quod eſt dubium an aliquis liquor, ſit vera aqua, vel nō: adhibenda eſt materia certa in baptiſmo ſecundum communem opinionem. Ibidem circa finem columnæ.

Si in aliquo caſu neceſsitatis fuerit aliquis baptizatus in materia dubia baptizandus eſt poſtea ſolemni remedio ſubconditione, ſcilicet, ſi non eſt baptizatus. Ibidem in fine columnæ, & fol. 544. column. 1. in initio.

Conueniens forma baptiſmi eſt hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, &c.* fol. 546. col. 1.

In eo non eſt neceſſarium neceſsitate Sacramenti, quod explicetur in forma baptiſmi perſona miniſtri, nec formaliter, nec virtualiter. fol. 547. column. prima circa medium.

Conuenientior forma eſt, qua vtitur Eccleſia Latina, quam Græca. fol. 541. column. 1. circa initium.

De neceſsitate Sacramenti Baptiſmi eſt, quod in forma explicetur actus baptizandi. fol. 552. col. 1. in principio.

Non eſt de eſſentia baptiſmi explicare actum Baptiſmi, per verbum: *Baptizo*; ſed per aliquid ſignificans communiter actum abluctionis. fol. eodem, eadem col. circa finem.

De eſſentia baptiſmi eſt, quod explicetur perſona baptizati. fol. 553. col. 2. initio.

In caſu in quo Miniſter putans præſentem accedentem ad baptiſmum eſſe Petrum; cum tamen non ſit niſi Ioannes, ſi alias habeat rectam intentionem faciendi, quod facit Eccleſia circa perſonam præſentē ſine aliqua excluſionē, verum conficitur Sacramentum. fol. 555. per totum.

De eſſentia baptiſmi eſt, quod exprimantur Perſonæ Santiſsimæ Trinitatis ſub his nominibus expreſis: *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* fol. 558. column. 2. in medio.

Etiam ſpeculatiuè loquendo parum, aut nihil probabilitatis habet ſententia Caietani aſſerentis baptiſmum datum: *In nomine genitoris geniti, & procedentis*, eſſe validum. fol. 560. col. 1. in principio.

Quidquid deſit ad plenam inuocationem Trinitatis tollit integritatem baptiſmi. fol. 561. column. 2. in fine.

In nomine Chriſti, non valet baptiſmus. fol. 562. col. 1. in medio.

Ex diſpenſatione ſpeciali Chriſti, Apoſtoli baptizabāt in primitiua Eccleſia: *In nomine Chriſti.* Ibidem circa finem columnæ.

Talis ſententia eſt conformior Sacræ Scripturæ. fol. eodem colum. 2. circa initium, & medium, & fol. ſequenti mediato col. 1. & 2.

Baptiſmus datus modo: *In nomine Chriſti*, eſt ſimpliciter in validus, & conſequenter abſolutè, & ſine conditione iterandus. fol. 565. col. 1. in fine.

Quamuis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, tamen bene poteſt fieri per modum aſperſionis, vel effuſionis. fol. 568. col. 1. initio.

Immerſio, non eſt de neceſsitate baptiſmi. fol. eodem circa medium eiuſdem columnæ.

De neceſsitate baptiſmi eſt, quod abluatur aliqua pars principalis corporis ſaltim mediocris quantitatis. fol. 569. col. 1. circa finem.

Si aſperſio aquæ tantum attingat veſtes corporis, & non ipſum corpus in ſe, baptiſmus concendus eſt ſimpliciter in validus

lidus.fol.569.col.2.in fine,& initio folij sequentis.

Ablutio minimæ partis corporis, nõ sufficit ad valorem baptismi.fol. 571.col.1.in medio.

Illa quantitas aquę est sufficiens materia baptismi, quæ est sufficiens ad ablutionem alicuius partis principalis.Ibidem column.2. circa medium.

Quando in casu necessitatis, magnæ,aliquis baptizat per in mersionem in puteum, aut in flumen ex quo non potest extrahi persona baptizata naturaliter etiam per artem meo iudicio probabilius est baptismum esse balidum quam oppositum.fol. 572. column.2. circa medium.

Quantum est de se attendendo ad essentialem rationẽ baptismi potest fieri,& trina immersione,& semel.fol.573.col.1.circa finem.

Explicãtur optimè conclusiones deductè ex litera art.8.quæst.66.Ibidem,& col.2.

Quando quis baptizat aliquem intenta trina mersione, si facta vna proferat verba formæ integræ cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia verum conficitur Sacramentum, siuè sequantur, siuè non aliæ duæ mersiones. fol.575. col.2.circa medium.

Baptismus non potest iterari.fol. 577.col.1.post initium.

Quando est dubium an aliquis sit legitimè baptizatus si facta sufficienti diligentia ad deponendum dubium adhuc manet prudens dubium, quo ad vtramque partem, tunc homo illæ baptizandus est sub conditione,scilicèt, si non est baptizatus,supra fol.577.col.2.

Ad deponendum tale dubium sufficit testimonium vniusviri fidedigni in materia religionis Christianæ. Ibidem in fine columnę.

Qui nulla ignorantia facti,neque iuris laborans rebaptizat aliquem cõmittit grauissimum sacrilegium. fol. 578.col.1.initio.

Qui in casu prædicto scienter baptizat absolutè illum,qui iam est baptizatus,pœnam irregularitatis incurrit.fol.eodem, & colum. eadem in medio.

Effectus prædictæ irregularitatis, explicatur.fol.eodem 578.col.eadẽ in medio.

Vt aliquis incurrat istam pœnam requiritur, quod crimẽ rebaptizationis sit publicum.fol.579.col.1.circa medium.

Eãdem irregularitatem incurrit qui sciens se esse baptizatum permittit se rebaptizari si publicè id permittat.fol.eodem, & column.eadem. Ibidem.

Communior opinio est,quod etiã si crimen rebaptizationis sit occultum incurritur irregularitas vnde in praxi sequenda est,& consulendum,vt ab Episcopo petatur dispensatio quãdo crimen est occultum.fol.eodem, col.2.circa medium.

Ignorantia inuincibilis,siuè iuris, siuè facti excusat ab irregularitate rebaptizationis actiuę,& passiuę,nõ tamen ignorantia vincibilis,& culpabilis.fol.580.in principio.

Qui rebaptizat sub conditione si revera intentio sit conditionata verum,&probabilius est, quod non incurrit pęnam irregularitatis. fol.582 col.2.

Si autem coniecturis aliquibus cõstaret conditionem fuisse ficte appositã talis minister habendus esset in foro exteriori,vt irregularis. Ibidẽ & fol.583.col.1.initio.

Ritus quo Ecclesia vtitur in baptismo est conueniens, & omnes ceremoniæ receptæ in ea in practica Sacramentorum sunt vtiles,& necessariæ ad deuotionem fidelium, & alios fines bonos. fol. 583.

Cõueniẽter assignãtur tria baptismata videlicet aquę,& sanguinis,atq; flaminis,

minis, seu pœnitentiæ, aut cordis. fol. 584. col. 1.

Explicatur quomodo conueniat ratio baptismi martyrio, & pœnitentiæ, per ordinem ad Sacramentum baptismi, tãquam ad principale Analogatum. fol. eodem col. 2.

Istæ propositiones sunt falsæ; *Martyrium est Sacramentum baptismi*. fol. eodem eadem column. in medio; *Baptismus sanguinis est præstans inter alia baptismata*. fol. 585. column. 2. post medium; martyrium ex, opere operato iustificat infantes eo modo quo in lege veteri circuncisio iustificabat infantes, fol. 586. column. 2. post medium.

Sententia opposita est falsissima temeraria, & proxima error. fol. 587 col. 1. post medium.

Vt adultus sit verè martyr sufficit, quod aceptet mori pro Christo ex aliquo motiuo supernaturali, non apponendo malum finem. fol. 594. col. 1. circa medium.

Hæc aceptatio mortis non est necessarium, quod fiat semper per actum formalem charitatis; sed aliquo modo sufficit virtualis, seu interpretatiuus. fol. eodem col. 2. circa medium.

Martyrium habet per se loquendo causare gratiam ex opere operato. fol. 595. col. 1. in fine.

In homine existente in peccato mortali etiam in casu, quod obliuiscatur peccati, vel habeat in aduertentiam non sufficit ad salutem sola voluntas patiendi mortem etiamsi coniungatur cum actuali passione mortis. fol. 599. col. 1. circa finem.

Si aliquis naturaliter oblitus sui peccati, vel naturaliter nõ aduertens haberet volitionẽ moriendi magis, quam offendẽdi aliquo modo Deũ, & ex tali voluntate se offerret martyrio, talis actus voluntatis simul cũ morte sufficeret ad salutem, & iustitiam simul cum ipso martyrio. fol. 600. column. 1. initio.

Probabile est, quod quamuis talis actualis volitio esset tantum attritio supernaturalis orta ex spe, & eiosmotibo (ne scilicet gloriam amittat) vel ex metu suæ damnationis, esset sufficiens dispositio, vt ad præsentiam martyrij Deus conferret gratiam Martyri remitentem peccata. Ibidẽ circa finem columnę.

Non pertinet ad rationem essentialem martyrij, quod imperetur à charitate; sed solum tale imperium est consentaneum suæ naturæ. Ibidem ad primum primæ sententię.

Inter opera virtutum, quæ possunt imperari à charitate excellentissimum est martyrium. fol. eodem col. 2. post medium.

Vt Deus conferat gratiam Martyri sufficit, quod martyrium sit in statu tali, quod naturaliter loquendo mors sit inuitabilis. fol. 600. col. 1. in fine, & initio 2.

Priuilegium martyrij colligitur ex varijs locis sacræ paginæ. fol. 604 column. 2. in medio. Colligitur etia ex communi consensu Ecclesiæ. fol. 597. col. 2.

Ad Diachonum non pertinet quasi ex officio tradere Sacramentum baptismi. fol. 607. colum. 1. in principio.

Licèt Diachonus non habeat esse ministrum baptismi, quasi ex proprio officio habet tamen capacitatem, & idoneitatem, vt ex commissione Episcopi, & proprij Parrochi illud solemniter ministret. fol. eodem col. 2. circa medium.

Solus Diachonus habet istam idoneitatem non Subdiachonus, nec alij ordinibus minoribus initiati, & multo minus laici. fol. 608. colum. 1. circa medium.

Non potest ei committi ministrare baptismum solemniter nisi graui necessitate, aut magna vtilitate Ecclesiæ id exigente. Ibidem paulo post medium.

Pro-

Probabilius est meo videri, quod differétia inter Diachonum, & alios ministros baptismi desumitur ab ipso iure diuino, tanquam ex propria radice. fol. 609. column. 1. circa medium.

Ad proprium officium Sacerdotis pertinet baptizare. fol. 610. col. 1. initio.

Vtrumque officium docendi scilicet, & baptizandi iniunxit Dominus Apostolis, & consequenter Episcopis. Ibidem, column. 2. circa principium.

Quamuis, vt hoc Sacramentum validè fiat sufficiat potestas ordinis, tamen vt licitè ministretur requiritur, potestas iurisditionis in eos quibus est ministrandum, & in hoc dependet Sacerdos ab Episcopo post quam est ordinatus, ibidem circa medium.

Explicatur, quomodo Sacerdos quilibet ratione potestatis ordinis, sit minister ordinarius quasi ex officio deputatus administrandum baptismum. fol. eodem, col. eadem circa finem.

Hoc non obstante Ecclesia Sanctissimè statuit, quod solus Parrochus baptizet solemniter, fol. 611. col. 1. in medio.

Laycus potest baptizare. col. 2. initio.

Laycus baptizans in præsentia Sacerdotis proprij Parrochi etiam in casu necessitatis peccat mortaliter. fol. 612. column. 1. circa principium.

Idem dicendum est, si Sacerdos præsens, sit simplex. Ibidem circa finem columnæ.

Hoc verisimum est etiam speculatiuè loquendo. fol. eodem. col. 2. circa medium.

Idem dicendum est, si Sacerdos facilè posset vocari, sine periculo morali salutis baptizandi. Ibidem.

In casu necessitatis etiam mulier potest baptizare. fol. 613. col. 1. circa medium.

Non baptizatus in casu necessitatis etiam potest baptizare, ibidem circa finem columnæ.

Baptismus datus à pluribus sub ista forma: *Nos te baptizamus*, determinata per intentionem proferentis ad significandum concursum partialem est nullus. fol. 615. col. 2. circa finem.

Quando duo concurrunt ad baptismum, & proferunt formam labando simul cum legitima intentione, verum conficiunt baptismum. fol. 619. col. 2. circa finem.

Talis baptismus est vnus numero absolutè, & sine addito. fol. 620. col. 1. circa finem.

Baptismus datus à duobus quorum vnus labat, & alter profert, verba formæ est nullus. fol. 624. column. 2. in fine.

Quando in casu necessitatis vnus potest abluere, & non loqui; talis non potest baptizare, si autem sit, qui possit loqui, & non abluere debet, qui habet manus implere basim aqua, & ponere illum ad caput potentis loqui, vt iste inclinando caput effundat aquam super puerum periculo mortis laborantem, & sic proferendo formam verificabitur, quod abluit modo sibi possibile moraliter, & erit validus baptismus. fol. 627. column. 2. in medio.

In baptismo requiritur aliquis qui lebet baptizatum de Sacro fonte. fol. 629. colu. 2. circa principium.

Explicantur quatuor conditiones quas debet habere subceptor baptizati. fol. 630. column. 1. post medium.

Explicatur inter quas personas contrahitur cognatio spiritualis orta ex actu suscipiendi baptizatum. fol. eodem columna 2. in initio.

Patrini, seu ipsi subceptores non contrahunt interse cognationem spiritualem, & sic sunt liberi ad cõtrahendum matrimonium, & si sint vxorati possunt vacare actibus matrimonialibus licitè. ibidem.

Talis cognatio spiritualis contrahitur inter subceptorem baptizati in casu necessitatis in baptismo privato, & ipsum baptizatum, & inter Parentes eius, sicut in baptismo solemni. fol. 631. col. 2. initio.

Inter tenentem puerum in Cathechismo, & ipsum puerum, nec inter parentes non contrahitur cognatio spiritualis perfecta, nec dirimens, neque impedies matrimonium, fol. 633. col. 2. initio.

Ille qui aliquem ex Sacro fonte lebat tenetur ad eius institutionem in doctrina Christiana, fol. 634. col. 2. initio.

Ab ista obligatione excusatur, quando baptizatus nutritur inter Christianos. fol. eodem, & eadem columna.

C

Christo, vt homini nullo modo conuenit ad adoptiba filiatio Dei. fol. 93. col. 1. initio.

Christus in quantum homo ly in quantum sumpto specificatiuè nullo modo est filius adoptibus Dei sumendo nomen filiationis adoptiuè in proprietate sermonis. fol. 100. column. 1. circa finem.

Hæc propositio absolutè prolata Christus est filius Dei adoptibus est Hæretica. fol. 116. column. 2. in fine.

Hæc Christus in quantum homo est Filius Dei adoptibus determinatione specificante suppositum naturæ humanæ etiam est Hæretica. fol. 118. col. 1. initio.

Probabile, & fere certum est, quod hæc propositio Christus in quantum homo est Filius Dei adoptibus damnata fuit in Concilio Francofordiense absolutè loquendo. Ibidem.

Forma, aut quasi forma à qua Christus, vt homo dicitur Filius Dei naturalis, non est sanctitas substantialis conueniens ei, vt huic homini Christo ratione vnionis humanitatis ad verbum. fol. 127. col. 1. post medium.

Christus, vt homo non est Filius ostrius Trinitatis etiã si nõ exprimatur Trinitas proprijs nominibus personarum. fol. 130. col. 1. initio.

Forma, aut quasi forma constituens Christum, vt hominem Filiũ Dei naturalem est ipsa generatio æterna verbi Diuini, seu ipsa filiatio personalis, vt communicata eius humanitati per gratiam vnionis hypostaticæ. fol. 135. col. 2. in principio.

Si Spiritus Sanctus assumeret naturam humanam non esset filius naturalis Dei, vt homo nec Filius adoptibus. fol. 138. col. 2. in medio.

Fideles per Sacramenta aliquo charactere spirituali insigniuntur. fol. 444. col. 1. initio.

Secundum fidem antiquam Ecclesiæ est certum, quod tria Sacramenta scilicet baptismus confirmatio, & ordo causant characterem in anima suscipientis. fol. 445. col. 2. in fine.

Hæc veritas hanc, & solidum fundamentum in sacris literis, & in traditione Sanctorum Patrum. fol. 447 per totum specialiter col. 2.

Character importat quandam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quæ sunt Diuini cultus. fol. 448. col. 2. initio.

Hæc potestas spiritualis est instrumentalis. ibidem in fine columnæ.

Character nõ proprie, & per se est in genere, vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis, nec in tertia, nec in genere relationis. Ibidem.

Character est ens reale, & non denominatio extrinseca, ibidem in medio columnæ.

Character Sacramẽtalis ponitur in aliquo genere prædicamentali. fol. eodem, col. 2. circa initium.

Character nõ est in genere relationis, sed in prædicamento qualitatis. fol. 450. in principio columnæ primæ.

Character Sacramentalis per se primo confertur homini, vt ipsum faciat aptum ad cultum Diuinum, dando, vel recipiendo, fol. 454. col. 2. post principium.

Character Sacramẽtalis est potentia physica actiua, aut passiua iuxta naturam cuiuscumque characteris, & consequenter in secunda specie qualitatis est colocandus. fol. 455. col. 2. circa finem.

Characternõ subiectatur immediatè in ipsa essentia animę. fol. 468. col. 1. post medium.

Subiectatur immediatè in intellectu. fol. eodem col. 2. circa. principium.

Loquendo de gratia Sacramentali, vt dicit habitum sanctificantis cũ perfectione propria, vt Sacramentalis, est principalior effectus est, quã character respectu Sacramentorum imprimentium ipsum. fol. 473. col. 2. circa finem.

Sacramenta imprimentia characterem perse loquendo prius natura, & ordine executionis causant gratiam sanctificantem, & ex consequenti characterem, tanquam effectum secundarium. fol. 474. col. 1. circa medium.

Aliquando per accidens infunditur character sine gratia, nunquam tamen sine fide mortua eodem. fol. col. 2. in medio.

Loquendo de gratia Sacramentali sumpta pro auxilio superaddito etiam est principalior effectus, quam ipsæ character. fol. 475. col. 1. in medio.

Etiam in Sacramento ordinis dicendum est gratiam Sacramentalem ipsius, siue sumptam pro habitu gratię sanctificantis, siue pro auxilio esse principaliorem effectum, & primarium characterem verò secundariũ, & minus principalẽ. fol. 479. col. 1. circa finem, & tota 2.

Ostenditur hanc veritatem esse conformem doctrinæ Diui Thomæ contra aliquos Thomistas. fol. 481. col. 2. in medio, & fol. sequenti per totum.

Character in est animæ indelebiliter. fol. 487. col. 1. in principio.

Ratio qua probat D. Thom. istam conclusionem suppositа fide illius est efficax. Ibidem col. 2.

De potentia Dei absoluta potest character ab anima separari, & deberi per sui destructionem. fol. 488. col. 1. circa medium.

Per tria tantum Sacramenta scilicèt baptismum confirmationem, & ordinem imprimitur character. fol. 489. col. 1. circa finem.

Tota doctrina, quam tradit D. Thomas in articulo 6. quæstionis 63. continet veritatem. fol. 490. & 491.

D

Solus Deus operatur effectum interiorem Sacramenti per modum causę principalis. fol. 493. col. 1. initio.

I

Imago Christi in quantum est imago eius est adoranda adoratione latriæ. fol. 144. col. 1. initio.

Imaginis Christi, & Sanctorum adoratio vere, & proprie, & nõ tantũ abusiue terminatur ad ipsas imaguines, tanquam ad obiecta materialia ipsius adorationis. fol. 148. col. 1. post medium.

Sententia contraria, tanquam periculosa temeraria, atque pernitiosa in fide, non est audiēda in schola. column. 1. post medium, est condemnata in multis Concilijs. Ibidem fol. 150. columna. 1. circa principium.

Imago sacra adoranda est, eiidem omnino adoratione qua adoratur eius proprium exemplar, & est eiusdem rationis essentialis, licet non ita perfecte conueniat ei talis ratio adorationis actui, vt terminato ad eam, atque conuenit ei provt terminatur ad eius proprium exemplar. fol. 167 col. 1. post principium.

Simpliciter, & absolutè dicēdum est, quod Imago Christi est adoranda adoratione latriæ qua ipse Christus adoratur. Ibidem.

Actus adorationis non potest terminari ad imagines secundūm se; sed simul debet terminari ad sua exemplaria, tanquam ad obiectum, quod perse primo in qualibet imagine adoratur. fol. 178. col. 1. in medio.

Sententia asserens Imagines sanctorum posse adorari secundum se diuersa adoratione ab illa qua adorantur earum prototypa, non est cōformis Sacris Concilijs; sed periculosa saltim practicè loquendo maximè, si rudis, & simplicibus Christianis practicetur. fol. 183. col. 2. initio.

Non potest intelligi, quod Imago vt actu representans adoretur, & quod non adoretur formaliter, & expressè eius exemplar. fol. 180. col. 2. circa finem.

Nullos sapiens potest absque culpa formaliter, ipsi imputabili, adorare imaginem propter exemplar, vt quo tantum adoratum. fol. 181. col. 2. initio.

M

Minister consecratus est causa gratiæ instrumentalis in genere moris, & in genere physico. fol. 494. col. 1. circa principium.

Omnes Ministri Sacramentorum etiam non consecrati, causant efficienter physicè gratiam. fol. 496 col. 1. in medio.

Ministri bonitas nihil efficit directè, vt Sacramentum conferat maiorem gratiam suscipientibus non habentibus vsum rationis. fol. 499. columna. 2. in initio.

Quando suscipiens Sacramentum habet vsum rationis, bonitas ministri indirectè, & per accidens conducit, vt ei conferatur maior gratia Sacramentalis. fol. 500. colum. 1. post medium.

Fides est, quod malus Minister conficit verum Sacramentum, & multum consonum fidei, quod conferendo Sacramentum causat gratiam Sacramentalem. fol. 503. col. 1. circa medium.

Mali ministri ministrando Sacramenta peccant. fol. 505. colum. 1. in principio.

Hoc peccatum ex genere est mortale. Ibidem circa finem columnæ.

Minister, qui in articulo necessitatis ministrat baptismum etiamsi sit in peccato, non peccat, secus autem si alia Sacramenta ministrat. fol. eodem col. 2. in principio.

Minister ex officio, qui in peccato mortali existens, ministrat aliquod Sacramentum peccat mortaliter ex genere suo. fol. 507. columna. 1. circa principium.

Etiam peccat mortaliter in individuo. fol. eodem columna. 2. post medium.

Vt ministerium tale, ministri ex officio sit peccatum mortale in individuo requiruntur duę conditiones prima est, quod minister se exhibeat Ministrum Christi, & Ecclesiæ 2. quod ministerium sit actio causatiua gratiæ. fol. 508.

Minister necessitatis qui in peccato mortali ministrat Sacramentum baptismi

tissmi etiam sciens, & videns non peccat mortaliter fol. 509. col. 1.

Si aliquis Sacerdos extra casum necessitatis priuatim sine solemnitate aliqua baptizaret paruulum peccaret mortaliter. fol. 511. col. 1. circa medium.

Si aliquis Sacerdos Sacramentum pœnitentiæ ministrat alicui existenti in extrema necessitate si ipse existat in peccato mortali peccat mortaliter. Ibidem Paulo post.

In casu in quo Sacerdos in mortali existens ministrat aliquod Sacramentum solum committit vnum peccatum contra præceptum Religionis. fol. 514. columu. 2. post medium.

Ministrare actū cuiuscumque ordinis minoris in peccato mortali, nō est peccatum mortale. fol. 516. col. 2. in principio.

Idem dicendum est, de Diachono exercente suum munus in peccato mortali, & idem de Subdiachono. fol. eodem, & eàdem colum. circa finem.

Optimum Consilium est, monere Diachonum, & Subdiachonum, vt cum aliquo dolore sui peccati accedant ad sua ministeria exercēda, vt intra peccatum veniale minuatur malitia. fol. 517. columu. 1. circa finem.

Qui accedit ad recipiendum Sacramentum à Ministro malo tolerato tamen ab Ecclesia, non communicat peccato illius, atque ita, non peccat: quiverò recipit à malo ministro non tolerato, peccat communicando peccato ipsius ministri. fol. 520. col. 1. circa initium.

Explicatur, qui ministri sint modo tolerati, & qui non sint modo tolerati. Ibidem Paulo post, & colu. 2. per totam.

Extra casum necessitatis non est licitum petere Sacramentum à Ministro malo non parato, quando ipse ex officio non tenetur conferre. fol. 521. col. 1. circa initium.

In casu necessitatis licitum est, cuilibet fideli petere Sacramentum à ministro malo, etiam excommunicato tolerato ab Ecclesia, etiam si nō sit paratus, nec ex officio teneatur illud conferre. fol. eodem in medio columnæ.

Licitum est petere Sacramentum à ministro malo excomunicato tolerato ab Ecclesia, siue teneatur ex officio, siue non illud ministrare dummodo sit paratus, & adsit aliqua rationabilis causa petendi. fol. 522. col. 1. circa initium.

Licitum est à tali ministro petere aliquod Sacramentum, quando ipse ex officio tenetur illud conferre etiam si nō sit paratus. Ibidem circa finem columnæ.

Quando Minister excommunicatus toleratus tenetur ex præcepto iustitiæ, siue misericordiæ conferre Sacramentum petenti, siue inducenti non peccat ministrando: si tamen faciat ipse illud, quod facere tenetur, vt sine peccato ministret. fol. 923. col. 1. in principio.

Quando Minister excommunicatus egit pœnitentiam, & ab excommunicatione absolutionem optinere non potuit si potest repele repetentem Sacramentum ab ipso, sine culpa, peccat ministrando in tali statu. fol. 524. columu. 1. in principio.

In casu extremæ necessitatis licitum est recipere à quolibet ministro, etiam non tolerato ab Ecclesia etiā apostata à fide, illa Sacramenta quæ quis tenetur recipere ex præcepto Diuino in tali necessitate, tanquam media necessaria ad salutem. fol. 525 col. 2. circa finem.

In eodem casu extremę necessitatis est licitum cuicūque fideli accipere Eucharistiam à quolibet ministro non tolerato. fol. 526. col. 1. circa medium.

In nullo casu est licitum recipere

à tali ministrō alia quatuor Sacramēta. Ibidem col. 2. in principio.

P

QVi ex officio prędicat in mortali, si peccatum sit occultum nō peccat mortaliter, secus verò est dicendum, si peccatum, sit notorium, & publicum. fol. 519. per totum.

Qui ex industria profert verba Sacramentalia corruptè, non videtur conficere Sacramentum. fol. 287. col. 2. initio.

Qui ex ignorantia, vel errore, aut lapsu linguæ profert verba corruptè, si corruptio auferat sensum loqutionis omnino, non perficitur Sacramentum, si autem non totaliter tolatur sensus loqutionis perficitur Sacramentum. fol. Ibidem, circa medium columnæ.

Quando quis ex industria profert verba formæ alicuius Sacramenti corruptè, ita vt secundum communem modum intelligendi hominum auferat sensum verborum non conficitur verum Sacramentum. fol. 290. col. 2. circa principium.

Si tamen corruptio non auferat legitimum sensum formæ conficitur, verum Sacramentum, si ad sit intentio faciendi, quod facit Ecclesia. Ibidem in medio columnæ.

Quandiù non constiterit de legitima intentione Ministri rationabiliter præsumitur, quod non conficitur Sacramentum. fol. 291. col. 1. in medio.

Qui corruptè profert verba formæ alicuius Sacramenti, licet conficiat verum Sacramentum mortaliter peccat peccatum sacrilegij. fol. eodem col. 2. in fine.

Si Minister per additionem, vel diminutionem verborum intendat, introducere nouum ritum in Ecclesia non receptum ab ipsa nō videtur perfici Sacramentum. fol. 292. col. 2. circa finem.

Si mutatio per diminutionem verborum tolat debitū sensum verborum certum est, quod non perficitur Sacramentum, si autem non tolatur debitus sensus verum conficitur Sacramentum. Ibidem in fine columnæ, & fol. 293. column. 1. in principio.

Si aditio alicuius verbi corrumpat debitum sensum alicuius formæ tolit veritatem Sacramenti, si autem non corrumpat debitum sensum formę, non tolitur veritas Sacramenti. Ibidem in medio columnæ.

Si interruptio verborum sit tanta, quod intercipiatur intentio Ministri non conficitur verum Sacramentū, si autem interruptio sit parua non tolitur intentio Ministri, & consequenter, nec veritas Sacramenti. fol. eodem in fine eiusdem columnæ.

Idem dicendum est de transpositione verborum. Ibidem col. 2. in principio.

Qui in forma consecrationis speciērum panis adderet, hęc verba: *Quod pro vobis tradetur*, non peccaret mortaliter etiam si intelligeret, secundum suam existimationē esse essentialia in forma consecrationis, cum tamen non sint, & verum conficeret Sacramentum, si adesset recta intentio Ministri faciendi, quod facit Ecclesia. fol. 294. col. 1. in fine, & 2. in principio.

Si aliquis adderet in verbis formæ baptismi, & *Beatæ Virginis*, iudicando secundum suam specialē opinionem in vocationem Virginis esse necessariam tanquam inuocationem Authoris illius, quod in Sacramento efficitur, & causatur in anima baptizati nullum conficeret Sacramentum. fol. 295. column. 2. post medium.

Si autem addat illa verba: *Beatæ Virginis*, non intelligendo eam inuocare, vt causam operantem aliquid

quid in baptismo, vt intercessione eius Deus conseruet gratiam causatam baptizato, verum Sacramentum perficitur, vt si dicat quis, & in nomine Virginis in sensu explicato. fol. 296.col. 1. in principio.

Si sub vna additione in nomine tantum detur addendo postea Beatæ Virginis dicendum est ambiguū esse Sacramentum. fol. eodem, eadem. col. circa finem.

Si minister intendens introducere nouum ritum in Ecclesia non apponat mutationem destruentem sensum formæ conficiet verum Sacramentum, si aliàs habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. fol. 298 col. 2. circa medium.

Si talis Minister putet esse aliquid de essentia, quod revera, non est de essentia, vel putet non esse de essentia aliquid, quod est de essentia, si tamen apponat veram formam, & legitimam materiam verum conficit Sacramentum, siuè ponat illud, quod putat esse de essentia, siuè tolat illud quod iudicat, non esse de essentia. fol. eodem col. 2. in fine, & fol. 300. col. 2. in principio.

Arriani Baptizantes sub ista forma: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, &c.* Nullum conficiebant Sacramentū. fol. eodem, & eadem col. post principum circa medium.

Si Minister intendens introducere nouum ritum proferat propositionem, quæ habet sensum ambiguum, tunc determinandus est sensus per intentionem ipsius Ministri proferentis, & si intendat verum sensum, verum conficit Sacramentum, si verò falsum nullum conficit Sacramentum. fol. eodem column. 2. circa initium.

S

SAcramentum secundum, quod modo loquimur de illo est in genere signi. fol. 189. col. 2. in fine.

Vt aliqua res, sit Sacramentum propriè satis est, quod significet rem Sacram, vel quod sit causa rei sacræ, ita quod fidetur res aliqua instituta, ad significandam gratiam sanctificātē, licet nullo modo sit causa ipsius, erit propriè Sacramentum, & similiter si detur res, quæ sit causa gratiæ, licet nullo modo significet, erit propriè Sacramentum. fol. 192. col. 1. in medio.

Sacramenta, siuè nouæ, siuè veteris legis sunt in genere signi essentialiter, fol. eodem circa finem columnæ.

Licet Sacramenta, quæ de facto instituit Christus habeant aliquam similitudinem, & proportionem naturalem imperfectam, non tamen petunt illam secundum suam essentialem rationem, vnde potuit Christus eleuare ad rationem Sacramenti, quālibet rem sensibilem nullam habentem proportionem, cum effectu Sacramentorum. fol. 195. col. 2. in fine, & fol. 196. col. 1. in principio.

Sacramentum debet esse sacrū, & perfectum signum. Eodem. fol. col. 2. circa medium.

Significatio Sacramenti debet promanare ab impositione habentis auctoritatem publicam ad conferendum rebus sensibilibus significationem stabilem, quę duret pro statuin quo homines ex diuina ordinatione ad colendum Deum tali modo conueniāt. fol. 197. column. 2. circa medium.

Causare sanctitatem internam animæ non est de essentiali ratione Sacramenti, vt sic. fol. 198. col. 2. in principio.

Loquendo de Sacramentis nouæ legis dicendum est, quod esse causatiua gratiæ non est prædicatum quiditatiuum illorum. Ibidem circa medium columnæ.

In Sacramentis nouę legis ratio causæ est aliquo modo cōnexa per se cum

cum ratione signi, & non per accidens. fol. 208. col. 1. in medio.

Oposita sententia est falsa. Ibidem.

Satis probabilis est sententia Magistri Soto affirmans, quod esse causatiuum gratiæ est propria passio Sacramentorum nouę legis eodem fol. col. 2. in principio.

Loquendo de cõnexione, quæ est in eisdem Sacramentis inter significationem eorum, & causalitatem gratiæ quantum ad verificationem significationis verisimum est, quod esse causatiuum est modus intrinsecus completibus eorum, & comparitur hæc senteutia, cum sententia Magistri Soto iam relata. fol. 211. col. 1. circa principium.

Propriè dicitur Sacramentum, secundum quod hic loquimur de Sacramentis, illud quod est signum rei sacrę in quantum est sanctificans homines. fol. 213. column. 1. circa medium.

Verisimum est, quod Sacramentum habet vnam essentiam diffinibilem vnica diffinitione. fol. 214. col 1. propè medium, & 2.

Diffinitio, quam tradit Doctor Sanctus est bona, & quidditatiua metaphisica. fol. 220. colum. 1. circa finem.

Certum apparet, quod Sacramenta veteris legis significabant gratiam, quam Deus ad præsentiam illorum conferebat ex merito fidei, protestatę in vsu eorum, fol. 226. col lumn. 2. circa finem.

Probabile est, quod ad rationem Sacramenti, vt sic in abstractione ab omnibus, in particulari sufficit significare gratiam dandam in futuro tempore. fol. 227. column. 2. circa finem.

Probabilius, & mihi certum est, quod ad rationem Sacramenti secundum, quod D. Thom. agit de Sacramentis est necessarium significare gratiam, quæ datur in exercitio ipsius Sacramenti. Ibidem in fine columnæ.

Non videtur mihi verum dicere, quod Sacramenta legis scriptæ habuerunt rationem Sacramenti ex vi significationis, qua significabant gratiam dandam, in Lege Euangelica, per Christum. fol. 229. colu. 1. circa initium.

Ratio Sacramenti dicitur vniuocè de omnibus Sacramentis. fol. 233 col. 2. in principio.

Non loquntur consequenter Theologi asserẽtes ex vna parte, quod de ratione Sacramenti, vt sic est aliquã sanctitatem conferre, & veram animę sanctitatem significare, & ex alia parte dicunt, quod Sacramentum est genus ad omnia Sacramẽta. fol. 234 col. 1. circa initium.

Sacramentum significat tria scilicet Passionem Christi, gratiam iustificantem, & gloriam. fol. 236. colu. 1. in principio.

Sacramentum est rememoratiuũ eius, quod præcessit scilicet Passionis Christi demonstratiuum illius, quod in nobis efficitur, per Christi Passionem, scilicet gratię, & pronosticum, ideſt, prænuntiatiuum futuræ glorię. Ibidem circa medium columnæ.

Hoc tantum habet verum in Sacramentis nouæ legis. fol. 237. col. 1. in medio.

Prædicta tria significata, significantur secundum vnitatem, quam habent in proprio effectu, qui est sanctificatio. fol. 237. colum. 2. post medium.

Probabilior mihi est sententia asserens principalius significatum Sacramentorum esse gratiam. fol. 240 colum. 2. in principio.

Sacramenta antiquæ legis principalius significabant, ex parte signi gratiam, quæ in legitimo vsu eorum conferebatur. fol. 244. colum. 1. circa initium.

Significare explicitè, & immediatè

diatè Christi passionem, & gloriam non pertinet ad essentiam Sacramenti; sed sufficienter saluatur ratio Sacramenti in significatione gratiæ, secundum quod est forma sanctificatiua hominum vtentium Sacramentis. fol. 248. col. 1. in medio.

Significare in recto, & explicitè prædicta, pertinet ad perfectam, & completam significationem Sacramentorum. Ibidem col. 2. in medio.

Ad Sacramentum requiritur res sensibilis. fol. 251. col. 1. in medio.

Nomine rei sensibiles intelligũtur res, & verba, quæ aliquo sensu percipiuntur. Ibidem col. 2. circa mediũ.

Isto modo rem esse sensibilem verificatur de eo, quod est propriè, & simpliciter Sacramentũ. Ibidem.

Si ibi intelligatur de Sacramentis de facto institutis est veritas fidei. Ibidem in fine columnæ.

De ratione Sacramenti humani est essentiale Sacramentum esse rem sensibilẽ. fol. 255. col. 1. circa mediũ.

In Sacramentis nouæ legis oportet vti rebus ex diuina institutione ordinatis. fol. 256. col. 2. in principio

Loquendo de Sacramentis legis gratiæ, & legis scriptæ, hæc veritas est de fide. fol. 258. col. 2. in medio.

Eàdem certitudine tenendum est de aliquibus Sacramentis legis naturæ. fol. 259. col. 2. in fine.

Determinare perfectè res pertinentes ad materiam Sacramẽtorum, solum pertinet ad Deum. fol. eodem col. 2. in medio.

Necessè fuit ad perfectionem significationis Sacramentalis, quod res determinẽtur per aliqua verba. fol. 263. col. 1. in principio.

Ex rebus, & verbis ex quibus cõstat Sacramentum sit quodammodo vnum; sicut ex materia, & forma. Ibidem eadem col. immediatè post.

Omnia Sacramenta nouæ legis constãt ex rebus, & verbis, & opositum est error in fide. fol. 265. col. 2. circa finem.

Verba, quæ in Sacramentis per se sunt necessaria ex diuina institutione non sunt concionatoria; sed consecratoria elementi, & suscipientis Sacramentum, est contra Hæreticos modernos nostri temporis. fol. 266. col. 2. in medio.

In omnibus Sacramentis nouæ legis res habent rationem materię verba verò rationem formę. fol. 267. col. 2. circa finem.

Verba, & res licet interse comparentur per modum materiæ, & formæ Sacramenti, respectu tamen significationis Sacramentalis se habent per modum materiæ. fol. 269. col. 1. circa finem.

In omnibus Sacramentis, quæ cõsistunt in vsu & actione, intrinsicè se habent materia, & forma tãquam partes intrinsecè componentes Sacramẽtũ. fol. 278. co. 1. in principio.

Opposita sententia Scoti est falsa. fol. 279. col. 1. circa initium.

Absolutè dicendum est, quod Sacramentum Eucharistiæ constat ex speciebus, tanquam ex materia, & ex verbis consecrationis, tanquam ex forma non solum in fieri; sed etiã in facto esse. fol. 281. co. 2. in medio.

In Sacramentis requiruntur determinata verba. fol. 286. c. 2. in medio.

Determinatio verborum in Sacramentis non est accipienda secundum exteriorem sonum vocis; sed secundum sensum, & significationem verborũ. fol. 287. col. 1. circa principiũ

Illa vox debet assumi in significatione Sacramenti, qua principalius & communius homines illius linguę vtuntur ad significandum id, quod in Sacramentis agitur. Ibidem in medio columnæ.

Sacramenta sunt necessaria ad hominum salutem. fol. 303. circa finem

Hæc necessitas non est necessitas simpliciter, & absolutè; sed necessitas cõuenientiæ. fol. 304. col. 1. post medium.

In statu innocentiæ homo non

indige bat Sacramentis aliquo modo. fol. eodem col. 2. post medium.

Loquendo de Sacramentis in quã tum sunt medicinæ spirituales animæ nullo modo erant conuenientia instatu innocentiæ. fol. 306. col. 2. circa medium.

Etiam considerando Sacramenta vt perfectiua animæ secundum intellectum, & voluntatem non potuerunt esse necessaria pro illo statu. fol. 307. col. 1. circa medium.

Si perseueraset status innocentiæ etiam si veniret Christus non esset aliqua congruentia ad ponenda Sacramenta, & ita dicendum est nullum futurũ in tali hypotesi. fol. 315. col. 1. in principio.

Quæstio an perseuerante statu innocentia essent futura aliqua sacrificia vtilis est, & determinabilis ad alteram partem secundũ probabilẽ coniecturã. fol. 318. col. 1. in med.

In illo statu perseuerante non essent sacrificia prefiguratiua passionis Christi, nec propiciatoria pro peccatis. Ibidem col. 2. circa mediũ. Essent tamen sacrificia ingratiarum actionem, & recognitionem suppremi dominij. Ibidem paulo post.

Illa sacrificia non essent tantum priuata pro arbitrio cuiuscumque sed etiam publica. fol. 319. col. 2. post medium.

Post peccatum Adę etiam ante aduentum Christi debuerunt esse aliqua Sacramẽta. f. 321. co. 1. in initio.

In statu legis naturę fuerunt aliqua Sacramenta instituta pro paruulis in remissionem peccati originalis, & pro adultis in remissionem actualium. fol. 323. col. 1. in fine.

De Sacramento instituto in lege naturæ pro paruulis in remisionem originalis maxima cum probabilitate dicendum est fuisse necessarium adultis, quibus non erat remissum peccatum originale. fol. 327. col. 2. circa finem.

Illud Sacramentum contra peccatum originale institutũ nõ aliud potuit esse quam protestatio fidei externa facta aliquo signo sensibili, quę paruulis applicabatur per suos parentes, vel per illos qui curam illorum gerebãt. fol. 328. col. 1. in fine.

In lege naturæ non fuit aliquod Sacramentum determinatum in particulari pro omnibus fidelibus, siue in remissionẽ peccati originalis, siue actualis, sed determinabatur in particulari in singulis ex speciali instinctu, & spiratione Dei. f. 329. c. 2. in med.

Sacramentum institutum in lege naturæ pro paruulis fuit necessarium illis ad suam salutem necessitate finis, & præcepti simul. fol. 336. col. 1. in medio.

Illud idem Sacramentum fuit necessarium eodem modo adultis in quibus non erãt remissum originale. fol. eodem col. 2. circa medium.

In statu legis naturalis fuit necessarium necessitate finis, & pręcepti simul Sacramentum pœnitentię in remissionem actualium commissorum post remissum originale. fol. 337. col. 1. in fine.

In Sacramentis, quæ applicabantur paruulis, in parentibus, aut in illis, qui eis applicabant talia Sacramenta non requirebatur, tanquam dispositio aliqua fides, nec informis, nec formata; sed sufficiebat habere intentionem Ecclesiæ, & intendere protestare fidem mediatoris Christi, eamque applicare ad iustificationem paruuli. fol. 341. col. 1. circa initiũ.

Quando adulti vtebantur Sacramento, contra originale erat requirebatur in illis aliqua fides saltim informis, & aliquis dolor de peccatis. Ibidem col. 2. in fine.

Sacramentum pœnitentiæ illius legis in adulto suscipiente ipsum per se loquendo non requirebat contritionem; sed tantum attritionem super naturalem procedentem ex cognitione fidei supernaturalis. fol. 343 col. 1. circa medium.

Opor-

Oportet in lege gratiæ, quędam aliaSacramenta esse.fol.eodem col. 2.circa medium.

Necesse est dicere,quodSacramẽta nouæ legis per aliquem modum causant gratiam.f.345.c.1.circa fin.

Non est dicendum, quod Sacramenta nouæ legis,nõ sunt causa gratiæ,aliquid operãdo.Ibi.c.2circafin.

Sacramẽta nouæ legis sunt causæ instrumentales gratiæ.fol.446. col. 1.circa principium.

Fides Catholica est, quod Sacramenta nouæ legis causant gratiã in suscipiente illa, & non ponentibus obicem,& quod talis gratia datur in illis ex opere operato.fol. 348. col. 1.in fine,& col.2.in initio.

Sacramenta legis gratiæ habent causare gratiã ex opere operato, idest ex virtute ipsiusSacramenti. fol. 350.col.2.circa medium.

Ex hoc sequitur,quod si accedat aliquis ad Sacramentũ mortuorũ verè contritus prẽter gradũ gratię correspondentẽ ei iure cõnaturalis dispositionis datur ei peculiaris gradus gratiæ virtute Sacramenti. Ibidem.

Si duo homines accedant cũ ęquali deuotione ad Sacramentũ Eucharistię,& vnus recipiat ostiã verè cõsecratam alter vero recipiat ostiã nõ consecratam,primus recipit gradum specialem gratiæ correspondentem Sacramẽto,secundus solũ gradũ gratię correspondentẽ proprie dispositioni .Ibidem circa finem columnę.

De fide est,quodSacramenta causant virtutes morales infusas in anima non de fide perse primo,sed perse secũdo,f.351.col.1.circa initium.

DuoSacramenta mortuorum scilicet baptismus, & pœnitentia perse primo habent causare primã gratiam fol.357.col.1.in fine.

Sacramenta viuorum habent virtutem ad causandã primã gratiã aliquando ex aliquo accidenti.fol.359. col.1.in principio.

Sacramenta viuorũ sub nulla ratione,nec secundũ rationẽ specificã, nec genericã habent causare perse primã gratiã.fol.362.c.1.in medio.

Quocumque modo considerẽtur Sacramenta dicendum est,esse verè, & propriè causæ instrumentales gratiæ habentia influxum in illã,& opositum ad minus videtur temerariũ. fol.372. col.2.parum post medium.

Sacramenta sunt instrumẽta moralia gratię respectu Christi Domini,& etiã respectu Dei.f.373.c.1.postme.

Sacramenta nouæ legis sunt instrumenta phisica gratiæ nõ solũ moralia,respectu Dei.f.377.c.1.circa fin.

Hanc veritatẽ esse expręssam sententiam D.Thom.probatur.fol.378 col.1.circa initium.

Probatur esse conformior Patribus, & Concilijs, & sacræ paginę. fol.379.per totum.

Sacramentum non producit gratiam in tempore indeterminato immediato ad instans vltimum extrinsecum.fol.392.col.2.in fine, & fol. 393.col.1.in principio.

Non producit eã intemporeindeterminato in instãtiextrinseco,quod est vltimum nõ esse gratiæ. fol.397. col.1.circa initium.

Sacramentum non confert gratiã in aliquo instanti in quo intrinsece consumatur, & perficitur.fol. 398. col.1.in fine.

Vera sententia est cõmunis Thomistarum asserentium Sacramentũ causare gratiã in vltimo instanti sui esse non quidem intrinseco, sed extrinseco.fol.402.col.1.in medio.

Sacramentalis gratia addit super gratiam communiter dictam super virtutes & dona,quodam auxiliũ ad consequendum Sacramenti finem. fol.405.col.1.in principio.

Per respectum ad causam addit aliquid,quod ipsa gratia gratum faciens secundumse ipsã pręcisse sumptam non includit.fol.409.col.2.circa principium.

Non tamen addit alium habitum rea-

realiter distinctum ab habitu gratiæ cõmuniter dictę. f. 510. c. 2. circa fin.

Gratia Sacramentalis addit super gratiã cõmuniter dictam specialem quandam perfectionem intrinsecam habitualem permanentem inherentem ipsi gratiæ gratum facienti. fol. 411. col. 2. in fine.

Explicatur hoc. f. 412. c. 1. in prin.

Hæc intrinseca perfectio non consistit in maiori intẽsione; sed in quodam intrinseco vigore quo viget gratia Sacramentalis ad producendum effectũ Sacramenti. f. 413. c. 1. in fin.

Gratia continetur in Sacramẽto, tanquam in signo, & in causa instrumentali. fol. 417. col. 1. initio.

Necessario dicendum est, quod in Sacramentis est aliqua virtus instrumentalis respectu gratiæ. fol. 417. c. 1. circa initium.

Hæc virtus habet esse incompletum, & transiens in Sacramentis. Ibidem post medium. Eiusdem colum.

Vt aliqua causa agat in actu 2. nõ sufficit subordinatio eius ad diuinã virtutẽ; sed necessario debet supponi in illa aliqua vix actiua, & idem est de Sacramentis. f. 422. c. 2. in initio.

Nulla creatura constituitur in actu primo in ratione instrumenti diuini ad effectus supernaturales per potentiam obedientialẽ actiuam. fol. 424. col. 2. post medium.

Probabilis est opinio asserens virtutem instrumentalẽ in Sacramentis esse qualitatẽ. f. 428. c. 1. post med.

Probabilius est, & magis ad mentem D. Tho. talẽ virtutẽ esse motũ artificiosum, quo mouentur specialiter à Deo ad gratiã causandam. fol. 431. col. 1. in medio.

Probabile est talẽ virtutẽ instrumẽtalẽ esse formaliter corporalẽ, & virtualiter spiritualem. fol. 435. col. 1. circa finem.

Probabilius est talem virtutẽ in Sacramẽtis materialiter, & idẽticè esse corpoream; formaliter verò, & in esse virtutis spiritualẽ simpliciter. Ibidem.

Qui dicunt virtutem Sacramẽtalem esse qualitatem distinctã à motu necessario debent dicere consequenter esse illã in se ipsa entitatiuè spiritualẽ. ibid.

Eriã in opinione Thomistarũ dicentium talem virtutẽ non esse aliquã entitatẽ distinctã ab entitate motus artificiosi magis cõforme doctrinæ D. Tho. est asserere talẽ virtutẽ esse spiritualẽ formaliter, & entitatiuè. fol. 436. col. 1. in medio.

Explicatur, quod talis virtus non est ipse motus artificiosus prolationis verborũ formæ Sacramentalis; sed aliquid supernaturalis entitatiuè distinctus à motu præcedenti formæ prolatę. fol. eodem col. 2. circa medium.

Sacramenta nouæ legis habent virtutẽ ex passione Christi, quãuis Sacramenta inquãtũ sunt instrumenta nostræ iustitiæ depẽdeant ab omnibus operationibus Christi, speciali quãdã ratione dicuntur accipere virtutẽ à passione ipsius. f. 439. c. 2. post princip. circa med.

Sacramenta veteris legis nõ causabãt gratiã virtute propria. f. 441. c. 2. in fin.

Sacramenta illa nõ causabant gratiã ex virtute participata à passione Christi. fol. 442. col. 1. circa medium.

De Sacramento circuncisionis dicendũ est solum fuisse signum fidei iustificantis. Ibidem col. 2. circa initium.

Tale Sacramentũ nõ conferebat gratiã ex opere operato paruulis, defenditur cõtra Scotũ. Ibidẽ circa finẽ colun.

Dicendũ est contra Vazquez tale Sacramentũ non solũ fuisse signũ externũ fidei, & iustitiæ causate in ipso; sed etiã concurrisse per modũ conditionis sine qua nõ, ad gratiã remissiuam peccati originalis. fol. 443. col. 1. in medio.

Per hunc modũ intelligendi sunt Sãcti Patres, quãdo dicunt circuncisionẽ fuisse remediũ contra originale peccatum sicut baptismus modo. Ibidem circa finem columnæ, & col. 2.

Sententiæ speciales, quæ circa literas aliãs abcedarii possunt notari inclusas inuenies, lector inter anotatas circa literam A. & circa literam B. vbi sunt quæ pertinere poterant ad literam Q. & circa literã M. vbi sunt quæ pertinere poterant ad literã D. & nõ sunt expressè positæ in tali litera, & in anotatis ad literã S. Videbuntur quæ ad alias literas F. & R. & V. poterant pertinere vndè non est necessariũ illas repetere.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRAE, QVÆ IN HOC VOLVMINE continentur.

Litera F. folium, C. verò columnam designat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

GAT. 2. *Quam ob rem relinquet homo Patrem, & matrem, fol. 313. col. 2.*

17 *Tu ergo custodies pactum meum, & semem tuum post te in generationibus tuis, fol. 192. col. 2.*

17 *Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semem tuum post me, fol. 197. col. 2.*

17 *Hæc autem omnia in figura contingebant illis, fol. 193. col. 2.*

Ex Exodo.

Cap. 3. Locus in quo stas terra sancta est, fol. 146. col. 2.

4 *Qui fuit primogenitus meus Israel, fol. 81. col. 1.*

Ex Leuitico.

Cap. 19. Sancti Estote quoniam ego sanctus sum, fol. 505. col. 1.

21 *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offerret panes Deo suo, nec accedet ante ministerium eius, fol. 502. col. 1.*

Ex Deuteronomio.

Cap. 3. Caue nè imiteris gentes, & requiras cæremonias eorum, f. 252. col. 2.

10 *Eo tempore separaui tributum Leui, vt portaret Arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius, fol. 147. col. 1.*

18 *Prophetam suscitauo eis, &c. qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam, fol. 542. col. 2.*

Ex Iosue.

Cap. 3. Sanctificamini, cras enim faciet Dominur mirabilia, fol. 147. col. 1.

3 *Tolite arcam fœderis, & præcedite populum, fol. eodem, & col. eadem.*

10 *Non fuit antea, & postea tam lõga dies obediente Deo voci hominis, fol. 31. col. 2.*

1. Paralipomenon.

29 *Omnia tua sunt, & quæ de manu tua accepimus redimus tibi, fo. 319. col. 1.*

Ex Psalmis.

Psalm. 30. Defecit in dolore vita mea & anni mei in gemitibus, fol. 439 col. 2.

50 *Sacrificium Deo spiritus contribulatus fol.339.col.2.*
83 *Gratiam, & gloriam dabit Dominus, fol.368.col.1.*
83 *Proprium esse Deo dare gratiã, & gloriam, atque peccata dimittere, fol.12.col.1.*
98 *Adorate scabellum pedum eius quoniam sanctum est, fol.146.col.1. & fol.158.col.1. & alibi.*
109 *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, fol.29.col.2.*
109 *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, fol.487.col.1.*
145 *Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos, fol.91.col.2.*

Ex Prouerbijs.

Cap.8. Ego diligentes me diligo, fol. 91.col.2.

Ecclesiastici.

Cap.10. Secundum iudicem populi, sic ministri eius, fol.505.col.1.
44 *Corpora eorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationẽ, &c. Enoch, Noe, Abraham, & Isaac, fol.80.col.1.*
45 *Fuit dilectus Deo, & hominibus & magnificauit eum, & similem fecit in gloria sanctorum, fol. 80. col.1.*

Ex Sapientia.

Cap.8. Suauiter disponit omnia, fol. 251.col.1.

Isaiæ.

Cap.1. Filios enutriui, & exaltaui, fol.78.col.2.
1 *Ne afferatis vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi, fol.502.col.1.*
40 *Parũ mihi est, vt sis seruus meus ad suscitandas feces Iacob, fol.95. col.1.*

Ezechielis.

Cap.36. Effundam super vos aquam mundam. fol.568.col.1.

Osee.

Cap.9. Ex Ægypto vocaui filiũ meũ, fol.81.col.1.

Malachiæ.

Cap.2. Maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis, fol.502 col.1.
5 *Lauerunt stolas suas in sanguine Agni, fol.598.col.1.*

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

CAP. 3. *Hic est filius meus dilectus, fol.126.col.1. & fol. 132. col.2. & alibi.*
5 *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videantur opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est, fol.69.col.2.*
6 *Attendite nè faciatis iustitiã vestram coram hominibus, vt videamini ab eis alioquin non habebuitis mercedem apud Patrem vestrũ qui in cœlis est, fol.69.col.2.*
9 *Vide te ne quis sciat: illi autem exeuntes diffamauerunt illum per totam terram illam. fol.68.col.2.*
9 *Non est opus valentibus Medicus, sed*

sed male habentibus, fol. 304. col. 2

10 *Tues Christus filius Dei viui, fol. 119. col. 1.*

10 *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere, sed potius timete eũ, qui potest & animam, & corpus perdere in gemnam, fol. 605. column. 2.*

10 *Omnis qui confitebitur me coram hominibus confitebor, & ego eum coram Patre meo, fol. 592. column. 2.*

10 *Nolite timere multis paseribus meliores estis vos: omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus confitebor, & ego coram Patre meo, fol. 605. col. 2.*

15 *Beati qui persecutionem patiun propter iustitiam quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum, f. 605. col. 2.*

15 *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus, fol. 81 col. 1.*

16 *Qui me confesus fuerit coram hominibus confitebor, & ego eum, &c. fol. 606. col. 1. & fol. 588. col. 2. & alibi.*

18 *Quodcũque solueritis super terram erit solutum, & in cœlis, fol. 348. col. 2.*

25 *Vnicuique dedit secundum suam virtutem, fol. 251. col. 1.*

26 *Hoc Est Corpus Meum, fol. 217. col. 1, & fol. 222. col. 1. & alibi.*

26 *Hic Est Sãguis, qui pro vobis fundetur in remisionem peccatorum, fol. 222. col. 1.*

26 *Accepit Iesus panem (& dixit) Hoc Est Corpus Meum, fol. 266. col. 1.*

26 *Pridiè quam pateretur, fol. 439. col. 1.*

Vlt. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium, fol. 5. col. 2.

Vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, fol. 1. col. 1.

Vlt. Et ecce ego vobiscum sum, vsque ad consumationem seculi, fol. 198. col. 1.

Vlt. Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, fol. 258. col. 2. & fol. 266. column. 1. & fol. 267. column. 1. & alibi.

Vlt. Docete omnes gentes Baptizantes, &c. fol. 267. col. 1. & fol. 494 col. 1. & alibi.

Vlt. In Nomine Patris, fol. 286. col. 2.

Marci.

Cap. 1. Si vis potest me mundare, fol. 28. col. 2.

1 *Tues filius meus dilectus, fol. 131. col. 1.*

8 *Saluam faciet eam, fol. 591. column. 2.*

10 *Fides tua te saluum fecit. fol. 221 col. 1.*

15 *Verè filius Dei erat iste, fol. 118. col. 2. & fol. 119. col. 1.*

Vlt. Qui crediderit, & Baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur, fol. 347. col. 1.

Vlt. Euntes docete omnes gentes, fol. 532. col. 2.

Lucæ.

Cap. 1. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, &c. quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, fol. 114. col. 2.

1 *Dabit ei Dominus sedem Dauid Patris eius, fol. 115. col. 1.*

3 *Cuius ventilabrum in manu sua, & permundauit aream suam, fol. 545. col. 2.*

5 *Surge, & ambula, fol. 221. col. 1.*

7 *Remittuntur tibi peccata tua, fol. 196. col. 2. & fol. 216. col. 1. & alibi.*

9 *Vade ad tuos, & anuntia Regnum Dei, fol. 68. col. 2.*

12 *Qui perdiderit animam suã propterme inueniet eam, fol. 592. colum. 2.*

17 *Qui perdiderit animam suam propterme viuificabit eam, fol. 591. col. 2.*

22 *Hoc facite in meam commemorationem, fol. 193. col. 2. & fol. 236. col. 2. & alibi.*

Ioannis.

Cap. 1. Hic est qui Baptizat in Spiritu Sancto, fol. 616. col. 1.

1 *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratia, fol. 9. col. 2.*

1 *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, fol. 72. col. 1. & fol. 77. col. 2. & alibi.*

1 *Sed ex Deo nati sunt, fol. 73. column. 2.*

1 *Qui non ex sanguinibus, fol. 79. col. 1.*

1 *Quotquot autem receperunt eum, fol. 79. col. 1. & fol. 85. col. 1.*

1 *Vt simus in verò filio Dei Iesu Christo, fol. 93. col. 1.*

1 *Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à patre plenum gratiæ, & veritatis, fol. 94. col. 1. & 104. col. 1. & alibi.*

2 *Sciens quia omnia dedit Pater in manus, fol. 1. col. 1.*

3 *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius, fol. 1. col. 1.*

3 *In beatitudine similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est, fol. 10. col. 2.*

3 *Et sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, fol. 219. col. 1.*

3 *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, &c. fol. 219. col. 2.*

3 *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei, fol. 256. col. 2. & fol. 258. col. 2. & fol. 266. col. 1. & fol. 380. col. 1. & alibi.*

3 *Post hæc venit Iesus, & Discipuli eius in Iudæam terram, & ibi demorabatur cum eis, & Baptizabat, fol. 534. col. 2.*

3 *Non potest homo accipere quidquã, nisi fuerit ei datum de cœlo, illum oportet crescere me autem minui, qui de sursum venit super omnes est, fol. 535. col. 1.*

4 *Vt cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod Iesus plures Discipulos facit, & Baptizat quã Ioannes, quamquam Iesus non Baptizaret, sed Discipuli eius, fol. 535. col. 1.*

5 *Quæcumque Pater facit, hæc & filius similiter facit, fol. 77. col. 2.*

6 *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habeuitis vitam in vobis, fol. 542. col. 2.*

6 *Qui manducat meam carnem vibet in æternum, fol. 236. colum. 2. & fol. 349. column. 1. & alibi.*

6 *Qui manducat meam carnem, & vibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo, fol. 222. col. 1. & fol. 236. col. 2. & alibi.*

6 *Caro mea verè est cibus, &c. fol. 380. col. 1. & fol. 349. col. 1. & alibi.*

7 *Nondum erat spiritus datus, quia nondum erat Iesus glorificatus, f. 533. col. 1. & fol. 537. col. 2. & alibi.*

10 *Hic est qui Baptizat, fol. 9. col. 1.*

11 *Iesus moriturus erat non solũ pro gẽte, sed vt filios Dei, qui erãt dispersi, congregaret in vnum, fol. 88. col. 2.*

12 *Et ego si exaltatus fuero à terra omnia trahã ad me ipsum, f. 6. c. 1.*

13 *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, f. 535. c. 2.*

15 *Maiorem hac dilectionem nemo habet*

habet, fol. 586. col. 1. & fol. 590. col. 2. & fol. 591. col. 2. & fol. 593 col. 1. & alibi.

15 Si nō veniſem, & loqutus eis fuiſſem peccatum non haberent, fol. 540. col. 1.

17 Sint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus, fol. 78. col. 2.

17 Pater clarifica filium tuum, fol. 131. col. 1.

19 Conſumatum eſt, fol. 540. col. 1. & 2. & fol. 541. col. 2. & fol. 543 col. 1. & alibi.

20 Accipite Spiritum Sanctū quorum remiſeritis peccata, &c. fol. 494. col. 1. & fol. 502. col. 1.

20 Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, fol. 266. col. 1. & fol. 348. col. 2. & fol. 380. col. 1.

20 Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, fol. 118. col. 2. & fol. 132. col. 2.

Acta Apoſtolorum.

Cap. 8. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum, fol. 348. col. 2.

19 Et cum impoſſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos, fol. 348. col. 2.

19 His auditis Baptizati ſunt innomine Domini Ieſu. fol. 564. col. 1.

EX APOSTOLO PAVLO.

Epiſtola ad Romanos.

Cap. 1. Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, fol. 309. col. 2.

1 Iuſtus ex fide viuit, fol. 347. col. 1.

1 Quod eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti, fol. 348. col. 1.

1 Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, fol. 137. col. 2.

3 Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quæ propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, fol. 440. col. 1.

4 Credidit Abraham Deo, reputatum eſt ei ad iuſtitiam, fol. 335. col. 1.

4 Abraham accepit ſignum Circunciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei fol. 226. col. 2. & fol. 227. col. 1. & alibi.

4 Traditus eſt propter delicta noſtra & ſurrexit propter iuſtificationē noſtram, fol. 543. col. 1. & alibi.

5 In ſimilitudinem prævaricationis Adæ, fol. 438. col. 2.

6 Gratia Dei vita æterna, fol. 85. col. 2. & fol. 108. col. 2. & alibi.

6 Vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, &c. ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudinem mortis eius ſimul, & Reſurrectionis erimus, fol. 286. col. 2. & fol. 573. col. 1.

6 Quicumque Baptizati ſumus in Chriſto Ieſu in morte eius Baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortē, &c. fol. 193. col. 2. & fol. 236. column. 2.

8 Deus qui iuſtificat, fol. 493. col. 1.

8 Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij eius fol. 10. col. 1. & fol. 80. col. 2. & fol. 84. col. 1. & alibi.

8 Quicumque ſpiritu Dei aguntur hij ſunt filij Dei, &c. accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus, Abba Pater, fol. 72. col. 1. & fol. 77. col. 1. & fol. 78. col. 2. & alibi.

8 Si filij, & hæredes, hæredes quidē Dei, fol. 78. col. 1.

8 Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum,

illum, fol. 118. *col.*2. *& fol.*120. *col.*2. *& alibi.*

8 *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum intimore, &c. fol.* 543.*col.*2.

9 *Optabam enim ego ipse anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secũdum carnem, qui sunt Israelitæ: quorum adoptio est filiorum, fol.*80.*col.*2.

10 *Corde creditur ad iustitiam ore autem confessio fit ad salutem, fol.* 336. *col.* 1. *& fol.* 347. *col.*1. *& fol.*351.*col.*2.

11 *Alioquim gratia, iam non est gratia, fol.*339,*col.*1.

15 *Dico autem Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patruum: gentes autem super misericordia honorare Deum, fol.*325.*col.*2.

Epistola ad Corinthios 1.

Cap. 2. *In cor hominis non ascendit, fol.*309.*col.*1.

2 *Ego plantaui Apollo rigauit, sed Deus incremẽtum dedit, f.*499.*c. lumn.*2.

6 *Ne minidantes vllam offensionem, fol.*519.*col.*2.

10 *Calix benedictionis cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? fol.*267.*col.*1.

10 *Omnia in figura contingebant illis, fol.*224.*col.*1.*& fol.* 232. *col.* 2.*& alibi.*

10 *Qui se existimat stare videat ne cadat tentatio vos no apræhendat fol.*87.*col.*1.

10 *Vnus panis, & vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane, & de vno Calice participamus, f.* 610.*col.*1.

11 *Probet autem se ipsum homo, fol.* 513.*col.*1.

11 *Quotiescumque manducauitis panem hunc, &c. mortem Domini anũtiabitis donec veniat, fol.*194 *col.*1. *& fol.* 236.*col.*2. *& alibi.*

12 *Vnicuique datur, &c. alij gratia sanitatuum in vno spiritu, alij operatio virtutuum, &c. fol.*38.*c.* 2.

13 *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam charitatem non habuero nihil mihi prodest, fol.* 586. *col.*2. *& fol.*588.*col.*2.

Epistola ad Corinthios 2.

Cap. 1. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris, fol.*446. *col.*2.

Epistola ad Galatas.

*Cap.*2.*Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est? fol.* 79.*col.*2.

3 *Quotquot in Christo Baptizati estis Christum induistis, fol.* 345. *col.*1.

4 *Egena, & infirma elementa, fol.* 344.*col.*1.

4 *Conuertimini iterum ad infirma elementa, & egena, fol.* 441.*columnn.*2,

4 *Quoniam autem estis filij Dei misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater, fol.*72.*col.*1.

4 *Misit Deus filium suum in mũdũ, vt adoptionẽ filiorũ reciperemus fol.*79.*col.*1.

4 *Itaque iam non est seruus, sed filius, quod si filius, & hæres per Deum, fol.*79.*col.*2.

4 *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a seruo cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus a patre, &c. fol.* 82. *col.*1.

Epistola ad Ephesios.

Cap. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum, fol.* 70. *col.* 1. *& fol.* 80. *col.* 2. *& alibi.*

4 *Nolite contristari Spiritum Sanctum Dei in quo signati estis, fol.* 447. *col.* 1.

4 *Vna fides vnum Baptisma, fol.* 577. *col.* 1. *& fol.* 628. *col.* 1. *& alibi.*

5 *Sacramentum hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia, fol.* 194. *col.* 1. *& fol.* 219. *col.* 2. *& fol.* 349 *col.* 1. *& alibi.*

5 *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, fol.* 263. *col.* 1. *& fol.* 266. *col.* 1. *& fol.* 348. *col.* 2.

5 *Tradidit semetipsum oblationem, & Hostiam Deo in odorem suauitatis, fol.* 438. *col.* 2.

Epistola ad Philippenses.

Cap. 2. *Quærentes non, quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi, fol.* 68. *col.* 2.

Epistola ad Timothæum 1.

Cap. 3. *Diachoni ministrent nullum crimum habentes, & vt sic ministrent primum probentur, fol.* 516. *col.* 1.

4 *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuũ Præsbyteri, fol.* 349. *col.* 1. *& fol.* 447. *col.* 1.

Epistola ad Timothæum. 2.

Cap. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionẽ manuum mearum, fol.* 349. *col.* 1.

Epistola ad Titum.

Cap. 3. *Secundum suam misericordiã saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus Sancti, &c. vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, fol.* 73. *col.* 2. *& fol.* 348. *col.* 2.

Epistola ad Hebræos.

Cap. 1. *Quod est figura substantiæ Patris, fol.* 445. *col.* 1.

10 *Accedamus aspersi corde à conscientia mala, & ablueti corpus aqua munda, fol.* 568. *col.* 2.

10 *Vmbram habens lex futurorũ bonorum, non ipsam imaginem rerũ fol.* 236. *col.* 1.

10 *Iustus ex fide viuit, fol.* 347. *col.* 1.

Epistola Iacobi Apostoli.

Cap. 1. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius, fol.* 73. *col.* 1. *& fol.* 77. *col.* 2.

5 *Et oratio aleuiabit infirmum, fol.* 266. *col.* 1. *&* 2.

5 *Infirmatur quis in vobis: inducat Præsbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum Oleo Sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluauit infirmum, & aleuiabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit remittentur ei, fol.* 349 *col.* 1.

Epistola Petri 1.

Cap. 1. *Qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, &c. in hæreditatem incorruptibilem, fol.* 73. *col.* 1. *in fine.*

3 *Et vos, nunc similis formæ facit Baptisma, nunc carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per Resurrectionem Iesu Christi, fol.* 347. *col.* 1. *& fol.* 352. *col.* 1.

Epistola Ioannis 1.

Capit. 1. *Regenerauit nos in spem viuam*

viuam per Resurrectionem Iesu-Christi ex mortuis, fol. 537. col. 2.

2 *Sicut modo geniti infantes rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, fol. 629. col. 2.*

2 *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si essent ex nobis permansissent vtique nobiscum, sed vt manifesti sint, quod non sunt omnes ex nobis, fol. 84. col. 1.*

3 *Qui facit peccatum ex Diabolo est &c. omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit, quia ex Deo natus est, in hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli: omnis, qui non est iustus non est ex Deo, fol. 85. col. 2.*

3 *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus, fol. 73. col. 2. & fol. 85. col. 1.*

Apocalypsis.

Cap. 3. Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam, fol. 87. c. 1.

Finis Locorum Sacræ Scripturæ.

7
40

6.267